

Cremus Camaldulensis Montis-coronæ in agro Perusino circa annum 1530. excitata.



ANNALES
CAMALDULENSES
ORDINIS
SANCTI BENEDICTI

Quibus plura interseruntur tum ceteras Italico-monasticas res, tum historiam Ecclesiasticam remque Diplomaticam illustrantia.

D. JOHANNE-BENEDICTO MITTARELLI ABBATE
& D. ANSELMO COSTADONI

Presbyteris & monachis e Congregatione Camaldulensi Auctoribus.

TOMUS OCTAVUS.

Complectens res gestas ab anno Christi M.D.XV. ad annum M.DCC.LXIV.

Ad fidem MONUMENTORUM & VETERUM CHARTARUM.



VENETIIS, MDCCLXIV.
Ære Monasterii Sancti MICHAELIS DE MURIANO.

Prostant apud JO. BAPTISTAM PASQUALI.
SUPERIORUM VENIA ET PRIVILEGIO.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO PATRI

D. DOMINICO FAVILLA

ABBATI SACRI ET REGALIS MONASTERII

MONTIS-CASINI,

EJUSQUE DIŒCESEOS AC JURISDICTIONIS,

NECNON INSIGNIS ABBATIÆ

S. VINCENTII AD FONTES VULTURNI

ORDINARIO

CIVITATIS SANCTI-GERMANI, VICORUM, CASTRORUM &c. DOMINO

ET IN TOTO REGNO NEAPOLITANO

PRIMO BARONI.

D. Johannes-benedictus Mittarelli Abbas, & D. Anselmus Costadoni Monachi Ordinis S. Benedicti Congregationis Camaldulensis.

DAturi aliquod obsequii, æstimationis, dilectionis quoque nostræ pignus toti monachorum ordinis S. Benedicti spectatissimo cœtui, committere noluimus, ut postrema hæc Camaldulensis historiæ pars sub alio Mœcenate in lucem exi-

exiret, sed integra per nos exhiberetur eidem ordini, singulari quidem ab antiquissima sui origine, sed qui coalescit diebus nostris ex unione monasticarum omnium congregationum, arctissimo secum necessitudinis vinculo colligatarum, quæ unum patrem & latorem legis sanctissimum Benedictum venerantur, unam profitentur a Spiritu-sancto dictatam regulam, una gaudent decoris, sanctitatis & privilegiorum communione. Neque diutius suspensi hæsimus, cui potissimum præstantissimi cœtus hujus splendidissimo viro octavum Annalium Camaldulensium volumen inscriptum, nuncupatum, consecratum vellemus; & cum in ordine Benedictino occurrant per egregii vetustissimarum abbatiarum prælati, præsules etiam floreant doctissimi & piissimi reformatorum cœnobiorum, principum quoque virorum mixtum imperium habentium circumferantur gloriosa nomina, mentem tamen oculosque statim ad Te unum adjecimus, Illustrissime & Reverendissime Domine, Abbatem sacri & regalis monasterii Montis-casini, cujus fundator fuit ipse parens Benedictus, ex quo prodiere omnes vel antiquissimæ ordinis congregationes, profluxere autem omnia Benedictini ordinis quaquaversum per orbem sparsa ornamenta, quod demum fuit semper, & est sanctitatis, doctrinæ, dignitatis honorificentissimum receptaculum & seminarium. Pro Te uno definitum fuit in synodo Romana anni 1116. a Paschale II. jure ac merito Casinensi abbati hanc prærogativam a Romanis pontificibus concessam fuisse, ut ipse solus, qui Benedicti legislatoris Vicarius est, Abbas Abbatum vocetur, eo quod ex Casinensi cœnobio, tamquam a vivo fonte monasticæ religionis norma manaverit, & omnes monachi in orbe Romano degentes regulam patris Benedicti a Casinensi cœnobio acceperint. *Tibi uni concessum Urbani V. privilegio, ut* in omnibus conciliis aliisque locis primum post episcopos locum occupes, omnibusque præcedas abbatibus. *Ad Romanum pontificem dumtaxat Tui consecratio olim pertinebat. Episcopalia munia Tibi indulta; sed integra Casinensis historia doctissimi abbatis Gattolæ foret producenda, collectio quoque Margarinii exscribenda, si indulta, privilegia, prærogativas, præeminentias, jura tum spiritualia, tum temporalia Casinensis abbatis in oculis ponere intenderemus.*

Hæc, quæ fatentur, faterique olim apostolico decreto coactæ sunt illustriores monasticæ congregationes, libentissime fatetur & potiori jure humilis congregatio nostra Camaldulensis, quæ attendens ad petram, unde excisa est, *principia sua ex Sacro Casinensi archisterio, multamque communionem desumit. Romualdus enim alter suus parens, jactis fundamentis cœnobiticæ & eremiticæ vitæ in Galliis, obeunte Petro-urseolo glorioso discipulo, Olibanum comitem Gerritaniensem & Bisuldunensem ad Deum nuper conversum, & Johannem Gradonicum monachum & coeremitam suum, Guarinum quoque Cuxanensem abbatem, & Marinum olim magistrum suum, non ad alia propinquiora & florentia monasteria, sed ad primarium Casinense cœnobium destinavit; & de Gradonico refert noster Petrus-Damiani,* cellam sibi prope Casinum ædificari petiisse, ibique per triginta annos, quamdiu vixit, in sancta conversatione permansisse, & post ejus obitum nonnulla per eum miracula divinitus facta fuisse. *Quid, quod ipse Romualdus, testibus eodem Petro Damiani, & Leone vestro*

stro Ostiensi, antequam Perensem prope Ravennam solitudinem excitaret, cum Tammo & cum Bonifacio imperatoris Ottonis III. consanguineo, quem nunc felicissimum martyrem Russiana gloriatur ecclesia, & cum aliis conversis Teutonibus de prædicti imperatoris exercitu ad S. Benedicti monasterium, quod in Casino constitutum est monte, devenit; *ibidemque aliquo tempore cum ipsis moratus est, ut monastica disciplina institueret in principe orbis Benedictini lycæo? Cumque eodem tempore* Johannes abbas vicesimusnonus abbatia relicta in proximam eremum, *testimonio ejusdem Leonis*, cum quinque fratribus recesserit, ibique solitarius in spiritualibus operibus reliquum vitæ suæ tempus exegerit; *veri habet similitudinem, humili & pio seni, ut dimitteret abbatiam, & secessum quæreret, opportunitate data, & juxta morem suum, auctorem fuisse Romualdum.*

Petrus Damiani S. R. E. cardinalis & episcopus Ostiensis, abdicatis cardinalatu & episcopatu, ut liberius ad eremum Avellanensem a se fundatam, vel legibus communitam remearet, non timuit plus una vice solitudinem suam dilectam ad tempus deserere, ut gratissima frueretur societate Desiderii abbatis Casinensis, ejusque monachorum, ad quos etiam plures tractatus scripsit, apud quos jejunium feriæ sextæ, usumque voluntariorum flagellorum invexit, quorum suffragia post mortem expetiit.

Andream nolumus omittere Camaldulensem priorem S. Mathiæ de Muriano Venetiarum, quem primum, abbatia restituta & sublatis episcopis, Urbanus V. dedit Casinensibus in abbatem, cujus gloriosa monumenta e scriniis archivi ejusdem monasterii eruit prælaudatus abbas Gattola.

T*anta Camaldulensium cum Casinatibus conjunctio in caussa fuerit, ut B. Paulus Justinianus literis hos adhortatus fuerit ad celebrandum sollemniter festum sancti Romualdi, eo vel maximo fundamento, quod Romualdus in Italia cœnobiticum sancti Benedicti institutum propagaverit vel reformaverit, & ut loquitur scriptor Prologi in Consuetudines Cluniacenses*, in theoretica præclarus Romualdus *exemplumque præbens Hugoni Farfensi abbati, qui illius* sequipeda *vocatur, Guilielmo Divionensi, Martino & Guidoni Pomposianis abbatibus*, effulserit in ædificatione multorum monasteriorum, renovando normam priscæ justitiæ in sexu utroque & ordine; & putaretur, *juxta Damianum*, velle monachico ordini omnem populi multitudinem sociare. *Hinc scribit Fortunatus Ulmus monachus S. Georgii-majoris Venetiarum in historia ms. ejusdem cœnobii, & Silvanus Ractius ante ipsum scripserat, centum monasteria in Italia erexisse Romualdum.*


Sano igitur consilio Tibi, Tuæque dignitati, Illustrissime, & Reverendissime præsul, nuncupamus postremum hocce Annalium Camaldulensium volumen, præsertim cum sacra & suprema hæc dignitas in Te nunc resideat, qui, præter nobilem Neapolitanam familiam, ex qua ortum trahis, doctrina, pietate, & integerrima vitæ & regiminis disciplina es insignitus. Hujusmodi præclaras dotes feliciter auspicatus es in florentissimo sancti Anselmi Urbis collegio; deinde non Tibi soli natus, sed & aliis factus, junioribus S. Theologiæ fontes

ape-

aperuisti, tum magistrum tironum egisti in eodem Casinensi cœnobio; ubi per gradus officio prioris ad sexennium, ceteris vero annis in monasterio Sanctissimæ Trinitatis Cavensis urbis, & in altero principe S. Pauli extra Urbem diligentissime perfunctus eodem officio, impleto insuper magni pœnitentiarii in tota Casinensi diœcesi munere, meruisti ad supremam sedem abbatialem regii & sacri Casinensis archi-cœnobii sublimari, in qua præfectura suspiciunt omnes eximiam Tuam in monachos dilectionem, assiduam vigilantiam in rebus spiritualibus & temporalibus, indefessam regularum observantiam, virtutes omnes monasticas in Te collectas admirantur. Alia subderemus, nisi plura dicere vetaret insignis illa animi Tui moderatio, qua laudes omnes detrectas, qua actiones Tuas sub modio abscondis, cujus quidem temperantiæ perpetuum erit apud nos specimen & monumentum epistola, quam ab nos dedisti XXX. *septembris hujus anni. Nihil enim a Te de Te scribi demissius poterat, ne voluminis hujus frontem Tuo nomine decoraremus; nec acquiescere erat animus, nisi omnem nuncupationis honorem in dignitatem, quam geris, transferendum proposuisses. Sed & hæc magna virtus est adeo humiliter de Te sentire, ut laudes, laudumque aucupia vel necessaria occasione devitares, & longe abs Te faceres. Verum, ne diutius immoremur, quandoquidem, Illustriss. & Reverendiss. Domine, labores nostros excipis, suscipe in his pignora etiam devotionis, obsequii & amoris nostri in Te, sacratissimumque ordinem; & Tibi, religiosæ familiæ Tuæ, totique Benedictino cœtui omnia fausta, honorifica omnia, omnia sancta precamur.*

Dabamus ex monasterio S. Michaelis in insula prope Murianum urbis Venetiarum die XVII. *novembris anni* M. DCC.LXIV.

BRE-




Eremus Camaldulensis S. Io. Baptistæ de Gros-bois prope Parisios.

MONITUM.

TARDIUS quam debuerat prodit Octavus Annalium Camaldulensium Tomus, cujus dilationis causa partim fuit typothetarum ignavia, partim sera ad nos transmissio notitiarum. Tota in ipso congregationis nostræ historia concluditur, deducta per ducentos quinquaginta annos ad dies nostros. Cum historiæ materia abundaret, consuetam chartarum, & publicorum actuum Appendicem resecavimus, quæ, Deo opitulante, aliquando lucem videbit, adjectis etiam anecdotis Bernardini Gadoli, Pauli Justiniani, Petri Quirini, Alexandri Cevæ, aliorumque præstantium Camaldulensium epistolis, una cum nonnullis historicis monumentis, quæ justum volumen serie Nonum conficient. Immo quia & aliqua erunt historiæ superaddenda, & aliqua etiam emendanda, e re nostra esse ducimus in aliud tempus omnia reservare, quo notitiis undequaque haustis, & collectis completior prodire possit omni ex parte historia Camaldulensis. Veniam interea precamur a Lectoribus, si quid involuntarii erroris in octo Annalium tomos irrepserit, sicut gratias habemus iis, quibus placuit benigna fronte nostros excipere labores, & quidem supra meritum.

Alterum est, quod monemus. Seculis XVI. & XVII. excitatæ fuere celebres congregationes eremitarum sancti Romualdi Montis-coronæ, Pedemontis, & Galliarum appellatæ, quæ totum Camaldulensem ordinem illustrarunt, quæque magnam partem faciunt voluminis hujus. Narrationes, memoriæ, gesta, mirabilia etiam & prodigia, quæ naturam superare videntur per eremitas hujusmodi patrata ad nos transmissa fuere, & derivata in Annales nostros. Idipsum de quamplurimis piis ascetis dicendum ex monachorum & sanctimonialium numero; verum in his narrationibus fidem nonnisi humanam exigimus, apostolica & præsertim Urbani VIII. decreta reverentes, & si quos Sancti, Beati, vel Venerabilis titulo insignimus, nolumus encomiis nostris prævenire ecclesiæ catholicæ judicia, cui dumtaxat competit titulos sanctitatis adjicere. Non omittimus tamen effatum Clementis IX. supremi ecclesiæ Hierarchæ in medium producere & usurpare, qui visis & approbatis constitutionibus

eremitarum Camaldulensium constanter affirmavit, se non dubitaturum Sanctorum fastis adscribere, absque alio examine, & juridica forma, ascetas illos, qui ad unguem eas servassent, & in nullo apice præterirent. Porro Camaldulensium eremitarum multorum ex omni congregatione nullum præstantius encomium affertur, quam illud, sancte atque & illibate minimas etiam regulas ipsos ad mortem servasse. Fundationes eremorum præsertim in Polonia, Germania, Sabaudiensi dominio, & in Galliis a domesticis & oculatis scriptoribus desumpsimus, ex quibus descriptiones nativa & candida simplicitate exaratæ ad nos devenerunt. Monachorum, & sanctimonialium elogia & monumenta ex regestis publicis Faventina in Urbe asservatis, & ex archivis peculiarium monasteriorum exscripsimus, consultis etiam per literas amicis, qui omnia communia nobiscum esse voluere. Neque alia præfari opus est.



Eremus Camaldulensis S. Io. Nepomuceni de Maick diœcesis Iaurinensis in Hungaria.

BREVIARIUM
TOMI OCTAVI
ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

LIBER SEPTUAGESIMUS-PRIMUS.

Ab anno Christi 1515. ad annum 1530.

LIBER SEPTUAGESIMUS SECUNDUS.

Ab anno Christi 1531. ad annum 1561.

LIBER SEPTUAGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi 1562. ad annum 1590.

XV.

LIBER SEPTUAGESIMUS-QUARTUS.

Ab anno Christi 1591. ad annum 1611.

LIBER SEPTUAGESIMUS-QUINTUS.

Ab anno Christi 1612. ad annum 1630.

XLIX.

LIBER SEPTUAGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno Christi 1631. ad annum 1650.

LIBER SEPTUAGESIMUS SEPTIMUS.

Ab anno Christi 1651. ad annum 1669.

XLVIII.

LIBER SEPTUAGESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Christi 1670. ad annum 1700.

LIBER SEPTUAGESIMUS-NONUS.

Ab anno Christi 1701. ad annum 1730.

LIBER OCTUAGESIMUS.

Ab anno Christi 1731. ad annum 1764.

D. Do-

D. Dominicus Valle Abbas monasterii S. Michaelis prope Murianum Venetiarum Ordinis S. Benedicti congregationis Camaldulensis & in Veneta Provincia Vicarius Generalis &c.

OPus, cui titulus *Annales Camaldulenses* &c. a duobus hujus monasterii monachis conscriptum, & a duobus pariter nostris Theologis, quibus eam curam demandavimus, recognitum, votoque eorum probatum, tenore præsentium, quantum nostra interest, facultatem typis consignandi impertimur.

Datum Venetiis ex nostro monasterio S. Michaelis prope Murianum kalendis februarii 1758.

D. Dominicus Abbas.

Loco ✠ Sigilli.

D. Antonius ab Oleo Cancellarius.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione ed Approbazione del P. F. Gio: Paolo Zapparella Inquisitor General del S. Officio di Venezia del Libro Intitolato *Annales Camaldulenses Ordinis S. Benedicti*, non v'esser cos'alcuna contro la S. Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Principi e buoni costumi, concedemo Licenza a *Gio: Battista Pasquali Stampator di Venezia*, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia e di Padoa.

Dat. li 25. Marzo 1758.

(Gio: Emo Proc. Ref.
(
(Alvise Mocenigo 4. Kav. Proc. Ref.

Registrato in Libro a c. 33. al num. 270.


Giacomo Zuccato Segr.

Adì primo Aprile 1758.

Registrato nel Magistrato Eccellentiss. degli Esecutori contro la Bestemmia.

Francesco Bianchi Segr.

ANNA-



Monasterium S. Mariæ Angelorum de Florentia.

ANNALES CAMALDULENSES ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

LIBER SEPTUAGESIMUS-PRIMUS,

Ab anno CHRISTI M. D. XV.

ANN. CHR. 1515.

I. Monasteriorum uniones in congregatione Camald.

MUTATA ante biennium forma regiminis ordinis Camaldulensis, confirmata etiam anno præcedenti, abrogata quoque perpetuitate prioratus generalis, & restricta prælatorum administratione ad annum, tota summa rei redacta est ad vicarium congregationis, qui quolibet anno eligebatur, una cum duobus visitatoribus, quoadusque vixit Delphinus, patresque in capitulo coacti quotannis stabiliebant, quæ congregationi optima videbantur, tum quoad faciendas diversorum monasteriorum uniones, tum quoad statuta decernenda, & ab omnibus in congregatione observanda.

Hoc anno [a] Philippus de Martinellis abbas sancti Hippolyti de Faventia abbatiam suam resignavit in jus ejusdem congregationis, & nomine hujus Paulus Tintus Laudensis abbas Classensis possessionem accepit monasterii, instrumento rogato ab Ugolino Ludovici Nicoluccii notario. Cum autem nomine etiam cardinalis Julii Medicei accepta fuisset ejus abbatiæ possessio, ad ipsum cardinalem epistolam scripsit Delphinus [b], orans, ut quod fecerant ante biennium Leo pontifex, & Julianus ejus frater, nimirum, ut cedente vel decedente abbate monasterium sancti Hippolyti ad congregationem rediret, ipso Philippo paucis diebus post factam, de qua dicimus, renuntiationem defuncto, non permitteret irritum evadere. Patres itaque in capitulo Classensi congregati abbatiam sancti Hippolyti unitam esse decreverunt cum monasterio sancti Johannis-baptistæ de Faventia, dantes in mandatis procuratori suo in curia, ut titulum abbatis obtineret præsidi monasterii sancti Johannis. Deinde ad petitionem Benedicti Mustuli monachi Camaldulensis, eumdem locum sancti Hippolyti assignarunt sanctimoniali-

a *Lib.* XI. *ep.* 22.

b *Lib.* XI. *ep.* 23.

ANN. CHR. 1515.

nialibus ab illo institutis sanctissimæ Trinitatis in burgo Faventiæ, recognita jurisdictione monasterii sancti Johannis, cui jam unitus fuerat, quod etiam ab iisdem patribus capitulariter convenientibus instantissime expetierant communitas & antiani Faventiæ. Pariter in eodem capitulo commissa fuit reformatio parthenonis sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri cum remotione monialium tunc in eo degentium, & cum introductione aliarum sanctimonialium ex aliis Camaldulensibus monasteriis, si opus foret. Ludovicus etiam de Bernuccio de Rocca-contrata resignavit suum beneficium sancti Michaelis de Lappurano diœcesis Senogalliensis in favorem congregationis in manibus abbatis sancti Blasii de Fabriano ad hoc, ut eidem sancti Blasii monasterio uniretur. Abbatia demum Rosæ Senarum, jam ab anno 1507. resignata ab Antonio Bertio abbate Friderico Johannis Bello nepoti suo, ab hoc postremo dimissa fuit in jus congregationis. Refert ad hunc annum Cl. V. & eques Johannes Peccius patritius Senensis tomo II. historiæ seu vitæ Pandulphi Petrucii [a] eumdem Fridericum abbatem molitum fuisse veneno extinguere omnes ascetas sui monasterii, quapropter re in vulgus sparsa abbatiam in commendationem assumptam fuisse a cardinale Alphonso Petruccio; verum cum abbas se expurgasset, & falsum fuisse rumorem ostendisset, monasterium pristinam libertatem esse assequutum. Id forte antea contigerit, cum Alphonsus Petruccius cardinalis vita sublatus jam fuisset anno præcedenti a Romano pontifice Leone X. Benedictus de Mandello, qui hoc anno erat vicarius generalis congregationis, commisit Paulo Orlandino abbati sancti Michaelis de Muriano, ut vice sui uniret monasterio sancti Mathiæ de Muriano prioratum sancti Benedicti de Fileto Cenetensis diœcesis, quam unionem proinde ipse Orlandinus una cum Parisio priore sancti Mathiæ, & cum Mansueto de Martinellis abbate Montis-christi, tamquam cum vicinioribus prælatis, exequutus est die octava decembris, revocato ad claustrum Dominico de Monte-sancti-Sabini priore dicti loci. Die autem XXII. maji idem Paulus Orlandinus possessionem receperat nomine monasterii sancti Michaelis, cœnobii sancti Martini de Opitergio, revocato Jacobo Brixiense, qui priorem agebat in hoc loco.

[a] Pag. 33.

II. Leo X. vetat turbari quietem eremi.

LEO X. die sexta februarii pontificatus anno secundo mandavit universis Christi-fidelibus, prædecessorum suorum ordinationibus inhærendo, ne eremitæ Camaldulenses circumvicinorum frequentia molestarentur in festis sancti Romualdi, atque aliis diebus plurimorum adeuntium concursu perturbarentur, ut imposterum sub excommunicationis pœna mulieres cujuscumque gradus & ætatis non auderent transgredi cruces ligneas, seu terminos præfixos eremo; hominibus vero cujusque conditionis prohibuit apostolica auctoritate, ne essent impedimento solitudini & orationibus eremitarum, sed fusis precibus recederent statim ab ecclesia & ab eremo, committens eremitis, prælatis, monachis & conversis, ne cibum, potum vel lectos præberent secularibus, nisi urgentissima necessitate cogente. Contrafacientes haberentur mandati apostolici prævaricatores, essentque privati omnibus indulgentiis eremo concessis, de quibus non possent absolvi a Majore, nisi accedente capituli eremitarum consensu. Hospitalitatis autem officium, sicut eatenus laudabiliter consuevit, in monasterio seu hospitio Fontis-boni hominibus præstaretur, mulieribus autem extra septa monasterii. Camaldulenses autem hæc mandata apostolica publicare facerent, quoties opus foret, ab ecclesiarum rectoribus.

Idem Romanus pontifex XVI. kalendas maji pontificatus anno III. ad instantiam Johannis-baptistæ de Junctinis de Civitate-Castelli abbatis commendata-

datarii monasterii sanctæ Helenæ de Æsino, alias de Serra-sancti-Quirici Camaldulensis ordinis Camerinensis diœcesis concessit visitantibus dictam ecclesiam annorum viginti & viginti quadragenarum indulgentias aliquibus statutis diebus.

ANN. CHR. 1515.

DECIMO kalendas octobris pontificatus anno III. abbatiam Burgi-sancti-Sepulcri idem Leo X. in cathedralem ecclesiam erexit. Narrata pontifex prodigiosa loci origine, quam nos retulimus ad annum 987. erectione quoque abbatiæ, privilegiis, jureque quasi episcopali abbatum, accedente consensu Achillis S. R. E. cardinalis, Balthassaris electi episcopi Castellani, & Galeotti abbatis ejus loci, ipsam abbatiam a jurisdictione episcopi Castellani exemit, suppressit abbatiæ titulum, titulumque episcopalis ecclesiæ invexit, unitis omnibus abbatiæ beneficiis. Bulla per extensum affertur ab Ughellio [a], qui addit Galeottum de Gratianis Burgensem ex abbate Camaldulense ejus loci ad episcopalis fastigium dignitatis elatum fuisse die XVIII. septembris anni 1520. decessisse autem die XVI. aprilis anni 1522. In eo tamen fallitur, quod ipsum facit abbatem commendatarium sancti Johannis-baptistæ de Burgo, cum esset revera abbas regularis ejusdem loci, qui sancto Johanni-evangelistæ, non Baptistæ, ut ipse ait, dicatus erat. Anno sequenti Galeottus, ut abbas dicti monasterii contulit ecclesiam sancti Nicolai de Burgo, quæ erat manualis & subjecta suæ abbatiæ.

III. Erigit in cathedralem ecclesiam abbatialem Burgensem.

a Tom. III. col. 195.

Cum demum per peculiares bullas suas retractasset Leo X. omnes uniones & incorporationes de quibusvis monasteriis & beneficiis ecclesiasticis factas, ne his suis constitutionibus videretur revocare uniones recentes cum monasteriis congregationis eremi & sancti Michaelis de Muriano, quas admiserat anno 1513. novo suo diplomate præsenti anno die X. junii pontificatus sui III. approbavit iterum, & confirmavit omnes uniones eo & sequentibus annis factas a congregationis Camaldulensis patribus.

SUB hoc anno, ait Rubeus, [b] „ Camaldulenses monachi, cum in superiore clade ab exercitu, qui Ravennam diripuerat, maxima incommoda accepissent, ipse Andreas Secchinus abbas strenue propugnans & cœnobium defendens, multis confossus vulneribus occubuisset, novum in urbe Ravenna cœnobium ad domum Misericordiæ, Paulo Laudense abbate inchoant, structuraque eleganti brevi perficiunt. Post biennium [c] mense novembri, Paulo item Laudensi abbati Classensi laxiorem reddere suam Ravennatem ædem molienti, a Ravennatibus via propinqua, & area senatus-consulto tribuitur. “ Id contigit ex decreto senatus populique Ravennatis die nona ejus mensis hujus anni. Fortunius [d] autem subdit, „ obsistentibus fratribus sancti Nicolai vicinis, qui id in damnum sui monasterii cedere putarunt, sed excitata lite, & sententia contra eos lata ædificatio facta est, quæ cernitur per quam honorificentissima; mutatus est autem templi titulus in honorem sancti Bartholomæi apostoli. “

IV. Classenses monachi recepti intra urbem Ravennam.

b Lib. IX. pag. 683.

c Ibid. pag. 687.

d P. II. Lib. V. cap. 4.

Parœcia sanctæ Mariæ de Vincareto unita fuit parœciæ sancti Martini de Brazano a Marco Talandino monacho Camaldulense.

Franciscus de Macchis Faventinus resignavit monasterium sancti Johannis-baptistæ de Bagnacaballo congregationi sancti Michaelis, quod ipsi unitum postea fuit anno 1519. Obiit Franciscus anno 1527.

ANN. CHR. 1516.

„ ANNO incarnati Verbi M. D. XV. ait Fortunius [e], Leo X. pontifex maximus Florentiam venit, recordatusque se cœnobium Angelorum olim puerum coluisse, magna cardinalium procerumque illuc accessit caterva. Quo tempore præeminebat prior Bernardus Nardinius Pi- „ sto-

V. Romanus pontifex Leo visitat monaster. Angelorum Florentiæ.

e P. II. lib. V. cap. I.

Ann. Chr. 1516.

„ storiensis, qui pontifici cum toto conventu ad januam cœnobii obviam „ processit. Pontifex ergo introgressus, ad primam columnam claustri (sicut ante illum, Ambrosii temporibus, tres alii pontifices fecerunt, Johannes XXIII. Martinus V. & Eugenius IV.) substitit, dum monachi „ cucullati pedes illi reverentissime deosculati sunt. Exinde ingressus in „ templum Dei, genua flectens ante Corpus Christi, cum aliquando orasset, mox libros chori insignes cum cardinalibus cunctis avidissime videre „ voluit, simul manibus scriptoris in conspectu exhibitis singulari pietate „ benedixit. Librorum vero eximio opere captus hæc intulit verba: Omnino, reverendissimi, si ista pulcherrima volumina secundum ritum nostræ „ Romanæ curiæ sese haberent, aliqua pro choro sancti Petri nostri accipere liberet, singulis juliis pro singula nota persolutis. Lustrato deinde „ cœnobio & horto recedens, concessit singulis Christi-fidelibus templum „ Angelorum, vel mulieribus ædiculam exteriorem pie adeuntibus ea die „ in perpetuum indulgentiam hujusmodi: " *Leo papa X. Universis & singulis utriusque sexus Christi-fidelibus præsentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. Cum præsenti anno die* XXI. *februarii, quæ fuit feria* II. *primæ hebdomadæ quadragesimæ, oratorium & monasterium sanctæ Mariæ de Angelis de Florentia Camaldulensis ordinis, in quo adolescentiæ nostræ tempore diutius versati ac pene educati sumus, comitatu plurimorum fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium orationis gratia adire, effusisque ad Deum precibus, claustra & hortos nobis perlustrare placuisset, devoti ejusdem monasterii prior & monachi hujus visitationis nostræ memoriale aliquod habere cupientes, supplicare nobis fecerunt, ut quotannis perpetuis temporibus idem monasterium & oratorium visitantibus aliquam indulgentiarum gratiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos vero hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus & singulis in eodem monasterio commorantibus, necnon universis & singulis Christi-fidelibus eadem die, secunda videlicet feria primæ hebdomadæ Quadragesimæ visitantibus perpetuis temporibus usque ad seculi consummationem templum ipsum, quinquaginta annorum indulgentiam de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli auctoritate confisi de thesauro spiritualis ecclesiæ concedimus & elargimur. Volentes, ut mulieres, quibus intra monasterii septa ingredi jus non est, si oratorium, quod eidem monasterio junctum est, ea die visitaverint, eamdem indulgentiarum gratiam consequantur. Datum Florentiæ sub anulo Piscatoris die* XVI. *mensis februarii* M. D. XVI. *pontificatus nostri anno tertio. Jacobus Sadoletus.* Corrigendus tamen Fortunius quoad diem, qua monasterium sanctæ Mariæ-angelorum ingressus est Leo, quæ non fuit vigesima-secunda februarii, sed undecima ejus mensis; ipso enim anno Pascha celebratum est die XXIII. martii, adeoque feria secunda primæ hebdomadæ quadragesimæ incidit in diem undecimam februarii.

VI. Indulgentias impartitur recitantibus Coronam Dominicam.

Post biduum sequentem indulgentiarum gratiam concessit recitantibus Coronam Dominicam. *Leo* &c. *Nuper nobis fide digna relatione innotuit, quod cuidam seniori eremitæ intra unius cellæ angustias jam quindecim annis in sacra Camaldulensi eremo in magna vitæ austeritate recluso commoranti, Domino, ut credere pium est, inspirante, a quo omnis recta procedit cogitatio, in mentem venit, quod in honorem Salvatoris & Domini nostri Jesu-christi, fideliumque devotionem cedere posset, si quemadmodum ex antiquissima, valdeque communi institutione Christi-fidelium in honorem beatissimæ Mariæ virginis secundum numerum annorum, quos vixisse in hoc mundo creditur, sexaginta tres angelicas salutationes, septem interpositis Dominicis orationibus, devote dicere solent, quod orationis genus Coronam Virginis*

nis appellant, ita in honorem Domini nostri Jesu-christi pro commemoratione annorum, quibus ipse in terris versatus est, ex triginta-tribus Dominicis orationibus, quinque interpositis Angelicis salutationibus, quasi Dominicam Coronam dicere assuescant; supplicarique nobis humiliter fecit, ut ad excitandam fidelium devotionem, aliquam indulgentiarum gratiam eam Domini Coronam dicentibus concedere apostolica benignitate dignaremur. Nos vero, quibus incumbit & honorem Domini nostri Jesu-christi, quantum ipso auxiliante possumus augere, & unioni Christi-fidelium devotionis incitamenta praebere, hujusmodi supplicationibus inclinati, praedictum orandi modum ab illo seniori recluso eremita excogitatum approbamus, confirmamusque, & Coronam Domini vocari volumus. Quod orationis genus, ut a Christi-fidelibus devotius suscipiatur, frequentiusque excolatur, universis & singulis utriusque sexus, cujuscumque status, ordinis ac professionis, qui eamdem Dominicam Coronam dixerint, per singulas vices decem annorum indulgentiam; his vero, qui justo amoto impedimento per continuum anni circulum eamdem Dominicam Coronam semel in die dixerint, ultra praedictam summam mille annorum indulgentiam de nostrae plenitudine potestatis auctoritate apostolica concedimus & elargimur. His vero, qui ad extremum usque vitae diem eam Domini Coronam semel in die dixerint, easdem annorum summas duplicamus, & decedentibus ex hac vita apostolicam elargimur benedictionem. Quia vero difficile esset praesentes literas ad universorum notitiam pervenire, nisi opportuno provideretur auxilio, eadem auctoritate volumus ac decernimus, ut transumptis etiam impressis, sigilloque sacrae Camaldulensis eremi & alicujus eremitae subscriptione munitis ea prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur. Volentes, ut omnes praedicatores, ad quorum notitiam hae pervenerint, eas in populorum praesentia publicare possint. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Florentiae sub anulo Piscatoris die XVIII. *februarii pontificatus nostri anno tertio. Petrus Bembus.* Institutor hujusce Coronae Dominicae fuit beatus Michael Pini eremita reclusus Camaldulensis, ut ad annum 1522. dicemus. Jam ab anno 1506. Coronas hujusmodi ad devotionem excitandam erga Dominicam passionem passim distribuerat pius eremita, & ex iis unam per Petrum Bembum dono dederat Eleonorae Helisabeth Gonzagae ducissae Urbini, ut liquet ex epistola ejusdem Bembi ex Urbino data die XVI. maji anni 1507. Indulgentias hujusmodi confirmarunt, & auxerunt, qui secuti sunt Romani antistites, ut suis locis dicemus.

Ann. Chr. 1516.

Vigesima-secunda augusti eremitis reclusis recitantibus ter Pater noster, vel psalmum L. concedit omnes indulgentias, quae concessae sunt locis & cellis eremi & ecclesiae; item apertis in ecclesia orantibus omnes concessas locis ordinis; ex tabulario Fontis-boni [a].

Idem Romanus pontifex praecepit Jacobo Ptolomaei praeposito Senensi, ut Lactantium episcopum Suanensem immitteret in possessionem abbatiae Rosae Senarum [b]; ex archivo ejusdem monasterii.

a §. *Indulgentiae A. 6. 24.*

b *Num. 329.*

VII. Capitulum generale congregationis.

Celebratum est hoc anno capitulum generale congregationis in abbatia Classensi, praeside Paulo Justiniano eremita. Statutum fuit in ipso, ut vicarius & visitatores congregationis intra annum non separarent loca a monasteriis, nisi accedente consensu capituli monasterii, cui eatenus unita fuissent, neque similiter definitores in comitiis separare valerent, si non omnes in eamdem sententiam convenirent. Approbatae praeterea fuere conventiones habitae ante biennium inter vicarium congregationis ejus anni, & inter Fridericum abbatem Rosae Senarum, qui dictum monasterium transtulerat in jus ejusdem congregationis. Enumerantur deinde loca, quae a Leoniano privilegio eatenus juncta fuerant his annis a vicariis ejusdem

con-

ANN. CHR. 1516.

congregationis; prioratus scilicet sancti Martini de Opitergio Tarvisinæ diœcesis, prioratus sancti Benedicti de Fileto Cenetensis, prioratus Vallialæ, abbatia sancti Viriani, abbatia Vergareti, prioratus sancti Savini de Chio, prioratus sancti Cypriani Volaterranæ, abbatia de Castagneto Florentinæ, & prioratus sancti Laurentini Arretinæ diœcesum. Ulterius in eodem capitulo Silvester prior sancti Severi de Perusio resignavit dictum suum beneficium, cui ad annum, idest ad vitam juxta decreta Leoniana præfectus est. Pandulphus Cuppinus Meldulensis prior sanctæ Mariæ de Scardavillis dimisit eumdem prioratum, quem definitores separantes a prioratu sancti Salvatoris de Foro-livio adjunxerunt eremo Camaldulensi, dato in præsidem eodem Pandulpho. Beneficium & ecclesia sancti Laurentii de Meldula ad Aquas-calidas pertinens ad eremum copulatum est cum prioratu Scardavillano, imposito ejus priori censu præstando eremo Camaldulensi. Sanctes prior sanctæ Mariæ de Castro-caro & Johannes-maria rector ecclesiæ sanctæ Mariæ Montis-calvarii resignarunt suos prioratus, quos simul unitos adjecerunt monasterio sancti Salvatoris Foro-livii, collato utroque prioratu eidem Sancti. Antonius de Ancona in Piceno appellatus Servus-Dei, renunciavit omni juri, quod tenebat in loco dicto Cryptæ-Massaccii apud Podium-cupum, cujus dimissionem definitores recipientes declararunt, quod prior Podicupensis nullum amplius in eas Cryptas jus servet, ipsasque unierunt eremo Camaldulensi, volentes, ut posteaquam præfatus Antonius indutus fuerit Camaldulensi toga, aliique cum ipso loci illius habitatores profitentes in Camaldulensi congregatione gauderent privilegiis eremi. Mandarunt itaque Cypriano Novocomensi abbati Vallis-castri, ut eidem Antonio habitum traderet, & ad eum instituendum aliquis eremita ex Camaldulo accederet. Prioratum de Podio-cupo ab abbatia Vallis-castri, alteram abbatiam de Massaccio a prioratu sancti Severi de Perusio dissoluta voluerunt, eaque unita copularunt cum eremo Camaldulensi, quæ prædictum Antonium sociosque nutriendi curam susciperet. Quod si locus habitatoribus vacuus destrueretur, loca prædicta redirent ad suos pristinos possessores. Abbati Classensi dederunt in mandatis, ut curaret educere monasterium sancti Petri ad Vincula territorii Ravennatis a servitute commendatariorum in favorem congregationis. Mentio fit etiam in actis hujus capituli beneficii de Nante Vicetinæ diœcesis, pro quo aggregando multa expenderat Christophorus monachus rationibus monasterii sancti Michaelis de Muriano.

VIII. Aliæ monasteriorum uniones.

DIE secunda septembris vicarius Parisius de Tarvisio, & visitator Jacobus de Venetiis, & Mansuetus de Bergomo abbas Carcerum provisitator tamquam proximior abbas, revocantes unionem factam anno antecedenti in capitulo Classensi monasterio sancti Johannis-baptistæ de Faventia, dissociant abbatiam sancti Hippolyti a dicto monasterio ad parœcianorum instantiam, constituentes abbatiam illam in monasterium ex principalioribus, electo etiam in abbatem Mathia monacho Mantuano. Ita die XIX. augusti administrationem prioratus sanctorum Ægidii & Johannis de Cortona tribuerunt eremo Camaldulensi, pensionem statuentes Johanni monacho, cui titulum reliquerunt prioris. Die vero nona januarii anni sequentis ecclesiam sanctæ Mariæ de Paterno de Fojano eremo Camaldulensi, ecclesiam autem sancti Angeli de Monte-sancti-Sabini adjunxerunt monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. Anno M.D.XV. trigesima januarii ab incarnatione, scilicet initio anni præsentis, cedente Philippo Petri de Magrinis abbate Vergareti in manibus Bernardi Francisci de Nardinis Pistoriensis prioris sanctæ Mariæ-angelorum & vicevicarii congregationis,

nis, ac visitatorum Archangeli Azzialini Veneti, & Hieronymi Georgio Veneti, eadem abbatia declarata fuit unita eremo & congregationi. Eodem anno M.D.XV. quinta-decima februarii, similiter ab incarnatione, indictione IV. iidem Bernardus & visitatores contulerunt abbatiam sanctæ Mariæ in Vaschi, vulgo nuncupatam de Castagneto, Clementi Jacobi de Volaterris monacho Camaldulensi, renuntiante Thomasio olim Christophori de Florentia in manibus Justiniani procuratoris eremitarum, cum pensione sibi solvenda, & post ejus decessum monasterio sancti Benedicti extra Florentiam, cui eam abbatiam univerunt. Abbatiæ Castagneti adjunctus erat prioratus sancti Cypriani de Volaterris. Hæc addiscimus tum ex regestis capitulorum, tum ex tabulario Fontis-boni [a] ad hunc annum, quorum acta & monumenta etiam sub sequentibus annis per compendium traducimus in hos Annales.

ANN. CHR. 1516.

[a] §. Renuntiatio 1, 2, 3, 4, 5.

Romanus pontifex Leo X. pontificatus anno III. die decima martii anni M.D.XVI. permittit vicario & visitatoribus, facultatemque facit reducendi monachorum aliquot domicilia ad habitationem monialium, & similiter monialium ad monasteria virorum, prout ea magis idonea ad reformationem cognoverint.

Idem die XXVII. maji pontificatus anno IV. abbati & conventui sancti Apollinaris in Classe confirmat exemptionem a datiis & solutionibus tam pro monachis ejus cœnobii, quam pro victu monachorum sancti Michaelis, & sancti Mathiæ de Muriano, præcipiens thesaurario & gubernatoribus Ravennæ, Cerviæ, Foro-livii, & Cæsenæ, ne monachos Classenses molestent super iis, & mandans abbati sancti Vitalis, & vicariis episcoporum Foroliviensis & Cæsenatis, ut præsto eis sint, quatenus ea immunitate fruantur.

Mense septembri hujus anni Paulus Justinianus ex eremo Camaldulensi Fabrianum se contulit ad visitandum sepulcrum sancti parentis Romualdi, ubi a Cypriano abbate Vallis-castri & sancti Blasii de Fabriano dono recepit os brachii dexteri ejusdem Sancti deferendum ad eremum Camaldulensem, ut ipse Paulus enarrat in descriptione hujus sui itineris, ubi etiam refert, quanta facilitate urnam marmoream aperuerit, quæ humano judicio videbatur ægre posse suo & circumstantium labori cedere. Memorat Bollandus ad diem XIV. martii tomo II. ejusdem mensis [b] hanc brachii sancti Romualdi translationem, quæ celebratur festive quotannis ex vi constitutionum ab eremitis Camaldulensibus.

[b] Pag. 341.

IX. Excerpta ex epistolis Delphini.

De Brixia recepta absque oppugnatione a Venetis hoc anno gaudet Delphinus scribens [c] Jacobo Brixiensi Opitergii priori, magno tripudio exceptis Venetis in urbem, occurrente illis multitudine virorum & mulierum. Petierunt veniam flexis genibus primarii rebelles coram clarissimo viro Andrea Gritto, quam de consensu senatus indulsit, servatis etiam in utilitatem perduellium eorum fortunis & facultatibus omnibus. Gratulationis literas [d] repetit etiam ea super re ad Leonardum Lauretanum principem, sicut pariter de ejus filio Laurentio ad dignitatem procuratoriam divi Marci evecto. Officia urbanitatis transigit [e] cum Theophilo Martinio Balneensi, qui ex abbate Camaldulensi Balnei electus fuerat episcopus Drivastensis in Albaniæ provincia, ut amplissimo & prudentissimo cardinali (Julio Mediceo) morem gereret. Mittit Paulo Justiniano [f] opusculum suum, olim confectum adversus Hieronymum Savonarolam, cujus duo alia exemplaria jampridem tradiderat Petro Soderino olim vexillifero, & Antonio Puccio canonico Florentino. Marinum Sanutum Venetum patritium celebremque scriptorem increpat [g], quod nimiis se laudibus epistola sua oneraverit, a quibus proinde eum deinceps temperare rogat.

[c] Lib. XI. ep. 32.

[d] Ibid. ep. 33.

[e] Ibid. ep. 36.

[f] Ibid. ep. 37.

[g] Ibid. ep. 31.

Quoad

Ann. Chr. 1516.

a P. II. lib. IV. cap. 31.

Quoad ecclesiam Drivastensem, ad quam assumptus fuit Theophilus, hæc habet Fortunius [a]; „ Hæc in Creta sita est, quam fundarunt olim „ strenuissimi & antiquissimi equites milites, qui Constantiniani deaurati „ sancti Georgii denominantur, nec non sancti palatii & aulæ Lateranensis „ atque imperialis concistorii, aulæque Drivastensis ducalis comites illu- „ stres & equites deaurati. Quæ societas instituta fuit a Constantino ma- „ gno Cæsare augusto, & anno 616. die XIV. septembris ob exaltationem „ & recuperationem sanctæ Crucis ab ipsis equitibus factam, honoribus, „ privilegiisque ab Heraclio imperatore primum illustrata, qui quidem „ Heraclius insulam Cretæ illis tradidit, ubi ad ædificatam ibi urbem Dri- „ vastum est sedes magni magistri ordinis ex progenie Constantini, qui ha- „ bet potestatem creandi milites, equites deauratos, comites, barones, „ doctores, notarios, & laureandi poetas, quemadmodum constare vidimus „ ex privilegio Michaelis imperatoris Constantinopolitani, & Julii III. „ papæ confirmantis privilegia Leonis I. & aliorum, quod postremum Ju- „ lii datum est Romæ apud sanctum Petrum III. kalendas decembris M. „ D. LV. anno primo. “ Fallitur Fortunius, cum Drivastum sit in provincia Albaniæ sub metropolita Antibarensi. „ Ceterum redeundo ad „ Theophilum, prosequitur idem Fortunius, ejus dignitas fuit cum com- „ mendatione cœnobii, in quod tamen ille multa contulit beneficia; in- „ novari enim curavit antiquata privilegia, recognovit jura cœnobii juxta „ fluvium Sapis a Ponticello Vergareti usque ad sanctam Johannam, tu- „ tatus est pro viribus cœnobium & ejus loca ab injuria exercitus Hif- „ pani anno 1527. qui nihilominus oppidum immaniter depopulati sunt „ die decima-septima aprilis. “

Ann. Chr. 1517.

X. Congregationis capitularia acta.

IN capitulo congregationis Camaldulensis hujus anni receptæ fuere ad habitum & ad congregationem moniales sancti Sebastiani de Fabriano, quæ idipsum anno præterito expetierant per cives loci illius a Paulo Justiniano, cum occasione visitationis sepulcri sancti Romualdi Fabrianum concesserat. Admissum quoque fuit monasterium sanctæ Mariæ de Puteostratæ apud Taurinum. Camalduli autem Florentini cœnobium denuo unitum est cum eremo Camaldulensi, itaut de cetero nullus amplius eo in loco abbas institueretur. Cum Laurentius Puccius S.R.E. cardinalis tituli sanctorum IV. Coronatorum presbyter ecclesiam suam congregationi reformandam, & in monasterium convertendam tradidisset, excepta fuit oblatio a patribus simul cum gratiarum actionibus. Capitulum hocce vi peculiarium brevium Leonis X. celebratum fuit in abbatia sancti Michaelis de Muriano, præside Delphino; quapropter ei non interfuerunt Parisius vicarius, Baptista & Jacobus visitatores, qui malebant capitulum haberi in urbe Florentia, adeoque adversus ipsum protestantes appellationem notarunt ad Romanum pontificem, causaruntque breve extortum contra novissima congregationis privilegia.

Ob depopulationem præfati oppidi Fabriani, communitas ejus loci desiit solvere tres Florenos, quos annuatim monasterio sancti Blasii solvebat pro celebranda sollemnitate sancti Romualdi; ita etiam alia cessavit decem Florenorum solutio pro sale, ut ex chartis Fabrianensis statuti intelligimus, decreto facto sub die XXIII. septembris.

In Lateranensi œcumenico concilio, quod hoc anno ad finem redactum est, beatus Angelus Eleonora Bononiensis eremita cellarum Vallis-umbrosæ, vir pietate & doctrina præclarus orationem habuit coram patribus de uniendis in unum corpus, quotquot tunc extabant, monachorum congre-

gatio-

tionibus, quæ sancti Benedicti regulæ obtemperarent; verum beati Angeli sententia minime recepta est in concilio; id novimus ex epistola ms. Modesti Frisengi abbatis generalis Vallumbrosani. Scimus quinimmo ex bullario Casinensi Margarinii [a] Leonem pontificem vetasse hoc anno die XXVII. martii transitum Casinensibus ad alios ordines & congregationes, præsertim ad Camaldulensem tunc egregie florentem, vel etiam ad eremitas Apenninigenas.

ANN. CHR. 1517.

a P. I. 122.

Idem Romanus pontifex die XII. februarii Paulo Justiniano eremitæ aperto Camaldulensi concessit omnia privilegia eremitarum reclusorum circa renuntiationem vocis activæ & passivæ quoad suscipienda regimina, & quoad habendam bonorum temporalium eremi administrationem.

XI. Obitus Baptistæ Egnatii.

OBIERAT Venetiis Baptista Egnatius vir doctissimus. Super ejus obitu ex Urbe mense martio hoc anno dedit epistolam Nicolao Theopulo & Gaspari Contareno idem Paulus Justinianus, defletque ejus mortem, sed gravius dolet, quod semper Egnatius obluctatus fuerit vocationibus divinis, quæ ipsum ad religionem amplectendam, & quidem in Camaldulensi ordine, excitabant. Defatigaverat eatenus ipsum Egnatium Justinianus literis super hoc proposito, excusationes adducebat Egnatius, dilationem petebat, donec morte præventus, quam pœnam fuisse ejus resistentiæ asserit, e mundo sublatus est. Petit Justinianus aliquot sui opuscula, quæ apud se detinebat Egnatius, & præsertim quædam Hieronymi, quæ in urbe Hierosolymitana olim ipse Justinianus exscripserat.

XII. Memorabilia ex epistolis Delphini.

NOVIMUS ex Delphino [b], quod sicut Brixia anno præterito, ita Verona præsenti anno recepta fuit a Venetis, auditis benigne a Senatu duodecim legatis, quos Veronenses miserant. Maximam etiam Turcarum stragem a Venetis factam propalatam fuisse Florentiæ. Gaudet, quod Venetiis non amplius ad oblationem pecuniæ distribuantur, vel vendantur magistratus; id quod facere persuaserant hactenus calamitas urbis, bella, & ærarium exhaustum. A Zacharia Mauroceno patricio Veneto nuncupatur Delphino [c] Hierosolymitanum itinerarium a se confectum. Commemorat [d] duo Delphinus brevia sibi & duobus eremitis indulta a Romano pontifice Leone exequenda in proximo congregationis capitulo cum potestate eligendi ceteros definitores, & præsidendi, quibus per biennium usus est, restituta tertio anno forma capitulorum semel invecta post novam ordinis faciem. Mentionem facit [e] nobilium virorum civium Opiterginorum Francisci Amalthei, Pauli Federigii & Francisci Thomasii. Insulanam abbatiam affirmat copulatam cum eremo Camaldulensi. Balthassarem Cardutium civem Florentinum in utroque jure doctorem eminentissimum, qui Pisis stipendio publico conductus docuerat per complures annos, commendatum facit [f] pro lycæo Patavino Georgio Pisano equiti, cui demandata fuerat cura ejusdem studii. Obtinuit opera Delphini Cardutius munus anno sequenti cum salario quingentorum Florenorum. Christophorum Marcellum archiepiscopum Corcyrensem, Franciscum Marcellum episcopum Traguriensem, Marcumantonium Fuscarenum episcopum Æmoniensem cum laude memorat in suis epistolis Delphinus [g], hujusque postremi orationem celebrat, quam Paduæ habuit, cum ad suscipiendam lauream doctoratus ibidem accessit; Danielem demum laudat Rhenerium prætorem Veronæ; hi omnes Delphino erant conjunctissimi ex patriciis nobilissimis familiis Venetis.

b Lib. XI. ep. 40.

c Ibid. ep. 47.

d Ibid. ep. 48

e Ibid. ep. 55.

f Ibid. epp. 59 80.

g Ibid. epp. 53. 63. 65. 68. 69.

Obiit Johannes-petrus Novocomensis ex monacho & abbate sancti Michaelis de Muriano Major eremi, cui in hoc officio suffectus fuit Petrus de Zannettis Brixiensis ex monacho Casinensi eremita Camaldulensis recens factus.

Ann. Chr. 1518.

XIII. Acta capitularia.

Ex actis capitulorum novæ congregationis habemus in capitulo Classensi hujus anni commendatarium plebis Gardæ in diœcesi Veronensi obtulisse beneficium suum, ut regulariter ab eadem congregatione reformaretur; Monasterium Taurinense susceptum anno præterito, rejectum esse ob distantiam loci, relictumque, ut suo jure gubernaretur. Beneficium sancti Johannis de Richòo membrum abbatiæ Prataliensis unitum fuisse cum eremo Camaldulensi; cœnobium demum sancti Johannis de Judaica Venetiarum erectum in monasterium ex principalioribus, separatumque fuisse ab illo sancti Mathiæ, cujus eatenus fuerat manuale; id quod confirmatum est in capitulo ad Carceres anno sequenti.

Duo brevia obtinuit hoc anno a Leone X. Paulus Justinianus; alterum die decima januarii, quo omnia vetera privilegia concessa ordini Camaldulensi denuo roborantur, confirmantur etiam facultates, ut abbates & abbatissæ ad triennium regimen protrahant; ut monachi incorrigibiles habitu etiam exui possint; excommunicentur monachi vagi, qui insciis suis superioribus rescripta impetrent in Romana curia. Aliud indultum copiam facit recipiendi in eremum Camaldulensem, quotquot ex aliis religionibus & congregationibus venirent. Ferebatur enim, quod vidimus anno præterito, Casinenses impetrasse breve, ne eorum monachi ad Camaldulenses transirent; mirum enim est, quot his annis ex congregatione sanctæ Justinæ nomen dederint monasteriis vel eremo Camaldulensi, celebresque evaserint in viros tum pietatis, tum doctrinæ ratione.

Eadem die decima januarii Petro Brixiensi de Zannetis vicario generali & visitatoribus ordinis concessit idem Romanus pontifex tum prædicta omnia, tum ut vicarius generalis, Major & prior eremi uti possent pontificalibus insigniis eodem modo, quo priori generali perpetuo olim indulserat Urbanus V. Pariter, ut monachi & eremitæ, & moniales ter dicentes psalmum *Miserere*, stationes Urbis assequi valerent.

In libro, cui titulus: *Discorsi del P. D. Gregorio di Bergamo eremita de Camaldoli* legitur, „ quod cum percepissent eremitæ Camaldulenses sanctimoniales Buldronis posse transire ad incolendum monasterium sancti Salvatoris Camalduli-Florentini, miserunt ibidem ad vivendam eremiticam vitam eos, qui ad eremum advenerant ex aliis religionibus, quique perseverarunt incolere eum locum annis 1519. & 1520. “

XIV. Epistola Justiniani ad duos patritios Venetos.

Epistolam dedit hoc anno die autem XX. julii Paulus Justinianus ad duos viros nobiles Venetos amicos suos, qui differebant solitariam vitam amplecti. In hac epistola hæc de se scribit, „ elegisse olim locum ab hominum consortio remotum apud insulam Muriani, sed cum ea vita videretur sibi potius exprimere conversationem philosophi Gentilis, quam Christiani, locum reliquisse, & perlustrasse varias Italiæ regiones, totam Dalmatiam, magnam Græciæ partem, in Palæstinam etiam navigasse, nec ullibi invenisse locum tutiorem & aptiorem, nisi demum eremum Camaldulensem. Vincentium pariter Quirinum occasione frequentium legationum suarum pro Veneta republica, lustrasse Germaniam, Galliam, Hispaniam & Burgundiam, partemque Angliæ, ipsumque eadem ratione posthabuisse cetera omnia loca, & confugiisse ad Camaldulensem solitudinem, ad quam proinde eos invitat. “ Unus ex his Justiniani amicis facile fuerit Andreas Trivisanus patritius Venetus, qui in cœnobio sancti Spiritus Venetiarum per quinquennium religiosissime conversatus, vitam eremiticam amplexus est mense julio in eremo Camaldulensi, ut testis est Delphinus [a], vocatus postea Nicolaus, fuitque Justiniani assecla & adjutor in nova eremitarum congregatione statuenda, ut videbimus. Alius

ex

[a] *Lib. XI. ep. 78.*

ex Trivisana Veneta gente patritius anno 1520. eremum Camaldulensem adiit, Pius forte denominatus.

ANN. CHR. 1518.

Decessit hoc anno die quinta februarii (in necrologio Font-avellanensi die sexta) Franciscus Romelinus S. R. E. cardinalis Hispanus, episcopus Surrentinus, & abbas sanctæ Crucis Fontis-avellanæ; suffectus est in ejus locum ad commendationem dictæ abbatiæ Nicolaus Rodulphius alter S.R.E. cardinalis Florentinus.

XV. Felix obitus Magdalenæ abb. S. Petri de Luco.

ELEGANTI elogio describit Delphinus [a] obitum Magdalenæ abbatissæ sancti Petri de Luco, literis datis ad Paulum Orlandinum, qui & ipse prolixam Delphino epistolam dederat de eadem Magdalena. *Singulare est, quod qua die erat migratura de carnis ergastulo, cum refectionis hora sanctimoniales in refectorium convenissent, una ex sororibus Angela nomine, quæ cum ægrotante remanserat, assistens lectulo, vocata est ab ea. Audis, inquit, soror cantus istos suavissimos? Negans illa se audire, interrogavit, quid canerent? Et illa:* Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Iterum jubet sororem ad se propius accedere, & eam interrogat, an audiret suaviter psallentes atque dicentes:* Beati, qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te. *Nihil se audiisse respondit. Vidisse autem se testata est soror illa ægrotantis vultum, tamquam vultum Angeli, utique exultantem in Domino, & hilaritatem ac lætitiam plurimam oculis coruscantibus in jubilo præseferentem. Supervenientibus sororibus ceteris, atque audito miraculo stupentibus & collacrymantibus præ gaudio, paulo post sacramentis ecclesiasticis munita evolavit ad superos, atque ad illum beatorum spirituum consessum, ubi sempiterno ævo perpetua & immarcescibili jucunditate perfruetur.* Extat & alia epistola vulgari idiomate scripta a Delphino, qua Magdalenæ laudes prosequitur ab ejus ingressu in monasterium.

a *Ibid. ep.* 79.

XVI. Ex Delphini epistolis monumenta.

COMMENDAVIT Delphinus [b] Marco Minio oratori Veneto in curia prioratum Camalduli-Veronensis, qui a tercentis annis a Camaldulensibus possessus, & postmodum unitus monasterio sancti Michaelis de Muriano, impugnabatur hoc tempore a potentibus hominibus. Obtentis literis dominii Veneti Peregrinus de Tosettis prior loci Urbem adivit, ad tuenda jura congregationis. Gratias habet Romano pontifici [c], quod orbata congregatione Camaldulensi cardinale protectore, ob remotionem Francisci Soderini a curia, dederit ipsi congregationi, qui vices illius gereret, Laurentium Puccium S. R. E. cardinalem tituli Sanctorum IV. Coronatorum, cui etiam Camaldulensem ordinem contra improbos commendat. Quinta siquidem januarii per literas in forma brevis, durante absentia Volaterrani, Puccium deputavit in protectorem Romanus pontifex. Memorat in alia epistola [d] Antonii de Monte S.R.E. alterius cardinalis tituli sanctæ Praxedis adventum in urbem Venetam. Præfato cardinali Puccio commendatum facit [e] Ambrosium Bernardum abbatem commendatarium Vangaticiensis monasterii evocatum in curiam a cardinale Volaterrano, & enarrat, quanta abbatiæ sibi commendatæ per triginta & unum annos præstiterit bona idem Ambrosius, qui insuper erat arctissima affinitate conjunctus cum Leonardo Lauretano Venetiarum tunc principe.

b *Lib. XI. ep.* 70.

c *Ibid. epp.* 73. 74.

d *Ibid. ep.* 82.

e *Ibid. ep.* 84

ANN. CHR. 1519.

XVII. Decessus Pauli Orlandini.

DECESSIT hoc anno pridie idus novembris Florentiæ in suo monasterio Angelorum, ubi professus fuerat, tunc autem vices agebat prioris Sebastiani Altoviti, Paulus Orlandinus Bernardi filius patria & nobilitate Florentinus. Ejus vitam scriptaque brevi comprehendimus elogio. Monasticam togam induit die x. februarii anni 1488. sub Guidone Angelorum priore,

ANN. CHR. 1519.

priore, postquam Rhetoricæ & Poeticæ Græce Latineque prima hauserat elementa, in philosophicis autem audierat Marsilium Ficinum Platonicorum tunc facile principem. Monachus factus, in domesticis ascetarum concionibus frequenter de institutione ascetica erudite & eloquenter verba habebat; quæ quidem religiosæ dissertationes *Gymnasticæ* inscribuntur. Maluit & in ampliori theatro evangelicum munus implere; verum in solitario monacho hoc concionandi officium improbavit Petrus Delphinus Camaldulensis summus præfectus. Obsequens ejus præceptis Orlandinus, sanctioribus claustri angustiis optime usus, doctrinam & sapientiam in libros effudit. Extat in bibliotheca ejus monasterii volumen in membrana ms. in folio, cui titulus *Eptaticum*, ubi immensa eruditionis ac doctrinæ suppellex, Philosophia naturalis, Moralis, Platonica, Theologica, Polemica, Canonica, Ascetica, omnes plane scientiæ nitide, uberrime ac ordinate illustrantur. Inscribitur opus Antonio Puccio episcopo Pistoriensi, pontificio apud Helvetios nuntio anno 1518. qui postea S. R. E. cardinalis effulsit. Primum Eptatici opus est *de Virtute* libri V. Secundum *de triplici Theologia* libri V. Tertium opus *Expugnatio Miletana*, seu de scholastica scripturarum sacrarum interpretatione in capita LX. distributum, in quibus invehit contra vanos prophetas, præcipue contra Franciscum de Mileto, qui libris evulgatis, duobus potissimum, quorum alter *Convivium*, alter *Quatrivium* inscribebantur, temere contendebat, anno Dominicæ incarnationis M. D. XXX. reformationem fore universalem in Ecclesia Dei, adeout destructis hæresibus, fieret unum ovile & unus pastor. Quartum opus *De Agone spirituali*, seu in epistolam divi Hieronymi ad Paulinum, quæ incipit: *Frater Ambrosius*, de universis Scripturæ sacræ libris lectiones XXIV. Meminit Orlandini quæstionum Hieronyminiarum Delphinus ad annum 1497. [a] Quintum opus *Decalogus*, quod in decem sectum est quæstiones, de substantia & de immortalitate Animæ liber unicus. Sextum opus *Tractatus satyricus* contra Astrologos ad Dominicum Maurocenum D. Marci procuratorem. Capitula habet quinquaginta, in quibus Astrologorum temeritatem refellit; fusius autem insanas Cremonensis cujusdam divinationes, qui ante decennium, quo scribebat Orlandinus, prædixerat, quod anno 1505. Antichristus nasci debebat, anno autem 1530. omnibus manifestandus erat. Cremonensis hic Astrologus, an Baptista Plasius nobilissimus & præstantissimus medicus & mathematicus, quique Franciscum Foscarum Venetiarum ducem exauctorandum ante aliquot annos prædixerat, defunctus autem anno 1492? Septimum opus *Gymnastica*, seu exercitatio monachorum, de quo supra. *De translatione corporis S. Apollinaris* epistolam Orlandini protulimus ad annum 1511. *De somniis arguentibus immortalitatem animarum* ad Paulum Justinianum anachoritam Camaldulensem; meminit hujus operis etiam Petrus Delphinus. *De fuga Prælatorum*, *de statu congregationis Camaldulensis*, & *de Eptatico* ad Petrum Delphinum generalem Camaldulensem. *Apologia pro monasterio Angelorum* ad Petrum Brixiensem majorem eremi & ceteros eremitas Camaldulenses. In *psalmum* CXVIII. *sermones* XXXII. ad moniales Camaldulenses sancti Petri de Luco die XV. septembris anni 1504. *Psalmorum Gradualium expositio*. *Epistolæ*. *Epigrammata & carmina*. *Epistolæ* Sephoræ ad Moysen, Cornelii centurionis ad Petrum, Judæ Macchabæi ad Romanos, Argentinæ ad Petrum Soderinium, Pauli Orlandini ad eumdem Petrum in bibliotheca eremi, carmine Etrusco. *De novo seculo* dialogus. *De Anima & ejus operationibus*; *de consolatione philosophica*, aliaque ligata oratione. *Epitomen super Biblia carmine elegiaco Petri Roseincheim monachi Mellicensis*

a Lib. XVIII. ep. 25.

censis in Austria castigavit, auxitque, cujus & partem Italicis metris reddidit, retenta eadem initialium literarum methodo, qua uniuscujusque libri capita indicantur; Opus ad memoriæ mandandam Scripturarum doctrinam utillimum ac ingeniosissimum. Extat ms. in bibliotheca eremi Camaldulensis & monasterii Angelorum Florentiæ; posterius exaratum est manu Mathiæ monachi Germani, quo perito scriptore utebatur & Delphinus. *De corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu-christi sacrificio Homiliæ* XIV. editæ a Marco-antonio Georgio Bononiæ apud Anselmum Giaccarellum anno 1551. in 4. sub nomine Antonii cardinalis Puccii Ss. Quatuor majoris poenitentiarii, cui & tribuuntur ab Oldoino in Athenæo Romano, & a Sixto Senensi Bibliothecæ sanctæ libro IV. ubi *Homiliæ* appellantur *non minus eruditæ, quam piæ*. Hæ tamen sunt Orlandini, testibus Fortunio, Minio & Petro Ricordato. Opera enim Orlandini a monachis Angelorum tradita fuere post ipsius decessum Antonio Puccio cardinali typis edenda, ut habet etiam Possevinus Apparatus Sacri tomo II. *Virum religione & doctrina illustrissimum, eminentis ingenii monumentis celebratissimum* vocat Buccellinus Annalium Benedict. part. II. *Decretorum doctorem, bonarum literarum bene eruditum oratorem, Græce Latineque præstantissimum, sacra doctrina clarum, memoriæ excellentia præstantem, Divinarum literarum maxime studiosum, optimis moribus scientiarum omnium doctissimum, Græce ac Latine eruditissimum* laudant Rhamusius, Fortunius, Minius, Ricordatus, Oldoinus aliique. Quoad præstantiam ejus memoriæ narrat Fortunius [a] retulisse sibi seniores Orlandinum sacros canones omnes memoriter retinuisse, concionem habitam a Basilio abbate in capitulo monachorum statim verbotenus rescriptam ab eodem Orlandino; alteram a quodam scholari Patavino recitatam iisdem verbis eodem momento recensitam & pronuntiatam ab ipso. Arctiori necessitudinis vinculo sibi devinxit Marsilium Ficinum, Petrum Crinitum, Angelum Politianum, Ugolinum Verinum, Antonium Puccium postea cardinalem, & Dominicum Maurocenum divi Marci procuratorem, præter domesticos Delphinum, Gadolum, Petrum Candidum, Benincasam, Priolum, Justinianum, Quirinum. Excelluit etiam Orlandinus felicitate in rebus agendis; bis monasterio suo Angelorum præfuit, bis vicarium præfecti munus obivit, bis Murianense sancti Michaelis, semel sanctæ Mariæ ad Carceres monasteria rexit, bis Delphini supremas in congregatione vices gessit. Demum legatur lugubris epistola ejusdem Delphini [b] ad Altovitum priorem & ad conventum Angelorum, qua deplorat Pauli Orlandini obitum, *quocum bene actum existimat, quoniam non solum patientissime tulerit malam valetudinem, qua diu afflictatus est, adeo ut retulerit alterum Job; verum etiam singulari devotione felicissime demigraverit*. De eo etiam illud memoratur, quod paucis ante obitum annis proposuerit monastica relicta vita ad arctiorem eremiticæ vitæ genus transire, immo perpetuæ reclusioni se tradere; quod propositum improbans Delphinus, quo minus exequeretur, effecit, ut in monachorum congregatione persisteret.

Ann. Chr. 1519.

a *P. II. Lib. IV. cap.* 22.

b *Lib. XI.* 99.

XVIII. Historica aliquot monasteriorum.

NARRAT idem Delphinus [c] sub hoc anno adventum Venetias cardinalis Eremitani, olim Ægidii prædicatoris, qui præesse debebat capitulo generali ejusdem ordinis habendo apud sanctum Stephanum, ubi eligendus erat generalis præfectus. Decemvirorum Venetorum laudat judicium contra scelestissimos, qui blasphemiis nefandissimis nomen Dei & Deiparæ deturpaverant, inter quos sacerdos quidam cavea ferrea inclusus ad aliquot dies, perpetuo carceri fuit addictus. Mittit [d] Antonio Contareno patriarchæ Venetiarum miracula beati Laurentii Justiniani patriarchæ descripta olim

c *Lib. XI. ep.* 90.

d *Ibid. ep.* 92.

Ann. Chr. 1519.

olim a Dominico Mauroceno divi Marci procuratore libello, qui communicandus erat commissariis apostolicis, quibus a pontifice perscrutandi actiones Laurentii demandata fuerat cura.

Leo X. pridie nonas pontificatus sui anno VII. concessit Dominico Grimano cardinali episcopo Portuensi facultatem eligendi episcopum, vel canonicum, vel aliquam aliam personam in dignitate constitutam, quæ valeret fructus abbatiæ sanctæ Mariæ de Carceribus percipere, quoties ipsos idem cardinalis voluerit in alias personas transferre ab eo nominandas, cum regressu etiam ad ipsum cardinalem. Duodecima aprilis Petrum Delphinum præsidentem creat capituli generalis celebrandi in monasterio Carcerum; quam concessionem confirmat die XV. contra nova molimina Petri Brixiensis vicarii generalis congregationis, sarta tecta se velle declarans, quæ statuta fuerant in capitulo generali Florentiæ anno 1513. & revocans brevia posterius impetrata.

Cyprianus abbas Classensis univit beneficium sanctæ Mariæ de Pratello, & ecclesiam parochialem sanctæ Mariæ ab Horto. Capta fuit possessio utriusque loci die XVI. septembris, licet postea cesserit in manus presbyterorum litigatum beneficium. Ipsum anno 1568. rector, qui possidebat, resignavit abbatiæ Classensi. Ad præsens non amplius ecclesia de Pratello possidetur ab abbatia, nec amplius parœcialis est, sed unita fuit alteri parœciali ecclesiæ sancti Marci extra portam vulgo appellatam *Sisi* ad ripam fluminis VII. milliaribus distanti ab urbe Ravenna.

Memorat Delphinus [a] sanctimoniales sancti Sebastiani de Fabriano, quæ hoc anno sub Parisio abbate Valle-castrensi adscitæ fuerant in congregationem, sed jam ante biennium eas receptas a capitulo generali congregationis vidimus. Militant modo sub ductu & regimine abbatis sancti Blasii de Fabriano.

a *Lib. XI. ep. 91.*

Ann. Chr. 1520.

XIX. Pia mors Elisabeth Salviatæ abb. Buldronis.

In epistola ad Mathiam Germanum monachum memorat Delphinus [b] sub hoc anno mortem abbatissæ Buldronis, hoc est Elisabeth Salviatæ, quam pene omnes scriptores nostri defunctam affirmant tertio idus februarii anni præcedentis. Putamus a ceteris scriptoribus usurpatum annum Florentinum, qui perdurabat primis mensibus anni sequentis. De ipsa abbatissa asserit, quod *bene & sollicite præfuerit*, *& quod non sine ingenti jactura illius monasterii defuncta sit*. Sed quod ipse parce attingit, ceteri nostri scriptores fusius exposuerunt, laudibus multis sanctitatem virtutesque cumulantes ejusdem abbatissæ. Hæc præsertim ex Grandii nostri ms. Agiologio, ex monumentis ejusdem monasterii, & ex authentica epistola Johannis-gualberti de Durazziniis Florentini monachi nostri ad Victorinum Totinium priorem Angelorum Florentiæ decerpimus; collegerat siquidem Victorinus scriptisque consignaverat uberiori stylo vitam hujus sanctæ abbatissæ, quæ tamen fortuito incendio periit. Elisabeth ex nobili familia Florentiæ nata Anastasium Salviatum patrem habuit, primariis reipublicæ suæ muneribus clarum. Novennis die IV. octobris anni 1469. vestes monasticas induit in parthenone sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone. Die XVII. septembris anni 1475. per manus Mariani abbatis de Castagneto, cui suas vices commisit Mariottus prior generalis, sacrum velamen sollemni ritu accepit. Adhuc viventi Petræ della Casa abbatissæ, sed senectute & morbis languenti suffecta fuit communi sanctimonialium consilio die XXVII. februarii anni 1487. in abbatissam, & viginti menses illa superstite, quæ decessit die XXVI. octobris anni insequentis 1488. monasterium ancillarum Dei moderata est, triginta autem & duobus annis post Petræ mortem. Die IV. julii

b *Lib. XII. ep. 7.*

lii anni 1490. ut narrat etiam Fortunius, „ cum inopia rerum omnium „ laborans, nil, quod in prandio familiæ pararet, omnino haberet, ip„ ſamque familiam Deo Opt. Max. in oratione poſita genuflexa ac lacryma„ bunda propterea commendaret, muliones duo ad januam ex improviſo „ pulſarunt, qui quatuor mulos pane, vino, oleo ac frumento exoneran„ tes, interrogati, quinam eos miſiſſet, nullis rogatibus referare voluerunt, „ ſine mora diſcedentes, ac venerandis famulis Chriſti Deum laudandi tan„ tummodo anſam præbentes. “ Ad Sponſum evolavit beata Eliſabeth die undecima februarii hujus anni .. Anno 1513. Helenam atque Aloyſiam filias Jacobi Salviati, & Lucretiæ ſororis Leonis X. tempore, quo hi in Urbem ſe contulere, educandas in monaſterio ſuſcepit, & anno 1516. Leonem ipſum Romanum pontificem excepit, qui apoſtolicam benedictionem ſuper ipſam ejuſque familiam effudit. Miracula, quæ patravit poſt mortem referuntur capite x. ejus vitæ, quam ſcripſit Gregorius Farullius monachus noſter anno 1723. ſimulque memorantur a Grandio in Agiologio. Sed inſigne præ ceteris refert Durazzinius, quod contigit Octaviano Durazzinio patrueli ſuo navium commiſſario Florentino, qui votum fecit beatæ Eliſabeth de jejunio ſervando die ejus vigiliæ, quotannis dum viveret, ac de ſemel pedeſtri itinere viſitanda Buldronenſi eccleſia cum oblatione cerei trium librarum, & ſacræ ſynaxeos communione ibidem percipienda, ſi deſperatam ſanitatem ejus precibus intervenientibus obtineret, prout reipſa obtinuit, cum eidem beata Eliſabeth candidiſſimis veſtibus induta, & oleaginam coronam in capite deferens apparuiſſet, expanſis manibus ante Crucifixi in arula ſua poſiti imaginem ſtans, & ſemiverſa facie Domino ſupplicans. Id contigit die xx. novembris anni 1631. Anno 1633. die xv. ſeptembris inventum fuit ſacrum beatæ Eliſabeth corpus, cum fabri murarii pavimentum excavarent, & die xix. Victorinus Totinius Angelorum monaſterii tunc abbas accurrens ipſas reliquias ducisſæ Salviatæ, atque univerſis de ejuſdem familia reverenter oſtendit, atque oſculandas præbuit, itemque monachis omnibus, pluribuſque aliis, quos fama eo adduxerat, plurimis gratiis a Deo per Beatæ hujus interceſſionem interim impetratis. Quieſcunt nunc ejus oſsa in capſula ſecus parietem, qui apud tribunal Confeſſionis monialium excurrit directe contra organum. De Eliſabeth verba faciunt Fortunius, Ractius, Minius, Porteſanus, Botta, Bucellinus, Vergius, & ſanctimonialis de Blemur, qui omnes Beatæ titulo inſigniunt. Bollandus inter omisſos Eliſabetham recenſet tomo III. februarii pagina 672. Floruerunt ſub Eliſabeth abbatiſsa plures ſanctimoniales virtutibus inſignes, inter quas Caſsandra converſa, quæ multa reliquit ſanctitatis indicia die xiv. novembris anni 1506. piiſſime defuncta; Scholaſtica & Ginevra ſorores germanæ Hieronymi Donati, & Petra Juliani Macinghi. Ad eadem tempora referenda Philippa olim Blanca Mariotti de Martiis a Biblena, quam Fortunium oſcitanter ſequentes ad primarias Buldronenſes ſanctimoniales ſeculo xiii. ad annum 1241. retulimus. Hæc quinquennis monaſterium ingreſſa die xxi. decembris anni 1508. die xxvii. ejuſdem menſis ſacrum habitum induit per manus Simonis patrui abbatis ſancti Michaelis in Burgo Piſarum, & anno 1517. ſacrum velum de manu Delphini prioris generalis, tantoque fervore Jeſu-chriſto ſponſo ſuo aſſidue famulata eſt, ut in ejus obitu viſa ſit ipſius anima inter duos Angelos cereis accenſis eamdem ad æthereum thalamum comitantes in cœlum deferri. Ormanottus certe Detius, cujus filia hac viſione fuit donata, vivebat hoc tempore, proavus Clementis VIII. Romani pontificis. Filia autem ad myſterium reſpiciens inclamabat ad domeſticos, ut & ipſi oculos elevarent, ma-

ter

ANN. CHR. 1520.

ter vero ipsius ad monasterium se conferens obitum eo tempore secutum Philippæ intellexit. Post Salviatæ abbatissæ obitum electa fuit ejus parthenonis abbatissa Francisca de Pecoris. Sub ipsa anno 1523. cum urbs Florentiæ peste gravaretur, Julius cardinalis Mediceus, qui se transtulerat ad suum Caregii palatium, frequens erat in sacro audiendo in ecclesia Buldronis, die sacro paschatis sanctimoniales omnes, etiam infirmas, sacro pane pavit, & multa monasterio sacra dona reliquit, imitatus patruelem suum Leonem X.

a Lib. XII. epp. 4. 5.

Idem Delphinus gratulatur hoc anno [a] Leoni X., quod Sanctorum catalogo accensuerit Franciscum (de Paula) meritorum & miraculorum magnitudine celeberrimum, & quod animum suum intenderit ad idem præstandum erga beatum Antoninum, antistitem olim Florentinum, cujus canonizationis causam ipsi commendatam facit, excitatus literis vicarii generalis Thusciæ ordinis Prædicatorum. In alia epistola [b] ad Franciscum Casonium Opiterginum civem meminit suæ epitomes, quam jamdudum fecerat in epistolas Ciceronis, quam etiam ad ipsum mittit. In epistola ad Justinianum Bergomensem eremitam [c] memorat tum Christophorum cardinalem tituli Aræ-cœli, qui eremum Camaldulensem visitaverat, tum Martinum Lucter, cujus opuscula, subdit, vendere interdictum est bibliopolis.

b Ibid. ep. 9.

c Ibid. ep. 16.

XX. Eduntur constitutiones eremi Camaldulensis a Justiniano.

CUM constitutiones eremi Camaldulensis præ vetustate, temporumque diversitate atque auctorum varietate vix jam inter se confusæ cohærerent, obque multitudinem quid observandum esset, nullo modo constaret, ordinatum est, ut chaos illud in justum opus & certum ordinem redigeretur. Hoc itaque insigne munus, immo verius gravissimum onus humeris Pauli Justiniani impositum fuit, atque ei tamquam fidelissimo idoneoque religionis ministro totius negotii substantia commissa est, cum plena tollendi, mutandi, corrigendi, addendi, & juxta arbitrium suum reformandi auctoritate. Quod prolixum, difficile ac laboriosum opus post longam recusationem, omnino invitus suscipere a superioribus cogitur. Quo tandem suscepto, multa diligentia atque labore ex infinitis determinata collegit, ex barbaris dedit Latina, varia ac dissona concordantia fecit, ex multis denique unum certumque mira arte coadunavit opus, quod quidem ex alienis proprium suo jure reddidit. Edita fuit ea collectio typis Fontis-boni, imprimente Bartholomæo de Zannetis Brixiensi hoc anno die XIV. augusti, adjutore Justiniani Christophoro de Igilio eremita, sub titulo: *Regula vitæ eremiticæ*, cujus archetypum manu ejusdem Justiniani scriptum in eremi Coronensis bibliotheca custoditur. Accessit approbatio Romani pontificis Leonis X. brevi emanato die septima septembris, pontificatus anno VIII. „ Opus, subdit Lucas Hispanus, cujus sunt etiam superiora verba, quod „ neque gravitate Hieronymo, nec facundia Augustino, neque facilitate „ Gregorio cedit; in quo & auctoris ingenium, artificis peritia, scientiæ „ magnitudo & omnia pietatis dogmata relucent. " Duo præ ceteris clarius exponuntur in ipsis constitutionibus, præceptum enutriendi abietes præcipuo studio, tenerique utrumque quæstorem sacræ eremi & Fontis-boni novellarum abietum numerum quotannis exaugendum curare, quibus vere concrescere & ali silva liquido appareat. Alterum respicit ritum servandum, quando eremitæ inclusioni sese devovent, quod in veterum constitutionum libellis ita clare dispositum minus fuisse deprehenditur, utpote dogma per traditionem sancti Romualdi discipulorumque ejus promanans. Ritum hunc ex Fortunio describimus [d]. „ Cum eremitarum quispiam, „ propter humilitatem, aliorum consortium, vitæ sollicitudinem, temporaliumque curam penitus relinquere in sacra eremo statuit, quo Deo

d P. I. lib. III. cap. 12.

Ann. Chr. 1520.

„ tantummodo cœlestiumque meditationi liberius vacet, is si vult recludi
„ ad tempus, quod annum non excedat, impetrata solum a Majore fa-
„ cultate per annum, sese intra cellulæ secreta coercere potest, dummo-
„ do ea servet, ad quæ propterea reclusi lege sua adstringuntur singuli.
„ At qui si infra annum vel propria fragilitate, vel tentationum vi su-
„ peratus petitionis suæ tempus adimplere nequiverit, quamvis consuetus
„ locus inter apertos ei restituatur, nihilominus pro suæ quasi levitatis
„ pœna perpetuum silentium servare tenetur, usquequo tempus ipsum,
„ quod sibi præscripserat, impletum sit, difficiliusque in posterum inclu-
„ sionem arripere permittitur, sed non negatur. Si quis autem congrua
„ humilitate perpetuæ aspirat inclusioni, iste voti compos nisi eremi ca-
„ pitulo suffragante fieri non potest, eumque XXXV. ætatis suæ annum at-
„ tigisse oportet, & aliquando alicujus temporaneæ reclusionis experimen-
„ to esse probatum. Tunc autem ipso reclusionis faciendæ die post Pri-
„ mam Spiritus-sancti Missa in templo assistente congregatione celebratur,
„ dictoque Agnus-Dei recludendus assurgens pacem cunctis offert, & mox,
„ nisi rem sacram fecerit, aut facturus sit, Corpus Christi reverentissime
„ suscipit. Exinde absolutis Missarum sollemniis, patres præcedente almæ
„ Crucis vexillo cum aqua lustrali thuribuloque bini ac bini de basilica
„ ad ejus cellam procedunt, septem pœnitentiales psalmos pronuntiantes,
„ recludendo a sinistris Majoris patris subsequente. Eo ubi ventum est,
„ cella sanctificata aqua aspergitur, & thure adoletur: dictaque a Majore
„ consueta oratione (qui fratri etiam simul benedicit) reliqui eum in
„ osculo sancto amplexati relinquunt, Deum opt. max. ejus piis votis as-
„ pirare lumine suæ sanctissimæ gratiæ flagitantes. Ex eo tempore reclu-
„ sus per annum ad probationem admissus censetur. Quo pacifice peracto,
„ inclusionisque legibus recte impletis, tunc sibi perpetua clausura conces-
„ sa intelligitur: Sin minus, tamquam non idoneus ab inclusionis palæ-
„ stra ad apertorum consueta munera obeunda revocatur. Porro inclusio-
„ nis lex, ultra communem institutionem, in eremo sancita est hujusmo-
„ di. Tenentur ante omnia reclusi, quando pulsatur campana, sumpto
„ pallio oratorium ingredi, divinumque officium statutis nocturnis diurnis-
„ que horis intelligibili mediocri voce punctatim stantes (nisi senio vel
„ valetudine adversa impediti) eodem modo, quo aperti dicere, semel
„ saltem singula quaque hebdomada peccata diluere, psalterium integrum
„ singulis diebus percurrere, ab mortalium colloquio omnino abstinere,
„ silentium inviolabili lege servare, nudis pedibus permanere, præterquam
„ cum rem sacram faciunt; verumtamen ligneis sandaliis, si libet, uti
„ possunt, orationi aut lectioni incumbere, & interdiu aliquo honesto ma-
„ nuum opere se exercere, usque adeo ut ne punctum quidem temporis,
„ quantum fieri possit, otiose transire committant, Missam quotidie cele-
„ brare, si presbyteri sint, sin minus, ab alio sacerdote audire, & vene-
„ rabilem Eucharistiam sumere. Conversi vero, qui ad Divinum officium
„ peragendum non sunt obnoxii, aut alioquin legere nescientes, tercen-
„ ties, ac quinquagesies Dominicam orationem, totiensque simul Angeli-
„ cam salutationem singulis diebus recitare tenentur. Sane notandum est,
„ hujusmodi abstractionem non propterea id nomini sortitam esse, quod
„ in ea votum aliquod seu promissio interveniat, ob quam causam re-
„ clusi exire de cella sub aliqua peccati pœna prohibeantur, nec etiam
„ quia obstrusa janua sit. Sed quia Christi amor sanctæque conversationis
„ studium sic separatos fratres, ut magis præter ceteros mortuos mundo
„ potissimum ad cœlestia anhelare, nec non spontaneam quotidie ac per-

 „ petuam

Ann. Chr. 1520.

„ petuam reclusionem & aperitionem in interiori homine de sese Deo facere „ stimulat. Unde merito ex antiquissimo instituto non inclusi, sed reclusi „ vocitati sunt. Recludere siquidem ex proprietate verbi aperire signifi- „ cat, quemadmodum videlicet inclusorum quisque ex toto cordis mentis- „ que affectu se Deo aperire debet, & in Deum ipsum ardentissima ca- „ ritate ferri, scuto fidei, & galea spei & caritatis æternæ protectus. Haud „ enim permissum esset eos ex antiquissima traditione in diebus hebdoma- „ dæ sanctæ cum ceteris communicare, & non sacerdotibus ad alium ce- „ lebrantem procedere, & vel ad concilium ordinis, si quando olim sors „ super eos ceciderit, venire, uti inter ceteros de Hieronymo Pragense, „ qui electioni Ambrosii apud Britonorium interfuit, edocemur, si hujus- „ modi inclusionis lex aliquibus catenis ferreis adstricta teneretur. “

XXI. Paulus Justinianus relinquit, eremum Camaldulensem.

Ceterum paucis diebus post editas constitutiones ipse Paulus Justinianus jam sacris ordinibus initiatus ante paucos annos, a quorum susceptione abhorrebat, & post septem menses ab ordinibus susceptis Major eremi effectus, licet dignitatibus sibi viam præclusisset apostolicis brevibus, iterumque electus Major præsenti anno, quo etiam sustinuit a sceleratis hominibus injurias, & vitæ fere ipsius jacturam, omni se officio ex improviso exuens, relicta eremo Camaldulensi in Urbem se contulit, ubi exposito ardenti desiderio suo dilatandi ordinem eremiticum sancti Romualdi, obtinuit sub die XXII. augusti a Romano pontifice Leone X. breve apostolicum, quo fiebat ipsi potestas discedendi ab eremo, & fundandi novas eremitici instituti colonias ubique terrarum, nominatim apud Indos & apud antipodas. Cum enim recens detectus fuisset novus orbis, de propagando in ipso sancti Romualdi instituto cogitabat Justinianus. Simile desiderium habuit hoc ipso seculo sanctus Philippus Nerius eundi ad Indos, qui tamen intellecta per Dei ministros suprema ejus voluntate, ut deberet in Urbe consistere, pium votum suum coercuit. Etiam illud Justiniani irritum evasit; tot enim se objecere adversantia, tot necessitates, ut ab Italia, immo fere a Piceni provincia, ubi novæ Camaldulensis congregationis fundamenta jecit, pedem movere non potuerit. Fusius ipsius recessum a Camaldulo narrat Lucas Hispanus [a], nec non quæ *deinde* secuta sunt, quorum aliqua ipsius verbis in integrum productis, aliqua compendio deinceps referemus. Fuere ex eremitis, qui damnarunt, fuere qui approbarunt ejus discessum. Inter ceteros eumdem libenter paulopost secuti sunt, & per omnia ad finem usque illi adhæserunt vitæ & morum integritate præcipui Augustinus Bassanensis, qui ex canonico regulari sancti Augustini ad eremum Camaldulensem transierat vigesima januarii 1518. & Nicolaus Trivisanus patritius Venetus ex canonico regulari sancti Spiritus Venetiarum eremita Camaldulensis a die prima maji anni 1519. ambo sacerdotes, nec non Olivus conversus fidelissimus, qui a Justiniani exitu deinceps in omnibus laboribus & ærumnis fuit individuus comes. Reprobavit tamen Justiniani discessum Petrus Delphinus duabus epistolis datis ad alterum Justinianum Bergomatem. „ Nocte, antequam itineri se daret, „ insomnis perstitit in cella sua; die adveniente ad ortum Solis, re sacra „ peracta ad Michaelem reclusum eremitam se contulit, qui alacri vultu „ ad se venientem excepit dicens: *Si carnis affectum sequerer, te lacrymis* „ *libenter redemissem, sed spiritus de tuo isto dono congaudere jubet.* Cum „ vero instaret Justinianus, ut Michael manifestius Dei voluntatem resfera- „ ret, obmutuit, nec amplius loquutus est verbum. “ Jam ab anno 1515. mense februario idem Michael per epistolam consuluerat Justiniano, ut potius in eremo Camaldulensi perpetuam mansionem suam stabiliret, quam

ad

a *Lib. II. cap.* XV.

Ann. Chr. 1520.

ad novas condendas eremos animum adiiceret. Non tamen Justiniani mentem reprobaverat, sed id consilii suaserat ad aliud tempus differendum. Eodem anno & mense obtinuerat Justinianus a Romano pontifice opera Petri Bembi facultatem recedendi a Camaldulo cum Michaele recluso, cum Hieronymo Georgio, & cum Innocentio converso, qua usus non fuit, adoptato ejusdem Michaelis reclusi consilio. Quinta-decima itaque die septembris præsentis anni 1520. pedes ex eremo Justinianus Fontem-bonum, & ex Fonte-bono ad montem Alverniæ se contulit cum Olivo converso, erogatis pauperibus, vel fratribus sancti Francisci pecuniis, quas e Camaldulo discedenti porrexerat œconomus. „ Relictis alpium collibus tran„ sfactoque Tiberis alveo die sequenti, ultra civitatem Castellanam juxta „ flumen pervenit die quarta hora meridiana non longe ab oppido, quod „ Fractam incolæ vocant, & gravatus somno sub frondosa quercu obdor„ mivit; expergefactus oblivio eum cepit, quo præcipue tenderet, quid „ sibi magis expediret, elabiturque e mente locus & modus operandi, & „ qui præcedentibus diebus Hispaniam, Lusitaniam, Oceanum, Indos me„ ditabatur, involutus tamquam turbine nescius est, quid agat, ubi se „ conferat. Erat in suburbanis Eugubii in monte, qui Calvus dicitur, „ solitarius quidam nomine Thomas, Fabrianensis patria, vir tertii or„ dinis beati Francisci professor, in tantæ sanctitatis opinione apud vul„ gus, ut a multis, propter quædam prænuntiata & subsecuta, spiritum „ propheticum habuisse crederetur, homo literariæ peritiæ rudis, natura„ li vero ingenio atque materna lingua satis ornatus, antiquus Justiniani „ amicus. Ad ipsum itaque convolat Justinianus consilium suscepturus, & „ Thomas non ad Indos, non ad barbaras gentes, sed intra Italiam vel„ le Deum ejus operam respondet, socium se & adjutorem exhibens. „ Pariter in monasterio quodam Olivetanorum sancti Secundi, quod extra „ mœnia Eugubii positum erat, vir quidam cardinalis Urbinatis nepos, „ cui nomen Galeatius ex nobili familia de Gabriellis Fanensis civitatis, „ quietis causa manebat. Qui cum natura mitis, animoque pius esset, „ mundi facinora abhorrens, fratribus familiaribusque suis, eo quod in „ jurgiis multis, inimicitiis & factionibus malis continenter versabantur, „ commisceri noluerat, sed in remotis locis solus agere Deo devotus ma„ luit. Hic consolationis & consilii causa frequenter Thomam solitarium „ invisere solebat, cui nec raro solitudinis amorem, quem habebat, ver„ bis ostenderat. Sed cum dives esset (possidebat enim titulo commendæ „ abbatiam sancti Salvatoris Montis-acuti diœcesis Perusinæ cum aliis non„ nullis beneficiis) non poterat adhuc nudum sequi Christum. Hunc ita„ que simul cum Justiniano adiit Thomas, cui, cum rem inter eos ge„ stam manifestasset, sibi placuisse & verbis tunc, & postea operibus abun„ de comprobavit. Nimirum eos hortatus est, ut intentum prosequeren„ tur, inventoque loco, si perseverarent, se pro facultatibus illis non de„ futurum. Addidit præterea, quod si aliquando a negotiis seculi se Dei „ munere extricaret, eos omnibus derelictis se esse secuturum. “ De Galeatio Fanensi pleniori stylo suis locis tractabimus. „ Persenserat ista, quæ „ diximus, frater quidam nomine Raphael natione Hispanus ordinis Præ„ dicatorum, qui tunc in conventu sancti Dominici ejusdem urbis Eugu„ binæ religiose degebat, vir theologica doctrina non mediocriter orna„ tus, morum integritate clarus, concionandi gratia mirabiliter dotatus, „ qui cum patribus alloquio habito & per aliquid temporis spatium re „ mature considerata, tandem eisdem associatus est. “ Cetera annis sequentibus. Facultatem eidem Justiniano fecerat hoc anno [a] Delphinus im-

[a] *Lib. XII. ep.* 17.

Ann. Chr. 1520.

primendi epistolas Ambrosii, aliorumque priorum eremi opera; quæ Justiniani intentio evanuit ob discessum e Camaldulo.

XXII. De sepulcro S. Romualdi memorandum.

Refert idem Justinianus se anno 1526. die xx. septembris contulisse una cum Petro Fanensi & cum Eusebio Suessano eremitis ad abbatiam Sitriæ, ibique reperiisse Jacobum a Bellenzona magistrum murarium habitatorem Fabriani, qui testatus est sex jampridem annis, hoc propterea anno 1520. Antonium de Monte & Nicolaum Rodulphium S. R. E. cardinales accessisse Fabrianum, & optasse conspicere corpus sancti Romualdi, quod asservabatur in arca marmorea sub ara principe in ecclesia sancti Blasii; quare dederunt in mandatis, ut operimentum marmoreum ab arca sustolleretur. Vocatus fuit ad id opus Jacobus murarius, qui cum duobus sociis operimentum ne movere quidem potuit; accersiti in auxilium septem vel octo alii homines incassum laborarunt. Tunc cardinalis Rodulphius magis magisque curiositate motus obtestatus est, quod vel si ipsa ecclesia decidere deberet, volebat dictum sacrum corpus videre. Quare magister Jacobus fune crassissimo, quo solebat æs campanum pendens decem mille libras e turri in terram deducere, adhibitis quadraginta validis hominibus, operimentum arcæ movere conatus est, sed irritus fuit omnis labor, nam in tres partes disruptus est funis, perinde ac novacula fuisset amputatus. Conterriti omnes, ipsique cardinales vetarunt, ne quid amplius tentaretur. Fassus est Justiniano idem Jacobus operimentum nullum dedisse motus indicium, & funem ab octo hominibus, quando occurrebat, solitum fuisse deportari; exinde autem inutilem redditum ad ministerium suum chartariis divenditum, & hoc in verbo veritatis affirmabat, & præsentes operationi viros in testes nominavit. Ex quo portento deducit ipse Justinianus specialem fuisse Dei pietatem, quod ipse anno 1516. cum paucis sociis inexpertisque viris potuerit operimentum illud movere, & ex sacro corpore brachium dexterum amputare, quod Camaldulum eo anno, ut diximus, detulit.

Patres coadunati in capitulo generali congregationis apud Florentiam hoc anno approbaverunt renuntiationes omnes ecclesiarum factas anno præterito sub Parisio Tarvisino abbate Vallis-castri, nimirum sancti Severiani & Montis-fani comitatus Fabriani Camerinensis diœcesis, sanctæ Mariæ de Colle ejusdem comitatus, sancti Donati de Colle-bassano de Fossano Nucerinæ diœcesis, quæ ecclesiæ simul unitæ membra facta fuerant ejusdem abbatiæ Valle-castrensis. Monasterium autem sancti Hippolyti de Faventia denuo statuerunt regendum deinceps ab abbate proprio.

Leo X. ex Malliano Portuensis diœcesis anno incarnationis Dominicæ M.D.XX. quinto idus maji pontificatus sui anno octavo iterum Dominico cardinali Grimano episcopo Portuensi concedit facultatem transferendi fructus abbatiæ sanctæ Mariæ de Carceribus in quamcumque personam, quoad ipse vixerit, cum regressu in casu cessionis vel decessus ejusdem personæ.

Idem Romanus pontifex pridie nonas septembris ex Urbe committit priori collegiatæ ecclesiæ sancti Laurentii de Florentia, ut parthenoni sanctæ Agathæ ejusdem urbis, in quo centum tunc degebant sanctimoniales, uniat ecclesiam sancti Justi de castro Campi Florentinæ diœcesis.

Prioratus sancti Angeli de Duduva ordinis Camaldulensis diœcesis Arretinæ unitur a Julio de Medicis S. R. E. cardinale, & apostolico legato Bononiæ & Thusciæ monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, dissociatus a monasterio sancti Petri de Rotis, cujus prius erat membrum; ex archivo Angelorum [a]; cujus unionis decretum factum die quinta maji exequutus est die xxv. ejusdem mensis Petrus-andreas Gamarus Bononiensis vicarius dicti cardinalis archiepiscopi Florentini.

[a] Num. 209.

Ex

ANN. CHR. 1521.

XXIII. Justinianus eremum fundat ad S. Hieronymum Pascilupi.

a Cap. I.

EX Lucæ Hispani [a] eremiticæ historiæ libro III. prosequimur itinera Pauli Justiniani ad novas efformandas eremitarum colonias. „ Inter „ Apennini colles, inquit, qua ex Piceno in Umbriam transitus datur, „ vallis quædam est, cui immanissima rupis imminet, ex alto emittens „ aquæ præcipitem rivum, qui vallem ipsam murmure quodam non in- „ jucundo complet. Sub rupe ipsa antrum apparet, in quo est antiquis- „ simum sacellum divo Hieronymo dicatum (beati Thomæ Costacciarii „ mansione etiam olim sanctificatum) antrum vero olim receptaculum lu- „ porum fuerat, unde antiquitus vallis illa ab indigenis Pascilupum appel- „ lata est. Ad octo milliaria habet Saxo-ferratum, ex alia parte Fabria- „ num. Factum est paulo ante, ut ex luporum fovea in latronum spe- „ luncam locus ille jam conversus fuerit, immo facinorosi aliqui homines „ ibidem falsam monetam fabricaverint. In hunc ergo locum Thomas & „ Paulus Justinianus cum sociis Raphaele & Olivo primo deveniunt, quo „ vacuo reperto sese in latebris illis locant. Cepitque res ista tandem per „ villas, pagosque vicinos fama volante vulgari, quin & intra dies pau- „ cos ad urbes & castella pervenit rumor. Confluunt illuc undique homi- „ nes quasi Angelos e celo dimissos visuri, panem, vinum, legumina, „ fructus arboreos Dei servis deferentes. Nunquam proprium dominum „ noverat sacellum sancti Hieronymi, utpote nihil in redditibus habens, „ & ecce tunc presbyter quidam (Guido Mariottius, cui cesserat Nico- „ laus Bruni alter plebanus eiusdem loci) Pascilupi plebanus ferox con- „ surgit contra pauperrimos viros invectus, ac propriæ ecclesiæ quodam „ antiquæ unionis jure prætenso tamquam e propria domo eos dejicere „ tentat. At Paulus ad Leonem pontificem properat, qui re audita, ei- „ dem & sociis in perpetuum capellam cum ambitu suo a parœciali Pa- „ scilupi dissociatam concedit (brevi dato die IX. aprilis hujus anni) & „ plebanus assensum præbuit; tunc etiam novæ societatis privilegium in „ forma brevis a curia obtinuit Justinianus, quod hactenus habuerat in „ sola supplicatione. Jam de loci dominio securi novi possessores latibula „ rupis claudere, & cavernæ foramina in habitacula sibi convertere nitun- „ tur. Ligna cum deessent, dux Urbinas eisdem cædendi in propinquio- „ ris montis parte liberum usum concedit. Nactus opportunitatem Justi- „ nianus, regularem vitam sub uno habitu juxta privilegium Leonianum „ in eodem loco exordiri proponit. Sex erant, quatuor sine mora ejus „ verbis annuerunt, sed Thomas & Raphael, & hic concionandi ambi- „ tione ductus, mutare habitum, & votis se submittere in nova religio- „ ne detrectarunt, ita ut propemodum Justinianus de deserendo Pascilu- „ po, & de navigando in Hispaniam iterum cogitaret. “ Ad duas cœlibes sorores suas scribens (mense majo hujus anni) *Octo fere sunt menses*, inquit, *ex quo locum mutavi, sed non habitum, neque vivendi modum, immo locum abjectiorem, magisque solitarium in majori paupertate cum sodalibus paucis habito. Sum corpore sanus, nunquam mihi mens læta magis fuit. Unamquamque vestrum pro me Dominum orare quam maxime precor; in maximo enim dubio versor, debeam ne in Italia remanere, an potius Hispaniam versus pergere, inde ad Indos recenter Christianos factos navigaturus. Nollem sane hoc in facto errare.* Idem fere scribit ad magnificum Petrum civem Florentinum.

XXIV. Eremitæ Camald. donant Cryptas Massaccii Justiniano, ubi erigit alteram eremum.

b Cap. II.

SOLLICITI de Justiniano eremitæ Camaldulenses, quos liquerat, tentabant [b] interea ipsum ad pristinam eremum revocare. Incassum cum hoc pluries curassent, die XI. januarii, iterumque die tertia junii hujus anni Cryptas Massaccii, quæ pertinebant ad eremum Camaldulensem, ipsi & sociis

Ann. Chr. 1521.

sociis ejus ad habitandum dederunt; haud multo post eumdem cum suis de familia eremi adhuc annumerari voluerunt, pecuniis etiam ad victum & vestitum transmissis. Reliquis ergo cum debito ordine Pascilupi relictis, Justinianus cum Olivo confestim ad Cryptas se contulit, ubi tunc temporis Elias Mediolanensis sacerdos, & Antonius Recanatensis conversus eremitæ Camaldulenses homines ipsi notissimi commorabantur. De Antonio Recanatensi ad annos 1509. &1516. egimus. Est locus ille in arcta profundaque valle situs intra fines diœcesis Æsinæ, ab oppido Massaccii duobus passuum millibus distans, Cryptarum appellatus, eo quod in rupe ipsa effossa habitacula haberet, quæ quidem non adæquata solo, sed ad cubitos viginti elevata in medio rupis, quo triginta graduum scala ascenditur; neque certe adhuc rei facies mutata est, cum & cellulæ, & oratorium etiam nunc in sua forma maneant, licet hodie satis adornatus fabricis, & aliis commoditatibus nobilitatus locus appareat. Describit autem pluribus Lucas Hispanus tum eremitarum, tum Æsinorum civium diligentiam ad reddendum locum illum habitabilem. Antiquum patrem & amicum suum Justinianum Elias & Antonius recepere, quibus additi ex eremo Camaldulensi Augustinus Bassanensis, & Nicolaus Trivisanus Venetus eremitæ sacerdotes, & magni sanctitatis amatores, qui consensu suorum prælatorum advenerant. Eodem quoque tempore ad Cryptas venit Hieronymus Suessanus, homo sane omni scientia versatus, sed medica arte excellens, sacri palatii, vivente Leone X. protophysicus, qui multo nobilior ac perfectior ex religione factus, mira sanctitatis opera, dum viveret, ostendit.

XXV. Donationes locorum factæ Justiniano pro eremis fundandis.

„ Sed præ ceteris [a] Galeatius Gabriellius illuc divinitus inspiratus advenit, qui pauperum indigentiam erogatis pecuniis supplevit, & loci angustias dilatavit. Nam monasterium sancti Leonardi de Volubrio, quod ipse in commendam possidebat, Paulo & sociis ad habitandum mense julio concessit, quod haud multo post in favorem societatis libere resignavit. Est autem Volubrium mons immensæ magnitudinis sub diœcesi Firmana, in ea autem Piceni parte, qua ipsa provincia a Nursiæ montibus dividitur, juxta oppidum Montis-fortini, Teneæ fluminis caput & origo. Locus igitur iste valde excelsus est, atque ab omni humana conversatione longe segregatus, eoque solitariæ vitæ apprime idoneus, ad quem nostri celeriter accedentes, magna cum spiritus hilaritate ibidem habitare ceperunt. “ Non intervenit tamen tunc beneplacitum apostolicum, quia Bembus aberat ab Urbe, & pontifex bello, quod meditabatur, intentus erat, ut ex epistola ejusdem Bembi scripta die XXI. augusti. De monasterio sancti Leonardi ad Volubrium, quod erat juris Fontis-avellanæ, aliqua tradidimus ad annum 1134. Galeatius autem Camaldulensem habitum non accepit nisi anno 1524.

a *Cap.* III.

XXVI. De eremo Anconitana.

„ Iisdem diebus (trigesima scilicet novembris, & quinta decembris), sequitur Lucas, Desiderius quidam monachus Casinensis in eremitorio sancti Benedicti Montis-coneri, seu Anconitani (de hoc diximus ad annum 1038.) cum quibusdam sociis solitariis commorabatur, soluto tamen more, ac sine aliqua obedientiæ observatione. Unde conscientia reclamante, audito quid in Cryptis Massaccii ageretur, illuc se contulit, qui re ipsa visa & prudenter considerata, præsentia & sermonis suavitate ipsius Pauli permotus, & se & socios una cum loco ipso eidem tradidit. Hic autem locus situ mirabilis est, utpote in proclivi montis supra ripam maris Adriatici positus, in superiori parte ejusdem promontorii arduam celsitudinem, in inferiori vero abscissæ rupis inaccessibilem anfractum ad mare usque portensum habens, cujus radices perpetuo ma-

„ ris

„ ris abluit unda. Iste locus quondam spelunca ferarum, hodie ipsa spe-
„ lunca oratorium facta divo Benedicto sacrata est. In eadem specu olim
„ muliercula quædam Nicolosa nomine per annos multos solitaria latitavit,
„ quæ, quia ibi cum magna pœnitentia animique constantia vixit, inter
„ beatas animas [comprobatur]. Huic filia ejusdem nominis erat, quæ post
„ mortem matris maternam habitationem laudabiliter per annos aliquot
„ sola incoluit, quæ tamen decrepita facta in urbem Anconæ se recepit.
„ Post mulieres prædictas ejusdem recessus habitator factus est beatus Hie-
„ ronymus Anconitanus, qui sacello & cellula fabricatis valde locum de-
„ coravit, ubi annis quindecim adeo solitarius vixit, ut nunquam urbem
„ ipsam viderit. Obiit cum magna sanctitatis opinione, ideoque vulgo
„ Beatus appellatur & habetur. " Desiderius Casinensis monachus Nea-
politanus a communitate Anconæ locum obtinuerat die XXI. novembris
anni 1514. quatuorque cellulas, & officinas aliquot extruxerat ibidem.

Ann. Chr. 1521.

Sociis igitur & locis ditatus Justinianus sic scribebat hoc anno: *Evenit, ut dum a facie Domini fugere tento, quo nullatenus ire volebam, me pervenisse sentiam. Nam aliis ad me accedentibus, aliis me ad se vocantibus, in hac Marchiæ Anconitanæ provincia in quatuor solitariis valde locis circa viginti-quinque fratres habeo eremitas, a quibus discedere, etsi solitudinis, quam a juventute mea semper quæsivi, amor suadeat, fraternæ tamen caritatis necessitas non permittit.* „ Sapienter rebus & personis ad ea „ loca compositis & destinatis ad Cryptas revertitur. "

XXVII. Decedit Petrus Benincasa monachus Camald.

LONGÆVA ætate & studiis attritus obiit hoc anno post diem XXIV. augusti, qua literas recepit scriptas a Delphino [a], Petrus Benincasa Camaldulensis monachus prior Pratalis loci Camaldulo contermini. In Liernæ exiguo oppido natus, quod subditur eremo Camaldulensi, in ea Arretinarum alpium parte, cui nomen Clusentino, religionemque ingressus vir fuit ad utraque graviorum suaviorumque Musarum studia factus. Imbecillo quamvis corpore & podagra vexatus firmum tamen animum ita profanis poetis, divinis literis, sacrisque canonibus partita lectione assidue addixit, ut versus volentibus Musis eleganter caneret, sæpius Petrum Delphinum supremum ordinis præfectum de abditioribus Bibliorum arcanis consuleret, & vastam juris canonici farraginem pari memoria complecteretur. Proinde haud illi difficile fuit canones a Gratiano monacho olim opportuna serie primo dispositos, novo alphabetico ordine iterum digerere. Inscriptum est opus: *Flores decretorum, decretalium & Clementinarum ordine alphabetico distributi ad Petrum Delphinum Camaldulensis ordinis abbatem generalem; non tam propter generalatus auctoritatem, quam ob ejus probitatem & doctrinam.* Extat ms. duobus spissis voluminibus in folio in bibliotheca eremi, blattis tineisque obnoxium, cui præfigitur Pauli Orlandini epigramma. Scripsit etiam Benincasa carmina in Pii III. pontificis maximi inaugurationem & obitum, de quibus Delphinus libro VII. epistola 85. Præclaras ingenii opes ornabat idem Benincasa aurea morum integritate; & non semel objurgavit Petrum Soderinium Florentinæ reipublicæ vexilliferum, quem veteri amicitia, pietate atque consilio fovebat, eo quod sacratos viros vectigalibus, collectisque premeret. Excellentes tituli doctrinæ & probitatis constantissimum eidem compararunt Delphini amorem, qui juniores Camaldulensis solitudinis alumnos ejus disciplinæ concredidit, & qui frequentibus literis spatio quadraginta annorum non interruptis benevolentiam suam ostendit erga Benincasam.

[a] *Lib. XII. ep.* 38.

Ligni sanctæ Crucis portio ex sancto Michaele de Muriano delata Camaldulum

ANN. CHR. 1521.

dulum argentea theca inclusa reposita fuit in tabernaculo marmoreo sculpto a magistro Ghino de Settignano a latere majoris aræ.

XXVIII. Ex epistolis Delphini, historica.

MEMINIT Delphinus in suis epistolis, dialogi [a], quem in sui laudem ediderat, & ad se transmiserat dulcissimus amicus suus Johannes de Monte-varchio vir consultissimus, quem tamen carpit, quod nimis se laudibus extulerit. Mortuo Leonardo Lauretano inclyto Venetiarum principe, elogium ipsius multis prosequitur in literis [b] ad Laurentium filium dignum tanto patre; aliis gratulatur Antonio Grimano cardinalis Dominici patri suffecto in Lauretani locum. In epistola ad cardinalem de Monte [c] mentionem facit regis Hungariæ regno spoliati, solo tenus diruto a Turcis Belgrado munitissimo oppido. In aliis ad Julium cardinalem deflet [d] recentem obitum summi pontificis ejusque patruelis Leonis X. memoratque [e] locum in Burgi-sancti-Sepulcri urbe Camaldulensibus oblatum ob monasterium sancti Johannis-evangelistæ erectum in cathedralem episcopi ecclesiam. Vivebat hoc tempore Franciscus Giunctini a Fregina in Clusentino monachus Camaldulensis & J. V. D. cujus plures extant epistolæ mss. ad Delphinum, Justinianum aliosque pios & doctos viros. Hoc anno [f] opera ejusdem Delphini Franciscus usus est ad obtinendam lecturam in studio Pisano, datis pro ipso commendatitiis literis ad Theophilum episcopum Drivastensem Julii Medicei familiarem.

a *Lib. XII. ep.* 27.
b *Ibid. epp.* 30. 31.
c *Ibid. epp.* 37. 44.
d *Ibid. ep.* 46
e *Ibid. ep.* 42.
f *Ibid. ep.* 43.

XXIX. Ecclesia SS. IV. Coronatorum traditur Camaldulensibus.

LAURENTIUS Puccius S. R. E. cardinalis presbyter tituli Sanctorum IV. Coronatorum, Camaldulensis ordinis protector, Camaldulenses monachos advocaverat anno 1517. & constituerat ad servitium ejusdem ecclesiæ. Die octava octobris hujus anni facultatem obtinuit a Romano pontifice Leone X. concedendi eisdem monachis ipsam ecclesiam cum domibus, hortis, locisque adjacentibus, immo cum præterea idem cardinalis esset summus pœnitentiarius, utendi abbate dicti monasterii pro pœnitentiario in ecclesia sancti Johannis Lateranensis. „ Ex eo tempore collegium „ monachorum, subdit Fortunius, sub annuo abbate illic institutum est. „ Verum subsequente postea truci pestilentia, abbas & monachi loco ce- „ dere coacti sunt, nec postea sine proventibus ob insalubritatemque ae- „ ris eum tenere voluerunt; verumtamen titularem abbatem quotannis de „ more instituunt. “ Residebant in eo monasterio procuratores generales congregationis.

A capitulo generali hujus anni demandata fuit vicario & visitatoribus ordinis cura componendi cum abbate commendatario monasterii sanctæ Mariæ de Urano quærente unire abbatiam congregationi Camaldulensi, cujus monasterium erat.

Ambrosius Bernardus abbas commendatarius sanctæ Mariæ de Vangaticia renovavit capellam sanctorum Primi & Feliciani protectorum Abbatiæ, quorum corpora vel saltem eorum insignes reliquiæ in ecclesia monasterii quiescebant, appositis his versibus, qui postea in restauratione ecclesiæ sublati fuere.

Feliciane simul cum te quoque Prime teneret
Hic minus ornatus corpora sancta locus,
Non tulit Ambrosius Bernardæ gentis alumnus
Mandator forma dat meliore locum.
M. D. XXI. *kalendis martii.*

ANN. CHR. 1522.

XXX. Mors Antonii Recinetensis eremitæ Camald. ejusque vita.

EREMITÆ Camaldulenses, qui anno præterito Cryptas Massaccii concesserant pro habitatione Justiniani ejusque sociorum, hoc anno die

die XXVI. junii eas in favorem novæ congregationis eremiticæ libere cesserunt cnm expressa segregatione ab ipsa eremo, stipulato etiam sollemni contractu manu Lazari Bonamici San-miniatensis eorum scribæ & notarii, ut scribit Lucas Hispanus [a]. Videns itaque Justinianus Dei voluntatem esse, ut in Italia remoraretur, & accessiones de die in dies fieri virorum, qui eum sequebantur, deliberavit formam aliquam dare suæ familiæ, introducta prius mutatione formæ habitus, nempe pro cuculla Camaldulensi pallio suis alumnis, quos ea vestium forma induit die secunda julii, tabulis cum palea seu junco pro lecto destinatis, pro cibo pane sicco & mucido, brassica & olere vel tenui legumine, vino autem raro. Huic vivendi asperrimæ normæ manus dedere Hieronymus Suessanus cum tribus sociis, & paulo post Augustinus Bassanensis & Nicolaus Trivisanus. Renuit Elias sacerdos grandem suam ætatem excusans; quare etiam ad eremum Camaldulensem est reversus una cum Antonio, qui postremus reditum pollicitus adimplere nequivit, & Camalduli obdormivit in Domino, post infirmitatem aliquot mensium, die Dominica. Quia sæpius Antonii meminimus, non abs re erit ipsius vitam ex eodem Luca Hispano describere.

„ Is [b] Recanati ortus in ipso juventutis flore uxorem duxit, quam postea „ in adulterio deprehensam ab eodem occisam fama vulgaverat. Sed cum „ esset Antonius natura mitis & animo pius, licet terrenus judex ei formi„ dandus nequaquam veniret, nihilosecius tremendum Dei judicium non po„ terat non timere. Quam ob causam diræ faciendæ pœnitentiæ se subinde „ tradere statuit, ac primum tertii ordinis sancti Francisci factus professor, „ in sanctis suæ professionis exercitiis pie detinebatur. Postmodum vero „ hoc ipsum, fervore crescente, parum aut nihil reputans, solitudinis a„ vidus ad cryptas Massaccii se congessit anno 1509. Ubi deinde solita„ riam vitam summa cum austeritate agens, propriis laboribus ac sumpti„ bus incultam vallem non mediocriter reddidit ornatam. Nam juxta suam „ cavernam, aliam non sine multo sudore effodit, nec non ad ipsius ru„ pis radices sibi paraverat hortulos. Victitandi modus talis fuisse fertur, „ quotidianus panis, quo vescebatur, decem unciarum pondus, eo tamen „ vel sicco vel biscocto utens, cui pauca brassicæ folia, alteriusve oleris „ pulmentum adjungere, aut certe leguminis pugillum, idque multoties „ solo sale sine oleo conditum in cibum sumere solitus est. Carnes seu „ ova neque lactaria gustavit unquam, a vino fere semper abstinuit. O„ derat supra modum otiositatem, erat in oratione continuus, & in le„ ctionibus frequens, ita ut ne punctum quidem temporis sine fructu tran„ sire permitteret. Cum ibidem per sexennium & ultra esset commora„ tus, audiens aliquos referentes speluncas illas ad patres Camaldulenses „ spectare, delicatæ conscientiæ stimulo actus, locum, & quidquid in eo „ factum fuerat, sponte renuntiavit ad annum 1516. & persuadente Pau„ lo Justiniano eremiticum habitum induit sub obedientiæ jugo, una cum „ Elia, qui ad eum instruendum ex eremo Camaldulensi missus est. Ubi „ sane ambo simul per annos fere septem summa cum caritate, ac mu„ tua dilectione fideliter Deo servientes perseveraverunt. Jam non est hic „ silentio occultanda Antonii non vulgaris sanctitas, quæ ex duobus præ„ cipuis exemplis satis aperte intueri volentibus clarescere poterit. Non „ erat ibi oratorium aliquod ab initio, quæ res illi propter necessitatem „ satis molesta efficiebatur, neque ipse illud facere tentabat, eo quod es„ set in solida petra duro ferro concavandum, nec erat pauperi, unde ex„ pensas exsolveret. Et ecce nobilis quidam Æsinus illuc veniens re au„ dita, eum, ut opus incipiat, vehementer hortatur, se omnes fabricæ

a Cap. IV. & V.

b Cap. VI.

Ann. Chr. 1522.

„ sumptus facturum promittens. Nec mora, vocantur lapicidæ, & cepto „ opere ad finem usque operarii non cessant. Requisitus autem nobilis „ sponsor, uti operariis mercedem solveret, noluit ille stare promissis. „ Tunc Antonius illusum se videns, lectuli opertorium, & paucos libel- „ los, quos habebat, vendidit, seu verius pignori dedit, cumque id di- „ midium pretii non æquaret, ad orationem solitum sibi remedium con- „ fugit. Dum ipse seorsum secreto oraret, ultima operi manus impone- „ batur, & factum est, cum ultimus angulus cavernæ poliretur, aperta „ est rimula quædam pecuniis repleta, Moneta vero Anconitana antiquis- „ simæ signaturæ, quæ tantula fuit, ut solutis operariis ad pignora redi- „ menda, & ad ea paranda, quæ ad oratorium exornandum necessaria es- „ se solent, abundanter sufficeret. Rursus cum aliquando ita ægrotaret „ Elias, ut in agonia mortis versaretur, & Antonio eidem ministranti „ deesset panis, neque infirmus in tali statu solus relinquendus ei videre- „ tur, ad Deum suum conversus, more suo ex alto auxilium quærit. „ Et ecce adhuc eo orante, a corvo ibi in ripa nidum habente, & ipsis „ piis hominibus diuturnitate temporis familiari facto, panis recens pon- „ deris duarum librarum allatus est. Res quidem mira, & nostris tem- „ poribus inusitata, credituque difficilis, de qua tamen ego nihil dubito, „ qui hæc omnia propria Pauli Justiniani manu, lingua licet vulgari, obi- „ ter adnotata inter ejus scripta reperi. " Hæc Lucas Hispanus. Antonii quoque vitam fuse descripsit Modestus Benvenuti monachus congregationis sancti Silvestri in historica relatione Sanctorum protectorum & Beatorum Recinetensium edita Perusii in folio anno 1634. qui addit Antonii corpus in eremo Camaldulensi sepulturæ traditum cum magna veneratione coli.

Subdit Lucas Justinianum post novum alumnis suis traditum habitum, capitulum etiam primum recentis congregationis celebrasse, editis in ipso viginti-sex constitutionibus, quibus tamen ligari suos noluit, donec justis sollemnitatibus & rite confirmarentur, ac distribuerentur socii in quatuor recens acquisita loca.

Propagare vero institutum sancti Romualdi quam maxime cupiens idem Justinianus scripsit hoc anno amicis suis Venetis, ut in patria locum aptum invenirent; qui operam dederunt, ut ei concederetur ecclesia sancti Vitalis in insula Pupiliæ prope Methamaucum. Facta fuit publica donatio die XIX. februarii anni sequentis ab Andrea Georgio, Maphæo Viaro & Marco Contareno officialibus ad Rationes-veteres, quæ prostat penes senatorem Flaminium Cornelium in Ecclesiis Venetis [a]; quæ tamen donatio effectum suum non fuit sortita, licet post biennium confirmata; nam ea conditione subscripta fuerat donationis charta, ut post mortem dumtaxat sacerdotis secularis, qui ecclesiam regebat, vigorem obtineret; sacerdote autem defuncto alia impedimenta obstitere, mors præsertim Justiniani neque licuit ipsi videre institutum Eremitarum sancti Romualdi in patria.

a *Decad.* XII. *pag.* 220.

XXXI. Adversa, quæ passus est a Gonzagitis Justinianus.

Sed adversa, quæ hoc & sequenti anno sustinuit Justinianus, ex eodem Luca Hispano [b] commemoremus. „ In superiori parte montis Co- „ neri seu Anconitani, ad cujus radicem fundatum erat eremitorium „ sancti Benedicti, habitabant eremitæ vocati sanctæ Mariæ de Gonzaga „ in ecclesia sancti Petri, soluto more, sine certa vel approbata regula „ degentes, qui eremitarum sancti Romualdi vicinum consortium æquo „ animo ferre non poterant, timentes utique, ne istorum laudabilis con- „ versatio eorum dissolutæ cupiditati aliquod afferret nocumentum. Ir- „ ruerunt ergo in ipsos tentantes primo eos terrere; quare immania saxa

b *Cap.* IX.

„ ex

Ann. Chr. 1522.

„ ex alto, & lignorum ponderosos truncos in inferiora latibula projece-
„ runt, ut loco abscederent. Obcæcati illi, quandoquidem hac via nihil
„ proficiebant, aliam aggrediuntur; cardinalem videlicet Anconitanum
(Franciscum Accoltum) adeuntes, tot calumniis falsisque suggestionibus
„ apud eum contra Dei servos egerunt, ut magno impetu vicario suo
„ demandaret, quatenus & Paulum, & universam ejus familiam extra
„ fines Anconitanæ diœcesis sine mora expelleret. Inde majori furore suc-
„ censi diaboli ministri ad Marchiæ legatum (Franciscum Armellinum
„ cardinalem) tendunt; quid illi dixerint, ignoratur, hoc autem unum
„ constat de mandato vicelegati pauperes eremitas ex omni territorio ju-
„ risdictionis ejus crudeliter fuisse ejectos; capitur Justinianus quasi male-
„ factor, & Maceratæ in carcerem (intra conventum sancti Francisci)
„ conjicitur. Extat quædam ejus epistola (die x. maji) ex carcere ad
„ suos missa, nempe ad Hieronymum, Desiderium sociosque eorum, qua
„ ipsos confortat, & ad patientiam hortatur. Tandem post dies sexdecim
„ certior factus, & in se reversus furibundus judex eum extrahi, & ad
„ se adduci jubet, cui jam appropinquanti; parce mihi, ait, o pater,
„ non enim noveram te, nec tuos audieram. Et pater ad eum: Parcat
„ tibi Dominus. In optimum denique finem desiit turbulentissima tem-
„ pestas; e converso fucati illi eremitæ vindictam Dei sensere, nam post
„ menses paucos primus eorum, & qui magis in sua malitia exarserat,
„ dira febri correptus in phrænesim lapsus sese de fenestra quadam præ-
„ cipitem dedit; alter vero persecutor, dum scalas quasdam ascenderet li-
„ gneas, offendens pede e sublimi ad imum deturbatus, crure per medium
„ fracto, vix semivivus a concurrentibus levatus est. Jacuit diu prosterna-
„ tus in lecto, ita ut de ejus vita prorsus desperaretur. Verum cum hæc
„ audisset Paulus, valde contristatus est, & pro eo sine intermissione orans
„ per dies quindecim in pane & aqua jejunavit, unde non immerito ejus
„ precibus infirmus curatus creditur. " In archivo eremi sancti Benedicti extant protestatio Justiniani contra vicarium episcopi, qua ostendit se ejus jurisdictioni non esse subjectum; electio duorum nobilium Leonardi Nicolai Bonarelli, & Ottomani de Freducciis Anconitanorum in protectores cryptarum sancti Benedicti; alia electio Galeatii de Gabriellis protonotarii & canonici Fanensis in conservatorem jurium & privilegiorum novæ societatis; epistola Antonii Grimani ducis Venetiarum ad consilium Anconitanorum in favorem ejusdem Justiniani & ceterorum eremitarum; epistolæ Justiniani ad cardinales Marchiæ legatum, protectorem ordinis Laurentium Puccium, & ad Matthæum Sedunensem eleganti stylo scriptæ, quorum cardinalium ope Justinianus & eremitæ in locum suum fuere restituti. Quommodo autem progressu temporis obtinuerint ecclesiam etiam & monasterium sancti Petri, dicemus ad annum 1559.

XXXII. De lipsanis SS. Maglorii & Paschasii in abbatia Uranensi.

Quoad sacra lipsana sanctorum Maglorii & Paschasii episcoporum, quæ coluntur in ecclesia abbatiæ de Urano extra Britonorium, sequens memoria reperitur sub hoc anno in archivo episcopali Britonoriensi, libro, cui titulus: *Scritture circa la chiesa del Lago*. „ Pateat omnibus,
„ qualiter de anno M.D.XXII. indictione X. pontificatus, cujus nomen ad
„ præsens apud nos ignoratur, post Leonis papæ X. mortem, & die XVII.
„ aprilis, qualiter Vincentius quondam Ugolini Zannis de Mainardis pro-
„ curator domini Petri-francisci de Cinughis de Senis perpetui commen-
„ datarii præsentis abbatiæ Urani de Britonorio, & Petrus de Loda, &
„ dominus Nicolaus de Sirn, præsens sepulcrum seu sarcophagum aperue-
„ runt, in quo aliud sepulcrum parvum reperierunt, in quo est unum

Ann. Chr. 1522.

„ caput cum ossibus non multis prædictorum Sanctorum, & ipsum sepulcrum cum ossibus & capite in ipso positis existentes reposuerunt retro per brachia duo in præsenti capella prædictorum Sanctorum maxima cum veneratione, præsentibus magistro Bartholomæo de Faventia muratore, & ser Bernardino Barisano, & Vincentio Matthæi Magnole de Britonorio, & in præsentia quamplurium personarum; Civitella de Saxis de Britonorio scriba. “

XXXIII. Memorata in literis Delphini.

Plura memorantur sub hoc anno in epistolis Delphini: Electio [a] in summum pontificem Hadriani absentis ab Italia; obierat siquidem die secunda decembris præcedentis anni Leo X. Excessus etiam Petri Soderini in urbe Romana, vexilliferi olim perpetui Florentini in epistola [b] ad Franciscum Soderinum episcopum Volaterranum & S.R.E. cardinalem fratrem, quæ præter dolorem continet elogium tanti viri. In alia [c] ad Christophorum Marcellum archiepiscopum Corcyrensem refert detectas fuisse insidias nonnullorum civium Florentinorum, qui conspiraverant contra cardinalem Julium Mediceum, ut ipsum interficerent, & sumptum fuisse de duobus ultimum supplicium, tertium vero relegatum Volaterras addictum esse perpetuo carceri. De Rhodo insula obsessa a Turcis mentionem facit in [d] epistola ad Justinianum Bergomatem, & de cardinale Cortonense Silvio Passerino, qui eremum Camaldulensem visitaverat. Excitat Timotheum [e] Angelorum Florentiæ monachum, & calcaria ei subdit, qui proposuerat sibi describere vitam & miracula beati patris Benedicti carmine. Jacobum Pisauro episcopum Paphensem nominat [f] conservatorem ordinis Camaldulensis. Consulit Philippum Decium IC [g], an, cum a Sixto IV. aliisque successive pontificibus obtinuerit ipse facultatem conferendi ordines Minores, & velandi sacras virgines, eadem facultate uti possit absente ab Italia pontifice, quam ab ipso expetere voce non potest. Justinianus Bergomensis eremita Camalduli introduxerat [h] in eremo Camaldulensi gymnasium, & præceptor juniorum monachorum factus consuetudinem induxerat abhorrentem a quiete solitariæ vitæ. Id, ubi rescivit, improbavit Delphinus pluribus epistolis. Justinianus apologeticum ea super re scripsit, sed demum cessit, & morem gessit Delphino. Johannes de Monte-varchio notarius *expostulavit* [i] a Delphino opinionem suam circa conceptionem beatæ Mariæ virginis; hic licet devotionis gratia immaculate conceptam prius tenuisset, lectis tamen Bernardi operibus contrariæ sententiæ adhæsit, cui etiam favebat Johannes de Monte-varchio. Julium Mediceum cardinalem orat [k], ut apud Burgenses intercedat, quatenus cum unius male de sua religione meriti infidelitate & ambitione, ordo Camaldulensis in urbe Burgensi jacturam fecerit insignis abbatiæ, quam coluerant monachi per quadringentos annos, tunc in cathedralem conversæ, illeque, nempe episcopus, fato functus fuerit (Galeottus Gratianus siquidem primus episcopus olim monachus & abbas decessit hoc anno) loco deperditæ abbatiæ ordini Camaldulensi dent locum quemdam, qui appellabatur societas sanctæ Crucis, in eadem urbe situm, ubi commorentur monachi ab abbatia expulsi. Eidem cardinali commendat [l] monasterium Camalduli-Florentini jam unitum eremo Camaldulensi, a quo magistratus Florentini cujusdam nomine ejecti fuerant eremitæ, ut in alienos usus locus converteretur. Scribens Justiniano Bergomati [m] gratulatur eremos novas Piceni, antea copulatas eremo Camaldulensi, modo repudiatas ab eremitis Camalduli. Romano pontifici Hadriano VI. scribit [n], quem memorat etiam ex Hispania Romam devectum fuisse trireme Veneta. Capitulum generalissimum ordinis haberi expostulat Delphinus, qui propterea senex & debilis Florentiam eo fine se

a *Lib. XII. ep.* 49. 50.
b *Ibid. ep.* 75.
c *Ibid. ep.* 74.
d *Ibid. ep.* 81.
e *Ibid. ep.* 63.
f *Ibid. ep.* 66.
g *Ibid. ep.* 71.
h *Ibid. ep.* 54.
i *Ibid. ep.* 69.
k *Ibid. ep.* 76.
l *Ibid. ep.* 87.
m *Ibid. ep.* 77.
n *Ibid. ep.* 82.

se receperat, tum a cardinale Laurentio Puccio, tum a Francisco Soderino altero cardinale protectore, quod tamen intermissum est tum morte Leoni X. tum absentia pontificis Hadriani, tum obsistentibus pluribus, quibus displicebat ordinis reformatio.

ANN. CHR. 1522.

XXXIV. De Jo: francisco Poggio sepulto ad S. Gregorii de Urbe.

SEPULCRI honorem in ecclesia sancti Gregorii de Urbe habuit hoc anno Johannes-franciscus Poggius cum hac epigraphe: *Johanni-francisco Poggio Florentino animi virtute, ac constantia morum, gravitate vitæ integerrimæ, laude eloquentiæ ac literarum, juris quoque civilis & pontificii, divinæque scripturæ cumulata doctrina religiose viventi, religiosius supremo die functo Vincentius Martinus fratris ejus gener, parentis apud se locum semper adsequuto optime merenti posuit. Vixit annos* LXXIX. *menses* IV. *Obiit anno Domini* M. D. XXII. *die* XXV. *mensis junii.*

XXXV. Obitus B. Michaelis eremitæ Camald. ubi describitur etiam ejus vita. a *P. I. lib. III. cap.* 14.

PARITER sancto fine quievit hoc anno beatus Michael eremita Camaldulensis, & Coronæ Dominicæ institutor. Ipsius vitam pluribus contexuit historicus noster Fortunius [a]. Beatus Michael, inquit, Florentiæ „ ex honestissimis parentibus ortus patrem Venturam nomine habuit, a „ tenerisque annis Deum timere suetus, ubi pubertatis attigit annos, Lau„ rentii Medicis clarissimi viri obsequiis sese dedit, pincernæque officium „ plures annos exercuit, & ea quidem ingenuitate ac studio, ut inter re„ liquos domesticos ei extiterit charissimus. Animadvertens primis diebus „ Michael, quam Laurentii domum liberalium artium professores frequen„ ter adirent, ingemuit non semel pectore ab imo, quod pueritiæ annos „ non plene literarum studiis addixisset. Itaque legendæ historiæ cupidus „ non parvam librorum suppellectilem paulatim comparavit, ut in collo„ quiis peritorum hominum saltem ob illud studium aliquando non eru„ besceret. Parimodo cum multi religiosi ejus tempestatis insignes viri ad „ Laurentium frequenter convenirent, longosque sermones de cœlestium „ bonorum spe, deque vera christiana charitate protraherent, Michael ad „ religionem nonnihil appellere ceperat animum, quando ex Trebiana vil„ la in Senarii montis densissimas silvas venatum cum Laurentio aliquan„ do concessit, ubi incidit ei in mentem recordatio casus illustris Guido„ nis marchionis, qui intempestæ noctis tempore a sociis desertus per ar„ duos inviosque saltus oberrans, horrida nimium visione ad mutandam „ vitam & mores invitatus est, septemque cœnobia propterea ædificavit. „ Quamobrem gravi terrore consternatus, quomodo se a seculi servitute „ omnino liberaret, cogitare cepit. Quod Laurentius facile exploratum „ habens, eumque penes se retinere cupiens, sacerdotium illi cum hone„ stis proventibus conferendum curavit. Qua occasione Michael jam Deo „ omnino servire avens, illico se tamquam exemplar omnium bonorum „ operum comparare cepit &c. Accidit inter hæc Laurentium ad sacram „ eremum adequitare. Illic ergo Michael decore domus Dei captus, & „ quadam cœlesti vi eremitam agere instinctus, Romam prius proficisci „ voluit ad sanctorum Apostolorum limina; inde concito gressu in sacrum „ montem reversus exutus est mundi sordibus, & sacræ militiæ adscri„ ptus. (Professionem monasticam emisit in præsentia Johannis-baptistæ „ Lucensis Majoris die XXIV. martii anni 1502.) Exinde vero in sum„ ma columbæ simplicitate se verum & non fictum Dei servum ac sancti „ Romualdi discipulum adeo pie ac sancte præbere studuit, ut incredibili „ modo in superna fluenta fontis vivi inhiare visus plurimos humilitate „ superaret, obedientia præstaret, charitate vinceret, continentia vero ci„ bique parcitate nemini esset secundus, nulla infirmitate frangeretur; tan„ tummodo adolescentiæ minus salubriter peractum cursum, tantummodo

„ ad-

ANN. CHR. 1522.

„ admiſſa in ſeculo crimina continua pœnitentia lugeret. Sed enim tanta
„ ſpe miſericordiæ Dei adipiſcendæ duci, ut propter dulcedinem amoris at-
„ que charitatis Chriſti in celebratione Miſſæ continenter lacrymas funde-
„ ret. Quocirca fratribus veræ contemplativæ vitæ mira in dies præbens
„ exempla, difficile dictu eſt, quanta veneratione eum proſequerentur.
„ Jam vero cupiens ardenti animo proficere in virtutibus, & in cœleſti
„ philoſophia omnibus aliis curis ſolutus incumbere, recluſionem annuam
„ ab eremitarum patre ſumma humilitate ante omnia impetrat, & elapſo
„ termino a conventu perpetuam &c. Divino monitus oraculo, quommo-
„ do Chriſti fideles ſeptem petitiones, quæ in Dominica oratione conti-
„ nentur, frequentiori ſtudio conſequi poſſent, ſi Dominicam Coronam ad
„ exemplum Coronæ beatæ Mariæ ſemper virginis manibus attrectarent,
„ rem cum majori patre communicavit, eique Coronam hujuſmodi torna-
„ tis orbiculis a ſe confectam obtulit. Quam cum ille, aſtipulante con-
„ gregatione, ad Leonem X. pontificem maximum, qui Florentiæ agebat,
„ detuliſſet, gaviſus magnus ſacerdos novo hujuſmodi munuſculo, illud
„ apoſtolica auctoritate confirmavit, & gratioſiſſimi diplomatis pagina ho-
„ neſtavit," ut diximus ad annum 1516.

Proſequitur Fortunius [a] aliqua narrare de prophetico ſpiritu eremitæ Michaelis; „ Præſtitit, inquit, venerabilis Michael prophetiæ dono, tali
„ quidem gratiæ virtute, ut ejus fama ſumma Camaldulenſis generis lau-
„ de apud principes magnoſque viros uſque pervagaverit. Id autem prin-
„ cipio ſic cognitum eſt. Quadrageſimæ tempore, eo videlicet die, quo
„ ſancta mater eccleſia hiſtoriam curati a Deo infirmi ad piſcinam in of-
„ ficio & in Miſsa legit, Stephanus Venetus vir inter eremitas longe ve-
„ nerabilis, qui præfecturam eremi non ſemel egit, audiendis divinis in
„ templo intentus erat. Is ex hiſtoriæ ſancti evangelii lectione in pulcher-
„ rimam devenerat meditationem, qua veluti per exceſſum mentis Dei
„ miſericordiam animæ peccatrici ſemper medicinam facere philoſophaba-
„ tur, dummodo illa de ſalute ſua ſollicita in adventu cœleſtis Angeli,
„ qui eſt Chriſtus Dominus noſter, ad motionem aquæ divinæ miſericor-
„ diæ inter poſtremos non inveniatur, nec ad ejus verbum cor ſuum ob-
„ duret. Qua rurſus meditatione ſe ægrotum illum eſſe relegebat, qui le-
„ ctum ſuum e ſeculo tollere ad vocem Domini juſſus fuerat, & in do-
„ mum ipſam ſacræ eremi ſanus concedere. Quamobrem præ animi dul-
„ cedine lacrymabundus Dei miſericordiam ſic ſuper ſe peccatorem diffu-
„ ſam eſſe ex intimo cordis affectu immortales gratias throno ſanctiſſimæ
„ Trinitatis agebat. Eodem temporis momento vir venerabilis Michael
„ rem ſacram in ædicula cellæ ſuæ faciebat. Qui quidem in offerendo ſa-
„ crificium ſuper eodem myſterio meditans cœleſti nectare & ambroſia ve-
„ ſcebatur, quando coeremitæ Stephano ſociatur, eidemque ſuæ medita-
„ tioni quaſi præſens per ſpiritum aſſiſtit. Itaque Miſsarum ſollemniis ex-
„ pletis, e veſtigio calamum ſumit, & ſyngraphum ipſius meditationis
„ ſeriem ad unguem continentem per Samuelem miniſtrum (qui ſcilicet
„ ſenex hæc referre adhuc ſolet) ad eum tacitus mittit. Ne autem Ste-
„ phanus admiratione affectus diceret quid lego? quid audio? Nonne Deus
„ ſolus ſcrutatur renes & corda, homo autem videt in facie? adjecit vir
„ bonus in apoca hæc verba: Chariſſime frater ipſe Mariæ ſemper Virgi-
„ nis Jeſus ſemper benedictus filius, dum manibus venerabilem Euchari-
„ ſtiam contrectarem, cogitatum tuum, quem in eum ipſum ex tota ani-
„ ma jeceras, mihi miſericorditer revelavit. Vulgato hujuſmodi de viro
„ Dei verbo, non defuerunt permulti, qui eum videndi & alloquendi

„ gra-

[a] Cap. 15.

„ gratia arduum eremi montem afcenderint. Contigit item, ut cardinalis „ Mediceus, qui pontifex maximus deinceps creatus fuit, & Clemens VII. „ appellatus, (anno 1520.) ad facrum locum veniret. Is cum reclufo „ de fpiritualibus verba faciens, quantum quoque prophetiæ fpiritu vale- „ ret, tentare voluit. Itaque, an ad fummi facerdotii culmen eveheretur, „ aperte ab illo fcifcitatus eft. Cui pater venerabilis refpondit: Eveheris „ quidem tu præful ampliffime poft mortem gentilis tui brevi poft tem- „ pore. Quibus utique ex verbis biennium Adriani VI. qui inter Medi- „ ceos pontifices medius fedit, illum fignificafse rei exitus probavit. " (Chriftophorus Marcellus Venetus Corcyrenfis archiepifcopus dubiis aliquot Scripturarum tentare volebat Michaelem, fed ipfius angelica præfentia obftupefactus, contentus fuit id ipfum ab eo expoftulare de cardinale Julio Mediceo domino fuo.) „ Anno 1521. accedente cardinale „ Farnefio, qui Paulus III. poftea fuit, ad facram eremum pridie kalen- „ das feptembris in dominico die, quidam ex ejus familiaribus Bartholo- „ mæus Grota nomine ejus capellanus reclufum adiit, querimoniafque in „ colloquio Dei viro cepit exponere, quod longo tempore tanto præfuli „ ingratis inferviiffet. Cui vir fanctus ftatim intulit: Perge, ut cepifti, „ frater, quia aliquando te pontifici maximo famulatum impendere ani- „ madvertes. His verbis cardinali renuntiatis, reclufum & ipfe petens, „ quando hæc futura fint, percontatur. Cui, poft electionem duorum „ magnorum Sacerdotum, ille refpondit; porro hi Adrianus & Clemens „ dubio procul fuere. (De adventu cardinalis Farnefii in eremum legatur epiftola XI. libri XII. Delphini.) Aftruit idem venerabilis Samuel „ id quoque de beato Michaele vaticinium, videlicet, quod in ultima „ Miffæ libatione fe non ulterius ad altare Dei introiturum facrificandi „ gratia liberali animo prænuntiavit. "

ANN. CHR. 1522.

Aufteritatem etiam beati Michaelis, & diabolicas infeftationes, quibus impugnabatur a dæmone, enarrat his verbis Fortunius.[a] „ Quanta vitæ „ frugalitate, quanta cibi ac potus fobrietate ven. Michael fe in folitaria militia comparaverit, vel ex eo conjectari licet facile, quod fe- „ mel tantum fingulis hebdomadis, Dominica fcilicet die, vinum bibere „ acquievit, & tunc quam parciffime ac dilutiffime, quam modica quo- „ tidie panis portione, five interdum aliquo pulmenti genere contentus. „ Raro federe vifus eft præfertim ad ignem; unde referunt feniores eum „ coeremitis ad ignem non fedendi fæpenumero monimenta dedifle, ne „ fcilicet eo pigritiæ fomite aliquem a fanctæ contemplationis opere tor- „ pefcere contingeret. Cilicio corpus affidue donavit; ligneis calopodiis „ incredibili Micheæ prophetæ conftantia continenter utebatur, omni cal- „ ceamenti genere rejecto; affervanturque ad hanc diem calopodia, quæ „ ille ultimis vitæ diebus geftare confuevit, in quibus quidem digitorum „ ac plantarum pedum curvitates, perinde ac in molli cera expreffa vi- „ funtur. Tanta pietate, auguftiffimaque humilitate Deo placere ftude- „ bat, ut vere innocens, vere fanctus fervire Domino in timore, & „ exultare pariter fecundum prophetæ præceptum nunquam fatigaretur. „ Quippe ad omnes horas canonicas ceteros fic prævenire fratres folebat, „ ut femper ad initium campanæ ad divinum opus fe paratiffimum com- „ poneret, cum jampridem fe alicui meditationi dediffet. Poft matuti- „ nam fynaxim indefeffus orationi ufque ad horam faciendi rem facram „ toto corde vacare, libatoque facrificio rurfus orationem ufque ad ho- „ ram prandii repetere. A prandio recreandi animi gratia, vel tornandis „ abiegnis Coronarum orbiculis, vel legendo, vel fcribendo fe nonnihil

a *Cap.* 16.

„ exer-

ANN. CHR. 1522.

„ exercere. Acerrimas dæmonum persecutiones longo certamine tulit, „ adeout, quantum minister & alii exploratum habere potuerunt, raro „ inducias acciperet, cum tamen quo gravius contunderetur, eo magis „ divini auxilii consolatione sublevatus sit. Porro dæmonium in cella ei „ jugiter negotium facessebat, Malatasca nomine, deque impatientia illum „ tentabat, si forte eum cadere vel certe claudicare facere posset, & „ cum non liceret in magnis rebus, hanc operam in minimis frequenter „ præstabat, & aliquando etiam vel Samuele ministro præsente. Is enim „ cum prandium recluso valetudinario aliquando pararet, & strata men- „ sa reclusus cyathum bibiturus accipere vellet, ecce illico cyathus fanta- „ stico quodam modo per aera, ex improviso jactatur. Dum vero Samuel „ præ novitate rei improviso terrore corriperetur, reclusus in hæc verba „ prorupit. Desine Malatasca, desine nunc mihi in aperto molestus esse, „ hæc hora alios mores postulat. Exinde ad ministrum conversus: Ne „ trepides, inquit, fili, hoc nihil est. Tunc ergo diabolus in cachinnum „ risusque prorumpere auditus, restituto scipho, senem irridendi finem „ fecit. Alio item tempore cum ipse Samuel oleum lucernæ reclusi su- „ perfunderet, extemplo operimentum ex manibus evanescit, & nusquam „ inventum, denique postera die, dum oleum superadditur, ex inspera- „ to ejusdem in manibus restituitur. Quod Michael cernens, hic Mala- „ tasca est, ait, cum figmentis suis, qui utrumque de impatientia tentare „ voluit. Benedicat tibi Jesus Mariæ filius benedictus, qui non es scan- „ dalizatus in illo, verumtamen rogo te sub silentio custodi.

[a] Cap. 17.

Demum mortem & miracula beati Michaelis describit Fortunius: [a] „ Clariora, subdit, miracula, quæ de beato viro accepimus, sunt hujus- „ modi. Initio conversionis ipsius Samuelis, juvenis ob vitæ regionisque „ mutationem, cœlique in Apennino frigidissimam intemperiem magno „ capitis dolore vexabatur, ut ferre non posset, de redeundoque domum „ secum tacitus cogitabat. Venit autem ei in mentem cogitatio experiri, „ an reclusi beneficio prius liberari posset, impetrataque facultate ei in- „ serviendi, ubi primum ad eum ingressus, narrata sua valetudine, sup- „ pliciter se precibus illius commendavit, ille Missæ celebratione per- „ acta, frontem signo salutiferæ Crucis ipsi consignavit, quo omnis dolor „ sic repente abscessit, ut nunquam postea, ut astruit, laboraverit. Qui- „ dam bubulcus villæ Mogionæ secus lacum, qui Caroli Spellensis hodie „ dicitur, boves agebat. Horum unus fortuito casu in via mortuus procu- „ buit. Rusticus ergo gladio doloris maximopere confossus, factam animalis „ jacturam profundis singultibus deplorabat, adeout nullam omnino consola- „ tionem admitteret. Subiit autem illi inter fletus exuberantiam viri Dei „ Michaelis eremitæ memoria, citatoque gressu acclivia montis scandens ejus „ cellam adit, magnisque ploratibus, ut sui misereatur, pro foribus etiam „ atque etiam postulat. Sciscitatur pater venerabilis de fenestra, quid tan- „ ti cruciatus causa sit, afflictumque hominem mœrori ac squallori par- „ cere hortatur, bonoque animo esse, atque in Dominum Jesum Mariæ „ semper virginis benedictum filium summa fide sperare jubet, a quo con- „ solationem de Sancto sibi missum iri pollicetur; moxque sacellum in- „ gressus, precesque pro afflicto homine Deo supplex fudit, jamjamque „ ad excruciantem se virum remeans ait: Absterge fili, absterge luctus, „ miserator enim & misericors Dominus, qui consolatur nos in omni „ tribulatione nostra, misertus tui est, & bovem præmortuum ad auras „ revocavit. Age gratias sanctissimæ Trinitati; vade, quia in loco, ubi „ eum mortuum reliquisti, pascentem invenies, atque ita se rem habere

„ com-

„ compertum est. Invulgato hujusmodi miraculo, vix dici posset, quantum opinio de viro venerabili per omnem Italiam concreverit. Duxque „ Urbinas legatos ad eremitas misit multis precibus postulans, ut venerabilis Michael ad levandum ejus filium ex sacro baptismatis fonte Urbinum mitteretur. Qui cum reclusionem violare noluisset, missus est, demum ad eum Paulus Justinianus una cum Petro Quirino, qui uterque „ vices reclusi supplevere, Urbinatum principem filium sacræ eremi facientes. “) Id contigit anno 1514. quo ex Francisco Maria Ruverio duce Urbini, & ex Eleonora Elisabetha Gonzaga natus filius Guidobaldi II. nomen in baptismate obtinuit.) „ Quod reliquum est, ubi corpus imbecille ob longam abstinentiam seniles etiam anni fregerant, venerabilis „ Michael jugi precatione dissolvi & esse cum Christo flagitabat, vocatusque est ad cœnam nuptiarum agni gloriosa dormitione die XII. kalendas februarii 1522. Porro sacro corpore ad templum delato, Deus „ Opt. Max. ejus vitæ innocentiam novo signo hujusmodi confirmare dignatus est. Justinianus siquidem Bergomensis venerabilis eremita teterrimum „ dolorem dentium pati solitus, eo tunc acerbissime conficiebatur. Is beati Michaelis manus osculando, continuo sese ab omni dolore cognovit „ immunem, nec ulterius eo vexatus est. Corpore honorifice composito „ patres virum Dei catalogo Sanctorum eremi adscribentes, exinde ejus „ memoriam in benedictione esse notum omnibus ad hanc diem faciunt. “ Ipsius sacrum corpus, quod una cum beati Peregrini aliisque servorum Dei reliquiis post aram maximam eremi servabatur, incendio templi, quod anno 1693. accidit, bonam in partem consumptum, prope altare capituli in cornu evangelii cum ceteris semiustis ossibus promiscue fuit humatum eodem anno. De ipso agunt Bollandiani socii tomo II. Januarii inter prætermissos, & tomo IV. Augusti ad diem XXI. ejus mensis similiter inter omissos; sed promisit Daniel Papebrochius in epistola ad Grandium vitam Michaelis daturum in Appendice Januarii, quem publicis aris expositum Romæ in S. Gregorio, Faventiæ in sancto Hippolyto, Senis in ecclesia Rosæ, Pisauri in ecclesia Angelorum, Pisis, aliisque in locis Romana ecclesia permittit, factaque etiam non ante multos annos coram promotore Fidei super ejus cultu controversia, nihil innovandum esse censuit.

XXXVI. Et Jacobi Suriani, ubi de ejus operibus.

OBIIT pleurisi absumptus Romæ III. kalendas aprilis hujus anni etiam Paulus Surianus, dum vicarium ageret, supremumque præsidem ordinis Camaldulensis. Patria Ariminensis & filius Jacobi præstantissimi medici, qui ex Arimino sedem fixerat Venetiis, professione autem medicus, secunda julii anni 1505. vestem monasticam assumpserat in monasterio sancti Mathiæ de Muriano. Eadem die anno sequenti professionem emiserat in manibus Dominici prioris. Quarta-decima septembris anni 1507. ad sacrum presbyteratus ordinem promotus fuit ab Antonio Suriano patriarcha Veneto. Propria sorte non contentus, in eamdem quoque traxit Johannem sive Jacobum fratrem suum, qui abbatiali postmodum dignitate Senis effulsit. Monachus factus Paulus antiquis studiis haud omnino sese abdicavit. Prodierat tunc in lucem Venetis formis hæredum Octavii Scoti insigne opus Abubether, qui & Aubeker sive Abuchar cognomento Mugamet Zachariæ filii Arabis medici, quem Rasim mitiori vocabulorum barbarie medicorum nostrorum cœtus dicere consuevit, Arabice inscriptum Helcavii, quod & Continens a Latinis medicis appellatur. Editionis illius auctor fuerat Hieronymus Salius Faventinus philosophus & medicus ceteroquin clarissimus, qui tam inepto nihilominus ordine grande opus exaravit, ut Confundens magis quam Continens dici mereretur. Hæc ut animadvertit

 Pau-

Ann. Chr. 1522.

Paulus noster, ingentibus animis arduam provinciam a Salio nequicquam tentatam aggressus, Herculeo prope labore ita perfecit, ut novo, miro atque perutili ordine totum Rasim digesserit, in capita distribuerit, & confusum Salii chaos de medio sustulerit, quod in ipso operis limine luculentius ostendit. Immortale hoc Pauli opus Hieronymi quidem Suriani nomine circumfertur, inscribiturque: *Continens Rasis ordinatus & correctus per clarissimum artium & medicinæ doctorem magistrum Hieronymum Surianum, nunc in Camaldulensi ordine Deo dicatum.* Immo & Fortunius Hieronymum appellat potiusquam Paulum Surianum, quod notior tunc eo nomine foret, quo & alia plura ediderat volumina, antequam in Murianense claustrum se reciperet. Ceterum in eodem libro se & Paulum dicit, & Venetum, quia fortasse Venetiis a multo tempore una cum patre Jacobo (circa annum 1408. Venetias se contulisse Jacobus dicitur) domicilium habebat. Ita certe in suis ad lectores literis protulit: *Paulus Venetus monachus ordinis Camaldulensis sub regula divi Benedicti militantis in cœnobio sancti Mathiæ de Muriano degens, Hieronymus Surianus artium & medicinæ doctor olim in seculo nuncupatus, clarissimi quondam artium & medicinæ doctoris magistri Jacobi Suriani de Arimino filius lectori* &c. Editum fuit Venetiis duobus voluminibus in folio apud Bernardinum Benalium anno 1509. Ibidem etiam eodemque anno cusum typis Bonetti Locatelli. In Benaliana editione legitur ad calcem: *Expliciunt synonima Rasis, cum quibus & universum Continentis ejusdem Deo auxiliante finem accepit volumen. Opus sane indicibili labore, ac supra humanas (ut sit dicere) vires ad ordinem mirabilem redactum per venerabilem virum domnum Paulum Surianum nunc ordinis Camaldulensis monachum in cœnobio divi Mathiæ de Muriano commorantem, qui & in seculo appellabatur magister Hieronymus Surianus physicus domini magistri Jacobi Suriani de Arimino physici quondam filius.* Primus Rasim Latine loquentem evulgaverat Gerardus Sabloneta Cremonensis, qui & Toletanus dicitur, & diem clausit extremum circa annum 1450. Sed primus, qui post Gerardum, & post Salium ordinem Rasi dedit, fuit Paulus Surianus, post quem Andreas Vesalius, & Albanus Torinus edendo Rasi insudarunt. Scripsit etiam Surianus in Hipocratis aphorismos, collegit Galeni sententias & Avicennæ, edidit castigavitque Albertuccii quæstiones in Aristotelis libros de Cœlo; Apollinaris quoque de Offredis Cremonensis in Aristotelis posteriora; Pauli Veneti ex Augustiniano ordine in Aristotelis de Anima; Gentilis Fulginatis expositiones cum textu Avicennæ; Jacobi de Foro-livio opera omnia; Averrois opera; Avenzoar libros; Galeni opera omnia, quæ secunda fuit Galeni editio. Edidit demum Paulus noster Rhytmicas sequentias antiqui missalis Camaldulensis.

Ann. Chr. 1523.

XXXVII. De eremis Apuliæ a Justiniano fundatis.

a Cap. x.

„ VEnit hoc anno, ex historia Lucæ Hispani [a], ad Cryptas Massaccii & ad Justinianum Innocentius quidam Florentinus genere, vir „ jamdudum solitariæ vitæ deditus, sed obedientiæ inexpertus, habitum „ sumpsit, & in humili subjectione didicit obedire. Obtinuerat Innocentius in Apulia a Larinensi episcopo ecclesiam sanctæ Mariæ de Spiritusancto nuncupatam, sitam in asperrimo monte locoque deserto, in qua „ ipse per annos aliquot habitaverat. Eamdem patribus una secum obtulit vir bonus, eoque idem illuc cum sociis paucis mittitur, quo & „ eumdem locum eremitico more construat, & alia eremitoria alibi erigat. Quod tanta diligentia ac sedulitate fidelis Dei servus adimplevit, „ ut duas, præter hanc, eremos in brevi obtinuerit in patria illa, & mirabili compendio temporis habitandas dederit. Unde eremitæ sancti Ro-

„ mual-

Ann. Chr. 1523.

„ mualdi in Apulia tria loca possederunt. Innocentius iste oblatum clericatum renuit, libenter in conversorum classe abjectus laicus Deo servire eligens. Miserunt ergo patres ad singulas eremos quosdam de fratribus societatis, inter quos fuere venerabiles sacerdotes Romualdus, & Zacharias, quorum alter Fabrianensis, alter vero Siculus probatæ sanctitatis ambo. " Sed de iis alibi congeremus, quæ ad eorum gloriam faciunt; venit siquidem hoc anno Romualdus ad Justinianum ex Fabriano; venit & Placidus ex Fracta Urbini ortus, qui ad multos annos opinione sanctitatis vixerunt, & piissime decesserunt.

XXXVIII. Justinianus & socii recepti in congregationem Camaldulensium.

Missi sunt hoc ipso anno ad Cryptas Massaccii Bernardus Pistoriensis, & Ventura Helvetius ordinis eremitici & monastici Camaldulensis visitatores, ut cum Justiniano tractarent de conjungenda nova congregatione. Decretum itaque fuit, ut nova societas, in quinque nimirum eremos, Cryptarum Massaccii, sancti Hieronymi de Pascilupo, sancti Leonardi de Volubrio, sancti Benedicti de Ancona, & sanctæ Mariæ de Spiritu-sancto in dioecesi Larinensi distributa in suo maneret & conservaretur statu, ritu & ceremoniis, salvis sibi cunctis privilegiis & facultatibus suis, salva auctoritate celebrandi capitulum, & eligendi prælatos; item ut dilatari ad libitum posset, novas eremos erigere, constitutiones condere, & omnia necessaria adimplere, ac societas eremitarum sancti Romualdi nominaretur. E contra eremo Camaldulensi hoc solummodo reservatum fuit, ut in capitulo generali quotannis Major novæ societatis eligeretur, & per visitatores ordinis singulis trienniis novi eremitæ visitarentur. Unionis hujusmodi instrumentum scriptum fuit Fabriani nona decembris hujus anni, confirmatum per Paulum Laudensem vicarium generalem, per Cyprianum abbatem Valle-castrensem, & per visitatores præfatos, Justiniano pro sua societate agente. Præcipua etiam conditio apposita est, ut in sequenti capitulo generali congregationis omnia prædicta rata haberentur. Ex hac unione illud magnum bonum societati Romualdinæ evenit, ut aliqui Camaldulenses in Picenum ad Justinianum descenderent, sicut ii e societate transire poterant ad Camaldulenses. Inter ceteros, qui ad ipsum Paulum Justinianum venerunt, fuit hoc vel sequenti anno Justinianus Bergomas, vir doctrina eximius, eloquentia rarus, naturali ingenio clarus, suavibus moribus ornatus ac religione pius, qui ex monacho sanctæ Justinæ Camaldulum per octo vel circiter annos conversatus fuerat, magna cum Justiniano nostro contracta necessitudine. Concupierat idipsum Bergomas ante aliquot annos, sed maturitate & prudentia utens honestam causam id faciendi voluit præstolari. Cupidus itaque recludi, facultatem non obtinuerat a superioribus. Ea occasione consultum duxit petere commeatum a Camaldulo, & ad Paulum Justinianum se recipere. In novam congregationem ascitus nullis laboribus pepercit, ut eam dilataret, fuitque post Justinianum primum, alter quasi fundator, magnusque propagator. Sed de eo annis sequentibus.

XXXIX. De arcta familiaritate Justiniani cum Jo: Petro Caraffa.

Speraverat idem Justinianus confirmationem instituti sui, novarumque editarum constitutionum ab apostolica auctoritate Leonis X. insignis protectoris sui obtenturum; verum is immaturo fato decesserat sub finem anni 1521. Romanus pontifex electus Hadrianus VI. abfuerat hactenus ab Urbe. Romam tamen petere animus fuit, ut saltem amicorum ope apud novum electum gratiam inire posset. Inter præcipuos amicos ejus enituit favor Johannis-petri Caraffæ, qui etiam visa & perpensa recenti reformatione eremitarum a Justiniano introducta, intimis animi motibus trahebatur ad amplectendum ejus institutum, sicut etiam alumnos suos, quos jam insti-

ANN. CHR. 1523.

instituerat, vel instituebat, novæ eremitarum congregationi sociare proponebat. Auxilio itaque ejusdem Caraffæ obtinuit Justinianus amplissimum privilegium ab Hadriano VI. die sexta julii hujus anni, quo confirmata fuit ei facultas eundi Hierusalem, & in alia loca extra & intra Italiam, & ad loca transmarina, ibidemque institutum Camaldulensem propagandi, erigendi monasteria & eremos juxta breve Leonis X. cum fruitione omnium privilegiorum & indultorum concessorum ordini Camaldulensi, eremitis & monachis ab omnibus anterioribus Romanis pontificibus, singillatim a Leone X. & celebrandi Missas in altare portatili tam ipse quam socii ejus, non requisita diœcesani loci licentia, quæ omnia roboravit munimine apostolicæ auctoritatis idem Hadrianus.

Ceterum non semel Johannes-petrus Caraffa desiderium suum pro solitudine Camaldulensi patefecit. Anno 1526. Bernardinus eremita Camaldulensis Romam se contulit cum epistola Justiniani ad sanctum Cajetanum, cum ipso familiariter tractavit, & ipse episcopus Thetinus differens sæpius, quanto amore ad solitudinem raperetur, & quam libenter se conferret cum sua religiosa familia in territorium Anconitanum in aliquo deserto loco simul cum suo Justiniano. Cum in reditu Bernardini rem hanc percepisset Justinianus, epistolam ad eum scripsit Latinam, quæ legitur apud Magium in disquisitionibus in Paulum IV. qua ipsum Caraffam invitat ad monasterium sancti Petri in Monte-cònero, quod erat prope cryptas sancti Benedicti in vertices ejusdem montis. Res tamen effectu caruit. Iterum anno sequenti idem beatus Paulus Justinianus Caraffæ præcepta tradidit ad constructionem cellularum pro ejus alumnis ad instar nimirum cellularum eremiticarum. Post Romanæ urbis depopulationem idem Carafa cum sociis cupiebat se adjungi Justiniano ceterisque eremitis; sed ad majora destinatus erat Caraffa, neque intra angustos parietes unius cellulæ a Deo vocatus; eaque fuit postrema occasio, qua familiariter usus est contubernio & præsentia Justiniani post annum defuncti.

XL. Camaldulensis variorum monasteriorum historia.

ABSOLUTA est tandem hoc anno ecclesiæ novæ Fontis-boni fabrica, quam jam ab anno 1500. meditatus fuerat Petrus Delphinus, a fundamentis autem ceperat ædificare anno 1509. Anno 1524. die XXI. junii sollemni ritu consecrata est a Theophilo Martinio Balneense abbate & episcopo Drivastense, veteri ecclesia in lignorum receptaculum conversa. Tabulas altaris Nativitatis Domini, & alterius altaris beatæ Mariæ Virginis, tertii quoque sancti Hieronymi pinxit postea annis 1537. 1538. 1539. Georgius Vasarius Arretinus; absidem autem & laterales partes magister Stephanus de Monte, Vasarii consobrinus.

Idem Theophilus episcopus erat usufructuarius Camaldulensis abbatiæ sanctæ Jucundæ castri sancti Miniatis, quæ unita fuerat monasterio sancti Benedicti extra Florentiam.

Ex regestis capitulorum ordinatum fuit, ut in congregatione deinceps officium fieret cum duodecim lectionibus de sancto Johanne-chrysostomo, & de Decem-millibus martyribus. Factum quoque est mandatum vicario & visitatoribus, ut curarent unionem beneficii sancti Martini de Senis cum aliquo monasterio; alterum autem priori Arcus Senarum, ut suo cœnobio posset adjungere beneficium sanctæ Cæciliæ de podio sanctæ Cæciliæ.

Mortuo Grimano Venetiarum duce suffectus fuit Andreas Grittus, cui gratulatoriam [a] cum elogio dotium ipsius tum externarum, tum internarum epistolam dedit Delphinus, Gratulatus est [b] etiam Francisco Soderino cardinali educto e custodia, & in libertatem posito a Romano pontifice Hadriano, de consensu ceterorum purpuratorum patrum. Condoluit [c] cum

a *Lib. XII. ep. 89.*
b *Ibid. ep. 91.*
c *Ibid. ep. 92.*

Marino

Marino Grimano patriarcha Aquilejense ob decessum patrui ejus cardinalis Dominici Grimani, cujus ingenium, eruditionem, religionemque prædicat. Mortuo Hadriano VI. electus fuit in Romanum pontifiem Julius Mediceus, assumpto nomine Clementis VII. cui per literas [a] se commendat, & fausta omnia precatur Delphinus.

Ann. Chr. 1523.

a Ibid. ep. 95.

Ipse itaque Clemens VII. bulla sua sub die XXVI. novembris confirmavit bullam Leonis X. quæ, præveniente ejus morte, effectum suum sortita non fuerat, quoad renuntiationem factam a cardinale sanctæ Praxedis Antonio de Monte, postea episcopo Portuensi, ecclesiæ & prioratus Camaldulensis sanctæ Agathæ Montis-sancti-Sabini Johanni Simonis Menicuccii propinquo suo Monsabinati, cum ea conditione, ut obeunte vel dimittente Johanne, ipso facto prioratus reverteretur ad cardinalem, commissa executione episcopo Casertano, & primicerio Arretino, ac Johanni Pollastra canonico dictæ Arretinæ ecclesiæ; ex tabulario Angelorum [b]. Ab eodem Romano pontifice unita fuit abbatiæ sancti Salvatoris de Monte-acuto ecclesia parœcialis sancti Michaelis-archangeli villæ Canonicæ Tudertinæ diœcesis, Paulo III. postea unionem temporalem ejus ecclesiæ in perpetuum extendente, & ampliante anno 1534. in favorem Monte-coronensium eremitarum.

b Num. 220 214.

Quoad Marinum Grimanum patriarcham Aquilejensem Dominici cardinalis nepotem, „ duas fructuum abbatiæ Carcerum partes illi assignaverat „ patruus, deductis sexcentis Coronatis monachis persolvendis, tertiam vero reliquam partem assignaverat Nicolao fratri, qui quidem Nicolaus „ brevi post tempore ad meliorem vitam transiit, qua occasione tertia ejus „ pars congregationi sancti Michaelis accrevit. Marinus autem ad cardinalatum promotus (anno 1527.) adjudicavit monachis fructus sancti „ Salvatoris. Mox vero ubi ad divisionem fructuum ventum est, novæ „ lites inter cardinalis & monachorum ministros excitatæ sunt, quibus tamen partes parcere volentes ad novam transactionem rem perducunt, „ in qua cardinalis duas suas tertias portiones libere cum omni prætenso „ jure congregationi renuntiat, una cum libris, scripturis, privilegiis, & „ nominatim diplomate sancti Bellini, una cum suppellectilibus ac bonis „ immobilibus & mobilibus quibuscumque, quotquot essent penes se, ministrosque suos. A congregatione pensio illi annua aureorum nummorum „ mille trecentorum constituta, anticipata duorum millium aureorum solutione, nomine affictus annui in festo Natalis Domini, & in paschate sanctissimæ Resurrectionis illi solvendi, cum pacto ut præstaret consensum in scriptis coram principe Venetiarum pro possessione adipiscenda, adeout congregatio perciperet fructus eo ipso anno. Actum manu „ Bonifacii Soliani notarii Veneti XII. decembris 1536. bullam peculiari confirmata concordia a Paulo III. anno 1538. " Ex Fortunio [c].

c P. II. lib. IV. cap. 14.

AD hunc annum referenda sunt [d] acta primi capituli recentis congregationis eremiticæ a Paulo Justiniano celebrati die quinta-decima januarii in eremo sancti Benedicti montis Anconitani. Electa est in primis in patronam novi cœtus beata virgo Maria cum annuo canone unius libræ ceræ solvendo domui Lauretanæ parum dissitæ. Tum stabilita fuere formula professionis alumnorum hujus familiæ, ritus etiam, ceremoniæ, consuetudines & monasticæ disciplinæ rigor ab omnibus observanda, tum demum politicum regimen, & distributi per singulas eremos primi priores, omnium consensu electo in congregationis Majorem ipso Paulo. Constitutiones hujusmodi colliguntur in libello ms. asservato in bibliotheca eremi Coronensis. In societatem deinde ceterorum eremitarum die prima au-

Ann. Chr. 1524.

XLI. Initia Camaldulensis societatis Justiniani.

a Cap. XII.

ANN. CHR. 1524.

gusti in eremo Cryptarum receptus fuit Galeatius Gabriellius Fanensis, mutato nomine deinceps appellatus Petrus, qui XXIV. julii anni antecedentis in procuratorem suum elegerat eumdem Justinianum. Cum vero post obitum Hadriani VI. pontificatus Romani sors cecidisset in Julium Mediceum Clementem VII. vocatum, qui familiaritate multa, dum erat cardinalis, junctus fuerat cum Justiniano, hic Romam cum eodem Petro se conferens supplicem libellum eidem obtulit, orans, ut Leonis X. & Hadriani VI. brevia confirmaret; ratas etiam haberet constitutiones firmatas in capitulo primo congregationis, & concederet societati sancti Romualdi monasteria, quæ erant eidem Galeatio commendata, monasterium in primis sancti Salvatoris de Monte-acuto ordinis Cisterciensis Perusinæ diœcesis, prioratum sancti Leonardi de Monte-volubrio diœcesis Firmanæ, prioratum sancti Salvatoris de Fano, utrumque subjectum monasterio sanctæ Crucis de Fonte-avellana; ecclesiam autem sancti Michaelis-archangeli in villa Canonica Tudertinæ diœcesis jus-patronatum laicorum uniret eremo sancti Hieronymi de Pascilupo, sicut parœcialem ecclesiam sanctorum Petri & Pauli de Castroceto diœcesis Fanensis adjungeret eremo Cryptarum Massaccii ad certum tempus; quæ omnia beneficia in manibus pontificis resignaverat idem Galeatius, nunc Petrus. Cui petitioni libenter annuit pontifex bulla signata die XVII. martii hujus anni, vita tamen durante ejusdem Petri & alterius eremitæ nominandi. Alia indulta obtinuit ab eodem pontifice Justinianus, alia a Laurentio Puccio cardinale protectore & pœnitentiario; in iis, ut promoveri valerent ad ordines, qui ante ingressum in religionem irregularitatem incurrissent; ut liceret Quadragesimæ tempore eremitis meridie vel circa meridiem ante vesperas vesci; ut fas ipsis esset anticipare horam matutinorum post Completorium, dum essent constituti in itinere, vel ratione alicujus gravis laboris; Missas celebrare duabus horis ante diem; Majori autem libertas foret absolvendi a quibuscumque censuris semel in anno, & dispensandi ab irregularitatibus contractis post vota emissa, absolvendi etiam mulieres incaute frangentes clausuram eremorum, & concedendi transitum eremitarum sancti Romualdi ad eremitas Camaldulenses Etruriæ & aliorum locorum, sicque vicissim. Egit etiam, sed incassum, hoc ipso anno in secundo capitulo ad sanctum Hieronymum de Pascilupo Justinianus, ut promoveret unionem suorum eremitarum cum congregatione monachorum sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, quæ ad interitum vergebat.

XLII. De abbatia S. Salvatoris Montis-acuti. [a] Ibid.

ABBATIAM sancti Salvatoris de Monte-acuto traditam cum seipso novæ societati & Paulo Justiniano a Galeatio Gabriellio pluribus describit Lucas Hispanus [a]. Nos de ipsa abbatia verba primum fecimus ad annum 1008. subinde ad tempora Petri Damiani, & successive annis sequentibus. Eam ordinis Cisterciensis antiquissimam ex consecratione ecclesiæ facta anno M. C. V. deducit idem Lucas, ditissimam olim non solum possessionibus, sed & vasallis, villis, castris, jurisdictionibus & dominiis plurium locorum, ex instrumento, subdit, reperto in monasterio sanctæ Columbæ Perusii. Quæ omnia ingruentibus bellis direpta, & usurpata, sicut & ædificium monasterii dirutum. Tum describit reparationes factas ab eremitis sancti Romualdi, nam „ præter claustrale ædificium, in quo multæ & perutiles mansio-„ nes tam infirmis, quam benevalentibus, templum magnitudine rarum, „ vetusta structura magnificum, operis artificio mirandum. Nimirum la-„ titudine, longitudineque spatiosum ac mira profunditate sublatum, cu-„ jus pavimentum in duas figuras divisum constat, quarum altera humi-„ lior defunctorum sepulcra continet, altera fortissimæ testudini imposita

„ altior

„ altior habetur, quæ in tria spatia seu ambulatoria mediantibus columnis „ sub novis testudinibus posita dividitur, in quorum medio majus altare „ pulcherrimum, ad cujus posteriora chorus. Sub inferiori testudine, quæ „ multis columnis innititur, sacellum beatæ Mariæ sacratum miræ devo- „ tionis continetur. Est autem monasterium hoc non longe ab oppido Fra- „ ctæ, quæ Perusina dicitur, fundatum in calce Montis-acuti, a Tiberi „ amne notissimo vix centum passibus distans. In plano jacet, ad orien- „ tem torrentem quemdam habens, a cujus aquis statim in Tiberim de- „ fluentibus ædificii fundamenta continuo abluuntur. Ante ostium non par- „ væ magnitudinis ager apertus ab utroque latere juxta fluminis ripam in „ longum protensus. Ex adversa prædicti torrentis ripa, qua orientem „ respicit, mons quidam insurgit, cui Coronæ nomen indiderunt antiqui, „ mons, inquam, non modicæ celsitudinis, nec parvæ latitudinis. Ab orien- „ te Tiberis unda, sive alveo per duo milliaria circumcinctus, a meridie „ torrente concluditur, ab occidente tandem valles habet duas in primum „ torrentem decidentes. Talem locum futuris servis suis jam olim Deus „ præparaverat. " Hæc ex Luca Hispano descripsimus in antecessum, quia ex donatione Galeatii societas sancti Romualdi congregationis Montis-coronæ paucis post annis nomenclaturam accepit.

ANN. CHR. 1524.

XLIII. Clementis VII. plura brevia pro Camaldulensibus.

QUINTO-DECIMO kalendas aprilis suo diplomate univit idem Romanus pontifex Clemens VII. prioratum sanctæ Cæciliæ de Podio Camaldulensis ordinis & diœcesis Arretinæ cum eremo ad Vivum Pientinæ diœcesis. Die vero XV. aprilis pontificatus anno I. ad normam similis brevis, quod monasterio sancti Vitalis de Ravenna pro silva Pinica sub anno M. D. XII. concesserat Julius II. indulsit abbati & conventui sancti Apollinaris de Classe, ut custodes silvæ ejusdem pro sua portione eligere ac tenere possent, ne detrimentum paterentur in lignorum incisione. Demum XVII. decembris vicario generali & visitatoribus Camaldulensibus copiam fecit, ut possent abbatissarum Camaldulensium regimen apostolica auctoritate protrahere ad beneplacitum eorum voluntatis, prout utile judicaverint, in contrarium non faciente Leonis X. mandato, qui voluerat, ne abbatissæ Camaldulenses expleto triennio in officio perdurarent [a]; ex archivo sancti Michaelis de Mariano. Decimo-septimo kalendas junii contulerat Johanni-baptistæ Fiejohannis canonico sancti Laurentii de Florentia abbatiam sancti Stephani de Cintoria diœcesis Pisanæ ordinis Camaldulensis, quam antea in commendationem tenebat episcopus Ostiensis. Eidem canonico post biennium V. idus maji dilargitus est fructus abbatiæ sancti Benedicti in Alpe, quam jam copulaverat monasterio Vallis-umbrosæ, postea vero mensæ capitulari collegiatæ ejusdem ecclesiæ sancti Laurentii [b]; ex archivo Gaddiano. Possessionem abbatiæ sancti Benedicti accepit die XVI. julii anni 1526. Laurentius Epiphanius canonicus camerarius sancti Laurentii [c].

a *Cap.* 3. *n.* 14.

b *Fasc.* XXVI. 2. XXIX. 6.

c *Fasc.* XL. I.

XLIV. Monumenta aliquot monasteriorum.

LAURENTIUS Puccius episcopus Prænestinus & summus pœnitentiarius potestatem fecit die IV. augusti tribus eremitis Camaldulensibus degendi vivendique in aliquo loco solitario, sub obedientia dumtaxat ordinarii loci, quo possent salubriore animarum suarum quiete Altissimo famulari, committens indulti sui executionem episcopo Vigorniensi, & vicariis eorum episcoporum, in quorum diœcesibus dicti eremitæ stationem elegerint.

Eremus ad Vivum, quæ anno præcedenti unita fuerat ad cautelam eremo Camaldulensi, dissociatur hoc anno ab eadem eremo, & erigitur in monasterium principale a vicario & a visitatoribus ordinis.

Fride-

Ann. Chr. 1524.

Fridericus Bellus Senensis abbas Rosæ extra portam sancti Marci Senarum, instantibus Augustino & Sigismundo Ghisiis nobilibus Senensibus, resignavit eam abbatiam cum suis membris in manibus Petri Delphini generalis in Romana curia, cum pensione sexaginta scutorum annuorum, abbatis titulo dimisso, & reservato sibi jure in dictam abbatiam [a]; ex pagina ejusdem monasterii.

[a] Num. 159.

Legitur in lapide marmoreo ecclesiæ Fontis-boni hujusmodi inscriptio: *Memoria, come adi* XXIV. *Giugno* M.D. XXIV. *il reverendissimo in Christo P.D. Teofilo da Bagno episcopo Drivastense servatis servandis sacrò la chiesa di Camaldoli maggiore di Fonte-buono in titolo de' Santi Donato & Hilariano, come di tutto appare contratto pubblico rogato per l' egregio huomo ser Antonio d' Antonio da Soci notario pubblico Fiorentino sotto detto dì &c. Julianus de Stia cancellarius in fidem subscripsi die* XXV. *julii* M.D.XXIV.

Defuncto Antonio Contareno Venetiarum patriarcha postulati fuere hoc anno die VII. octobris ad eamdem dignitatem Petrus Delphinus quondam Victoris, Paulus Justinianus quondam Francisci, Hieronymus Georgius quondam Johannis, Petrus Cornelius quondam Francisci, Antonius Priolus quondam Petri, monachi omnes vel eremitæ Camaldulenses; remansit tamen electus die XXI. octobris Hieronymus Quirinus ex ordine Prædicatorum.

XLV. Eduntur epistolæ Petri Delphini.

Jacobus Brixiensis prior sancti Martini de Opitergio collegit & præfatione sua ornavit hoc anno Venetiis typis Bernardini Benalii in folio epistolas Petri Delphini prioris generalis Camaldulensis, cujus erat amantissimus & studiosissimus. Selegit autem eas, quæ majoris momenti videbantur, & illustrabant facta ejus temporis; ceteroquin supersunt tum in bibliotheca eremi Camaldulensis, tum in illa sancti Michaelis de Muriano longe plures, quæ lucem aspicere mererentur, & fortasse aliquando Deo vitam dante aspicient. Scripserat idem Jacobus anno 1499. in obitum Bernardini Gadoli Brixiensis, & præceptoris sui soluta & vincta oratione, ut habet idem Delphinus epistola XCVIII. libri XV. Supervixit multis annis Jacobus in suo prioratu sancti Martini, cujus ecclesiam & monasterium novis ædificiis & picturis auxit.

Ann. Chr. 1525.

XLVI. Obitus & elogium Petri Delphini.

[a] Fortun. P. I. Lib. III. cap. 19.

„ Petrus Delphinus [b], qui deposita anno 1514. administratione prioratus generalis, ad sancti Michaelis de Muriano Venetiarum sese „ receperat, ubi tum colligendis epistolis suis, tum sanctæ contemplationis otio vacabat, pleuritide gravissime laborans, Dominico priori Fileti errata totius vitæ suæ expians, vocatoque conventu, omnibus sacramentis munitus, omnibusque bene precatus, carnis nexibus est solutus „ decimo-septimo Kalendas februarii hujus anni, ætatis suæ octuagesimoprimo, quorum sexaginta-tres in sancta conversatione peregerat, nec „ fuit, qui dubitaret, quin in candida virginitate se immaculatum semper conservasset ab hoc seculo. Celebratum est funus summo honore, „ & Eusebius Priolus monachus & abbas tunc Carcerum vir scite doctus „ ejus laudationem ad concionem egit. " Typis edita fuit statim Eusebii oratio, iterumque inserta cum epistolis Delphini monumentorum veterum collectioni procuratæ ab Ursino & Martene. Reliquerat Delphinus se in capitulo humari cum simplici lapide ad instar alterius lapidis in claustro extantis Hermolai Donati cum sequenti epigraphe. „ Hic jacent ossa Petri Delphini Veneti, qui se ad hoc monasterium sancti Michaelis contulit, cum esset annorum decem & octo, & mensium duorum, & dierum undecim anno 1462. in quo accepto habitu Camaldulensi in die „ sanctæ Agathæ perseveravit annis totidem, videlicet decem & octo,

„ factus

Ann. Chr. 1525.

„ factus biennio fere ante abbas triennalis prædicti monasterii, præfuit prior „ generalis totius ordinis annos XLIV. mensem unum & dies decem, ele- „ ctus in generali capitulo in sacra eremo Camaldulensi 1480. die deci- „ ma decembris, cujus anima &c. " In loco tamen editiore ecclesiæ tumulatus fuit cum alia inscriptione, quæ sequitur. *Petro Delphino Veneto priori sacræ eremi Camalduli, ac ejusdem ordinis generali, viro sanctimonia, eloquentia ac omni humanitate prædito, cum religionem per* V. *&* XL. *annos integerrime rexisset, monasterium hoc divi Michaelis, cujus ipse professus eidem antea præfuerat, ac patres eremitæ hujusmodi posuere ossium monumentum. Vixit annos* LXXXI. *professionis* LXIII. *Obiit anno Domini* M.D. XXV. *die* XV. *januarii*. Præter epistolas, de quibus alibi, & præter orationes ad summos pontifices Sistum IV. Innocentium VIII. Alexandrum VI. Pium III. Julium II. Leonem X. præter argumenta in epistolas Ciceronis, & præter librum contra Hieronymum Savonarolam, ac collectionem Apophthegmatum ex sanctis Patribus, tribuitur Delphino chronicon rerum Venetarum ms. quod *satis accuratæ diligentiæ* laudatur a Sansovino, sed chronicon est alterius Petri Delphini; vel nomine chronici intelligendæ sunt res Venetæ, quæ ejus tempore contigere, & respersæ leguntur in ipsius epistolis. Plura ex his enuntiatis operibus & fere omnia asservantur in bibliotheca nostra sancti Michaelis. Pauci sunt Scriptorum & Bibliothecarum collectores, qui non meminerint Petri Delphini & præsertim ejus epistolarum. Legatur præ ceteris elogium, quod postremus omnium texuit Cl. & nobilissimus eques & Marcianæ ædis procurator Marcus Fuscarenus, qui, dum hæc scribimus, plaudentibus & faventibus omnium ordinum cœtibus, ad supremam patriæ dignitatem evectus beatam reddit rempublicam Venetam, in qua diebus nostris principem philosophari, & philosophum principari conspicue videmus, & utiliter gaudemus. Præter eloquentiam laudatur in Delphino, quod monachus cum esset, tanto solitudinis, & disciplinæ monasticæ studio ferebatur, ut vocatus a matre, quæ extremum ducebat spiritum, piaculum putaverit egredi e septis monasterii, eique extrema vel ipsa officia pietatis præsentiæque suæ denegaverit, ne patriis avitisque monasticis moribus contradiceret; laudatur, quod carnes nunquam comederit, quod jejunia regularia semper observaverit, vestitus dormierit semper, & ad preces nocturnas omni tempore media nocte surrexerit, cum ei per corporis bonam valetudinem licuit; commendatur, quod eximiam caritatem in omnes vel delinquentes ostenderit, mansuetudine præpolluerit, humilitate, patientia in adversis, longanimitate excelluerit, virtutibusque omnibus christianis & religiosis claruerit, ut fusius legitur in eodem, quod Priolus super ejus corpus recitavit, elogio. Objicitur Delphino, quod nimium familiaribus suis crediderit, proptereaque eremo Camaldulensi, cujus administrationem reliquerat in manibus Basilii abbatis, notabilia damna intulerit, quod tamen contra ejus voluntatem accidit, cum enim commonitus hæc damna persensit, jus omne administrationemque Basilio abstulit; notatur etiam, quod nimium credulus fuerit, & bona potius quam mala in subditis suis interpretatus fuerit; hæc tamen credulitas virtuti magis quam vitio ejus est tribuenda. Haud ægre ex ejus epistolis contexeretur Delphini vita omni ex parte completa, quæ ipsius negotia, & mores non dumtaxat illustraret, sed lumen etiam præberet historiæ ejus ævi, & clariorum virorum, quorum amicitiam Delphinus coluit. Subjungimus ad calcem hujus LXXI. libri æreum numisma, ipso facile adhuc vivente cusum.

XLVII. Nova rerum facies in congregatione Camaldulen. post obitum Delphini.

Post mortem Delphini abrogati fuere vicarii generales, qui quotannis eligebantur, & supremi erant in congregatione præsides, quorum et-

Ann. Chr. 1525.

iam seriem hic subjicimus. Anno 1513. electus fuerat vicarius, simulque prior Fontis-boni Paulus Orlandinus. Anno 1514. XII. maji Parisius de Tarvisio vicarius & prior cum visitatoribus Bernardo Pistoriensi & Petro Quirino. Anno 1515. IV. maji Benedictus de Mandello vicarius cum Archangelo Azzalino Veneto & Hieronymo Georgio Veneto visitatoribus. Anno 1516. XXI. aprilis iterum Parisius Tarvisinus cum Johanne-baptista Florentino & Jacobo Veneto visitatoribus. Anno 1517. VI. maji Petrus de Zannetis Brixiensis eremita vicarius cum Paulo Laudense, Bernardo Pistoriense, Paulo Suriano & Hieronymo Veneto visitatoribus. Anno 1518. XXVIII. aprilis idem cum Mariano Florentino & Cypriano Novocomensi. Anno 1519. XX. maji Paulus Laudensis cum Benedicto de Mandello & Hieronymo Georgio. Anno 1520. II. maji idem cum Paulo Suriano & Mathia Teutonico. Anno 1521. XXIV. aprilis Paulus Surianus cum Cypriano Novocomensi & Hieronymo Georgio. Anno 1522. XXIII. maji idem Surianus, & ob ejus mortem Benedictus de Mandello vicarius cum visitatoribus Paulo de Laude & Archangelo Veneto. Anno 1523. XXIII. maji Paulus de Laude cum Bernardo Pistoriensi & Ventura Teutonico. Anno demum 1524. XXI. aprilis idem Paulus Laudensis cum Hieronymo Bergomate & Archangelo Florentino.

Obeunte itaque Delphino primus triennalis abbas generalis constitutus est Paulus Tintus a Laude, Johannes autem Baptista Lucensis Major & prior eremi. Adhibiti fuere custodes plures ex Anglariensibus & Cortonensibus, imploratum quoque fuit auxilium Laurentii Puccii cardinalis protectoris, ne juxta privilegium Leonis X. qui ita mandaverat fieri post mortem Delphini, novitates aliquæ in electione prioris Camaldulensis molirentur; quinimmo ipse Clemens VII. libertatem loci & præsidis eidem cardinali commisit, repulsis omnibus competitoribus. Quoad Paulum Laudensem abbatem generalem electus is fuit in comitiis habitis in monasterio Classis, & confirmatus est usque in tertium annum; immo cum residentiæ loco careret, tum hoc anno, tum anno 1528. emanavit repetita constitutio congregationis, ut apud Camaldulum Florentinum resideret, ubi etiam antiquitus resederant priores generales, dissociata proinde abbatia Camalduli ab eremo, cui unita fuerat; licet eam rem gravissime ferentibus eremitis, & apud Romanum pontificem querentibus, decretum hujusmodi aliaque rescissa fuerint communi monachorum & eremitarum concordia.

XLVIII. Capitulum Classense, & Justiniani progressus.

Capitulum ergo generale, quod habendum erat a patribus congregationis Camaldulensis anno præterito, justis de causis dilatum, & celebratum fuit hoc anno apud Classem Ravennæ. Firmanda erat in eo præsertim concordia & unio inter eremitas Camaldulenses Etruriæ monachosque, & inter novam societatem sancti Romualdi. Ad ipsum capitulum se contulit Paulus Justinianus una cum alumno suo Hieronymo Suessano; sed loco confirmandæ unionis actum fuit de illa rescindenda, quæ ante biennium stabilita fuerat a vicario & a visitatoribus; scriptum fuit instrumentum rescissionis per Parisium capituli scribam die septima maji. Objiciebant siquidem prælati capituli Justiniano paupertatem locorum, vitæ labores, austeritatem novæ societatis, eique auctores erant, ut subderetur Camaldulensi eremo; id quod e re instituti sui novi non arbitrabatur Justinianus, qui rigidiorem vitam strictioresque constitutiones in suis alumnis requirebat. Quare re infecta ex Ravenna Venetias concessit, ad promovendum negotium Pupiliæ insulæ sibi donatæ ad eremum fundandam; sed cum ea res ad votum suum non cederet; expectanda siquidem erat mors sacerdotis

Ann. Chr. 1525.

tis, qui eam ecclesiam regebat, cogitationem suam extendit ad insulam alteram sancti Secundi, quæ pertinebat ad moniales sanctorum Cosmæ & Damiani de Venetiis; verum insula ei offerebatur, sed sine redditibus. Videns itaque nil se Venetiis proficere, nullumque prophetam acceptum in patria sua, ut scribit ad amicum suum Gasparem Contarenum, a proposito destitit, & denuo ad dilectam Cryptarum in Piceno mansionem rediit una cum nepote suo Francisco Justiniano, qui cupiebat vitam eremiticam amplecti, in qua etiam tirocinium posuit, sed eam non professus est, evasitque insignis patriæ senator ad seculum rediens.

In eodem capitulo facta fuit potestas generali & visitatoribus uniendi congregationi plebem sanctæ Mariæ de Burgo-sancti-Sepulcri oblatam a Burgensibus Camaldulensium habitationi post erectam abbatiam in episcopi sedem.

Post reditum suum, tertium etiam suæ pusillæ societatis conventum indixit Justinianus habendum apud sanctum Leonardum de Volubrio. Oblatus fuit congregatis patribus locus sancti Jacobi extra oppidum Matelicæ, in quo tunc degebant quatuor eremitæ ordinis sancti Francisci, verum visum est ipsis non expedire acceptationem loci, sed potius eremitas illos in congregationem recepere. Ceterum hoc ipso anno idem Justinianus, licet repulsus a congregatione, composuit aliquot differentias ejusdem congregationis Camaldulensis inter monachos & eremitas, itinere propterea suscepto tum Florentiam, tum Pistorium versus, jussu cardinalis Puccii, qui negotium ipsi demandavit, itaut etsi rejectus cum locis suis fuerit, hoc & sequentibus annis adhibitus sæpe sit litium & negotiorum gestor a Camaldulensibus Etruriæ eremitis.

Præcepta est hoc anno clericis & monachis in Etruria morantibus notula omnium bonorum ecclesiasticorum, & distributio decimarum. Has decimas in summa scutorum decem millium apostolicæ cameræ solutas Julius III. anno 1554. Cosmo Mediceo Etruriæ duci concessit in studii Pisani subsidium. Sed anno 1572. reclamarunt eremitæ Camaldulenses, quod per errorem quatuor eremi suæ beneficia inclusa fuissent in nota hujus anni, prioratus nimirum sancti Johannis de Richòo & alter sanctæ Mariæ de Scardavilla, qui erant siti in diœcesi Britonoriensi extra dominium Florentinum; itidem alia duo beneficia sanctæ Mariæ de Pratalia, & sancti Jacobi de Moggiona sita in territorio Camaldulensi & extra ditionem Florentinam, quæ proinde a notula deleta fuere, minorataque summa decimarum impositarum.

Andreas *del Sarto* celebris hujus temporis Florentinus pictor, obsidionem patriæ fugiens & prope Luci oppidum se recipiens, insignibus picturis decoravit hoc anno ecclesiam monialium sancti Petri de Luco. Monasterium & ecclesia sancti Petri de Mucchio diœcesis Volaterranæ unita fuere cœnobio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia.

XLIX. De miraculo Crucifixi Ravennæ sanguinem sudantis.

Narrat Rubeus libro VIII. historiæ Ravennatis multa miranda contigisse in ea urbe anno ante ipsius memorabilem cladem, quæ evenit anno 1512. Quidquid de aliis monstris sit, „ illud, subdit, pro comperto „ habetur per eos dies Christi Dei Crucifixi ligneum simulacrum, quod „ in æde divi Dominici in sacello juxta aram maximam est, sanguinem „ affluenter sudasse, cujus adhuc rei locupletissimi atque certissimi testes „ supersunt. “ Cl. V. Eustachius Sirena Ferrariensis vicarius sancti Officii Ravennæ ex ordine Prædicatorum, & monachorum Classensium studiosissimus, admonitos nos facit extare in archivo sui conventus codicem ms. tabulis coopertum signatumque numero LII. in quo referuntur collecta mira-

ANN. CHR. 1525.

miracula, quæ ad eam imaginem Crucifixi ab anno, quo sanguinem sudavit, ad annum 1525. quo auctor codicis ea descripsit, patrata sunt, quæ vota ipsi nuncupata, quot Missæ sollemniter cantu persolutæ, aggregationes ad confratriam sacræ imaginis, visitationes & invocationes. Inter miracula primum locum tenet sequens, quod contigit Mauro monacho Camaldulensi. *Maurus*, ibidem legitur, *Venetus monachus Camaldulensis, nunc templi divæ Mariæ in Horto sacerdos per multos dies febricitavit, tantaque erat vis febris, ut ungues nigrescerent, ipse phræneticus suffocaretur. Quadam die dum sacræ concioni interesset, repente febre corripitur. Crucifixi memor perorata concione ad genua Crucifixi provolvitur, obrepit somnus, videre videbatur (ut mihi narravit) Crucifixum admonere ipsum, ut bene speraret, futurum cito, ut sanaretur. Experrectus incolumem se sensit, nec postea ægrotavit*. De eadem imagine verba faciunt Thomas Thomai [a] in libello, cui titulus *Historie di Ravenna*, edito in ea urbe typis Francisci Tebaldini anno 1580. Hieronymus Fabrius, Teseus a Cornu, Odoricus Raynaldus ad annum 1512. Pacciaudius demum in Diatribe de Veteri Christi Crucifixi signo & antiquis Crucibus, quæ Ravennæ sunt, scripta in ea urbe VIII. Kalendas aprilis anni 1749. ad Antonium Franciscum Gorium. Elapsis annis idem sacellum, ubi hocce sacrum signum colitur, elegantius instauratum fuit ara, strato & statuis marmoreis, picturis aliisque ornamentis insignitum, quod anno 1755. die VIII. junii sacrum fecit Illustrissimus & Reverendissimus archiepiscopus Ravennæ Guicciolus, qui tunc ad populum de sacra imagine & prodigio sudoris sanguinei disertam habuit orationem.

a *P. II. cap. x.*

ANN. CHR. 1526.

L.

Origo FF. Cappuccinorum.

QUAM partem in propagatione Italica ordinis fratrum Cappuccinorum habuerint Justinianus & eremitæ Camaldulenses Piceni enarrat sub hoc anno Lucas Hispanus [b] his verbis: „ Ad suam Cryptarum mansionem reversus Justinianus, dum optata fruitur quiete, veniunt ad eum „ hoc anno duo fratres ordinis sancti Francisci de Observantia. Ii fratres „ germani erant, patria Foro-semproniani, quorum alter Ludovicus, alter Raphael nuncupatus. Ambo spiritu Dei agebantur nescientes, nam „ cum apostolica licentia a propria religione discesserant, ac proinde vagantes Italiam circumibant, quo tenderent, aut quid quærerent, prorsus ignorantes. Audita denique Pauli suorumque pia conversatione, quasi „ curiositate quadam ducti illuc accesserunt, ubi per dies aliquot commorati, solitariæ vitæ amore capti, atque tale institutum laudare ceperunt. „ Verumtamen Dei voluntate alio vocati inde discesserunt in patriam revertentes. Erat tunc temporis quidam frater ejusdem ordinis nomine „ Matthæus a Bascio, qui simplici licentia papæ habitum, quo nunc utuntur Cappuccini, primus omnium induerat (quo tamen non semper utebatur) sicque indutus per varias Italiæ provincias discurrendo sine certa sede, passim Infernum conclamando peccatores terrebat, in quo exercitio & vitam consumpsit, diesque suos Venetiis clausit. Erat & in „ territorio Carraceti quidam frater Franciscus eremita ætate decrepitus, „ infirmus, sui præ senectute impotens, vita præclarus, atque prophetiæ „ spiritu dotatus. Hic præfatum Matthæum monstruoso habitu indutum „ (per biduum, antequam accederet) ad se venientem in visione vidit. „ Ecce venit equidem Matthæus, ut senex prædixerat, quo viso exultavit animo infirmus, & illum esse verum, nativumque divi Francisci „ habitum pronuntiavit. Iisdem diebus, dum Matthæus ibi ageret, ad „ sanctum eremitam visendum non sine Dei operatione, accedunt Sem-

„ proniani

b *Cap. XIV. lib. III.*

„ proniani fratres. Qui cum Matthæi novum indumentum conspicerent, „ audissentque ab ipso sene illam propriam esse beati Francisci vestem, „ non dubitarunt assuetis vestimentis rejectis, illam sibi assumere gaudentes. Illo igitur novo & nondum perspecto habitu induti ad Paulum Justinianum in Cryptis adhuc agentem revertuntur. Cui miranti causasque „ tantæ mutationis perquirenti, rem, ut gesta est, gestientes præ gaudio „ narrant, cumque instaret Paulus, quid inde agere cum novo habitu „ intenderent, se penitus nescire quadam erubescentia fatentur. Factum „ est, ut dum apud Paulum modicam capiunt refectionem, a curiæ secularis ministris invasi raperentur, & vincti ducerentur in carcerem Massaccii, & hæc facta sunt instantibus Franciscanis. Paulus contra tantam „ injuriam Deo primum, deinde sibi ac religioni simul, ob sacri loci „ violationem illatam dissimulare non potuit. Captos pauperes viriliter „ repetit, contra renuentes captores, in vim privilegiorum suorum fulminat excommunicationem. Quo factum est, ut cuncti seculares ministri „ ad patris pedes revoluti restituerent captos. Qui ne alia nova malitia „ vexarentur, statim noctu ad Pascilupi rupes transmissi sunt. Hinc post „ dies paucos, quasi oves aberrantes Camerinum perveniunt. Cives ridiculos cucullos aspicientes irrident homines, pueris post eos acclamantibus Cappuccinos, Cappuccinos; ex qua acclamatione tale illis nomen „ remansit, & ex ore infantium profecta est laus. Narratur ducissæ quasi „ inaudita visito jubet illa accersiri homines, veniunt in ducale palatium „ viri. Quibus visis non risit, sed obstupuit nobilissima mulier. Hæc Genuensis erat Catharina de Cibo vocata. Percontatur diligenter ab eis, „ quid sibi velit monstruosæ vestis forma, quo tendant, quæ eorum religio, quidve facere intendant? Tunc primum apertum est os illorum, „ & locutus est Spiritus in eis, quid pectore gerant pleno ducissæ intimant sermone. Illa divinitus afflata, sine mora ad Clementem VII. qui „ tunc Petri claves tenebat, scribens misit, a quo sine difficultate aliqua „ plenissimum indultum pro fundatione regulæ Cappuccinorum obtinuit, „ & juxta urbem eis monasterium ædificavit, quod primum hujus religionis fuit. Ex brevi conversatione cum eremitis sancti Romualdi, semper inter utramque religionem mutua profluxit caritas, & sanctissima „ amicitiæ conjunctio. Item a Camaldulensibus Cappuccini quædam sibi „ communiter servanda sumpsere, quale est, barbam oblongam deferre, „ nec non sine cantu, solaque distincta pronuntiatione divinas laudes persolvere &c." Hæc Lucas Hispanus. In qua tamen narratione duo pro veritatis amore animadvertenda. Alterum, quod longe ante hæc tempora invectum est patrum Cappuccinorum institutum, in Hispania nimirum, sub anno 1480. a Johanne de la Puebla comite Belalcarense, annuente Sixto IV. & felicius sub anno 1487. permittente Innocentio VIII. deinde a Johanne de Guadalupa fuit promotum sub confirmatione Alexandri VI. & Julii II. demum fortius firmatum a Francisco de Fraxineto & ab Angelo Vallisoletano sub Leone X. qui postremi fratres in Italiam venientes anno 1525. & in marchiam Anconitanam ad castrum Montis-Falconis, ubi habitabat tunc Matthæus a Bascio, ipsum induxerunt ad institutum eorum amplectendum, cum jam cœlestibus apparitionibus Matthæus præmonitus, eamdem regulæ sancti Francisci majorem perfectionem appeteret. Eodem spiritu ducti Ludovicus & Raphael Foro-sempronienses hoc anno peculiarem hunc habitum & rigidius institutum assumpserunt. Quare illud jure merito asseri potest, Cappuccinorum institutum quoad Hispaniam & Lusitaniam antiquius esse; præsenti vero vel antecedenti an-

no

ANN. CHR. 1526.

no propagatum fuisse in Italia. Alterum animadvertendum est, provincialem ministrum, qui infensior fuit novis Italis Cappuccinis, quique etiam injuriam quodammodo intulit nostro Paulo Justiniano, id in primis egisse vigore apostolicorum brevium hoc tempore, quo novitates in ordine sancti Francisci tum pontifices Romani, tum reges, tum episcopi non approbabant, sed temporis progressu eumdem ministrum, qui fuit venerabilis Johannes a Fano, palinodiam recinisse, ac retractasse, quæ egerat, speciali scripto, & summopere collaudasse Cappuccinorum institutionem, ad quam virorum societatem etiam transiit, ubi plenus meritis & virtutibus obiit anno 1539. postquam fundator extitit quatuor provinciarum, Venetiarum, Mediolanensis, Brixiensis & Tridentinæ. Quas notitias acceptas referimus Cl. V. fratri Carolo-mariæ a Venetiis presbytero ordinis fratrum Cappuccinorum sanctissimi Redemptoris in eadem urbe Venetiarum, qui tum singulari ms. dissertatione institutum antiquius Cappuccinorum e tenebris extraxit, tum epistola nobis data sanctitatem & retractationem Johannis a Fano, ex ipsius ms. codice extante in sui conventus bibliotheca clarissime demonstravit. Quinto nonas julii anni 1528. Clemens VII. Cappuccinis privilegia Camaldulensia communia fecit, ut legitur[a] in bullario Casinensi.

a Par. I. p. 168.

LI
Privilegia concessa Camald. societati Justiniani.

CUM irremisse ad novam congregationem eremitarum sancti Romualdi venirent novi alumni, statutum fuit præsenti anno in capitulo celebrato die XXIII. aprilis in Cryptis Massaccii, ut nova habitacula pararentur, in quibus recipi possent. Habitatores quoque montis Volubrii miserunt ad patres capitulariter congregatos nuntios suos, qui postularent aliquem eremitam dari sibi in concionatorem. Re hac mature perpensa, statutus fuit Paulus Justinianus, qui officium hocce adimpleret. Demum in eodem capitulo electus est in congregationis Majorem Augustinus a Bassano qui hoc anno vivæ vocis oraculo, intercedente cardinale protectore Laurentio Puccio, impetravit a Romano pontifice Clemente VII. ut eremitæ sacros ordines recipere possent a quocumque episcopo etiam extra tempora post viginti-tres annos completos; ut Majori & prioribus facultas esset benedicendi omnia ornamenta, corporalia & vestes sacras; ut venientium ad religionem pecunias, vestes, libros in usum publicum superiores detinere possent; ut eremitæ consuetam Virginis Coronam recitantes consequerentur indulgentias, quas consequuntur dicentes Coronam Dominicam, eo modo quo continetur in literis Leonis X. ut iidem recitantes quamdam orationem sanctæ Crucis supplerent omnibus defectibus, qui ipsis occurrissent in recitatione divini officii. Signata fuere hæc omnia annuente pontifice die XXII. julii a Laurentio cardinale. Demum in præfato capitulo novæ congregationi hactenus appellatæ, societas sancti Romualdi, data fuit nomenclatura eremitarum Montis-coronæ ab abbatia sancti Salvatoris Montis-acuti & Montis-coronæ, ædificato interim in medio montis eremo sub titulo sancti Savini, antequam annis sequentibus erigeretur Montis-coronæ eremus in summitate loci.

Quinto idus maji idem Clemens VII. suppressit ordinem Camaldulensem in monasterio sancti Andreæ de Candiculis, & introduxit ordinem Vallumbrosanum, adnexuitque abbatiæ Vallis-umbrosæ ad preces Johannis-mariæ abbatis generalis & capituli generalis ejusdem ordinis.

Idem Romanus pontifex XXIII. februarii concessit Paulo Laudensi generali, ut recipere posset collectas annuas ab omnibus prælatis, etiam commendatariis, & Leonardus de Guasconibus subdecanus ecclesiæ Florentinæ & in hac parte executor commisit ejusdem brevis observationem quibuscumque.

Placidus de Lierna monachus Camaldulensis renuntiavit in manibus definito-

finitorum jus omne, quod habebat in ecclesiam & prioratum sanctæ Cæciliæ de Podio diœcesis Senensis ordinis Camaldulensis.

Ann. Chr. 1526. LII. Eremitarum aliquot Camald. violenta mors.

COMMUNE quoddam conterminum prædiis eremi Camaldulensis ex sententia Rotæ Florentinæ privatum fuerat jure pascendi super bona ejusdem eremi. Indignati homines dicti communis contrariam retulisse sententiam, captato tempore, quo eremitæ aliquot in palatio Musuleæ degebant, ut ulciscerentur, quam sibi factam comminiscebantur, injuriam, vulneribus & lethalibus plagis duos ex ipsis & oblatum Camaldulensem ad mortem redegere. Hieronymus Herculanus Foro-liviensis unus ex iis eremitis ad mortem post triduum veniens precibus & effusis lacrymis efflagitavit, ut ad sui præsentiam duceretur is, qui tam crudeliter ipsum percusserat, & osculis impressis ejus dexteræ publicam veniam illi impartitus est mense januario hujus anni. Hieronymus professionem emiserat in eremo die quinta junii anni 1521. Ceteri vero duo Deum exorarunt pro persecutoribus suis, & efficacibus petitionibus impetrarunt, ne processus incepti in urbe Florentina super hujusmodi facto prosecutionem haberent. Hanc piorum eremitarum heroicam actionem scriptam reliquit in suis Memorabilibus Gregorius Bergomensis. Vigesima-nona decembris anni præcedentis Auditores Rotæ sententiam tulerant contra homines Reginopolis & Liernæ, eremum dumtaxat Camaldulensem habere jus in bonis alpestribus; ex archivo Fontis-boni [a]. Abbatia sanctæ Mariæ de Adelmo diœcesis Volaterranæ ordinis Camaldulensis a Clemente VII. fuit commendata Jacobo Doffo Florentino, qui canonicus postea factus, anno 1564. eam cessit Gratiæ ad Ilua priori Angelorum de Florentia, ad cujus monasterium etiam hodie pertinet.

[a] §. *Sententia* 1. *A.* 6. 5.

Ann. Chr. 1527. LIII. Camald. eremus obsessa a Basilio abbate.

REGEBATUR hoc tempore Florentina respublica auctoritate Clementis papæ VII. ejusque vice directione cardinalis Sylvii Passerini Cortonensis, qui Mediceorum domum inhabitans curam gerebat juniorum Alexandri Medicei filii naturalis Laurentii ducis Urbini, atque Hippolyti filii Juliani fratris Leonis X. papæ, qui soli ex descendentibus magni Cosmi patris patriæ supererant, cum urbs Romana ab exercitu ducis Borbonii capta die VI. maji vastata & direpta fuit, & obsessus pontifex in arce sancti Angeli, in quam se receperat. Excitatus tunc est Florentiæ motus populi, quare cardinale Sylvio securam non esse mansionem duorum juvenum Mediceorum in urbe Florentina prævidens, impellente etiam Clarice de Medicis Petri filia, & uxore Philippi Strozii, quæ ex Urbe capta se fuga proripuerat, Alexandrum & Hyppolytum ex urbe Florentina subtraxit, sociantibus Philippo Strozio, Francisco Victorio, Nicolao Capponio aliisque ex civium majoribus, atque tercentis velitibus illorum custodiæ assignatis, eos Pisas & Liburnum in arces & loca securiora traduxit. Exactis Mediceis novum Florentiæ regimen statuitur, creatique sunt die XXI. maji decem-viri libertatis, quorum præcipuus Thomas Soderinius. Iis motibus excitatus Basilius Nardius abbas sancti Felicis in platea Florentiæ, Soderiniæ domus in primis fautor & assecla conquestus est apud Thomam, se jamdudum, ab anno 1512. prævalentibus Mediceis, spoliatum fuisse domo & administratione Camalduli-majoris, atque in eam restitui petiit; quod verbo & placito Thomæ obtinuit. Sumpto itaque Basilius vexillo, quo usus fuerat anno 1498. in bello Marchianorum, circa medium novembris, & collectis armatorum turmis Camaldulum venit, scalisque admotis totam domum Camaldulensem diripuit, seque in vicarium & gubernatorem eligi fecit, ibique permansit usque ad diem XXII. novembris. Die tamen XXIX. decembris a supremo Florentiæ magistratu eremitæ

Ann. Chr. 1527.

mitæ in pristinam libertatem restituti sunt, & imperata fuit direptorum bonorum redintegratio.

LIV. Justiniani iter Romam versus & quæ ibidem pertulit.

Cum Petrus Gabriellius Fanensis, olim Galeatius, abbatiam sancti Salvatoris Montis-acuti in manibus Clementis VII. renuntiasset ad favorem novæ societatis sancti Romualdi, sed dumtaxat ad vitam sui ipsius, & paulo post Justinianus obtinuisset eam societati prorogari ad vitam alterius coeremitæ, decedente Petro, optimum factu duxit Romanam adire Urbem una cum ipso Petro, ut ab eodem pontifice sibi & congregationi propitio perpetuam abbatiæ unionem impetraret. ,, Sed ea die, verba sunt ,, Lucæ Hispani [a], qua una cum Petro iter facturus erat, aurora illucescente, & re sacra peracta, titubare, seu verius timere agnitus est; cui ,, Petrus, cur pater, dixit, ad iter non accingimur? Ego, ait ille, timeo frater, ne citius, quam oportet, Romam perveniamus, sentio enim ,, aliquid nobis adversi imminere. Cumque omnes eum alacriter ad iter ,, verbis multis impellerent, nec esse imaginationibus vanis credendum affirmarent, utinam, subdidit, fallar ego, dummodo vos veraces dicere ,, possim. Sed ne animos vestros contristare videar, ibo, sciens utique nullibi nos manus Dei posse effugere, vel ejus reniti voluntati. Et baculo ,, assumpto, viam, qua iturus erat, Petro sequente, ingressus est. Cumque vix triduo Romæ commorati essent, ecce de repente dux Borbonius cum exercitu suo eamdem urbem invasit, quæ capta, direpta & ,, misere deprædata extitit die sexta maji hujus anni. In ea direptione ,, Justinianus cum socio per manus Teutonicorum capti, captivatique sunt, ,, & cum eis clarissimus vir Johannes-petrus Caraffa episcopus Theatinus ,, cum suis novellis alumnis; etenim ii cum aliis multis ad ecclesiam sancti Jacobi, quæ Hispanorum dicitur, confugerant. Paulopost dimissi, ne ,, iterum in manus militum inciderent, ad mare currunt, inde navicula ,, vecti in Thusciam deducuntur, hinc denique Venetias terrestri itinere ,, pergere decreverunt. Ubi relicto Caraffa Justinianus ad sua per Adriaticum sinum remeavit. " Fusius hæc tractantur a scriptoribus vitarum sancti Cajetani & Johannis-petri Caraffæ, in quorum domum Romam veniens se receperat ad montem Pincium Justinianus. Fugerunt autem ab Urbe cum Dominico Venerio oratore Veneto in curia Romana. Regressus ad suas Cryptas Justinianus intellexit se a capitularibus patribus hoc anno electum fuisse in Majorem quarta vice. Ex Cryptis Camaldulummajus se transtulit rogatus ab eremitis Etruriæ ob urgentia negotia, ibidemque erat mense augusto.

[a] Cap. xv.

In capitulo monachorum Camaldulensium emanavit hoc anno prohibitio iis de congregatione transeundi ad eremitas Picenos Justiniani. Bernardo de Pistorio demandata fuit etiam cura elegantiori stylo cudendi officium translationis reliquiarum sancti parentis Romualdi.

Ann. Chr. 1528.

LV. Eremus Montis foractis tradita Justiniano.

Initio hujus anni Justinianus Urbem-veterem se contulit ad Clementem VII. qui ex castro sancti Angeli ibidem se receperat. Moniales sancti Arcangeli urbis Fanensis obtulerant ei prædium, dictum sancti Heliæ, cum obligatione solvendi quamdam tritici mensuram quotannis, usquequo congregatio par foret solvendo integro pretio. Pariter sub annua pensione ceræ canonici Asculani cesserant eidem in perpetuum eremum sanctæ Mariæ-magdalenæ de Turricula in finibus ejus urbis, dummodo beneplacitum apostolicum accederet; quod accessit die XXVIII. februarii hujus anni. Impetravit quoque ab eodem pontifice indulgentias, immunitates, & participationem privilegiorum omnium, quæ concessa eatenus fuerant cuilibet

bet ordini & congregationi sancti Benedictii, exemptionem etiam ab impositionibus. Romano pontifici valefaciens ad sua rediit; sed ecce bellicum „ flagellum præteriti anni [a] secuta est haud multo post atrocissima pestis, „ quæ universam Italiam infecit. Hæc epidemiæ lues crudeliter percussit „ Justinianum in inguine, & ad vitæ discrimen perduxit, qui tamen Dei „ beneficio & suorum fratrum precibus assiduis, paulatim declinante mor- „ bo, non sine magno diuturnoque labore saluti restitutus fuit. Vix cica- „ trice obducta Romam redire necesse habuit, cognita etiam liberatione „ pontificis, & ejus pacifico reditu in Urbem. " Obtinuit hac secunda vice unionem perpetuam monasterii sancti Salvatoris Montis-acuti, & ceterorum beneficiorum Petri Fanensis suæ congregationi. Breve etiam apostolicum contra usurpatores bonorum pertinentium ad suam societatem; aliam bullam impetravit pro exemptione ab oneribus & impositionibus; breve etiam alterum, quo ei & sociis suis concedebantur indulgentiæ Urbis & stationum ejus, quotiescumque ter dicerent psalmum: *Laudate Dominum omnes gentes*. Sed potissimum obtinuit a Romano pontifice monasterium cum omnibus eremis sancti Silvestri in Monte-soracte. Cum Romam venerat anno antecedenti Justinianus ad pedes Clementis VII. præsens aderat Benedictus de Novaria abbas monasterii sancti Pauli extra Urbem congregationis sanctæ Justinæ, cui monasterio subjecta erat ecclesia præfata sancti Silvestri. Is eam cesserat Johanni-matthæo Giberto episcopo Veronensi, ad hoc ut ibidem introducerentur primi alumni congregationis clericorum Theatinorum, quam recens instituerant Johannes-petrus Caraffa & sanctus Cajetanus. Verum cum locus montanus & solitarius idoneus non judicaretur instituto hujusmodi clericorum, idem Gibertus locum reformandum tradiderat Paulo Justiniano & aliis eremitis societatis sancti Romualdi, tradens ipsi Paulo eremitoria sanctorum Silvestri, Sebastiani, Antonii, & sanctarum Mariæ, Luciæ atque Romanæ existentia in eodem monte Soracte, amotis antiquis habitatoribus, qui sine regula & votorum professione ibidem degebant. Res tamen effectum sortita non fuerat ob adversas calamitates, quas Urbs est perpessa. Redeunte ergo hoc anno in Urbem Justiniano, præcepit pontifex abbati sancti Pauli, ut eam ecclesiam cum suis eremitoriis ei traderet, ut ibidem eremitica vita instituetur sub ejus ductibus. Extant etiam literæ ejusdem Romani pontificis datæ ex Viterbio die XVIII. junii hujus anni pontificatus sui quinto, quibus in virtute sanctæ obedientiæ præcipit habitatoribus Montis-soractis, ut absque ulla contradictione Paulum Justinianum ejusque socios eremitas excipiant, qui bene vivendi exemplis, sanctis hortationibus, & continuis orationibus eos ad melioris vitæ studium valebunt excitare, hortatus etiam eos, ut quæ eisdem eremitis ad sustentationem vitæ sunt necessaria, impendere velint, prout consueverant impendere aliis, qui ea loca olim incolebant.

ANN. CHR. 1528.

[a] Capp. xv. & xvi.

LVJ. Mors Pauli Justiniani, ejusque operum sylloges.

DUM hæc aguntur, iisdem diebus Justinianus dolore capitis leviculaque febri laborare cepit. „ Febricula itaque affectus ad Montem-soractem viginti passuum millibus ab Urbe distantem se confert, simul ut Romam „ nondum peste purgatam fugeret. Veniens tandem illuc ab habitatoribus „ caritative suscipitur, ac benigne tractatur. Verum crescente per singulas horas radicata semel febre, brevi temporis spatio ad mortis articu- „ lum senex devenit. Conversus itineris, cui Jacobi nomen, patria Eu- „ gubium, in lacrymas prorumpit. Quod sentiens pius pater, quid, in- „ quit, luges frater? Cui ille. Lugeo optime pater, te videns morti pro- „ pinquum, nec est, qui te exeuntem piis verbis consoletur, meque tuo

Ann. Chr. 1528.

„ dulcissimo aspectu privari. Ah modicæ fidei, infirmus ait, nunquid deerit nobis Deus, & si ille nobiscum est, alterius auxilio non egemus. „ Bono animo esto, non deerunt nobis consolatores, aderunt & adjutores „ tibi, cuncta Deo remitte, disponat ipse secundum voluntatem suam. „ Ecce vix unius horæ spatio transacto, cellam, in qua languens jacebat, „ ingreditur venerandus pater Gregorius Bergomensis eremita, qui Major „ eremi Camaldulensis erat, cum alio sacerdote & commisso quodam, „ apud quem Paulus semper in magna veneratione fuerat. Cum itaque „ Gregorius Romam iter faceret, negotia eremi Camaldulensis expediturus, narratum illi est in hospitio ad radices montis quemdam sui ordinis eremitam graviter infirmari in eremo Soractensi; ex corporis habitudine & indumentis cognovit infirmum esse Paulum Justinianum. „ Nec mora, relicto itinere montem ascendit, & ad cellam morientis „ amici pervenit, supremaque officia pietatis præstitit viventi & defuncto." Quievit in Domino Justinianus die XXVIII. junii M. D. XXVIII. ætatis suæ quinquagesimo-secundo, sepultusque est in ecclesia sancti Silvestri. Videtur quodammodo prævidisse obitum suum sanctus vir in quodam carmine, qud modulavit hoc anno, ubi pugnas cecinit naturæ, quæ ad vivendum, & gratiæ, quæ invitabat ad unionem cum Deo. Pauli Justiniani vitam justo libello complexus fuerat alter Justinianus Bergomas ejus discipulus anno 1533. sed fortuito cellæ ipsius incendio cum aliis doctissimi viri lucubrationibus consumptus est; jacturam supplevit Lucas Barcinonensis anno 1587. aliique suppleverunt docti eremitæ Coronenses, inter quos seculo sequenti ex archivo eremi Patavini Rhuensis eamdem vitam digessit Johannes Advogarius Tarvisinus eremita; anno etiam 1722. & auctius anno 1729. Augustinus de Floribus monachus Classensis, inde abbas Benedicto XIII. dicavit vitam a se collectam ex præfatorum scriptorum notitiis. Cl. V. Nicolaus demum Antonius Justinianus prior Casinensis, nunc vero ex episcopo Torcellano Veronensis, gentilis sui compendium vitæ cum aliquot ipsius opusculis edidit anno 1752. ubi etiam multis argumentis astruit a centum & eo amplius annis ante Urbani VIII. decreta titulum Beati tributum fuisse Paulo Justiniano, objectionibusque occurrit, quæ titulum hunc infirmare videntur. Bollandus ad diem VIII. januarii agens de sancto Laurentio Justiniano Venetiarum patriarcha, notat in oratione de laudibus sancti Magni episcopi Opitergini excusa Venetiis anno 1605. citari ex ipsa Justiniana familia, præter ipsum Laurentium anno 1524. catalogo Sanctorum adscriptum a Clemente VII. etiam beatum Nicolaum hujus egregiæ familiæ jam pereuntis restitutorem, & beatum Paulum eremitam Camaldulensem, quem etiam in indice historico cohonestat præfixa Cruce, quæ illic Sanctorum & Beatorum indicium est; unde mirari subit, cur continuatores ejus operis ad diem XXVIII. junii, ne in prætermissis quidem, ipsius meminerint, neque ejus acta saltem ut venerabilis sanctæ familiæ institutoris ædificationi fidelium profutura in medium adduxerint, ut de Ludovico Blosio, Dionysio Carthusiano, Hieronymo Æmiliano aliisque præstiterunt, præsertim cum literis Grandii nostri excitatus fuerit Daniel Papebrochius insignis ejus operis socius. In quodam Orationario Camaldulensi sequens oratio assignatur beato Paulo. *Perfice quæsumus Domine beati Pauli confessoris tui intercessione placatus, continuum in nobis observantiæ sanctæ subsidium, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante adimplere valeamus.*

Plura scripsit Justinianus, quorum indicem texit capite XXVII. Augustinus de Floribus. Nos potiora & memorabiliora opera in medium proferimus



Effigies B. Pauli Justiniani Patricii Veneti Camaldulensis congregationis Montis-coronæ fundatoris, qui obiit anno 1528. ex veteri tabula penes nobiles viros Justinianos-Lolinos.

rimus. Genesis historiæ compendium ad caput XLII. Genesis literales quæstiones usque ad caput XXX. Genesis spiritualem expositionem usque ad caput XXVI., Cogitationes centum quotidianas de Amore Dei & plerasque alias meditationes. Tractatus aliquot de decem gradibus Amoris Dei; De Pœnitentia; De Contemplatione; De Eucharistia; Soliloquium; Dialogum rationis & conscientiæ anno 1520. Epistolas complures, inter quas unam ad Casinenses monachos de laudibus vitæ eremiticæ, & ut celebrent festum sancti Romualdi. Quæstionem de Dæmonibus, an sint? Expositiones in quosdam psalmos. Alphabetum psalmorum. Quod psalterium metro sit scriptum. Comparationem regulæ sancti Benedicti cum aliis. Disputationem, quod sanctus Benedictus usus sit vestibus albis. Aliam de tribus Magis, aliam ad Leonem X. quod ad eremiticam vitam transire licitum sit cuilibet religioso. Tractatum de vita solitaria ad exemplum sanctæ Mariæ-magdalenæ, quam singulari obsequio prosequebatur Justinianus. Cognitionem concilii Calcedonensis. De sermonibus in Johannem Cassianum. De Origenis admiranda doctrina. De callida Ruffini interpretatione. Errores libri Apologetici Eusebii. Epistolam ad sororem Luciam contra superstitiones; aliam ad Gasparem Contarenum pro expositione super Aggæum prophetam. Fragmentum suæ Hierosolymitanæ peregrinationis. Epistolam ad regem Portugalliæ, qua eumdem animat ab bellum contra infideles Indiarum Orientalium, ipsumque adhortatur, ut a Portugallensibus suis addiscantur linguæ earum nationum ad prædicationem Evangelii; denique seipsum offert ad infidelium conversionem. Aliam ad regem Turcarum hortatoriam ad Christianam religionem amplectendam. Aliam ad rempublicam Venetam suasoriam ad pacem pro convertendo robore exercitus ad fundendas copias Turcicas. Aliam ad Contarenum, qua ratione obtinuerit Fabriani brachium sancti Romualdi. De erroribus Johannis Cassiani. Multa contra Hieronymum Savonarolam, & contra nonnullos hæreticos. Summarium operum Sozomeni. Vitam prophetæ Eliæ. Epistolam ad Sophim regem Persarum ipsum inducentem, ut Turcarum imperatorem adoriretur, quando hic arma moveret contra principes Christianos. Super Lucianum, super Plutarchum. De regimine demum monarchico, poliarchico & aristocratico ad Romanum pontificem Leonem X.

ANN. CHR. 1528.

Postulatum fuit Justiniani votum sæpius in materiis arduis religionis & fidei, ut in synodo metropolitana Florentina, in qua lata est sententia damnationis in hæreticum Franciscum Meletum Florentinum, contra quem non solum docte loquutus est, sed etiam impugnavit superiorum jussu duos ejusdem hæretici libros, alterum appellatum Convivium, Quadrivium alterum, errores ipsorum colligens & confutans. Iterum ad aliam synodum vocatus fuit Justinianus ad discutiendam difficillimam causam Hieronymi Savonarolæ. Scripsit etiam contra librum, cui titulus: *Nova Apocalypsis Amodei*. Pariter ad examen revocavit errores Theodori sive Theophili sacerdotis secularis, qui vocabatur papa Angelicus, & subscripsit ejus damnationi ad triremes. Leo X. ad reformationem ordinis monastici, voce & scripto consuluit Justinianum. Primæ philosophiæ compendium suum summæ eruditionis viro & omnium bonarum artium peritissimo Paulo Justiniano recognoscendum & emendandum tradidit Gaspar Contarenus.

Amicitiam coluit Justinianus cum sancto Cajetano Thienæo, cujus in Patavino lyceo fuerat consodalis, eamque renovavit epistolis, quibus certiorem ipsum fecit de eremis a se erectis, ipsum invitans ad solitariam vitam. Eamdem suadere aliquando voluit Johanni-petro Caraffæ; & quidem antequam de Clericorum Regularium sodalitio cogitaret, ad mona-

Ann. Chr. 1528.

chos Camaldulenses, quorum auctor erat Paulus Justinianus, animum adjecit Caraffa. Literario & pio commercio etiam usus est cum Hieronymo de Salona patre spirituali sancti Cajetani. Sanctimoniam Justiniani laudat & Christophorus Marcellus archiepiscopus Corcyrensis in epistola ad amicum anno 1521.

Typis edita sunt ex operibus Justiniani Regula vitæ eremiticæ anno 1520. tractatus sive scala Obedientiæ anno 1535. & epistola de vera Felicitate ad doctissimum virum Marcum-antonium Flaminium, & de Officio pontificis ad Leonem X. pontificem maximum.

„ Dum viveret, ei a presbytero quodam muliercula tertii ordinis sancti Francisci, tamquam Sancta, laudabatur, talemque propter ejus mirabilem vitam, propterque ejus miranda facta ab omnibus haberi ac reputari asserebat presbyter, propterea quod quotidie communicabat; & futura prædicebat, & sæpe hostia e manibus presbyteri in os ejus communicantis per se evolabat. Cum ostensa fuisset Justiniano hæc mulier. Non est spiritus Dei, inquit presbytero, sed fraus inimici latet in ea. Obstupuit sacerdos, & qui cum eo erant, in verbis istis, & quasi delirum Justinianum irriserunt. Atqui ante decimum-quintum diem decepta femina in furiam conversa palam ostendit, quid gerebat in pectore, atque detecta est antiqui serpentis malitia. " Hanc notitiam habemus a Luca Hispano [a].

[a] Cap. XVII.

LVII. Obtenta a societate S. Romualdi privilegia pontificia.

Vivente adhuc sancto viro eremitæ venerabilem Danielem Venetum in Majorem elegerunt, hominem naturali gravitate mirabilem, verbo potentem & apprime doctum, & in consolandis afflictis speciali gratia dotatum, qui eremos omnes visitans, pusillanimes in proposito stabilivit. Defuncto itaque Justiniano, omnia ea perficere studuit, quæ meditatus fuerat beatus institutor. Obtinuit ergo a Clemente VII. ope cardinalis Puccii breve apostolicum die XXVII. julii, quo, excepto usu baculi & mitræ, & benedictionis impendendæ populis, concedebantur societati exemptiones, indulta & privilegia omnia concessa hactenus congregationibus sancti Benedicti, præterea indulgentiæ & stationes Urbis. Cum dicta brevia data sint ex Viterbio, eadem sunt, quæ a pontifice exquisierat Justinianus, dum viveret, quorumque expeditionem morte interveniente obtinere nequivit. In serie horum brevium recensendum est & alterum sub die XV. junii excommunicationis latæ sententiæ quoad bona sanctæ Illuminatæ de Eugubio adversus eos, qui ea usurparent, vel deferre auderent habitum Camaldulensium, sine licentia Majorum societatis. Quoad vero monasterium sancti Silvestri de Monte-foracte, coloniam ibidem eremitarum transplantavit Daniel. Sed post quadriennium locus derelictus est, forte ob frequentem fulminum infestationem, & monachi etiam, qui post Camaldulensium discessum in possessionem introjerunt, coacti sunt monasterium transferre ad aliam montis plagam. Hoc ipso seculo iterum vocati sunt Coronenses ad locum incolendum, quod tamen effectu caruit. Vigesima-nona septembris obtentum fuit apostolicum decretum, quo confirmabantur constitutiones, quas Justinianus confecerat pro regimine & bono ordine congregationis eremitarum, quæque vim legis ab ipsa congregationis fundatione tenuerant. Postea adveniente legitima capituli celebrandi die creatus fuit Major Augustinus de Bassano, Daniel vero destinatus est in Apuliam, ut quod fecerat in Piceno & in Thuscia, illic quoque confracta fame & penuria eremitarum loca, dissipatosque fratres consolidaret.

Professionem emisit hoc anno die IV. julii in eremo sancti Hieronymi de Pascilupo sub Hieronymo Suessano priore Matthæus Gosset nobilissimus

mus Gallus, assumpto nomine Felicis. Hic sua omnia societati donavit, ad hoc ut in Galliis erigerentur tres eremi. Hæc statui potest prima eremitici Romualdini instituti destinatio in eo regno, quam tamen, an effectum aliquem sortita fuerit, ignoramus.

Ann. Chr. 1528.

LVIII. Res ad plura monasteria spectantes.

ACTUM fuerat mense majo hujus anni Ravennæ in abbatia Classis capitulum generale eremitarum & monachorum, electique fuerant in abbatem generalem ordinis Bernardus Nardini Pistoriensis post Paulum Laudensem, & Eliseus Spinula Januensis in Majorem eremi, statuta residentia abbatis generalis in Fonte-bono, quandoquidem eremitæ se opposuerant pro residentia in Camaldulo-Florentino. Etiam tamen hocce residentiæ in Fonte-bono statutum abrogari apud summum pontificem & apud cardinalem protectorem ope Justiniani curaverant eremitæ, productis in medium consiliis celeberrimorum JJCC. Philippi Decii, Matthæi de Nicolinis, & Silvestri de Aldobrandinis.

Per renuntiationem Thomæ Rossetti Ferrariensis monachi Montis-oliveti & prioris prioratus sanctæ Mariæ de Lacu, unitus fuit hic prioratus monasterio Uranensi, petente eodem priore locum hunc suscipi a congregatione, & se indui habitu Camaldulensi.

Ecclesiæ sancti Sebastiani Montis-agnani, sancti Stephani, sancti Laurentii, sanctæ Mariæ inter Saxa, sancti Salvatoris de Lanciano unitæ declarantur ecclesiæ & monasterio sancti Blasii de Fabriano.

Mansuetus prior sancti Mathiæ de Muriano nomine congregationis eremi & sancti Michaelis de Muriano post mortem Benedicti de Forte-brachiis postremi prioris monasterii sancti Viti & sanctæ Luciæ de Vicetia die XXI. aprilis possessionem capit ejus prioratus & ecclesiarum adnexarum.

Decimo kalendas maji pontificatus sui anno quinto ex Urbe-veteri Clemens VII. monasterium sanctæ Mariæ de Urano per cessionem Petri-francisci de Cinughis clerici Senensis, notarii apostolici & commendatarii ipsius univit congregationi eremi & sancti Michaelis, Paulo de Laude generali, Timotheo Biblenense & Innocentio Bergomate visitatoribus rogantibus.

Petrus olim Andreæ de Gabriellis nomine suo & Ludovici Gabriellii fratri sui carnalis dedit ecclesiam sanctæ Mariæ de Riposo Petro Perusino procuratori fratrum congregationis sancti Romualdi ordinis Camaldulensis.

Tempore seditionum, quæ vigebant in oppido Fabriani, extractum fuerat ex ecclesia sanctæ Luciæ ordinis fratrum Prædicatorum caput beati Constantii, quod summa veneratione colebatur in dicta ecclesia, & depositi loco conservandum traditum fuerat (ut dicebatur) sanctimonialibus Camaldulensibus sancti Sebastiani ejusdem oppidi; quæ ipsum includi fecerant in pariete sui monasterii, ne tempore bellorum subriperetur. Cum autem sopitis discordiis fratres Prædicatores repeterent dictum caput, expositumque esset Romano pontifici dictas moniales noluisse revelare locum, ubi inclusum fuerat, mandavit ipse ex Urbe-verere Varino Favorino episcopo Nucerino die secunda maji hujus anni, ut ingressus in monasterium aperiret locum, ubi dicebatur inclusum, ac ipsum reddi curaret fratribus Prædicatoribus.

Basilius abbas sanctæ Mariæ de Trivio licentiam concessit consulibus communis Montis-cornarii ædificandi prope suum monasterium hospitale ad recipiendos pauperes in villa Mercatalis sub annuo ceræ censu, testantibus dictis consulibus se non posse absque licentia & consensu præfati abbatis ullum instrumentum rogare, ullum ædificium & maxime hospitale construere.

AUGU-

Ann. Chr. 1529.

LIX.
Novæ eremi in Apulia derelictæ.

a Cap. XVIII.

„ Augustinus de Bassano, prosequitur Lucas [a], Major eremitarum societatis sancti Romualdi, Danielis vestigia sequutus, in Apuliam se contulit hoc anno. Epidemiæ morbus, qui biennio ante exortus erat, universam Italiam invasit, atque in regionibus Apuliæ in tantum desæviit, ut ipse Augustinus cum Daniele, nec non cum majore parte eremitarum crudeliter extingueretur. Decessit Augustinus in eremo sanctæ Mariæ de Refugio ad Arriciam, vir plane singularis, qui ex ordine sancti Augustini ad Camaldulenses Thusciæ primum, inde in Picenum transierat. Iterum sine capite & sine pastore societas sancti Romualdi remansit. Hoc nuntio allato eremitæ, qui in Piceno morabantur, quique ab eadem peste graviter vexati erant, valde turbati sunt; perpensis causis, rationibusque multis in medium adductis eremitoria illa Apuliæ deserta relinquere, & paucos, qui superstites erant, eremitas in Picenum revocare statuunt. Ad hoc maxime seniorum animos movit gentis illius naturalis ferocitas, prædonum seu grassatorum agmina passim solitarios infestantia, atque communis caritatis defectus. Accedebat insuper, quod paulo ante Zacharias Siculus venerandus pater cum Johanne-maria socio ad capitulum venientes capti a Turcarum piratis captivi ducti sunt „ " quorum tamen liberationem & redemptionem ope Venetorum procuravit Justinianus Bergomas eremita alter visitator; pariter piissimus pater Romualdus Fabrianensis cum suo comite a prædonibus in itinere deprehensus, & ad arborem alligatus gravissime cæsus extiterat. Tria hæc loca in Apulia acquisita vidimus ab Innocentio Florentino anno 1523. & una cum ipso Innocentio missos diximus Zachariam Siculum & Romualdum Fabrianensem. Hic postremus [b] „ intuitu magis virtutis quam peritiæ factus fuerat sacerdos; homo natura blandus & quietus, mundanæ sapientiæ plane ignarus, spirituali autem sapientia plenus, omnis terreni commercii inexpertus, ore tacitus, mente quietus, corde semper in Deum elevatus, mortalem maculam nunquam sciens contraxisse creditur. Tanta insuper simplicitate præditus, ut cum Paulo illo magni Antonii discipulo merito veniat comparandus. In laboribus & ærumnis usquequaque patientissimus, adeout semel, hoc nimirum anno, ex Apulia in Picenum rediens a latronibus in itinere captus, inque mediam silvam deductus, & arbori cuidam alligatus, nec minimum quidem mœstitiæ signum ostenderit, & bis baculo percussus, in sua spirituali alacritate immobilis permansit, cum tandem astricto ense prædones illi mortem comminarentur, intrepidus persistens: *Facite*, inquit, *quidquid vobis ex alto permissum fuerit, mihi enim nihil interest cras vel hodie mori, nam quod Deus cras daturus est, dabit & hodie.* " De ejus obitu dicemus ad annum 1579., ad extremam enim senectutem devenit.

LX.
Justinianus factus Major Societatis Romualdinæ.

b Cap. x.

Defuncto itaque Augustino electus fuit hoc anno ante mensem julium in Majorem Romualdinæ societatis Justinianus Bergomas, qui jure merito nomen obtinuit propagatoris & alterius veluti fundatoris ejusdem congregationis. Porro eremi, quæ ad eam diem fundatæ fuerant, erant hæ: sancti Hieronymi de Pascilupo, Cryptæ Massaccii, sancti Benedicti de Ancona, Sancti Savini de Monte-acuto, sancti Leonardi de Volubrio in Monte-fortino, sanctæ Mariæ de Spiritu-sancto in diœcesi Larinensi, eremus Arriciæ in Apulia, sancti Michaelis de Tuderto, sancti Silvestri de Monte-soracte, sanctæ Mariæ-magdalenæ de Turricula, sancti Heliæ in territorio Fanensi, sancti Salvatoris de Fano. Proposuit ergo Justinianus Bergomas erectionem eremi ad instar Camaldulensis Etruriæ, quæ caput esset

esset ceterarum, & licet prima origine fuisset eremus sancti Hieronymi de Pascilupo, vel illa Cryptarum Massaccii, in qua jecerat prima fundamenta eremiticæ conversationis Paulus Justinianus, prævaluit tamen sententia, ut in abbatia sancti Salvatoris de Monte-acuto, in summitate ejus montis erigeretur eremus, quæ princeps esset aliarum, & a nomine Montis-coronæ nomen daret toti congregationi. Exordia itaque hujus eremi ab hoc anno veniunt auspicanda; ipsa tamen perfici non potuit nisi pluribus annis. Interim legantur, quæ de parvis initiis ejus solitarii loci habet Lucas Hispanus [a]. Vacante ecclesia sancti Ægidii Castillionis-Menci membro ejusdem abbatiæ sancti Salvatoris anno sequenti, eam idem Justinianus Major juxta Clementis VII. privilegium abbatiæ univit; quod præstiterunt annis sequentibus Majores eremi Montis-coronæ, cum vacationes ecclesiarum occurrebant, quæ subjectæ erant abbatiæ.

ANN. CHR. 1529.

a Lib. IV. cap. 1. 2.

IDEM Clemens VII. vivæ vocis oraculo, accedente testimonio cardinalis Prænestini Laurentii Puccii protectoris ordinis, concessit eremitis Camaldulensibus Etruriæ visitantibus ecclesias seu oratoria sua, & semel recitantibus psalmum *Exaudiat*, aut ter orationem Dominicam & salutationem Angelicam, & orantibus pro conservatione & prosperitate summi pontificis, omnes indulgentias ecclesiis Urbis & extra per totum terrarum orbem concessas, & in futurum ab apostolica sede concedendas; insuper impartitus est ipsis easdem indulgentias, ac si recitarent rosarium beatæ Mariæ virginis juxta ordinem institutum a beato Dominico. Adnotantur hæ indulgentiæ in compendio privilegiorum edito anno 1617. a Hieronymo Sorbo pagina 279. & apud Rodericum in Quæstionibus regularibus.

LXI. Plura historica monumenta simul collecta.

Sepultus est in eremo Camaldulensi prope capitulum, occidentem versus, in eo vestibulo, ubi postea ædificata fuit capella sanctissimi Rosarii, Guillielmus Petri Marcillat, vocatus *il Prior Franzese del Vetro*. Fuerat is ex ordine Prædicatorum apud Nivernenses translatus anno 1510. ad ordinem canonicorum regularium sancti Augustini a Julio II. & donatus commendatione monasterii sancti Theobaldi de sancto Michaele ordinis sancti Benedicti in diœcesi Virdunensi. Arretii tunc moras trahens, fenestras principis ecclesiæ pingebat, celebrisque in eo picturæ genere tunc temporis habebatur. Legato reliquit humari in ecclesia eremi, cui etiam aliquot bona donavit testamentariis suis tabulis.

„ Fuerat controversia inter monachos sancti Blasii de Fabriano Camal-
„ dulenses, & inter fratres Apostolinos de præcedentia; nam illi ab Apo-
„ stolis originem habere ac defensare nitebantur. Sed cum hoc anno 1529.
„ Varinus Favorinus episcopus Nucerinus judex hujus litis a partibus ele-
„ ctus fuisset, cum esset gubernator Fabriani, sententia contra Apostoli-
„ nos lata est, facto eisdem præcepto sub excommunicationis latæ sententiæ
„ pœna, & aureorum ducentorum, ut nunquam imposterum præcedere vel-
„ le audeant, cum propter reverentiam sancti patris Romualdi, tum quia
„ eorum religio ab apostolica sede longe post Camaldulensem approbata
„ fuit. Actum die XVII. septembris manu Tiberii cancellarii; " ex Fortunio [b].

b P. II. lib. IV. cap. 20.

Cum Johannes-antonius Patavinus monachus renuntiasset beneficium positum in castello Leone, quod etiam ante duos annos dimiserat, unitum fuit ipsum hoc anno monasterio sancti Severi Perusii. Alterum beneficium appellatum *delle Torze*, forte de Retorsio, adiectum est abbatiæ sancti Urbani de Piro. Beneficium hocce legitur ante biennium molestatum a comite de Retorsio. Approbata quoque fuit a patribus in capitulo habito in abbatia SS. Lazari & Bartholomæi urbis Ravennæ, renuntiatio ab-

batiæ

Ann. Chr. 1529.

batiæ sancti Michaelis de Lemmo facta anno præterito ab Antonio Ferro de Venetiis abbate, quæ die XVIII. aprilis hujus anni unita fuerat monasterio sancti Mathiæ de Muriano, ad preces Mansueti prioris hujus postremi cœnobii. Data est facultas generali & visitatoribus componendi cum Theophilo episcopo commendatario abbatiæ sanctæ Mariæ de Balneo. Demum Basilius abbas sancti Felicis in Platea declaratus fuit rebellis ordinis, privatusque voce activa & passiva, eo quia depopulatus fuerat armata manu eremum Camaldulensem.

Eusebius Priolus abbas sancti Michaelis de Muriano possessionem accepit medio mense februario episcopatus Veglensis ab excellentissimo consilio Rogatorum, ut ipse adnotat de se in libro introitus & exitus ejusdem monasterii [a].

a Pag. 162.

Concessa fuit a monachis sancti Mathiæ de Muriano facultas Sebastiano Contareno Veneto patricio ædificandi domus apud hospitale sanctissimæ Trinitatis pertinens ad idem monasterium sancti Mathiæ.

Ann. Chr. 1530.

LXII. Damna illata monasteriis Camaldulensibus in Etruria occasione bellorum.

b P. I. lib. III. cap. 20.

Narrat Fortunius [b] „ per hæc tempora exactis rursus Mediceis „ Florentia, Clementem VII. pontificem maximum valida manu „ Florentinos obsedisse per integrum anni spatium. Contigit autem, subdit, ejus bellici tumultus initio, ut Bartholomæus Valorius cum Alexandro Rondinellio & quibusdam aliis, qui partes pontificias sectabantur, apud Camaldulum hospitari voluerit. Quod cum neque ibi, neque apud vineam Prati-veteris a patribus, qui fidem reipublicæ irritam facere noluere, impetrare licuisset, factum est, ut cœnobium Camalduli gravissimam propterea perpessum sit per Johannem Rassinatem ejusque milites cladem, qua nullæ immanitati, nullis injuriis, patribus in primis in custodiam traditis, introductisque scortis, indultum est. Donec tandem principis Aurati jussu (Philiberti) Johannes, libertate donatis patribus, cœnobium deseruit. Memoratu autem dignum est, tanti momenti temerationem hujusmodi fuisse, ut plerique ex sacrilegis miserabilis postea mortis supplicio vitam, divina illos feriente vindicta, finierint, & quæ ablata fuere armenta & suppellectilia, uti succendentia loca, ad quæ delata fuissent, *vel etiam* cum tergoribus vaccarum occisarum ultro relata ad Camaldulum sint. " Quem Bartholomæum nominat Fortunius, Baccium Valorium appellat Baroncinius, qui in chronico notavit ingressum Johannis Rassinatis in Camaldulum contigisse die sancti Sebastiani hujus anni.

c Cap. 45. SS. Justi.

Alterum refert prodigium idem Fortunius [c] ad templum sanctorum Justi, & Clementis Volaterrarum: „ Anno M. D. XXX. quo tota fere „ Etruria bello exarsit, dux quidam militum Christianæ religionis penitus immemor classem quamdam exercitus cum equis nonnullis in æde sanctorum Justi & Clementis stationem habere permisit, ibidem in sacra beati Clementis specu cellarium panis & vini simul constituens; mulieres autem quædam Montis-bradonii ac sancti Justi suburbii sub militum ad urbem Volaterranam accessum ad ipsam ædem sacrum tamquam ad asylum primum confugerant, deinde militibus ad templi valvas propius factis in turrim atque sub tecta tremebundæ sese receperant latitantes, & de salute desperare incipientes Deo ac sanctis confessoribus effusis lacrymis sese etiam atque etiam vehementer commendare non desinebant. Quapropter quia & illarum periculum, & sacri fani pollutionem nemo omnium a sacri illius ac furentis exercitus injuria vindicare posse videbantur, almi confessores ibidem requiescentes sibi illa-

„ tam

„ tam injuriam, ut æquum fuit, horribili prodigio propulsarunt, & pa-
„ vidas trepidantesque castitatis studio mulieres divina præstante misericor-
„ dia omni prorsus metu ac periculo liberarunt. Etenim cum miles qui-
„ dam ad ipsam specum inde nonnihil rerum extrahendi suffurandique gra-
„ tia accederet, ecce cujusdam flammæ globo e vestigio circumventus se-
„ mianimis a loco extra templum una cum astantibus rejicitur. Qua re
„ comperta militares copiæ tanto quidem timore simul cum illo militum
„ duce affectæ fuere, ut cum admissi sceleris illos pœnituisset, illuc im-
„ posterum accedere ausus sit nemo. Atque ita mulieres principio perter-
„ ritæ, mox incursu militum liberatæ multas ac magnas omnipotenti Deo
„ ipsius mirabilia passim propalantes gratias egerunt. Quædam vero, quæ
„ in humanis adhuc agunt, ipsum flammæ globum templum universum
„ circumire tertio se vidisse per fenestram, quæ *Paradisus* appellatur, no-
„ bis etiam audientibus sunt attestatæ. "

Ann. Chr. 1530.

Tempore supradictæ obsidionis urbis Florentinæ „ tractatum est in con-
„ silio civitatis de adjudicando cœnobio sanctæ Mariæ-angelorum quibus-
„ dam sanctimonialibus. Irrumpens in concionem Johannes Beninius ejus
„ cœnobii benevolus, defensionem loci & monachorum magnis ausibus fe-
„ cit talem, ut cœnobium omnino servatum sit; " ex eodem Fortunio [a].
Sed quam jacturam monasterii Angelorum evasere Camaldulenses, illam
non evaserunt abbatiæ Camalduli-Florentini; nam propter eamdem obsi-
dionem militum violentia fere eversa est; verum per quemdam tunc
potentem habentem secum apostolicum commissarium dicta ecclesia seu mo-
nasterium sancti Salvatoris datum fuit monialibus ordinis sancti Johannis
Hierosolymitani, assignatum eis pro habitatione, amotis penitus eremitis.
Deinde anno 1552. etiam ipsis monialibus loco abire jussis, & mandato
principis funditus diruto monasterio pro munimine & reparatione muro-
rum civitatis Florentinæ, & quasi pro dimidia parte solo æquato simul
cum eversione plusquam centum domorum circumjacentium & ad ipsum
monasterium pertinentium, superfuit sola ecclesia affatim derelicta, viaque
adhuc Camalduli nomen retinet. Die vigesima-sexta aprilis anni sequentis
Clemens VII. bulla sua disposuit de bonis præfati monasterii.

[a] P. II. lib. V. cap. 2.

Solo pariter æquatum est alterum cœnobium sancti Benedicti, quod
exurgebat extra portam Pinti Florentiæ, centum & triginta annis post
suam fundationem, remanente solo titulo prioris, cui assignata fuit com-
moratio in monasterio sanctæ Mariæ-angelorum.

Eadem bellorum infausta conditione a militibus Caroli V. imperatoris,
duce Johanne-jacobo Mediceo Mediolanense marchione Marignani, capta
fuit urbs Senarum, & Camaldulensia cœnobia monialium & monachorum
sancti Mamiliani, & Rosæ Senarum posita extra urbem eversa & diruta
fuere.

Ante invasionem Camalduli-Florentini Eliseus Spinula Major eremi Camal-
dulensis ope fautorum suorum impetraverat sibi conferri ad vitam dictam
abbatiam, reclamantibus tamen ceteris eremitis. Jussu cardinalis protectoris
Laurentii Puccii, & magistri sacri Palatii, commissa fuit ea occasione vi-
sitatio eremi Camaldulensis Innocentio de Bononia priori sancti Domini-
ci de Foro-livio die XIX. decembris. Post multa hinc inde ab utraque
parte agitata, Eliseus jussu protectoris ad monachorum congregationem
transiit, in qua etiam regimina obtinuit, & illud præsertim sanctæ Ma-
riæ ad Carceres. Mandato postea Clementis VII. die XXVI. aprilis anni
sequentis facta fuit separatio Camaldulensium eremitarum a monachis,
electusque primus post separationem Major Stephanus Venetus.

ANN. CHR 1530.

LXIII. De sacello Æmiliano ad S. Michaelis de Muriano. a P. II. lib. IV. cap. 25.

FORTUNIUS scribit [a] præsenti anno 1530. „ ædificatum fuisse ad templum sancti Michaelis Muriani egregium sacellum, Æmilianum dictum, „ forma sextangulari testudinata, quod intus præcipua singularique archi„ tectura, lapidicinarumque industria insigni tantum præstat, quantum va„ ria ibi Parii, Ophitis, Alabastritisque marmoris copia cum tribus pul„ cherrimis aris, Annuntiationi Deiparæ Mariæ semper Virginis, Nativi„ tati Domini nostri Jesu-christi, nec non trium Magorum adorationi „ erectis, eximiisque statuis auguste refertis conspiciuntur. Ubi non de„ sunt quoque columnæ ex porphyrite atque onichite affabre elaboratæ, „ ex quibus singulis jucundissima undique specula intuentium oculis præ„ sentatur. Cernuntur exterius aliæ quoque statuæ magnæ ex marmore, „ & totidem portæ laminis æreis incrustatæ. Pavimentum vero intus to„ tum marmoratum variegatumque consistit, quo omni eximio opere nil „ celebrius Venetiis prædicari posse videtur. Id factum est opus a claris„ simis procuratoribus sancti Marci de Citra, testamentariis executoribus „ Margaritæ Æmilianæ feminæ Venetæ, quæ magnam pecuniarum sum„ mam ad pium ipsum opus pro salute animæ suæ reliquerat anno 1516." Circumfertur fabula Margaritam insignem fuisse meretricem, quæ naufragii timore votum voverit Deo erigendi ibidem oratorium; sed ex testamentariis tabulis ejusdem Margaritæ evincitur castissimam ipsam fuisse feminam ex patritia familia Veneta Victuria, uxorem Johannis Æmiliani patritii itidem Veneti, quæ, ut Petrus Æmilianus Vicetinus antistes unus ex ejus familiæ majoribus anno 1429; prius reliquerat corpus suum humari in ecclesia sancti Francisci a Vinea, ibidemque erigi oratorium, vel si oratorium non fuisset erectum, in ecclesia sancti Michaelis, ubi sepultus fuerat etiam vir suus. Laurentius Scrhaderus in *Monumentis* afferens inscriptionem sitam super januam hujus oratorii, de suo addidit: *Scorti insignis*, contra fidem ipsius inscriptionis, quæ omnibus patet: *Margaritæ Æmilianæ testamento matronæ pietate insignis procuratores divi Marci de Citra fide optima a fundamentis extruendum curarunt anno* M. D. XXX. Sub Eusebio Priolo abbate inceptum est opus, perfectum hoc anno.

LXIV. Historia aliquot monasteriorum.

DECIMA-TERTIA augusti hujus anni indictione III. *renuntiatus* fuit eremitis Cryptarum Massaccii prioratus *sancti Salvatoris* Podii-cupi ab eremitis Camalduli Etruriæ sub Eliseo Majore.

In capitulo congregationis monachorum celebrato in urbe Ravennæ confirmata fuit electio Johannis-mariæ Contareni in abbatem sancti Frigdiani Pisarum, quæ facta fuerat a generali abbate post mortem abbatis commendatarii dicti monasterii.

A Francisco Bagnacaballensi priore sancti Johannis-baptistæ dicti loci confertur Alexandro Bagnacaballensi beneficium sancti Rocchi, quod post ejus mortem ad jus monasterii sancti Johannis venire debere enuntiatur.

Homines villæ Cavazallis districtus Vicetini nocturno tempore se transtulerunt ad caminatam sancti Matthæi villæ prædictæ, & vi expulerunt Ludovicum monachum ordinis Camaldulensis deputatum ad curam animarum dictæ ecclesiæ per Benedictum de Forte-brachiis olim priorem sancti Viti, cui prioratui spectabat jurisdictio ecclesiæ sancti Matthæi, tamquam membri & de jure patronatus. Benedictus propterea de Britonorio prior sancti Viti successor Benedicti de Forte-brachiis confugium habuit ad Jacobum Pisauro patritium Venetum, episcopum Paphensem, conservatorem jurium & privilegiorum congregationis. Qui præcepit dictis hominibus, ut restituerent præfatum sacerdotem, sicut revera restituerunt, & promiserunt de cetero se priorem sancti Viti veneraturos, & habituros pro domino ejus eccle-


ecclesiæ, & jus habente capellanum instituendi, & removendi. Anno etiam 1517. claves & sacras vestes ejus ecclesiæ abstulerant, sed veniam petierant coram vicario episcopi.

ANN. CHR. 1530.

In ecclesia abbatiæ Sanæ-vallis de Fullina sequens legitur inscriptio:

Mors comitem occlusit tumulo hoc, nam sæva cadaver
Tantum habet, ast animum pietas conjunxit olympo.
Antonio-mariæ Brandolino comiti Vallis Mareni
Guido nepos mœrens posuit anno Domini M. D. XXX.

Pontificatus Clementis VII. anno septimo die XXIV. martii summus pœnitentiarius Laurentius Puccius facultatem facit monachis sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia destruendi abbatiam & ecclesiam sancti Johannis-decollati de Saxo ipsorum monasterio unitam, eamque reficiendi in villa Vogognani in loco per milliare distanti a loco, ubi erat primum ædificium, quæque retinere debeat eumdem titulum, dignitatem, redditus & privilegia eadem, quæ obtinebat vetus abbatia & ecclesia.



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEPTUAGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno CHRISTI M. D. XXXI.

ANN. CHR. 1531.

I. Antonius Puccius protector ordinis Camaldulensis.

DEFUNCTO die XIX. septembris Laurentio cardinale Puccio promotus fuit die XXV. ejusdem mensis in S. R. E. cardinalem tituli sanctorum Quatuor Coronatorum, simulque in protectorem ordinis Camaldulensis, de quo eatenus fuerat optime meritus, Antonius Puccius ejus nepos, Alexandri filius, ex clerico cameræ apostolicæ. Narratur, quod post biennium mense julio Antonius venerit ad eremum Camaldulensem, ubi sex dies moratus, Missam sollemni ritu celebravit ad aram majorem, sermonem in capitulo habuit, sed sibi & familiaribus suis ac eremitis feria VI. apponi jusserit ova & *lacticinia*; *id* quod Stephanus Venetus eremi Major nequaquam tulit, nolens antiquam eremi consuetudinem infringi, & cardinali e contra permittenti infracte restitit. Simile quid contigit alteri Stephano abbati sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum Camaldulensis eremi Majori sub Gregorio episcopo Arretino circa annum 1203. [a] ut ad id temporis vidimus.

[a] *Annal. T. IV. pag.* 193.

II. Historica monumenta aliquot monasteriorum.

IN capitulo hujus anni Ravennæ congregato mandatum fuit generali & visitatoribus, ut agerent pro uniendo congregationi monasterio sancti Michaelis in Burgo Pisarum, simulque pro recuperandis beneficiis extra urbem Pisauri. Redditus quoque monasterii eversi sancti Benedicti extra muros Florentiæ assignati fuere cœnobio sanctæ Mariæ-angelorum ejusdem urbis. Factus fuit abbas sancti Frigdiani Pisarum Matthæus de Prato-veteri. Abbati autem sancti Blasii de Fabriano datum est in mandatis, ut quantocius studeret curare ædificationem novam vel reparationem suæ ecclesiæ.

Sanctimoniales terræ Quintiani prope Veronam hoc anno translatæ fuere partim ad monasterium sancti Faustini, partim ad sanctum Salvatorem de Verona, olim dictum in Curte-regia, quod postremum monasterium pertinebat ad abbatiam Vangaticiensem, & ita spes omnis concidit unionis dicti loci sancti Salvatoris congregationi Camaldulensi. Id actum opera

ra Matthæi Giberti episcopi Veronensis, qui suburbanas moniales omnes dioecesis ad urbem reducendas impetravit, ut scribit Senesius in sua Vangaticiensi historia ms. [a].

Ann. Chr. 1531.

a Pag. 71.

Clemens VII. inhibuit Francisco S. R. E. cardinali diacono sanctæ Mariæ in Portico & episcopo Tarvisino, ne se ingereret in regimine monialium sancti Parisii ejusdem urbis, quinimmo earum visitationem & correctionem integram commisit abbati generali Camaldulensi die XVI. aprilis hujus anni pontificatus sui anno VIII. Introduxerat siquidem cardinalis moniales alieni habitus in dictum monasterium, ex quo extraxerat alias ad reformationem ceterarum suæ urbis.

Prope januam ecclesiæ sanctæ Mariæ de Balneo humatum fuit hoc anno corpus Theophili abbatis commendatarii Balneensis & episcopi Drivastensis cum hac brevi epigraphe: *Theophili de Martinis episcopi Drivastensis de Balneo hic pulvis jacet & ossa* M. D. XXXI. Successit in commendationem ecclesiæ & abbatiæ Laurentius Salvettus itidem e Balneo, quas tamen postea congregationi liberas dimisit. Interea concessi sunt ei abbatiæ redditus, reservato congregationi titulo abbatiali.

III. Timothei Biblenatis & Eusebii Prioli ep. Veglensis obitus.

IMMATURA mors abrupit hoc anno IV. kal. julii Timotheum Biblenatem monachum sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, ejusque poema, quo heroico carmine celebrandum sibi statuerat sanctissimum Benedictum monastici ordinis parentem, quod proinde minime absolutum remansit. Extant ipsius Timothei epigrammata de Crucifixo, Deipara, aliisque sibi propositis argumentis; amicitiæ jure coluit Severum Parellam alterum Angelorum monachum & poetam, quos literarum officio junxit Delphinus [b], qui utrique in re poetica multum deferre, & amantes se invicem amare consuevit. De Timotheo verba faciunt Fortunius, & Minius in historia ms. monasterii Angelorum. Expetierat Timotheus a Delphino nomina genitorum sancti Benedicti omissa a sancto Gregorio, ex cujus dialogis poema suum conficere meditabatur anno 1522. ut ex responsione [c] constat ejusdem Delphini.

b Lib. XII. ep. 68.

c Lib. XII. ep. 63.

Veneno etiam extinctus est circa hunc annum Eusebius Priolus, ex monacho Camaldulensi episcopus Veglensis in Dalmatia. Is monasticam togam induerat in cœnobio sancti Michaelis de Muriano anno 1502. die XXIX. martii. Trigesimum vix annum agens Delphino acceptissimus, post concionatorium munus probe expletum, philosophiæ etiam & Musarum studiis addictus, ad abbatiales infulas in eodem sancti Michaelis monasterio evectus est annis 1517. 1518. iterumque annis 1520. 1521. 1522. Anno 1524. monasterium sanctæ Mariæ de Carceribus rexit, tertia vice annis 1526. 1527. 1528. monasterii sancti Michaelis regimen tenuit, post quos annos sequenti 1529. ad Veglensem ecclesiam regendam fuit assumptus, ubi dum pontificias curas eo dirigit, ut cohibita clericorum licentia ecclesiasticam restituat disciplinam, cibis nerariorum opera infectis e medio tollitur. Scripsit Eusebius de *Mundi miseria* tractatum, carmina Latino metro, orationem in funere Petri Delphini editam anno 1525. rursusque insertam thesauro Anecdotorum Martene & Durand. Laudant Eusebium Paulus Orlandinus in Theologia mixta, Possevinus, Sansovinus, Fortunius, Minius, Buccellinus, Wion, Eusebium Priolum virum profundæ cognitionis in scientiis, eximiæque vitæ bonitatis vocat Jacobus Alberici ordinis sancti Augustini in suo catalogo Scriptorum Venetorum, laudatque devotum ejus opusculum de *Mundi miseria*. Johannes Castagnizza in vita sancti Romualdi [d] in medium profert Eusebii Prioli historiam, in qua differitur de Petro & Paulo magnis luminaribus eremi Camaldu-

d Pag. 330.

ANN. CHR. 1531.

Camaldulensis, Quirino nimirum & Justiniano. Idipsum repetit in sua Romualdina Lucas Hispanus; ex quorum scriptorum testimoniis in lucem venimus Eusebium confecisse historiam monasticam Camaldulensem, quæ ad nos non pervenit, vel latet. Filius fuit Eusebius Petri quondam Benedicti Prioli patritii Veneti, qui decesserat anno 1511. fraterque Andreæ, cujus postremi ingenium vel in ipso juventæ flore laudat sæpius in suis epistolis idem Delphinus.

ANN. CHR. 1532.

IV. Concordia inter monachos & eremitas Camaldulenses.

a *P. I. lib. 3. cap. 20.*

„ ABEUNTE Paulo Laudense magistratu anno 1529., ait Fortunius [a], „ Bernardus Pistoriensis ex cœnobio Angelorum Florentiæ clavo con- „ gregationis præpositus fuerat. Per id tempus Antonius Puccius S.R.E. „ cardinalis summusque pœnitentiarius ordinis protectorem per mortem „ Laurentii patrui cardinalis agebat. Is videns congregationem sancti Mi- „ chaelis ab eremo separatam quasi nudam, in magnumque ordinis dede- „ cus redundare, ut se munificentissimis Leonis privilegiis indignam red- „ deret, urgente maxime Bernardo generale, medius inter patres inter- „ cessit, partesque hinc inde ad concordiam, nec non intra priores initæ „ congregationis limites revocare studuit. Quoniam vero eremitæ id, nisi „ adaucta eremi dignitate, & libertate servata, annuere volebant, par- „ tium principes Romam accersivit, cum interea Bernardo generalatu fun- „ cto rursus Paulus Laudensis anno 1531. successisset. Qui quidem Pau- „ lus cum Severo Volaterrano, & Stephano Brixiense visitatoribus pro „ congregatione, & Stephanus Venetus eremita & Major Romam conce- „ dentes litibus silentium hunc in modum imponi passi sunt. " Subjicimus ex chartario Camaldulensi concordiæ articulos.

I. *In primis, quod ad capitulum sacræ eremi sui prioris electio pertineat, confirmatio vero ad definitores in tempore celebrationis capituli congregationis, & infra annum ad generalem & visitatores spectet, qui a die notificationis hujusmodi electionis in triduum ipsum priorem confirmare teneantur; quod si non fecerint, elapso dicto termino, ipso facto talis prior intelligatur esse, & sit apostolica auctoritate confirmatus, & immediate electus habeat administrationem & jurisdictionem, sicut habuerunt alii priores seu majores ipsius eremi a definitoribus capituli congregationis alias electi, ne interim eremus carere videretur. Qui quidem prior eligatur de anno in annum solus de numero observantium monachorum sive eremitarum Camaldulensis ordinis, & non possit unus idem eligi in priorem ejusdem eremi ultra triennium, nisi de consensu omnium dictæ eremi vocalium.*

II. *Item, quod generalis & visitatores peracta visitatione teneantur corrigenda corrigere, antequam a sacra eremo recedant; ita quod visita numquam transferatur ad definitorium, sed in ipsa eremo permaneat & comburatur. Et si aliquando acciderit, quod capitulo sacræ eremi dicti generalis & visitatores in modo vel qualitate corrigendi defecisse vel excessisse viderentur, ut in depositione prioris & in privatione vocum activarum & passivarum, tunc dicto capitulo liceat super hoc reverendissimum dominum protectorem seu vice-protectorem consulere, & fidem hujusmodi consultationis seu recursus dicto generali infra triginta dies præsentare teneantur; & quousque per ipsum rev. dominum protectorem super tali re non fuerit declaratum seu determinatum, dictorum generalis & visitatorum sententia executionem non habeat.*

III. *Item, quod in celebratione capituli congregationis neque prior, neque conventualis sacræ eremi intervenire debeant, & in futurum neque per idem capitulum, neque per ejus definitores, neque per generalem & visitatores*

tores dictæ congregationis circa sacram eremum ejusque loca & personas, vel alia quæcumque aliqua ordinatio fieri poterit, nisi tantum circa correctiones delinquentium in visitationibus per ipsos generalem & visitatores faciendas, ut supra dictum est.

ANN. CHR. 1532.

IV. *Item quod in expensis pro defensione & conservatione locorum principalium congregationis, ubi damnum & utile, commodum & incommodum futurum sit commune, sacra eremus debeat concurrere pro debita, convenienti & honesta portione. Et ita e converso, si unquam opus esset, pro dictæ sacræ eremi defensione & conservatione concurrere pro debita convenienti debeat congregatio, ac etiam quando occurrat occasio redimendi de commenda, & congregationi præfatæ aggregandi aliquem locum principalem de consensu sedis apostolicæ, idem servetur.*

V. *Item quod definitorium in tempore celebrationis capituli, & generalis, ac visitatores infra annum teneantur recipere & deputare in congregationis monasteria, & conventus omnes eremitas alterius religionis non professos id petentes, quotiescumque cum literis dimissoriis prioris vel capituli eremi ad dictos definitorium, vel generalem & visitatores se præsentaverint, & locum eis concedant, quem judicaverint, convenientem; & idem servetur per priorem & eremitas cum eis, quos de congregatione ad eremum se transferentes capitulum dictæ eremi acceptaret.*

VI. *Item constitutio illa sive ordinatio facta per capitulum congregationis circa residentiam generalis in anno* M. D. XVIII. *seu veriori tempore, nullius sit roboris vel momenti, ac si nunquam facta fuisset, & quod ullo unquam tempore etiam per capitulum generale seu generalissimum totius ordinis Camaldulensis dicta constitutio per præsentes abrogata atque deleta quovis prætextu seu colore revalidari aut renovari non possit. Et quod eremitæ pro sumptibus quotidianis per generalem faciendis & sustinendis teneantur singulis annis contribuere, & solvere generali pro tempore existenti ducatos quadraginta auri, ultra collectas consuetas.*

VII. *Item quod quandocumque & quomodocumque congregationis patres in præmissorum observantia deficerent, liceat eremitis reclamare in capitulo generali congregationis, vel infra annum coram generali & visitatoribus, & si ab hujusmodi illicitis vexationibus seu attentatis infra duos menses post reclamationem hujusmodi non destiterint, ac attentata hujusmodi non retractaverint, liceat dictis priori & eremitis ad gratiam separationis a sanctissimo domino nostro papa Clemente VII. impetratam redire judicio protectoris pro tempore existentis. Et quod ad præmissa omnia debeat accedere consensus apostolicæ sedis, & . . . . omnia rev. patres domnus Paulus de Tintis Laudensis generalis, ac domnus Severus de Vulterris, ac domnus Stephanus de Brixia visitatores præfatæ congregationis Camaldulensis tam suo, quam totius congregationis prædictæ nomine, pro qua etiam promittant de rato, & quod in proximo capitulo Ravennæ celebrando ejusmodi ratificatio obtinebitur, & dictis eremitis notificabitur infra viginti dies post capituli celebrationem ex una, & domnus Stephanus Venetus prior eremi Camaldulensis tam suo, quam omnium eremitarum nominibus, prout de tali mandato constare dicitur manu ser Juliani de burgo a Stia notarii publici sub die . . . . ex altera parte ratificent, confirment atque emologent, prout etiam ratificaverunt, confirmaverunt & emologaverunt* &c.

Acta fuerunt hæc Romæ in palatio sacræ pœnitentiariæ nuncupato, & in camera rev. domini protectoris die XVIIII. *aprilis anno a nativitate Domini* M. D. XXXII. *indictione* V. *pontificatus sanctissimi in Christo patris domini nostri domini Clementis divina providentia papæ VII. anno ejus* IX.

præ-

Ann. Chr. 1532.

præsentibus ibidem dominis Leonardo de Nasis & Andrea Tussio clericis Florentino & Parmensi testibus ad præmissa vocatis & rogatis . In præsentia rev. domini A... cardinalis sanctorum Quatuor Pistoriensis majoris Pœnitentiarii dictorum congregationis & eremi protectoris etiam consentientis & omnia approbantis .

Ego Franciscus de Attavanctis notarius publicus in curia Romana &c. *scripsi* &c.

Confirmata fuit hæc concordia in capitulo congregationis celebrato Ravennæ mense julio , immo brevi & auctoritate apostolica Clementis VII. die XXVII. maji pontificatus anno VIIII. validius roborata . Concordia tamen ista potius Paulo Laudensi , quam Bernardo Pistoriensi , ut vult Fortunius, tribuenda, cum separatio contigerit anno præcedenti , iterata unio anno præsenti . Quare Fortunii superior narratio corrigenda est ad normam sequentis officiorum distributionis in ordine Camaldulensi, quam ex publicis regestis subjungimus. Anno 1525. XIII. maji Paulus a Laude electus fuit abbas generalis congregationis cum Bartholomæo Florentino & cum Vito Veneto visitatoribus. Anno 1526. XXVIII. aprilis idem confirmatus cum visitatoribus Gregorio Bergomensi & Severo Volaterrano . Anno 1527. XI. julii idem in tertium annum cum Innocentio Bergomate & Timotheo de Biblena visitatoribus. Anno 1528. XXIII. maji Bernardus Pistoriensis suffectus abbas generalis cum visitatoribus Cypriano Comensi & Nicolao de Aviano . Anno 1529. XXIII. aprilis idem cum visitatoribus Paulo de Laude & Jacobo Veneto. Anno 1530. XIV. maji idem confirmatus cum visitatoribus Hieronymo Brixiense & Nicolao de Aviano. Anno 1531. III. junii Paulus a Laude secunda vice electus abbas generalis cum Severo Volaterrano , & Stephano Brixiense visitatoribus . Anno demum 1532. XXV. julii confirmatus Paulus cum Bartholomæo Florentino , & Johanne-baptista Patavino visitatoribus . Ex ipsa concordiæ syngrapha , quam mox attulimus, non Bernardus Pistoriensis , sed Paulus Laudensis generalis congregationis evincitur , cui tribuenda unionis gloria, quandoquidem sub ipso ante annum etiam separatio inducta fuerat.

V. Clementis VII. plura brevia.

Clemens VII. kalendis octobris pontificatus sui anno IX. ecclesiam parœcialem sancti Nicolai de Burgo-sancti-Sepulcri per liberam resignationem Benedicti Lazari monachi Camaldulensis , qui institutus fuerat ejus rector, antequam abbatia Burgensis in cathedralem erigeretur , univit congregationi monachorum Camaldulensium , accedente consensu Leonardi episcopi ejusdem urbis ; hanc igitur ecclesiam Burgenses congregationi tradiderunt die XVIII. februarii anni sequentis.

Die decima-sexta ejusdem octobris brevi : *Cum nos* , facultatem eidem congregationi fecit alienandi bona pro scutis quatuor millibus ad præstandum subsidium a se impositum pro bello contra Turcas ; ex archivo sancti Romualdi de Urbe.

Capitulo etiam canonicorum sancti Laurentii de Florentia univit XVIII. kalendas decembris monasterium sancti Johannis-baptistæ de Acereta , & prioratum sancti Barnabæ de Gamugno , quæ fuerant monasteria congregationis Avellanensis . Adjunxerat anno 1526. V. idus maji eidem capitulo abbatiam sancti Benedicti in Alpe sive de Bifurco , in qua aliquo tempore domicilium & regimen habuerat sanctus Romualdus.

Permisit demum die XXIV. maji demolitionem ecclesiæ sancti Romualdi & sanctæ Agathæ de Monticulo, cum conditione reædificationis alterius ecclesiæ sub invocatione sanctorum Jacobi & Romualdi , Antonio Jacobo episcopo Camerinensi , ut ex humanissimo & Cl. V. Octavio Turchio retulimus

mus ad annum 1292. quod ipse memorat in novissimo opere suo elaboratissimo de episcopis Camerinensibus. [a]

Adam abbas Montis-christi possessionem accepit ecclesiæ sanctæ Barbaræ & parœcialis sancti Nicolai de Moriano in Ampugnano diœcesis Marianensis, & sancti Pauli de Conca die XVI. aprilis.

Camillus Lucarelli de Monte-bodio commissionem habens a B.. episcopo Casalensi & gubernatore provinciæ Marchiæ multa violenta egit in parthenone sancti Sebastiani de Fabriano pro inquirendo capite sancti Constantii, de quo diximus ad annum 1528. quod tamen in eo monasterio inventum non fuit, sed caput alterius Sancti, adeoque cessavit persecutio contra sanctimoniales excitata ab ipso anno 1528.

Acta est Romæ hoc anno altera concordia inter Paulum Laudensem congregationis generalem, & inter Petrum Cinughium commendatarium abbatiæ Urani circa eamdem abbatiam.

ANN. CHR. 1532.

a Pag. 302.

DIE tertia augusti coram Gregorio Magalotto electo Liparensi Clementis VII. vice-camerario & Urbis gubernatore constitutus comes Galeotus de Malatestis de Sogliano sponte renuntiavit liti ipsum inter & Camaldulenses vertenti in Rotæ auditorio de possessionibus & ecclesia sanctæ Mariæ de Cella nullius diœcesis, promittens de cetero nullam amplius molestiam allaturum; quam promissionem non servavit, quare iterum adactus est XXVII. augusti anni 1535. a Ludovico Gomesio auditore sacri Palatii episcopo Sarniensi, cui id commisit Paulus III. solvere etiam fructus hactenus perceptos injuste super eo beneficio.

ANN. CHR. 1533. VI. Collectio plurium monumentorum.

Renuntiante Nicolao Rodulphio S. R. E. cardinali fit abbas commendatarius Avellanensis Fridericus Fregosius episcopus Eugubinus, qui cardinali e contra, probante pontifice, archiepiscopatum Salernitanum dimisit; ex Sartio in episcopis Eugubinis [b].

b Pag. 216.

Hieronymus Suessanus Major eremitarum Coronensium & Petrus Fanensis prior abbatiæ sancti Salvatoris Montis-acuti vigore brevis Clementis VII. unierunt abbatiæ præfatæ in perpetuum beneficia sancti Petri de Scharceto, sancti Lazari, sancti Angeli Pontis-Lanensis Perusinæ diœcesis, & sancti Benedicti Eugubinæ vel Tiphernatis diœcesis die XXIII. augusti hujus anni. Item penultima die decembris alia beneficia sancti Maffæi de Montona, sanctæ Mariæ de Montina, & sancti Petri de Carpinibus Castellanæ diœcesis, possessionem ineunte Tito eremita abbatiæ sindico.

Cum lis penderet coram consilio Decem-virorum inter monachos Camaldulenses & Montis-oliveti quoad præcedentiam in publicis supplicationibus, Jacobus Pisauro episcopus Paphensis conservator apostolicus jurium & privilegiorum Camaldulensium assumptus in judicem ab utraque parte, die XXVIII. maji pronuntiavit Camaldulenses potiorem locum tenere debere præ monachis Montis-oliveti propter ordinem antiquiorem, expresse declarans, quod dextera manu data Camaldulensibus, monachi Montis-oliveti sinistram tenerent procedentes sub vexillo Camaldulensi; si autem proprium vexillum erigere vellent, irent in locum suum juxta ordinationem factam in eodem Decem-virorum consilio anno Domini 1502. die XXIX. aprilis.

Leo X. sexto Kalendas maji anni 1521. Thomæ de Rossettis Ferrariensi monacho Montis-oliveti commendaverat Camaldulensem ecclesiam sanctæ Mariæ de Lacu prope Britonorium subjectam abbatiæ Uranensi, & mandaverat episcopis Casertano & Signino, ac vicario episcopi Britonoriensis, ut eumdem in possessionem immitterent. Cum vero impediretur ejus possessio, iterum Hadrianus VI. pridie Kalendas septembris anno sequenti mandave-

ANN. CHR. 1533.

daverat episcopis Casertano, Vigorniensi & vicario ejusdem episcopi Britonoriensis Leonis bullæ executionem. Tertio demum id præstitit pridie kalendas decembris hujus anni Clemens VII. mandans Pisaurensi & Casertano episcopis, ac vicario Britonoriensi, ut pacifice Thomas in possessionem induceretur, qui vicarius demum anno sequenti die quinta-decima-septembris tradidit præfato monacho ejusdem ecclesiæ possessionem.

Quarta maji capitulum generale congregationis convenit in urbe Ravenna ad abbatiam sanctorum Lazari & Bartholomæi.

ANN. CHR. 1534. VII. Pia mors Petri Fanensis eremitæ. a Lib. IV. cap. III.

„ CLEMENS VII. Romanus pontifex ex Luca Hispano [a], quamdam „ non modicam pecuniarum summam in opus fabricæ eremi Mon„ tis-coronæ erogare se velle declaraverat; quo nuntio accepto Petrus Fa„ nensis (olim Galeatius ex Gabriellia gente) ante trimestrem Major ef„ fectus societatis sancti Romualdi, de consilio patrum Romam perrexit „ hoc anno, a pontifice idem subsidium recepturus. Et ecce Urbem in„ gresso Clementem graviter infirmari ei nuntiatum est, cujus rei even„ tum ibidem expectare decrevit Petrus. Fervebat equidem tunc temporis „ æstivus calor, nimirum regnante canicula. Intra paucos ergo dies, dum „ Clementis salutem præstolatur, & ipse febricitare cepit, atque invale„ scente deinde morbo, in brevi viam universæ carnis ingressus est. Is „ cum jam morti appropinquasset, voce omnino vi morbi privatus, per „ biduum obmutuit. Interim urgentissimis animi passionibus ac dæmonum „ tentationibus per immissas illusiones cruciatur, coactus passim gemitibus „ atque suspiriis dolores intrinsecos exterius manifestare. Interrogabant eum „ Cappuccini patres, apud quos ægrotare ei contigerat, quibusne idoneis „ saltem signis respondere valebat. Tandem cum jamjam spiritum exhala„ re vellet, ecce repente os ejus apertum est, & exclamans exultantis mo„ do, ter hanc vocem repetitam emisit: *Ego vici, ego vici, ego vici: Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*; tunc sequentem versum su„ scipientes fratres totum canticum alternatim dicentes persolverunt; quo „ finito, felix ejus anima ad cœlos migravit. Obiit vero in sancta Eu„ genia, ubi tunc patres Cappuccini habitabant, quique de tam beato de„ functi fine plenum testimonium præbuerunt, qui etiam ibidem ejus cor„ pus honorifice sepelierunt anno M.D.XXXIIII. mense augusto, die san„ cti Augustini. Nec est, quod dubitemus pretiosam fuisse in conspectu „ Domini mortem Sancti hujus, qui vere non solum præcepta, sed & „ consilia evangelica adimpleverat. Qui dum dives esset, ut pauper in „ plena juventute vixit, inter rixas & controversias fratrum consanguineo„ rumque suorum ab intima cordis pace non discessit, juvenis & potens „ illecebris mundi nunquam se miscuit, tandem ut Christum nudus perfe„ cte sequeretur, omnia, quæ habebat, reliquit, & religiosus factus in „ strictissima observantia, perfectissime degens, exultando moriens animam „ Dei laudibus involutam emittere meruit. " Tempore, quo Petrus erat Major & prior sancti Salvatoris, confirmavit communi Civitatis-Castelli in viginti-novem annos castrum Certalti cum omnibus suis muris & carbonariis cum palatio & domibus, & cum tribus partibus turris dicti castri. De Petro agunt agiographi omnes nostri, Beatique titulum tribuunt communiter.

Ceterum etiam ipse Clemens VII. moritur die XXV. septembris; eligitur autem XIII. octobris in ejus locum Alexander Farnesius, qui assumpto nomine Pauli III. tertio nonas novembris confirmavit prius beneficiorum renuntiationem olim factam ab eodem Petro Fanensi, ac abbatiam sancti Salvatoris Montis-acuti cum ceteris beneficiis perpetuo adjunctam voluit societati

cietati sancti Romualdi. Eadem die bulla *Rationi congruit*, amplissima privilegia concessit eidem societati, ac ea omnia, quæ tum eremo, tum sancti Michaelis eremitarum & monachorum Camaldulensium congregationi a Leone X. concessa fuerant, communia ipsi voluit, aliaque addidit, quæ postea Gregorius XIII. extendit ad totam eremitarum & monachorum congregationem. Reperitur bulla in libro edito Privilegiorum Camaldulensium.

ANN. CHR. 1534.

VIII. Capitulum Classense congregationis.

In capitulo celebrato a congregatione hoc anno in monasterio Classis mense aprili data fuit facultas priori sancti Severi de Perusio apprehendendi possessionem prioratus sanctæ Mariæ de Valle, nomine sui monasterii, sicut possessionem etiam accepit prioratus de Castro-leone. Beneficium sanctæ Floræ de Noceto Clusinæ diœcesis declaratur subjectum eremo de Vivo. Commendatarius abbas monasterii Decianensis, quod olim unitum fuerat alteri sancti Benedicti extra Florentiam nunc penitus everso, proponit congregationi resignationem dictæ abbatiæ. Cum autem in capitulo congregationis monachorum confirmanda esset electio Majoris seu prioris eremi, edita fuit sequens formula in electione facta in Majorem Gregorii Bergomensis ab eremitis: *Nos præsidens & definitores capituli generalis venerabilis congregationis venerandis in Christo fratribus nostris capitulo & eremitis nostræ eremi Camaldulensis salutem in Domino, & sinceræ caritatis affectum. Significastis nobis per vestras literas fratres dilectissimi vos nuper more solito capitulariter congregatos elegisse in priorem pro præsenti anno nostræ sacræ Camaldulensis eremi venerabilem virum domnum Gregorium Bergomensem, nullo eorum, quæ ad hujusmodi electionem faciendam conveniunt, prætermisso, petentesque & supplicantes, quatenus istiusmodi electionem vestram confirmare dignaremur. Nos igitur prædicti præsidens & definitores prælibati capituli generalis congregationis, quibus de jure hæc confirmatio spectare dignoscitur, justis supplicationibus vestris inclinati, auctoritate officii nostri & auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, tenore præsentium laudamus, approbamus & confirmamus electionem & creationem vestram hujusmodi, in quantum possumus, vos omnes hortantes in Domino, ut priori huic vestro a vobis canonice electo, & a nobis sic confirmato omnem exhibeatis obedientiam & reverentiam, nec non pro universalis religionis nostræ felicissimo statu, & pro nobis Dominum assidue deprecari debeatis. Optamus vos omnes semper in Domino valere, & nostri meminisse. Datum in nostra abbatia Classensi Ravennæ die* IV. *aprilis* M.D. XXXIV. *Frater Johannes-baptista Mazzollano de Padua scriba capituli de mandato ss.*

In ipso capitulo magistratum deponente Paulo Laudense generali, & Salvatore Volaterrano ac Eliseo Januensi visitatoribus, qui electi fuerant die quinta maji anni præteriti, suffectus fuit die XXX. aprilis in abbatem generalem Parisius Tarvisinus, assumptis in visitatores Bartholomæo Grillandaria Florentino, & Paulo Laudense. Perseveravit in officio Parisius triennio, creatis XXI. aprilis anni sequentis visitatoribus Severo Volaterrano, & Benedicto Veneto; anni autem 1536. XVI. maji Cypriano Novocomensi & Bartholomæo Florentino.

IX. Reformatio monasteriorum Tarvisinorum facta a monialibus sancti Parisii.

Cum monasteria sanctimonialium Tarvisinæ urbis effectu bellorum & vicissitudinum humanarum aliqua passa fuissent in monastica disciplina detrimenta, Franciscus Pisanus S. R. E. cardinalis & perpetuus commendatarius episcopatus Tarvisini dedit in mandatis Andreæ Salomonio canonico Tarvisino vicesque suas gerenti, ut in iis reformationis leges induceret, advocatis etiam monialibus ex aliis asceteriis, quæ disciplinam repararent. Cum itaque monasterium sancti Parisii pietate & observantia in eadem urbe in primis tunc floreret, colloquio habito Salomonius

Ann. Chr. 1534.

nius cum Parisio priore tunc sancti Mathiæ de Muriano vicario Pauli Laudensis abbatis generalis, & cum ceteris abbatibus Camaldulensibus urbis Venetiarum, expetiit tres moniales sancti Parisii, quæ ad monasterium Omnium-Sanctorum accederent, ibidemque instituta regulæ sancti Benedicti efflorescere facerent; id quod peractum fuit die VI. aprilis hujus anni, Maura Raynalda moniali sancti Parisii electa in abbatissam parthenonis Omnium-Sanctorum. Pariter die XVI. septembris per Catherinam Coneglanensem sancti Parisii monialem aliamque sociam reformatum fuit monasterium sanctæ Mariæ-novæ ejusdem urbis ordinis Cisterciensis, annuente eodem Parisio tunc generali abbate existente. Die tamen eadem XVI. septembris decretum tulit idem Parisius, ne deinceps adhiberentur moniales sancti Parisii ad ceterorum locorum reformationem, metuens, ne dum aliis monasteriis provideretur, aliquid damni eveniret asceterio sancti Parisii, quod melioribus monialibus privabatur. Huic decreto nihilominus derogatum fuit, ut sub aliis annis videbimus. Translationes harum monialium factas approbavit die XVI. novembris Antonius Puccius cardinalis & summus pœnitentiarius, ac ordinis Camaldulensis protector.

Inscriptio in veteri pavimento ecclesiæ sancti Gregorii de Urbe: *Catharinæ Albertæ fœcunditatis & pudicitiæ lectissimæ feminæ Simon Tornabonus Mediceæ domui conjunctissimus decennio in Urbe senatoria dignitate perfunctus uxori incomparabili posuit. Vixit annis* LX. *Obiit pridie kalendas decembris* M. D. XXXIIII.

Ann. Chr. 1535.
X.
Pauli III. brevia pro Camaldulensibus.

PAULUS III. pontificatus sui anno primo IV. nonas octobris Peregrino de Tosetis priori Camalduli-Veronensis concessit ecclesiam sanctorum Quirici & Julittæ ejusdem Veronensis urbis, quæ vacabat ob cessionem Hieronymi de Callivis ultimi ipsius rectoris. Datum Gallesii Civitatis-castellanæ diœcesis. Supplicem postea libellum obtulit Peregrinus summo pontifici pro unione ejusdem ecclesiæ monasterio præfato Camalduli. Membrum erat Camaldulum Veronense monasterii sancti Michaelis de Muriano, aggregatum a capitulo anni 1513. & approbatione Leonis X. unitum Veneto cœnobio, cujus nomine ipsum regebat Peregrinus. Idem Romanus pontifex XVI. kalendas martii univit ecclesiam sancti Georgii de Pratello Faventinæ diœcesis ecclesiæ sanctæ Mariæ de Fermellino, quæ erat membrum abbatiæ sancti Hippolyti de Faventia. Demum IV. kalendas novembris approbavit donationem hospitalis de Misericordia factam seculo antecedenti Classensi monasterio ab Ostasio Polentano, decernens præterea, ut licet lecti non amplius tenerentur in eodem hospitali pro pauperibus, sufficerent eleemosynæ bis in hebdomada erogatæ pauperibus, & quotidianæ, quæ erogabantur, nec non dotes, quæ aliquando subministrabantur pro puellis in matrimonium jungendis a monasterio Classensi, mandans episcopo Florentino, & vicariis episcoporum Bononiensis & Ferrariensis defensionem ejusdem hospitalis, & concedens, ut super aream dicti hospitalis continuaretur erectio monasterii novi Classensium monachorum translatorum intra mœnia Ravennæ ex veteri sancti Apollinaris in Classe abbatia. Monasterium ipsum etiam Classense cum omnibus bonis suis suscepit sub protectione sanctæ sedis, & confirmavit vetera illius privilegia.

Per patres definitores capituli hujus anni habiti ad sanctæ Mariæ ad Carceres cœnobium sancti Viti urbis Vicetinæ, quod jamdudum declaratum fuerat membrum alterius sancti Mathiæ de Muriano, erectum fuit in monasterium principale congregationis. Locus appellatus *la cella del Monte* in territorio Ariminensi collatus Marco Veneto monacho a Roberto secretario legati Venetiarum unitus est abbatiæ Classensi.

PRÆ-

ANN. CHR. 1535.
XI.
Dedicatio ecclesiæ S. Michaelis de Muriano.

PRÆSENTI anno facta est dedicatio novissima templi sancti Michaelis de Muriano a Vincentio de Massariis episcopo Milopolitamense, suffraganeo Hieronymi Foscari electi Torcellani, ad instantiam Venturæ Veneti abbatis sancti Michaelis, Cypriani de Como abbatis Carcerum, & Stephani de Prevostis Brixiensis prioris ejusdem monasterii sancti Michaelis, ad honorem sancti Archangeli, & altare majus reliquiis decoratum est beati Matthæi apostoli, beati Hieronymi doctoris, ac beati Gentilis confessoris VII. die novembris, quod non fuerat amplius consecratum; id intelligendum est de novissimo templo, nam primum consecratum fuerat ab Ugolino cardinale Ostiense anno 1221. Corrigendus est Fortunius, qui habet ad VII. idus septembris, ex inscriptione, quam subjungimus: *Vincentius de Massariis episcopus Milopolitamensis ecclesiam hanc in honorem beati archangeli Michaelis, tempore rev. domni Venturæ Veneti hujus monasterii abbatis consecravit, & in hujus dedicationis anniversario visitantibus* XXXX. *dies de vera indulgentia perpetuo concessit anno Domini* M.D.XXXV. *septimo idus novembris.* Die IV. novembris consecrata fuit etiam ecclesia sanctæ Catharinæ de Cæsena monialium Camaldulensium a Laurentio de Sanctorellis episcopo.

ANN. CHR. 1536.
XII.
Mors Pauli Laudensis abbatis Camaldul.

INDIGNAM profecto mortem tulit hoc anno Paulus Laudensis e familia Tinctorum, qui bis generalatum in ordine tenuerat, regebat autem tunc abbatiam Classensem. Eam referimus verbis Fortunii [a]. „ Tulerunt, „ inquit, hæc tempora Paulum Laudensem virum secundum usum rerum „ longe sapientem, & ad gubernandum miro naturæ instinctu natum. Is „ a primis conversionis suæ annis magnæ prudentiæ signa cum præ se tu„ lisset, quæsturam & procurationem cœnobii sancti Michaelis Muriani sum„ ma cum laude primum gessit. Deinde vicarium congregationis, viven„ te Petro Delphino, deinde abbatem Classis non semel, & eo mortuo „ generalis primus totius ordinis factus per triennium, rursusque post Ber„ nardum Pistoriensem ad eamdem dignitatem assumptus, & intermedio „ tempore & post abbas Classis rediens. Quamobrem sicut multum aucto„ ritate valuit, sic etiam Clementis VII. papæ familiaris extitit, adeout „ pecunias non semel (ut ferunt) eidem mutuo dederit. Novissime cum „ cœnobium Classis administraret, ibi miserabiliter interfectus est anno 1536. „ nocte sanctæ Catharinæ natalem præcedente. Porro ejus interitus hanc „ fuisse causam perhibent. Enutriverat Paulus duos juvenes monachos ibi „ ex Balneocaballo oriundos, quasi filios, quibus omnem apprehendendi „ studiorum facultatem dabat, ut in viros doctos possent evadere. Illi au„ tem, sive ut pecuniis cœnobii ditarentur, sive ut dictitatum est, quod „ Paulus factionum adversæ partis eorumdem fautor esset, noctu latenter „ ejus cubiculum ingressi, dormientem quatuordecim illatis vulneribus „ peremere. Exinde ad scrinia accedentes, ablatis pecuniis, Mirandulam „ versus fugam iniere. Qui dum portæ propinquarent, Ludovicum Picum „ principem obvium forte fortuna habent. Qui quidem eos suffarcinatos „ & maxime anxios advenire intuitus, quinam sint, quidve ferant, eos „ interrogavit. Quibus obmutescentibus suspicatus vir vere pius, hos fu„ res esse, sacculos pecuniarum sibi tradi facit, & liberos abire permittit. „ Horum alter Romualdus nomine, qui diaconus erat, Parmam profectus „ est, ubi Franciscanam familiam ingressus, quadam die dum altaris mi„ nisterio deserviret, a quodam suo familiari agnitus est, & cardinali de „ Monte legato justo Dei judicio proditus. Qui tormentis examinatus sine „ cunctatione facinus omne retexit, & quomodo princeps Mirandulæ pe-

„ cunias

a *P. II. lib. IV. cap.* 26.

ANN. CHR. 1536.

„ cunias haberet, quæ cœnobio Classensi deberent restitui, & exinde sus„ pendio spectaculum populo præbuit. Quibus auditis princeps Mirandu„ lanus sine mora pecunias ad cœnobium remisit. Alter Franciscus nomi„ ne in sacerdotio constitutus, quo secesserit, aut quomodo vitam finie„ rit, nihil certi ad nos perlatum est. Existimatur autem & ipsum meritas „ pœnas justa Dei sententia dedisse. " Non omnia exemplaria edita Fortunii historiam hanc referunt, sed pleraque sunt trunca, finiuntque ad medietatem capitis.

Andreas Grittus dux Venetiarum suo bullato diplomate facultatem facit monachis sancti Mathiæ de Muriano apprehendendi possessionem monasterii sancti Benedicti de Fileto prope Coneglanum. In tabulario Fontisboni [a] legitur sub hoc anno die XVI. octobris Paulum quondam Nicolai legum doctoris de Federicis civem Opiterginum Eliæ & Antonio monachis & eremitis ordinis Camaldulensis loci sancti Benedicti de Fileto diœcesis Cenetensis donationem terrarum & proventuum annuam fecisse, ut Deo jucundius servirent, vult autem, ut ipsis non commorantibus in dicto loco, in eadem donationis jura succedat eremus Camaldulensis.

a §. *Donatio A. 6. 12.*

XIII. De Benedicto Veneto monacho scriptore.

BENEDICTUS Venetus monachus sancti Michaelis de Muriano edidit hoc anno Venetiis typis Bartholomæi de Zanettis librum, cui titulum fecit: *Preparazione dell' Anima razionale alla Divina grazia, e dell' uso di essa grazia secondo la influenzia del lume Divino*. Quod opus castigavit postmodum, secundisque curis edidit itidem Venetiis anno 1616. apud Matthæum Quarti Benedictus Puccius Romanus alter monachus Camaldulensis. In epistola præfixa huic secundæ editioni Puccius testatur Benedictum Venetum per ea tempora, quæ vixit, multa doctrinæ & sanctimoniæ fama floruisse: is monasticum cucullum a Paulo Orlandino accepit in dicto monasterio die XVII. octobris anni 1516. ubi & nona novembris anni sequentis professionem regularem emisit. Inter visitatores Camaldulenses ad annum 1535. reperitur Benedictus Venetus.

Alteri monacho sancti Michaelis, Johanni-baptistæ nimirum Cremensi, copia fit hoc anno adeundi Gryptas Massaccii, ibidemque probandi vitam eremiticam. Rediit tamen Johannes ad locum suæ professionis & ad monachorum congregationem anno 1551. ut legitur in *actis* capituli generalis illius anni, evasitque vir tum doctrina, tum negotiis gerendis præclarus.

Scriptiunculam de origine monasterii sanctæ Crucis Fontis-avellanæ absolvit hoc anno sub Friderico Fregosio episcopo Eugubino & commendatario abbate Font-avellanense anonymus monachus, quem memorat Sartius [b] in episcopis Eugubinis. Ad annum sequentem in necrologio Avellanensi adnotatur obitus Antonii Pini de Bergomo abbatis de Sorticulo, vicarii generalis domini archiepiscopi Salernitani, nimirum Fregosii.

b *Pag.* 217.

XIV. Obitus Pauli Carrariensis fundatoris cœnobii Terræ-arsæ.

OBIIT Paulus Carrariensis fundator cœnobii sanctæ Mariæ de Misericordia Terræ-arsæ in diœcesi Patavina ex sequenti inscriptione, quæ ab imperito lapicida vitiata in hunc modum legenda est, ut etiam apud Salomonium legitur in Inscriptionibus agri Patavini: *Paulus. Carrariensis. Bergomas. de. instaurata. per. eum. religione. sancti. Marci. benemeritus. canonicus. hujus. cœnobii. primus. auctor. doctor. &. prædicator. egregius. senex. felix. hic. recubat. cujus. anima. ad. beatas. sedes. abiit. pridie. nonas. octobris.* M. D. XXXVI. Hæc ecclesia Mantuano monasterio sancti Marci primum canonicorum regularium, postea ordinis Camaldulensis unita, modo & præsertim ara major, a moderno ejus rectore monacho nostro ab antiquitatis injuriis tollitur, decentique opere & picturis ornatur; venerationem ibidem obtinet imago B. Mariæ V. ad quam non solum ex vicinis regionibus,

sed

ANN. CHR. 1536.

sed etiam ex Ferrariæ, Romandiolæ, Mutinæ & Parmæ ditionibus confluunt populi beneficia petituri, gratiasque curationum impetraturi. Historiam ejus imaginis descriptam habes [a] apud Cl. V. Flaminium Cornelium in collectione historica Imaginum beatæ Mariæ Virginis prodigiis illustrium.

a Pag. 177.

Ad Carceres convenerunt patres hoc anno pro capitulo congregationis habendo.

Coram Hieronymo Capite-ferreo episcopo Recinetensi Benedictus a Venetiis procurator monasterii Classensis appellavit ad summum pontificem Paulum III. super jura prætensa ab episcopo Fanense in ditionem Ravignanæ spectantem ad abbatiam Classensem. Frequentes erant Fanensium, & Foro-sempronienfium episcoporum prætensiones, ob quas tandem consultum visum est abbatibus Classensibus seculo sequenti eamdem Ravignanæ ditionem cedere episcopis, permutationibus factis.

ANN. CHR. 1537. XV. Fundatio eremi Rhuensis.

HIERONYMUS Suessanus ex primis Justiniani alumnis hoc anno a patribus congregatis in capitulo Montis-coronæ Venetias mittitur ad fundandam eremitarum Camaldulensium coloniam. Is Suessanus patria e familia Nipha prima rudimenta posuit in urbe Neapolitana, philosophiæ & medicinæ studiis addictus, lauream doctoratus suscepit, familiarissime quoque usus est illustribus ejus ævi viris, & præsertim Johanne-petro Caraffa. Cum advenisset in Urbem Caraffa sub finem pontificatus Alexandri VI. ad patruum cardinalem Oliverium, vestigia ipsius sequutus est etiam Hieronymus, & ejus patrocinio, nec non suffragantibus aliis cardinalibus & prælatis officium obtinuit proto-medici, quod exercuit cum maxima ingenii felicitate, & omnium gratia sub Julio II. & sub Leone X. qui postremus etiam Augustinum Niphum Hieronymi propinquum Romam evocavit ad philosophiam tradendam. Cum sub Leone X. frequens esset in curia Paulus Justinianus, amicitiam cum Caraffa & cum Hieronymo Suessano contraxit, tam arctam autem cum isto, ut eum traxerit ad suas Massaccii cryptas, & ipsum habuerit unum ex primis novi instituti ascetis. Mirum quæ de Hieronymi austeritate & paupertate refert Lucas [b] Hispanus. „ Indumenta, quibus induebatur, vetula semper, ac sæpe in dorso contrita, & sub tali veste asperrimum latebat cilicium, ab humeris ad poplites usque descendens, nec non plerumque lumbis admotam plumbi laminam detulisse verissimo patrum testimonio compertum est, & cum his omnibus a corporali seu manuali opere statutis horis nunquam abstinuit. De jejuniorum observantia superfluum est dicere, cum tota ejus vita perpetua abstinentia extiterit. Abhorruit non solum rerum proprietatem, verum etiam quarumcumque rerum abundantiam, idque tam ratione privatæ ipsius commoditatis, quam communis totius religionis utilitatis. Oratio illi perpetua, utpote qui nusquam non mentem in Deum elevatam gerebat. Sed inter omnes suas pias actiones præcipua in Virginem matrem ignita devotio. Hoc insuper in homine admirandum venit, quod quanto erga se austerior videbatur, tanto in alios ostendebatur benignior. “ Hieronymo itaque hoc anno in capitulo celebrato mense majo apud Montem-coronam demandata fuit perquisitio loci in ditione Veneta ad eremum fundandam, ut quod vivens Justinianus non obtinuerat, obtineretur saltem post ejus mortem, datis ipsi sociis Eusebio sacerdote, Petro Anconitano clerico, & Arsenio Cingulano converso. Prosequitur Lucas: „ Arsenio igitur converso itineris comite assumpto Venetias pervenit, ubi omni sollicitudine, multisque adjutoribus adhibitis, locum ad suam intentionem aptum investigare non cessavit. At per dies multos in simili investigatione defatigatus, videns non prodes-

b Lib. IV. cap. IV.

„ se

ANN. CHR. 1537.

„ ſe laborem, dum nil reperiri ſibi vacuum experitur, in Iſtriam quaſi
„ in deſertiorem regionem navigare ſtatuit. Sed ecce navigantem eum ſu-
„ bita tempeſtate immiſſa, illo ire prohibuit Deus, atque in urbem re-
„ dire coegit. Tunc demum mutata ſententia, Hieronymus & Arſenius
„ Bononiam ituri celeriter arripiunt iter. Qua de re certior factus clariſ-
„ ſimus Franciſcus Juſtinianus beati Pauli ex fratre nepos eos velociter in-
„ ſequitur, atque conſequitur; hortatur & orat per diem ſaltem eos in
„ urbe detineri, partim ut maturius rei deliberatio fieret, partim ut ge-
„ nerali Camaldulenſi eoſdem videre cupienti ſatisfaciant. Ut ergo tanto
„ viro tamque impenſe roganti complaceant, Venetias revertuntur. Erat
„ tunc temporis Camaldulenſis ordinis generalis domnus Manſuetus de Mar-
„ tinellis Bergomenſis vir non aſpernandæ auctoritatis, qui cum aliquan-
„ do audiſſet hoc genus eremitarum ordinis Camaldulenſis ſui gregis non
„ eſſe, (anno ſcilicet 1525. diſſoluta fuerat eorum aggregatio) geſtiebat
„ eos tamquam oves errantes videre, non tamen quod eis aliquid dare
„ aut beneficium conferre intenderet. Tanto tempore anxius quæſierat Hie-
„ ronymus optatum locum, nec invenerat, & ecce diſcedenti nec amplius
„ quærenti, quod ſitiebat, ultro offertur. “ Tum narrat Lucas Hiſpanus generalem Manſuetum propoſuiſſe monaſterium pene deſertum & dirutum cum eccleſia ſanctæ Mariæ de Rhua territorii Patavini in montibus Euganeis, quod ad patrimonium cœnobii ſancti Mathiæ de Muriano pertinebat, cujus primordia nos ad annum 1339. retulimus. Coacto capitulo monachorum ſancti Mathiæ, conſenſus ſtatim præſtitus fuit die XXVIII. junii a Pariſio priore & a cœnobitis, cenſu appoſito duarum librarum ceræ. Excepit locum Hieronymus, & ad locum ſe conferens, montemque aſcendens reperiit fundamenta veteris oratorii, ubi olim Johannes Veronenſis & Antonius Albignaſcius eremitæ habitaverant, fundamenta quoque eremi ſeu monaſterii, quod erexerant monachi ſancti Mathiæ ex donatione Ildebrandi epiſcopi Patavini, cetera autem omnia horrida, ſaxis & ſpinis referta. Moratus eſt ipſe cum ſociis multo tempore ſub ſtoreis, donec aliquæ cellulæ & tuguriola ædificarentur. Ceterum enituit pietas Franciſci Juſtiniani, qui de omnibus neceſſariis eremitas providit, Balthaſſaris etiam Mauri patricii Veneti, qui alia ad Dei ſervos fovendos ſubminiſtravit, ligneum quoque oratorium cum devotiſſima ſacratiſſimæ Virginis imagine extruxit; ſed præcipue effulſit religio Galeatii Bigolini Patavini civis, qui animum adjecit ad ædificationem eremi & eccleſiæ, opem ferentibus vicinis Torriliæ & Galzignani populis. De Bigolino illud affirmatur, quod finito templo, cujus ſtruturæ potiſſimum intendebat, ſtatim mortem oppetierit, perinde ac votum ſuum jam compleſſet. Capitulum Coronenſe anno 1542. approbavit donationem loci factam hoc anno a monachis ſancti Mathiæ, locumque Rhuæ declaravit caput Venetarum eremorum, cum facultate erigendi ibidem tirocinium. Paulus autem III. anno 1543. die XXVII. octobris eamdem donationem ratam habuit, & apoſtolico munimine fundationem eremi roboravit.

Hic loci prætereunda non eſt religio & devotio, quam erga Rhuenſem eremum, ejuſque nobiliſſimam ædificationem oſtenderunt Venetæ familiæ Cornelia, Contarena & de Priolis, ac Patavinæ Zabarella, Torrilia, Obizia, Borromæa & Candia. Favere etiam ædificiorum extructioni Johannes-matthæus Gibertus epiſcopus Veronenſis, Hieronymus Argentinus epiſcopus Leſinenſis, Franciſcus Piſanus cardinalis epiſcopus Patavinus; hic poſtremus veterem cenſum debitum eccleſiæ Patavinæ in perpetuum condonavit. Acquiſitionem loci juvit & Johannes-petrus Caraffa antiquus Hie-

ronymi

ronymi amicus. Ferunt Hieronymum eremitam fundatorem, qui olim patrimonium divitiasque suas pauperibus, qui se magis indigebant, erogaverat, non paucas eleemosynas sibi oblatas viriliter hoc tempore refutasse, & inter ceteras possessionem sibi donatam ab Antonio Musato Patavino positam ad radices sui montis. Ornatissima ecclesia sollemni ritu consecrata fuit die XXIII. martii anni 1549. a Tito episcopo Cheronense sub titulo Annuntiationis beatæ Mariæ. Gaspar Obizius Patavinus obtulit huic ecclesiæ portionem ligni sanctæ Crucis, quam ipse dono habuerat a regina Neapolis, cui inserviebat, detractam ex majori portione, quam regina sexaginta mille ducatis emerat a Soldano. Modo hæc particula adservatur ad altare sancti Caroli. Cellulæ eremi largitionibus nobilium virorum extructæ sunt, multæque posteriori tempore a Friderico cardinale Cornelio episcopo Patavino. Domus siquidem Cornelia beneficentissima semper fuit in eremitas Rhuenses; & dux Venetiarum Johannes Cornelius ecclesiam refecit, capellamque Salvatoris extruxit, dotavit, ornavit, imaginemque sancti Francisci posuit pictam a Johanne Rottaharmar Flandro, reliquiis insuper ditavit, vasis sacris argenteis, vestibus sacris & indulgentia obtenta a Paulo V. In medio capellæ sepulcrum sibi paravit, mandans ut eremitico indutum habitu terræ mandaretur ejus corpus, quem inter pretiosiores vestes suas asservabat, sed cum sepeliendus esset indutus regiis insigniis ob ducatus dignitatem, exequutores ejus voluntatis ipsum Venetiis humari fecerunt. Sepulti tamen fuere in eo tumulo Marcus-antonius filius anno 1636. & Georgius filius ducis Francisci, & nepos Johannis ducis anno 1665. episcopi ambo Patavini. Ceteri conditores cellularum fuere Bernardinus Bonsius, Johannes Justinianus, Hieronymus Michaelius, Vincentius Garzonius, Pius de Capitibus-listæ, Antonius Scarpatia, Ludovicus Zabarella, Hieronymus Trento, Antonius Donatus, Octavius Dottus, Johannes Vendramenus. Sepulcri honorem in ea ecclesia habuerunt etiam Franciscus Justinianus anno 1618. & eodem anno Hieronymus Michaelius canonicus Patavinus. Descripsit historiam suæ fundationis ipse Hieronymus, quæ ms. asservatur in eremo Rhuensi, & recensita veteri conditione loci, gravibus incommodis & laboribus a se susceptis pro erectione eremi, auxiliis etiam primariorum virorum, inter quos nominat Hieronymum Borromæum, & Hieronymum Argentinum episcopum Lesinensem, gaudet in honorem Dei, & beatissimæ Virginis instauratum locum, in quo ossa sive reliquiæ Sanctorum sepulta sunt, alludens ad veteres eremitas & monachos primos habitatores ejus montis. Pluries deinceps renuntiatus est Hieronymus prior hujus eremi decem & novem annis, quibus supervixit, alumnosque spectatissimæ vitæ & pœnitentiæ fecit; Cetera de ipso ad annum 1556.

XVI. Historica simul collecta.

DECESSIT] hoc anno die XXV. junii ex sepulcrali inscriptione Marius Maffæjus nobilis Volaterranus Raphaelis affinis, ex episcopo Aquinate Caballicensis in Galliis; abbatiam sancti Justi Volaterrarum commendatam habuit, illamque ex beneplacito apostolico summa cum magnificentia ac moderationis laude contulit in Camaldulenses ait Ughellius [a]; sed hæc magnificentiæ & moderationis laus non ipsi, sed Johanni-baptistæ Bavæ, qui in commendationem abbatiæ Mario successit, est tribuenda, ut dicemus ad annum 1562.

a T. I. col. 1399.

Vigore privilegii amplissimi Leonis X. abbatia sancti Viriani de Arretio unita fuit præsenti anno eremo Camaldulensi, decedente abbate, qui eam obtinebat.

Amplum mandatum factum est hoc anno in capitulo ad Carceres ge-

 nerali

ANN. CHR. 1537.

nerali & visitatoribus ordinis componendi cum Friderico Bello abbate Rosæ Senarum, pro deducendo eo monasterio in congregationem. Aliud, ut ædificanda ipsi curarent ex redditibus monasterii Classensis duo monasteria, unum in urbe Cæsenæ, alterum in urbe Foro-livii, ita tamen ut primo uniretur perpetuo cœnobium sancti Pauli de Cæsena, secundo vero illud sancti Petri de Rovereto. Confirmata fuit hæc demandatio in capitulo altero anni 1548.

Locum-tenens Cosmæ Medicei & consiliarii reipublicæ Florentinæ definiunt die XVI. julii pro Camaldulensibus contra homines Rocchettæ, Capannæ &c. prætendentes jus pascendi in bonis cellæ sancti Alberici vel sancti Johannis inter Ambas-paras; ex tabulario Fontis-boni [a].

a §. *Sententia* 4.

A Johanne-baptista Mazzolano abbate & a capitulo Classensi Ludovicus Rasponus canonicus Ravennas die XIV. decembris nominatur rector ecclesiæ sanctorum Vincentii & Anastasii de Ravenna. Collata fuit ea ecclesia & anno 1543. a Samuele Dominici de Pezzinis abbate, & anno 1565. & sic deinceps usque ad annum 1610. quo fuit a monasterio Classensi derelicta.

Inscriptio ad sanctum Gregorium de Urbe: *Catharina Lant de Brugis, Josina ejus filia & maritate & vidue satis pie cum vixerint, ad extremum diem huc deponi cupiere, quarum anime in Christo dormianti. Orate.* M. D. XXXVII.

Clemens VII. & novissime Paulus III. gravem impositionem die VI. octobris statuerant omnibus ordinibus regularibus, ut in subsidium contra Turcarum impetum medietatem valoris unius anni omnium & singulorum censuum, fructuum, redditu um & proventuum tribuerent. Camaldulenses pro ipsorum erga apostolicam sedem fide & devotione, satisfactionem hujusmodi satagentes, transegerunt cum Ascanio episcopo Ariminense thesaurario generali solvere pro omnibus eorum monasteriis & locis tria millia scuta auri in auro. Mandavit itaque idem Paulus Guidoni-ascanio Sfortiæ sanctorum Viti & Modesti in Macello diacono cardinali S. R. E. camerario & thesaurario, ut indemnem servaret congregationem Camaldulensem, neque eam ratione præfati subsidii, ultra concordatam summam molestaret. Cum vero par non foret congregatio eidem summæ conficiendæ, facultatem fecit die XIX. decembris alienandi tot bona stabilia, quæ summam trium millium aureorum æquaret, ea tamen apposita conditione, ut intra quindecim annorum spatium teneretur ipsa congregatio tot alia bona loco alienatorum emere. De alienatione mox dicimus anno sequenti.

ANN. CHR. 1538.

XVII. Alienatio eremi Vivensis pro solvendis impositionibus.

VIGORE brevis Pauli III. copiam facientis alienandi bona stabilia pro solvendis decimis & subsidio, capitulum & congregatio Camaldulensis die XVI. januarii anni M. D. XXXVII. ab incarnatione mandatum relaxavit cedendi eremum de Vivo ad favorem cardinalis Alexandri Farnesii, vel cardinalis sanctæ Crucis tunc in minoribus constituti, pro pretio aureorum quingentorum. Considerantes siquidem patres eremum ad Vivum minus commodam, nec admodum tutam a bellorum incursionibus, Castellionensium Urciæ populorum præcipue eremo finitimorum, stationem monachis præbere, venerabilem & antiquissimum locum a sancto Romualdo inhabitatum, sanctitate & privilegiis olim clarissimum, vendidere eidem cardinali Farnesio die XIII. februarii, qui non diu post, hoc est die prima martii eadem bona & loca vendidit Ricciardo Cervino patri cardinalis Marcelli de Monte-politiano, cujus fratri germano Alexandro Cervino Cosmus I. dux Etruriæ Florentiæ & Senarum anno 1559. indulsit, ut ea loca in libe-

liberam dominationem erigerentur, quam comitatus titulo Cosmus III. magnus dux Etruriæ postea insignivit. Antequam venditio fieret Alexandro Farnesio mense februario, Franciscus de Petrucciis, qui jus prætendebat, & se emisse a congregatione eremum affirmabat, juri suo prætenso cessit omnino. Vigesima maji capitulum generale congregationis approbavit dictam venditionem. Undecima octobris Paulus III. breve apostolicum misit episcopo Pientino & Ilcinensi, ejusque vicario Vito de Vitis, ut plene se informarent, an dicta venditio cesserit in utilitatem congregationis, & cum potestate gravandi, si utilitas non emerserit, cardinalem sanctæ Crucis in majore pretio, quod sibi videretur, qui vicarius gravavit dictum cardinalem ad solvendos alios centum ducatos. Actum Pientiæ anno 1540. die tertia januarii. Iterum a capitulo congregationis celebrato in monasterio Carcerum anno 1541. confirmata fuit præfata venditio mense majo, sicut etiam sententia & laudum ratum fuit habitum vicarii episcopi Pientini, expensis dictis centum scutis in utilitatem monasterii Arcus, & in unionem abbatiæ Rosanæ ad illam Arcus. Cardinalis Marcellus restauravit ecclesias eremi & monasterii, ac domus rurales, & reparavit ædificia pro elaborando ferro, cetera vero bona excolenda tradidit agricolis. A fundamentis extruxit amplum palatium, denominationemque dedit toti territorio *ad Vivum* ex fluvio homonymo. Vocavit etiam eremitas Monte-coronenses ad eremum inhabitandam, qui tamen metuentes comitum Cervinorum proximitatem, renuerunt oblationem. Alexander vero post mortem Marcelli II. sui fratris & post collapsionem reipublicæ Senensis fundavit ecclesiam cum titulo plebaniæ, reservans sibi jus-patronatus, sub titulo sancti Marcelli auctoritate apostolica. In hoc loco tirocinium posuere Robertus Bellarminius, & Ricciardus Cervinus, antequam societatem Jesu ingrederentur. Ricciardus filius erat Alexandri Cervini, & Hieronymæ Bellarminiæ sororis Vincentii Bellarminii, Robertus vero filius erat ejusdem Vincentii Bellarminii, & Cinthiæ Cervinæ sororis Alexandri. Ipse Alexander non solum in humanioribus literis, sed etiam in directione spiritus, magistrum ipsorum egit. Statuta insuper Alexander condidit observanda a communitate Vivi plena caritatis & religionis, & ipsis inseruit vitam Marcelli II. fratris; quæ vita incendio periit anno 1610. superstite tantum fragmento primi exemplaris. Prope eremum Vivi lacus fluebat, de quo etiam sanctus Petrus-damiani in vita sancti Romualdi; cum hic terra oppletus fuisset, ut in formam agri excoleretur, indoluit cardinalis Bellarminius scribens Hieronymæ suæ amitæ, & Marcello Cervino nepoti. Hæc collegimus, ut eremi & monasterii antiquissimi de Vivo historiam Camaldulensem clauderemus.

XVIII. Amplissimum privilegium Pauli III. eremitis Camald.

DIE quinta-decima januarii Paulus III. priori & eremitis Camaldulensibus Etruriæ omnia & singula privilegia, concessiones & indulta eremo, personis, locis & bonis ipsius quavis auctoritate apostolica, imperiali vel regali hactenus concessa munimine roboravit, extenditque in ipsorum favorem omnia alia privilegia emanata pro eremitis societatis sancti Romualdi, sive Cryptarum Massaccii. Majori ipsorum potestatem fecit absolvendi ab excommunicationibus, & ab irregularitatibus dispensandi; benedicendi corporalia, paramenta, vasa sacra, oratoria, utendi altari portatili, Missam antelucano, & pomeridiano temporibus celebrandi, sacramenta cuilibet ministrandi, excepta sollemnitate paschali. Reclusis vero celebrantibus diebus Nativitatis & Resurrectionis Dominicæ indulgentiam plenariam impartitus est. Datum Romæ anno IV. Vigesima-quinta autem martii Cosmus Mediceus Florentiæ dux omnibus subditis suis commendavit eremi-

ANN. CHR. 1538.

eremitas Camaldulenses, quos sub sua ducali protectione cum eorum omnibus bonis recepit.

Mandatum est in capitulo Classensi congregationis abbati generali & visitatoribus, ut componerent cum episcopo de Grassis pro deducenda ad ordinem abbatia illi commendata sancti Petri ad Vincula territorii Ravennatis; insuper agendi cum gubernatoribus ecclesiæ sanctæ Mariæ de Burgo inferiori urbis Ferrariæ, pro ea ecclesia obtinenda, & demum cum Laurentio Salvetto Balneensi de fructibus abbatiæ de Balneo paciscendi. Redditus monasterii sancti Benedicti extra Florentiam jam eversi, qui uniti fuerant redditibus sanctæ Mariæ-angelorum, præcipiuntur dissociari.

XIX. De abbatia Vangaticiensi.

AMBROSIUS Bernardus abbas commendatarius sanctæ Mariæ de Vangaticia, instrumento facto manu Nicolai Morarii plebani sancti Pantaleonis de Venetiis obtinet hoc anno quinto kalendas junii a Paulo III. anno ejus IV. facultatem resignandæ dictæ commendationis Francisco Lauretano filio sororis suæ, derogante pontifice hac dumtaxat vice cuicumque privilegio favorabili congregationis Camaldulensis, volens tamen, ut numerus monachorum non minuatur, prohibens alienationes, & præcipiens, ut pars reddituum in ornamentis ecclesiæ, pars in alendis pauperibus erogetur. Jam ante annum 1534. Ambrosius usum-fructum & administrationem sibi reservaverat, & Antonium Lauretanum nepotem suum in commendationem abbatiæ vocaverat, ut constat ex compositione facta eo anno inter Paulum Laudensem abbatem generalem Camaldulensem, & inter Antonium Lauretanum commendatarium agentem pro se, & nomine avunculi sui Ambrosii, de solvendis collectis eidem generali, ejusque successoribus, mediante Jacobo Pisauro episcopo Paphense conservatore jurium Camaldulensis congregationis. Supervixit Ambrosius usque ad annum 1543. quo obiit die XXVIII. februarii, postquam quinquaginta & sex annis ei abbatiæ præfuerat, cuique multa bona contulit, sepultus in medio ecclesiæ in tumulo monachorum cum epigraphe: *Ambrosius Bernardo Venetus commendatarius V. S. F.* appenso in ecclesia pileo protonotariatus. Franciscus Lauretanus ejus successor perennare volens abbatiam in sua familia, anno 1549. quinto-decimo ejusdem Pauli III. & quinto-decimo *kalendas* septembris per bullam, cujus exequutio commissa *fuit* plebanis sancti Pantaleonis, & sancti Apollinaris Venetiarum, ac vicario episcopi Adriensis, Antonium nepotem suum coadjutorem sibi fieri fecit, tertio-decimo ætatis illius anno, qui tamen florenti ætate obiit ante patruum. Rursus idem Franciscus quinquagesimo ætatis suæ anno aliud breve obtinuit anno 1563. a Pio IV. pro altero Francisco Lauretano nepote electo similiter in coadjutorem, qui habebat octo annos. Anno 1602. possessionem accepit abbatiæ tertius Franciscus Lauretanus nepos Francisci II. Ceteros commendatarios abbates Vangaticienses recensebimus seculo sequenti.

XX. Mansueti generalis & Jacobi de Villafora obitus.

MANSUETUS de Martinellis, qui die tertia maji anni præteriti electus fuerat abbas generalis Camaldulensis cum Sebastiano Altoviti Florentino & Hieronymo Brixiano visitatoribus, decessit die XVI. septembris hujus anni in urbe Ravenna. Samuel de Pezzinis Florentinus, & Hippolytus de Ballarinis Novariensis visitatores electi XXIV. maji hujus anni congregati cum ceteris abbatibus, ad quos spectabat, die sequenti suffecerunt in ejus locum Johannem-baptistam Mazzolanum de Padua, cujus electio confirmata fuit secunda maji in capitulo habito anno sequenti in monasterio Classis, datis ei visitationum sociis Johanne de Valle-tellina & Bartholomæo Grillandario Florentino, & hoc defuncto XXVII. aprilis Severo Parella Volaterrano. Perseveravit in regimine Mazzolanus anno 1540. cum

Hiero-

Hieronymo Bergomate & Francisco de Balneo visitatoribus, & anno 1541. cum Sebastiano Altoviti, Ventura Teutonico & Stephano de Prevostis Brixiensi usque ad secundam diem maji anni 1542.

ANN. CHR. 1538.

In necrologio Carcerum ad diem ultimam octobris hujus anni memoratur obitus Jacobi de Villa-fora monachi Carcerum; subjungitur: *fuit in commissis fidelis, ut vitæ periculo pro defensione hujus abbatiæ in Romana curia subjaceret.* Id vidimus præstitisse anno 1503. dum Romæ equuleo fuit tortus pro juribus tutandis ejusdem monasterii. Tandem „ propriis „ expensis anno 1537. illam, ait Fortunius, ab illustrissimo & reveren„ dissimo domino Marino Grimano S. R. E. cardinali, atque Carcerum „ commendatario liberam accepit. Obiit in loco sancti Salvarii, sepultus„ que est in abbatia Carcerum post altare majus." Testamentum cum licentia generalis condidit, quo hæredem sibi constituit idem monasterium Carcerum, ex qua hæreditate Eliseus Spinula abbas utensilia providit præsertim pro ecclesia.

In veteri pavimento ecclesiæ sancti Gregorii de Urbe inscriptio: *Si omnibus tam beata ut nostra forent conjugia, & quid felicius, quam nubere? At quid me infelicius hac conjuge privato? Hadrianæ Quintiliæ uxori dulcissimæ Christophorus Mutaccius male superstes P. Vixit annos* XXVIII. *obiit junii die* VII. M. D. XXXVIII.

ANN. CHR. 1539. XXI. Historica aliquot monasteriorum.

URBS Ravennæ hoc anno mota peculiari devotione erga sanctum suum civem Romualdum publico decreto statuit, ut imposterum ipsius festum sollemniter perageretur clausis officinis & silentibus magistratibus, & ut urbis primarii deberent visitare festivo ejus die ecclesiam Classis, sicut alias statutum fuerat de diebus natalitiis sancti Vitalis & sancti Iohannis-baptistæ ad eorum basilicas, ut asserit Germanus Botta in vita ms. ejusdem sancti Romualdi.

Mandatum est a patribus in capitulo generali, quod congregatum est in monasterio Classis, Romualdo Veronensi procuratori generali in curia, ut componeret cum Ascanio presbytero circa ecclesiam sancti Salvatoris de Urbe. Aliud factum fuit instrumentum Johanni Comensi abbati Classis, & Alphonso de Bagnacaballo, ut congregationi redimere curarent beneficium sanctæ Mariæ de Pace Faventinæ sive Imolensis diœcesis.

Remigius quondam Francisci de Buti de Florentia, uti procurator Leonardi olim Roscii de Medicis de Florentia canonici, & rectoris ecclesiarum sanctorum Jacobi & Christophori de Colignola, & sancti Michaelis de Ghetiano, renuntiavit Acconcio Bonanno abbati sancti Michaelis in Burgo Pisarum, ad quem jure spectabant, dictas ecclesias.

Cum ecclesia sanctæ Mariæ in Campo prope Fabrianum partim spectaret ad jus abbatiæ sanctæ Crucis de Saxo-ferrato, partim ad jus alterius abbatiæ sancti Blasii de Fabriano, convenerunt inter se abbates, ut ille sancti Blasii cederet abbati Saxo-ferratensi ecclesiam sancti Andreæ de Scorzano cum portione terræ prope sanctum Paternianum; abbas vero Saxoferratensis cederet omne jus suum in ecclesiam sanctæ Mariæ in Campo abbati sancti Blasii de Fabriano. Extant sex documenta super hac compositione in archivo sancti Romualdi de Urbe [a]. Post novennium alia ecclesia parœcialis sancti Severini de Collegiglionio districtus Fabriani pertinens ad abbatiam Saxo-ferratensem unita fuit abbatiæ præfatæ sancti Blasii; ex eodem [b] tabulario.

[a] *Fasc.* XVI. 4.

[b] *Ibid.* 5.

Obiit Jacobus de Bossis ex Clario oppido diœcesis Brixiensis olim prior sancti Martini de Opitergio, celebris ob editionem epistolarum Petri Delphini,

ANN. CHR. 1539.

phini. Contra opulentum ejus spolium extat Pauli III. breve die XXX. decembris hujus anni, mandantis medietatem ipsius tradi cuidam suo affini, aliam medietatem in usum expeditionis contra Turcas converti.

ANN. CHR. 1540.

XXII. Unio eremitarum Camaldulensium & Coronensium. a P. l. lib. III. cap. 22.

„ HOc anno, ut ait Fortunius noster [a], facta est unio inter eremitas Camaldulenses & Montis-coronæ hujusmodi de causa. Animadvertentibus multis bonis ac religiosis viris profectum eremitarum sancti Romualdi (Coronensium nimirum) qualiter videlicet ea congregatio brevi tempore quasi oliva pullulans non pauca honestissima loca acquisierat, quæ tamen soboles sacræ eremi Camaldulensis existeret sub eodem militans vexillo, & qualiter separata a capite non sine Camaldulensis ordinis macula acephala incederet (suum tamen Majorem ex apostolica auctoritate habebat) idcirco re in consultationem inter partes adducta, optimum factu judicatum est, ut ex duabus unica fieret congregatio, cujus causa & hujusmodi inter partes percussa sunt fœdera. Ut Camaldulensis eremus ejusque Major, veluti religionis princeps, caput omnium quoque locorum Montis-coronæ congregationis, seu eremitarum sancti Romualdi sit. Ut unicum celebretur in sacra eremo annuatim capitulum post pascha, in quo eligatur prior & familia tam Montis-coronæ, quam aliorum locorum, quæ quidem familiæ in laudabili maxime vivant observantia eremitica. Ad quod utique capitulum singuli singulorum locorum prælati conveniant, solitumque sacræ eremi habitum gestent. Actum manu Angeli Nicolucii de Fracta die V. maji. Verum cum ex hac unione illud emanasset, ut complures commeatum peterent, ac eremum Camaldulensem relinquerent, novi societati in aliis eremis manus daturi, nullusque vix ex Coronensibus transiret ad Camaldulenses, ac proinde sacri loci Camaldulensis dignitas, quæ perpetuam stationem semper obtinuerat, multum detrimenti pateretur, habito inter partes conventu, brevi unionis fœdera irrita declarata sunt, & suo utraque congregatio libertatis exinde jure ad aliquod tempus gavisa est. " Missi sunt ad unionem tractandam ex eremo Camaldulensi Etruriæ ad illud sancti Salvatoris Montis-coronæ Gregorius Bergomensis, & Clemens Patricanus, qui superiora statuerunt. Dissolutio unionis contigit post biennium. „ Sub idem tempus, prosequitur Fortunius, „ Cosmus Mediceus Florentiæ dux rogatus ab eremitis libertatem, exemptiones atque immunitates sacræ eremi, quæ libera semper fuit, ratas firmasque habuit die XXVII. septembris (lege XXII.) hujus anni, easque anno 1542. ad villam quoque hominesque Mogionæ pertinere declaravit, juxta pacta olim inita rempublicam inter & eremum. "

XXIII. De reliquiis SS. Maglorii & Paschasii in abbatia Urani.

EODEM anno denuo apertum fuit in abbatia Urani sepulcrum sanctorum Maglorii & Paschasii episcoporum ex sequenti memoria existente in archivo episcopali Britonoriensi. „ Omnibus pateat & evidenter innotescat, quemadmodum de anno M. D. XL. indictione XIII. tempore sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Pauli divina favente providentia papæ III. die XII. mensis decembris. Venerabiles viri domini Ægidius de Valtellina monachus ordinis Camaldulensis sancti Benedicti prior & procurator abbatiæ sanctæ Mariæ de Urano de Britonorio pro dicto ordine Camaldulensi, domnus Benedictus de Castroargeri diœcesis Bononiensis & monachus dicti ordinis Camaldulensis & domnus Franciscus olim Lucæ Mancini clericus Britonoriensis & ambo abbatiæ capellani præsens sepulcrum sive sarcophagum marmoreum de speciali licentia & auctoritate prius ipsis data & concessa a reverendo patre do-

„ mino

„ mino Julio Maentio canonico & archipresbytero Britonorienſi, nec non „ reverendiſſimi domini Hieronymi Bertaldi de Urbe Dei & apoſtolicæ „ ſedis gratia electi Britonorienſis in ſpiritualibus & temporalibus vicario „ generali. In Dei nomine pro ſuffragio invocato tranſportari fecerunt a „ capella dictæ eccleſiæ exiſtente apud primum clauſtrum loci dictæ eccle„ ſiæ a manu dextera ad præſentem capellam poſitam in manu ſiniſtra „ dictæ eccleſiæ, ubi nunc eſt reconditum dictum ſepulcrum, & illud ape„ ruerunt, quo aperto in eo reperierunt aliud parvum ſepulcrum, in quo „ invenerunt unum caput cum quibuſdam oſſibus & non multis antedicto„ rum ſanctorum Maglorii & Paſquaſii, de quibus in præcedentibus in„ ſtrumentis continetur, & ultra præmiſſa reperierunt unam laminam plum„ beam, in qua ſunt ſcripta infraſcripta verba: *Hic ſunt corpora ſancto„ rum Maglorii & Paſquaſii*, ac dictum ſepulcrum ſeu ſarcophagum mar„ moreum maxima cum veneratione præmiſſis omnibus in eo reconditis „ exiſtentibus claudi fecerunt, ad omnipotentis Dei & immaculatæ ſem„ per virginis Mariæ, ſub cujus vocabulo inſignita eſt dicta eccleſia, & „ dictorum ſanctorum Maglorii & Paſquaſii laudem, gloriam & honorem „ omni meliore modo *&c.* “

ANN. CHR. 1540.

Ex capitulo Claſſenſi congregationis emanavit prohibitio monialibus ſancti Pariſii de Tarviſio, ne ulterius reciperent moniales ſanctæ Mariæ-novæ ejuſdem urbis, quæ petebant frequenter domeſtica viſitatione illas adire, & earum monaſterium ingredi. Vidimus ante ſexennium reformatum aſceterium ſanctæ Mariæ-novæ per moniales ſancti Pariſii. Eadem ratione vetarunt aliis monialibus ſancti Maglorii de Faventia, quæ Bononiam ierant, pro dandis reformationis legibus in parthenone ſanctæ Chriſtinæ de Fundatia, ne ulterius proprio monaſterio exeuntes alia ingrederentur; facile ne occaſione itinerum earum animi diſſiparentur, vel dum aliis conſulebant monaſteriis, proprium negligerent.

Mandatum fuit priori Angelorum de Florentia, & abbati ſancti Michaelis de Burgo Piſarum, ut componerent cum epiſcopo Civitatenſi, qui in commendam obtinebat hoſpitale ſancti Frigdiani urbis Piſarum, pro ipſo libero dimittendo congregationi.

Sub die decima januarii legimus obitum Bartholomæi Grillandarii prioris ſancti Benedicti extra Florentiam, & Viti Lugareni prioris ſancti Johannis-baptiſtæ de Judaica.

Prioratus ſanctæ Mariæ de Prodano diœceſis Ariminenſis territorii Cæſenatis unitur a congregatione Camaldulenſi monaſterio ſancti Salvatoris de Foro-livio, reſignatione ultimi prioris.

Ad conficiendam ſummam pro præſtando ſubſidio impoſito a Paulo III. abbatia Claſſenſis vendidit portionem terrarum comitiſſæ Cæciliæ Urſinæ Carpenſi, ad ſummam duorum millium ducatorum auri.

ANN. CHR. 1541. XXIV. Statuta caſtri Civorii ſubjecti abbatiæ Claſſenſi.

ABBATIA Claſſenſis ſancti Apollinaris antiquiſſimo jure poſſidebat caſtrum Civorii in diœceſi Sarſinate, in quod jura dicebat, temporales dominos per inveſtituram in ipſius poſſeſſionem immittens. Ejus fines Bucchium, Spinellum, Florentinum dominium, Perrella, Mercurius. Quolibet XXIX. anno renovabatur inveſtitura cum debito laudemio; juriſdictio ipſius ex donatione imperatorum & confirmatione Romanorum pontificem libera erat a quacumque impoſitione, ſine appellatione vel recognitione aliorum dominorum. His temporibus, ſub caducitate triennali, ſi cenſus non ſolverentur, ad lineam finitam maſculinam ſui ipſius, filiorum & nepotum juriſdictio emphyteutica data fuerat comiti Paulo comitis

ANN. CHR. 1541.

tis Antonii a Balneo. Anno 1527. Paulus Laudensis abbas generalis nomine Cypriani abbatis Classensis investiverat Pacificam filiam Bernardini Aleotti, & comites Balnei. Anno 1559. Hercules Frederici de Perucciis Anconitanus de eodem castro investitus fuit. Ne pereant aliquot statuta hoc anno edita pro bono regimine ejus castri, ea subjungimus ex archivo præfatæ abbatiæ.

A laude, gloria & onor de l'onnipotente Dio, e de la gloriosa vergine Maria, e di santi Pietro e Paolo, e di santo Apollinare & san Roccho e di tutta la corte celeste, & a memoria del santissimo signor nostro per la divina providentia Paolo papa III. *sotto el felicissimo suo pontificato, e del Reverendissimo & Illustrissimo sig. cardinale de Monte legato di Romagna, e del Rev. padre don Zanetto da Como abbate de l'abbadia di Classi, a cui il retto dominio del castello di Civorio, e suo contado e distretto si apparrien, & a mantenimento del magnifico conte Paolo del conte Antonio da Bagno in temporale per dicto abatia investito conte e signore del dicto Castello, sotto il qual regimento de consensu & voluntade de dicto sagro ordine per dare investiture e de dicto misser abbate se son confirmati li presenti statuti & capituli in lingua vernacula per il bene & utilitate de gli uomini de dicto comune, correnti li anni del nostro Signore millesimo quingentesimo quadragesimo primo indictione* XIV. *sub pontificato predicto.*

Rubrica de electione vicarii communis Civorii & ejus officio.

Committitur, ne aliqua faciat contra statuta dicti loci, & sit fidelis domino comiti, ordini Camaldulensi, & abbati Classis pro tempore &c.

Rubrica per il buon governo e reggimento del commun di Civorio.

Si adsint homines scandalosi, confugiant ad dominum comitem. Si vero comes abusibus non consuluerit, confugiant ad abbatem Classis, ut provideat &c.

Rubrica di quelli, che vol venir ad abitar in su quel di Civorio.

Jurent fidelitatem comiti, & abbatiæ Classis. Ut notarii in civili solvant abbatiæ Classis taxas &c.

Rubrica di coloro, che si sente gravati, si posson ajutare.

Ut possint appellationem facere ad abbatiam Classis, vel ad ejus ministros in urbe Cæsena, & judex impediens appellationem solvat pro pœna ducatos XXV. auri abbatiæ &c.

Rubrica de l'obligo, che hanno gli uomini di Civorio di pagare ogni anno un capretto all'abate di Classe & suoi luogotenenti.

Mense maji portent ad sanctum Paulum de Cæsena pinguem hædum pro abbate in signum obedientiæ; differentes solutionem in duplum solvant, Comes autem faciat hoc statutum observari &c.

Rubrica quomodo se gubernare debeant Vicarii faciendo præcepta in causis criminalibus.

Citatus diem habeat pro comparendo, quæ si ei denegata fuerit, contravenientes solvant cameræ abbatiali XXV. ducatos auri.

Johanni Comensi abbati Classis successit hoc ipso anno Eliseus Spinula Januensis, defunctus tamen duodecima februarii anni sequentis, in cujus locum suffectus est Dionysius monachus sancti Mathiæ, huic autem Samuel Dominici de Pezzinis Florentinus.

In capitulo apud Carceres habito a congregatione monasterium eversum sancti Benedicti extra Florentiam unitum est urbano sanctæ Mariæ-angelorum, & ab hoc dissoluta fuit unio monasterii sanctæ Mariæ de Vertilio Montis-sancti-Sabini, quod postremum erectum fuit in principale monasterium, alteri non subjectum vel unitum.

Obeunte

Obeunte Friderico Fregosio abbate commendatario sanctæ Crucis Fontis-avellanæ die XXIII. julii hujus anni, Nicolaus Rodulphius S. R. E. cardinalis, qui eam abbatiam jampridem cesserat Fregosio, iterum ipsius commendationem accepit. Decessit etiam hoc anno Cyprianus Novocomensis, dum abbatiam sancti Hippolyti de Faventia pro congregatione regeret, & Sebastianus Altoviti Florentinus, qui a paucis mensibus, post varia in congregatione adimpleta officia, electus fuerat abbas sancti Michaelis Pisarum hoc anno.

Ann. Chr. 1541.

Die undecima martii Paulus III. committit abbati sancti Hippolyti de Faventia & archidiacono Faventino recuperationem bonorum ecclesiæ Faventinæ traditorum in emphyteusim, quatenus restituantur Rodulpho Pio de Carpo S. R. E. cardinali sanctæ Priscæ, & episcopo Faventino.

Ann. Chr. 1542. XXV. Pius obitus Jo: Baptistæ Lucensis eremitæ.

PRETIOSA morte obiit hoc anno Johannes-baptista Lucensis ex familia de Gregoriis eremita Camaldulensis, qui novies fuit congregationis Major, & in morte mirabili visione sanctæ Mariæ-Magdalenæ recreatus est. Hæc Fortunius de ipso habet [a]: „ Illustravit per eos dies sacram eremum transitus venerabilis Johannis-baptistæ Lucensis eremitæ reclusi. Is cum inclusionem decem & octo annos servasset, ad extremum in lethiferam incidit ægritudinem, cum intolerabile dolore capitis, ob quem nec ingredientes, nec loquentes sine grandi molestia ferre posset fratres. Fuerat idem sanctæ Mariæ-magdalenæ semper a teneris annis devotissimus, cujus meritis Dei misericordiam super se diffusam esse in hunc modum compertum est. Tertia enim ante excessum die, dum vigiles ministri remotius media nocte ejus jussu se continerent, vir venerabilis ex improviso salutationis humile valde responsum advocatæ suæ, quæ tamen ab illis nec visa unquam, neque loqui audita est, reddere auditus est, simul e strato per se assurgere, supraque lectum sedens, post modicum spatium mirabundus hæc verba referre. *Hui, integrum adhuc triduum!* & paulo post erectis in cœlum manibus: *O spirituum supernorum immensam clementiam! Vere tu Deus bone magnus & mirabilis in Sanctis tuis! Quanta caritate vulnerata sine aliquo omnino strepitu in ingressu, in incessu, & in egressu fores illas aperuit & clausit.* Lætissimus ergo effectus ex ea hora, & Gregorio eremitæ (Bergomati) peccatorum omnium expiatione postea facta, eidemque patefacto arcano, tertia nocte eo ipso temporis puncto in cœleste consortium felicissime evolavit.“ Fortunii narrationem indubiam non facit Baroncinius, eo quod præfatus Gregorius Bergomensis in suis *Memorabilibus* de Johanne-baptista Lucensi loquens apparitionem hanc taceat. Verum ex narratione aliorum eremitarum hæc rescire potuerit Fortunius, qui post vigintiocto annos scribebat. Certe Antonius Pisanus eremita Camaldulensis de facie cognovit Johannem-baptistam, pluraque is ordinis & congregationis memoranda edocuit Fortunium. Porro Antonius viginti annorum reclusionem, & ætatem octuaginta annorum tribuit eremitæ Johanni-baptistæ. Præter omnes nostros, qui Beati etiam titulo donant, eumdem Johannem-baptistam laudat Bucellinus in Benedicto Redivivo. Occasione ejus sancti obitus subdit idem Fortunius, „ quod qui hæc referunt, addunt etiam, quod tempore, quo eremitæ in aperto cœmeterio sepeliebantur, cujusdam sancti viri brachium, ex quo multi sospitatis & gratiarum beneficia reportabant, terra nunquam operiri potuit, usquequo eremitarum pater ad locum veniens, in virtute sanctæ obedientiæ illi imperavit, ut se intra terram reciperet, quod cum omnium admiratione illico factum est.“

[a] *P. I. Lib. IV. cap.* 21.

Ann. Chr. 1542.

XXVI. Gesta & mors Basilii abbatis Camaldul.

Decessit etiam octuaginta-duos ætatis annos assecutus die XXII. decembris Basilius Nardius Balneensis abbas Camaldulensis sancti Felicis in Platea Florentiæ, quem vidimus sub variis annis Florentini exercitus imperatorem; reliquit autem rerum a se bello gestarum commentaria. Licet pluribus nominibus male audierit Basilius, quod juvenis & abbas factus, vicarium insuper Petri Delphini agens abusus fuerit sua potestate in administratione rerum Camaldulensis eremi, quam non semel expilavit, & aliquando etiam bellico furore depopulatus est, quod præterea infensus domui Mediceæ contra ipsam insurrexerit, & pro Florentinorum libertate, cruce & verbi Dei prædicatione omissis, arma tractaverit, gregarios milites duxerit, vitæque fere suæ tempus in militaribus expeditionibus transegerit, non est tamen usquequaque laude prætereunda ejus memoria ex Fortunio, qui integrum caput de Basilio instituit, præsertim quia gesta Basilii valde insignia ab historicis Florentinis præterita sint, & Franciscus Guicciardinius tam sæpe de egregiis facinoribus Casentinatum agens, quorum dux erat Basilius, nullam de ipso mentionem faciat. „ Inter ceteros „ ergo monachos, ait Fortunius [a], seu etiam eremitas, qui apud Petrum „ Delphinum generalem gratia & auctoritate valuerunt, Basilius ipse vir „ ingeniosus, prudens & magno animo præditus primas facile obtinuit. „ Fuit oriundus ex Balnei oppido, ubi adhuc impubes monachus in vici- „ na exigua eremo sub Alexio eremita loci institutore effectus, inde Ca- „ maldulum transmissus fuit, ubi religionis sacramenta, ut est sollemne, „ professus, licet militiæ natus, pietati ac literarum studiis non segniter „ operam dare cepit. Quamobrem cum Latinas epistolas ad generalem „ Petrum scribere ausus esset, ut illius gratiam sibi conciliaret, simul stu- „ diorum commoditatem congruentius adipisceretur, factum est, ut Pe- „ trus promptum adolescentis animum indolemque bonam admiratus non „ solum ejus postulatis libenter annuerit, sed optima de illo concepta exi- „ stimatione Latino sermone & rescribere delectatus sit, ac inter intimos „ familiares eum semper habuerit. Quapropter ejus opera omnibus „ in negotiis utens, tum Camalduli administrationi eum præfecit, tum „ vero xenodochii Pisarum priorem, deinde sancti Michaelis Arretii, & „ ultimo loco sancti Felicis Florentiæ honestavit dignitatibus. Pari modo „ præposuit illum Musoleæ domus ædificationi, & vicarium generalem per „ longum tempus institutum ac confirmatum esse voluit. Studuit Basilius „ cum laude Petro omnibus in rebus satisfacere. Quamquam non desunt, „ qui ei adhuc vitio dent, quod in ædificatione Musoleæ sacram eremum „ ære alieno ac fœnore nimium gravaverit, utpote qui homo scitus & „ catus Petrum generalem miti ac simplici nimium ingenio virum ad alie- „ nationem quarumdam possessionum multarumque abjetum incisionem ob „ magnitudinem impensarum induxisse dicitur, ipsius ædificandæ sumptuo- „ sius domus gratia & commodis propriis consulendi. Quod si verum est, „ Basilium hanc notam eo præstantius diluisse censetur in sacratissimi loci „ defensione, quo de illo per universam Italiam aliquando prædicatum est, „ neminem majori unquam cum fama de sacratissima domo meritum fuis- „ se; maxima vero ob gravem illam Camalduli espugnationem, de qua „ superiore libro loquuti sumus. Ubi enim Basilius Petrum generalem Flo- „ rentiam sanum atque incolumen deduxit, ubi certus allatus est nuncius „ Camalduli cœnobium tanta impietate, tantique exercitus robore bellique „ infandis injuriis fuisse lacessitum, militemque omnem regionem depopu- „ latum, munitioribus quoque oppidis Casentinatibus potiri, tunc ira per- „ citus summum adiit Basilius magistratum, qui ex pacto defensionem sa-

„ cræ

[a] P. I. lib. III. cap. 7.

„ cræ eremi etiam conſtruendo arces, ſi opus ſit, agere teneatur, eoque
„ aſtipulante in Caſentinatem regionem feſtinato commigravit, ubi mox
„ quantum cucullatus furiata mente militiæ deditus eſſet, magnis auſibus
„ cepit oſtendere. Collecta ſiquidem parva in primis ruſticorum manu,
„ eaque paulo poſt multum adaucta ad recuperanda ea, quæ vel occupa-
„ ta, vel ablata Camaldulenſibus fuiſſent, ante omnia ſe convertit, dein-
„ de Biblenam nobile oppidum repentino adventu per inſidias cepit, quo
„ propugnaculis atque præſidiis munito, ad reliqua in fide confirmanda
„ memorabilibus excurſionibus ſe dedit. Erat Baſilius (ut Petrus Del-
„ phinus in ſuis epiſtolis ſcribit) laborum tolerantiſſimus, dies ac noctes
„ inſomnes ducens, quique tanta virtute (etiam poſt Pauli Vitellii &
„ Fracaſſæ adventum, quorum ille Piſis a republica revocatus, iſte a du-
„ ce Mediolani miſſus ſuppetias tulit) adverſariorum conatus enervaret,
„ ut ad convertendum contra ſe arma duces acerrime concitaverit. Igitur
„ Baſilio hoſte per præconem declarato, omnis exercitus Baſilium perſe-
„ quitur, & nil magis quam Baſilii caput uſquequaque expetitur. Cete-
„ rum increbreſcente ea occaſione Baſilii fama difficile memoratu eſt,
„ quantus accolarum regionis atque fugitivorum ad illum ſit factus concur-
„ ſus, quanta velocitate ipſe centuriones cohortibus aſſignaverit, quanta
„ manipulos armaverit, quanta hoſtes repreſſerit, & cuſtodibus ad tranſi-
„ tus alpium ſervandos diſpoſitis, quam frequenter contrariæ factionis li-
„ teras interceperit. Cujus facinoribus ad civitatem perlatis tam priores
„ & vexillifer, quam decemviri libertatis & baliæ Baſilium literis frequen-
„ ter hortari, virtutem laudare, pro oraculo ejus conſilium omnibus in re-
„ bus admittere, & ſicut ille petebat, omnia ad bellum pertinentia pro-
„ videre. Unde die XXIX. novembris 1498. commendata plurimum ejus
„ fide ac virtute Baſilium certiorem faciunt ſeſe pecunias Pupium miſiſ-
„ ſe, ut coneſtabulis ſatisfieri poſſet, qui de non ſolutis ſibi ſtipendiis
„ apud ipſum queſti fuerant. Sic die VI. decembris reſcribentes literis
„ Baſilii, qui ſe Florentiam vocatus ad colloquium transferre nequiverat,
„ quod dux Urbinas, legatus Venetus & Bartholomæus Alvianus ob ca-
„ ptam Biblenam, Pupium quoque, nil ingentes nives curantes, capere
„ ſingulari nocturna excurſione pertentaſſent, ad excitandum animos, ut in
„ fide perſiſterent, Baſilium etiam atque etiam rogant. Parimodo die XXVI.
„ januarii gratulati plurimum, quod hoſtes virtuti Baſilii cedere compel-
„ lerentur, flagitant enixe ab illo, ut ſæpe de ſucceſſu belli literas mit-
„ tat, aſtruentes univerſam civitatem nullius perſonæ literis fuiſſe unquam
„ majore jucunditate exhilaratam. Interea cum Baſilius debilitatis adver-
„ ſariis abeundi facultatem obtuliſſet, factum eſt, ut Veneti ſupra Mon-
„ talonem a Baſilio egregio ſtratagemate fuſi ſint. Baſilius enim fagorum
„ magna inciſione facta & aliarum procerarum arborum, viarum angu-
„ ſtias catus obſtruxit, per ſilvaſque ruſticos in inſidiis collocavit, a qui-
„ bus in equites quingentos ex improviſo facta irruptione omnis exerci-
„ tus in fugam verſus eſt. Igitur potito Baſilio caſtris hoſtium & cæſo-
„ rum ſpoliis commeatuque omni, vidiſſes vel mulierum turbas, undique
„ ex cacuminibus montium, ubi latitabant, quaſi aves gregatim ad præ-
„ dam convolare, dum interea Baſilius de abacta gregum armentorum &
„ equorum copioſa recuperata præda militibus diſpenſanda, ſive etiam do-
„ minis reſtituenda valde ſollicitus, ad Cluſi (quod oppidum ad radices
„ Alverniæ montis poſitum eſt) Capreſiſque & ad ultimam Biblenæ re-
„ cuperationem totis ſe viribus convertit. Quemadmodum ex literis vi-
„ dimus ad illum a ſummo magiſtratu ſcriptis, quæ habentur apud Ju-

ANN. CHR. 1542.

„ lianum Nardium Basilii ipsius pronepotem, qui hæredum Philippi Sal„ viati negotia tractat, & ex picturis præterea laqueariorum palatii rega„ lis expressum habetur in magna sala, ubi Basilius victor equo vectus „ totusque armatus districtum vibrando ensem prædæ captivorumque ma„ nibus post terga revinctis multitudinem ante se ducere visitur magna „ cum gloria. His nunciis a civitate acceptis vix cujusquam lingua ex„ primi posset, quantus plausus de adepta victoria sola Basilii virtute in „ omni populo factus sit. Quapropter scripsit ad eum summus magistra„ tus XXIX. januarii literas, quibus ei in universum gratias egit, asseve„ rans Basilium esse talem, cujus si decem similes inter Casentinates re„ perirentur, nihil esset, quod rempublicam magis stabilire posset. Lau„ rentius vero Cynthius Basilii laudes carmine isto celebravit, qualecum„ que illud sit. “

O Basili antistes venerabilis atque benigne,
Qui pecudes Christi pascere non renuis,
Jam tua te virtus tollit super æthera clarum
Felix Felicis templa beata colis.
Infula te decorat, circum tua tempora mitra
Atque pedum manibus sceptra decora tenes.
Hostes quingentos equites superare potentes
Numine divino tu quoque docte vales.
Quamvis jam precibus castis potuisse feruntur
Tam multi sancti perspicuique viri.
Tu tamen es talis conatus pellere bellum,
Quod Veneti nobis intulerant miseris.
Idcirco merito tibi nunc Florentia debet,
Et Soderina domus te colit ipsa pium.

„ Postremo vero decernente senatu, ut indemnitati Basilii consuleretur, „ sicut jam retulerant Gregorius Petri Beninius & Sigismundus Petri Mar„ tellius collegæ cum sex aliis civibus, mandatum est Philippo Leonardi „ Ginorio depositario, quatenus summam florenorum quingentorum largo„ rum de grossis, ut vocabant, Basilio persolveret pro sumptibus militum, „ quos suo privato censu in eo bello aluisset; ex senatus consulto die XI. „ februarii. Pacatis postea rebus Basilius depositis armis absolutionem ab „ irregularitate ab apostolica sede impetrare curavit. Qua in re plurimum „ eum juvit Petri generalis studium, qui opera Francisci Piccolominei car„ dinalis protectorisque ordinis in eam rem sollicitus valde usus est, sicuti „ ex ipsius liquet epistolis. Redierat ergo Basilius ad consueta monastica „ munera obeunda, multum sane vel a suis hostibus de pietate erga sa„ cram eremum & patriam, ac virtute commendatus. Quando anno M. „ D.I. ex publico decreto rursus in arma revocatus est. Valentinus nam„ que dux cum exercitu in Mucellanum descendens rogaverat per legatos „ Senatum, ut sibi uti amico per Florentinum Romam versus pertransi„ re liceret, qui tamen non obscuris indiciis sese ad reipublicæ damna ve„ nisse suspicionem dederat. Destinatus est legatus in Casentinum Hiero„ nymus Pillius, qui ad Basilii nutum omnes belli ac præsidii apparatus „ disponeret. Rogatus est principio Basilius per literas a summo magistra„ tu, ut festinato majorem ac posset armatorum copiam compararet, Flo„ rentiamque deduceret. Cum vero Basilius brevissimo temporis interval„ lo plusquam trium millium peditum multitudinem conflasset, innovatæ

„ sunt

Ann. Chr. 1542.

„ sunt literæ, ut Basilius præsidium quingentorum militum Pratum mit-
„ teret, tercentorum ad oppidum Emporium, & ducentorum Peretolam,
„ cum reliqua manu Fesulas proficisci jussus. Quo in itinere, cum con-
„ tigisset Basilium vulnus in manu accipere, missus est ad ejus curam Ni-
„ colaus Tanfura clarus chirurgus. Porro Basilius cum exercitu Floren-
„ tiam urbem ingressus tanto civitatis plausu, Petro Delphino teste, ex-
„ ceptus est, ut resonarent undique confluentium populorum voces salva-
„ torem ac propugnatorem patriæ esse missum. Ille vero per mediam ur-
„ bem iter faciens, extra portam sancti Frigdiani, ubi civitatis præsidia
„ infirmiora esse videbantur, castra locavit, tantaque sollicitudine atque
„ militari judicio cuncta disposuit, ut Valentinus cernens se nihil contra
„ Florentinos proficere, inito fœdere de oppugnando Plumbino discedens
„ cogitaverit. Nisus est senatus & insequenti anno M. D. II. ut Basilius
„ propter defectionem Arretii ad arma rediret, rogans eum per literas die
„ XIV. junii, ut se ad exercitum ad locum, qui Quarata dicitur, confer-
„ ret. Atqui cum multa incommoda Basilius ex causa prioris belli ob
„ amissionem abbatiæ sancti Felicis accepisset, noluit novis censuris alli-
„ gari, rescripsitque se excusando quantum potuit, pollicitus tamen se ami-
„ corum auxilia libenter præstaturum, quibus patres conscripti plurimum
„ confisi ejus excusationes admisere non inviti die XI. julii. Coactus est
„ Basilius est anno M. D. XVI. in militiam proficisci, ut Laurentio Me-
„ dici Urbinatum duci morem gereret. Rogatus est primum literis Gho-
„ ri Gherii secretarii die XIX. februarii omnes nervos ad damna rebel-
„ lium totiusque regionis mature intendere; subinde vero Laurentius dux
„ eum procuratorem instituit, cum plena auctoritate componendi res se
„ inter & Urbinates die XI. aprilis. Quam operam cum strenue navare
„ multum sollicitus studeret Basilius, factum est, ut cladem illam apud
„ locum, qui vulgo Penna-billi dicitur, a rusticis acceperit, qui facta in
„ eum conspiratione ab omni parte concurrentes in eum ejusque copias
„ ad angusta viarum impetum fecere, tanta quidem clade, ut Basilium
„ non sine divino auxilio periculum vitæ evasisse creditum sit. Præfectus
„ est exercitui Florentinorum, & ultimo loco Basilius ab Octo-viris practi-
„ cæ cum plena potestate administrandi bellum anno M. D. XXVII. in
„ transitu Borbonii ejusque copiis resistendi, quæ per vallem Balnei Flo-
„ rentiam adventare principio dicebantur, sicuti ex diplomate constare vi-
„ dimus datum die XIII. aprilis. Ea in expeditione emicuit Basilii vir-
„ tus, dum Carolum Neapolis proregem captivum in Camaldulo habuit
„ opera, ut ferunt, Matthæi de Capacio & sequacium, quem tamen po-
„ stea Pupium ex imperio magistratus traduxit liberumque dimisit. Mi-
„ litavit tunc Basilius pro republica triginta-novem tantummodo dies,
„ quo tempore florenos tercentos & decem pro militibus, quibus suo pri-
„ vatim sumptu ad Alverniæ montem, ad plebem sancti Stephani, ad
„ montem Fatucchium & alibi ad stipendia habuit, Abbatini Muccii, Fa-
„ biani de Monte-Fatucchio, & Mozini de Plebe maxime opera usus,
„ sicut ex monimentis ipsius Basilii manu sua scriptis vidimus, ipse vero
„ nonnisi libras sexdecim & solidos tresdecim pro suis stipendiis in dies
„ singulos accepit. Ex eo autem tempore sese in Romandiolæ partes re-
„ cipiens depositis armis, compositisque denique Florentinis rebus mona-
„ sticam togam armis omnino cedere voluit ad administrandum suum cœ-
„ nobium, monachorumque congregationem ad sancti Felicis reversus &c.
„ Concessit fato senex & plenus dierum utpote LXXXII. annum agens
„ die XXII. decembris 1542. Fuit procera statura, grandi vegetoque cor-

„ pore

ANN. CHR. 1542.

„ pore magnisque viribus, subitus in iram ,magnanimus, gloriæ cupidus, „ oculis minacibus, prominentiore labro inferiore, naso aquilino, sed sum„ ma humanitate ac modestia præditus. Sepultus est ad sancti Felicis in „ Platea. Cernitur ejus gypsea effigies in domo ipsius Juliani Nardii pro„ nepotis. " Hucusque Fortunius.

Nonis decembris Paulus III. concessit cardinali Nicolao de Gaddis tituli sancti Theodori fructus ecclesiarum & abbatiarum sanctæ Mariæ de Arabona in Apulia, sancti Salvatoris de Silva-munda in agro Arretino, & sanctæ Helenæ de Serra-sancti-Quirici in diœcesi Æsina vacantium ob mortem Johannis de Gaddis ejus fratris decani clericorum cameræ, & collatarum Thaddæo Gaddio archiepiscopo Cusentino nepoti cardinalis cum regressu ad cardinalem, obeunte vel dimittente nepote. Abbatia autem Silvæ-mundæ abdicata a cardinale cum simili reservatione fructuum collata est anno 1547. quinta februarii ab eodem pontifice Cosimo filio naturali Sinibaldi de Gaddiis. Ex archivo Gaddiano fasciculis 39. 4. 54. 6.

Secunda maji in capitulo Classensi completo triennio regimen congregationis dimisit Johannes-baptista Mazzolanus, & secunda vice successorem habuit Parisium Tarvisinum, qui cum Hieronymo Bergomensi, Severo Volaterrano & Leonardo de Solarolo visitatoribus præsenti anno, sequenti vero cum Samuele Florentino, Benedicto Faventino, & Hieronymo Brixiensi congregationem rexit.

ANN. CHR. 1543.

XXVII. De prioratu S. Frigdiani Pisarum.

PAULUS III. hospitale seu prioratum sancti Frigdiani, alias sancti Martini urbis Pisarum, quem obtinebat in commendam Gaspar episcopus Civitatensis frater germanus cardinalis de Monte postea Julii III., olim monachus Camaldulensis, unit monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia ex Bononia XIV. Kalendas junii pontificatus nono, quod fecit Gaspar cum pacto, ut monachi cederent ipsi ecclesiam non curatam in colle Vertilii, quam habitabat monachus sacerdos, ut in ipsa erigeretur monasterium sub cura Camaldulensium, in honorem beatæ virginis Mariæ; id executioni mandatum est vi bullæ emanatæ similiter ex Bononia eodem anno decimo-septimo Kalendas julii a Bernardetto Minerbetti episcopo Arretino die XXIII. septembris anni sequentis, recepta possessione loci a Laurentio Battiloro priore Angelorum die XIII. aprilis anni 1546.

In insula Martana ducatus Castri, quæ pertinebat ad jus dominorum Farnesiorum, oblatus fuit hoc anno locus habitandus eremitis Camaldulensibus Etruriæ. Deducta ibidem est familia sub Gregorio Bergomate eremita, licet post sexennium, ut videbimus, locus relictus fuerit ob aeris pravitatem.

XXVIII. De Jo: Baptista Barba facto eremita Camalduli.

AD eremum Camaldulensem venerat institutum suscepturus Johannes-baptista de Barbis in seculo Johannes Jacobus Novariensis, qui professionem emisit hoc anno die sexta januarii, frater Ardicini de Barbis equitis Hierosolymitani. Successionis jure ad ipsum pervenere plura bona, quibus ditata est eremus, & inter cetera feudum castri Sanfronii in territorio Saluthiensi, quo investitus fuerat ejus patruus a marchione Gabriele de Saluthio, dum hujus vice marchionatum regebat. Feudum hocce eremitæ Camaldulenses anno 1569. capitulariter congregati renuntiarunt Johanniaugustino Hieronymi de Barbis, ita tamen ut obtineret beneplacitum apostolicum. Quinquies Johannes-baptista fuit Major eremi, & etiam supremus totius congregationis præses anno 1568. vivebatque anno 1584. de quo multa suis annis dicemus.

Cosmus dux Etruriæ se ad eremum Camaldulensem contulit hoc anno, ut testatum reliquit in suis *Memorabilibus* Gregorius Bergomas.

Nar-

„ Narrat Mugnotius in descriptione eremi etiam principes mulieres curiosi-
„ tate videndi locum stimulatas id tentasse, & præsertim refert, quod Sil-
„ vanus eremita vir quidem gravissimus inter loquendum sæpius sibi di-
„ xerat, Mariam scilicet Medices illustrissimam (Leonis decimi pontificis
„ maximi propinquam consanguineam olim eximio sacrum hunc videndi
„ locum desiderio captam, idque amplius ferre non valentem, ut voti
„ esset compos, ac rem securius efficeret, propriis exutam vestibus, viri
„ indumenta sumpsisse. Quadam vero die a quibusdam sibi intimis asso-
„ ciatam in eum locum intrasse, illumque undique circuisse, & animum
„ visu tantopere optato explesse. Postea vero pœnitentia ductam videntem
„ se anathematis vinculo innodatam, Romam adire decrevisse, & ad sum-
„ mi pontificis pedes provolutam rem omnem non absque lacrymis ei nar-
„ rasse, quam pontifex prævia correctione absolvit, ea tamen lege, ut
„ in eadem sacra eremo splendidam domunculam suis sumptibus construi
„ faceret, quam ipsa magnificis quidem lapidibus ornatam una cum reli-
„ gioso ibi oratorio, divo Johanni-baptistæ Florentiæ patrono dicato, eri-
„ gi curavit, quæ merito inter alias domunculas primatum tenet. " Alibi de multis aliis principibus feminis eremum Camaldulensem perlustrare cupientibus, quæ tamen desiderium suum explere renuerunt.

ANN. CHR. 1543.

Patres hoc anno sub Parisio abbate generali convenerunt ad monasterium sanctæ Mariæ de Carceribus pro capitulo generali congregationis ibidem habendo.

ANN. CHR. 1544.

XXIX. Exempti Camaldulenses ab impositionibus.

DIE decima januarii pontificatus anno X. Paulus III. literis datis visitatoribus congregationis exemit Camaldulensem eremum, locaque illi subjecta & incorporata ab omnibus impositionibus & gravaminibus ordinariis & extraordinariis, etiam apostolica auctoritate statutis & statuendis. Confirmavit eam exemptionem anno 1548. pontificatus anno XV. mandans bullæ executionem episcopo Arretino ejusque vicario. Pauli III. bullam ratam habuere anno 1559. Paulus IV. & anno 1562. pontificatus anno III. Pius IV. Loco autem decimarum & impositionum statuerunt censum trium unciarum auri quotannis a congregatione solvendum cameræ apostolicæ.

XXX. Parisii abbatis & card. Puccii obitus.

PARISIUS Tarvisinus, qui ante biennium secunda vice ad supremum congregationis clavum admotus fuerat, vita excedens hoc anno locum fecit iterum Johanni-baptistæ Mazzolano Patavino electo abbati generali. Obiit autem Parisius die XXV. januarii annorum LXIX. vixeratque in observanti monastica vita per annos LV. sepultusque fuit in abbatia Carcerum, in qua obierat, ante januam ecclesiæ in claustro, ubi prius ejus pater carnalis, qui religionis habitum acceperat de manibus filii, tumulatus fuerat. In locum autem Johannis-baptistæ Mazzolani, qui erat abbas Carcerum, substitutus est Jacobus Surianus. Visitatores electi fuere hoc anno in capitulo ad Carceres Bonifacius Trivisanus Venetus, & Sebastianus Fabrianensis; sequenti Johannes Salodiensis & Valerianus Ferrariensis; Samuel autem Florentinus, Romualdus Veronensis & Hieronymus Venetus anno 1546.

Decessit etiam hoc anno die XIV. octobris Antonius Puccius Florentinus presbyter cardinalis sanctorum Quatuor Coronatorum, mox sanctæ Mariæ in Transtyberim, postea episcopus cardinalis Sabinus. Cum hactenus protectionem gessisset ordinis Camaldulensis, ne congregatio viduata protectore careret, electus fuit in ejus locum ipsius patruus Robertus Puccius tituli similiter Quatuor Coronatorum, sed prius sanctorum Nerei & Achillei presbyter cardinalis.

Johannes Comensis abbas sancti Michaelis de Muriano prima decembris

ANN. CHR. 1544.

cum capitulo monachorum suorum concessit Ascanio Columnæ Taleacotii duci omne novum ædificium cum proximo horto & cum terra super canale ejusdem monasterii toto vitæ ejus tempore.

Auctor est Petrus Polidorus in vita Marcelli II. Rom. pont. apud Sartium, ipsum Marcellum, dum erat episcopus Eugubinus, ad quam cathedram assumptus est hoc anno, cum audiisset insignem mss. codicum suppellectilem in monasterio sanctæ Crucis Fontis-avellanæ servari, eo concessisse, atque ex ipsis codicibus multa exscribenda curasse, quæ post ipsius obitum ad cardinalem Sirletum delata, doctissimo Annalium ecclesiasticorum parenti Cæsari Baronio magno usui fuere.

ANN. CHR. 1545. XXXI. Obitus Antonii episcopi Civitatensis.

DEFUNCTUS est hoc anno die secunda decembris Antonius Petripauli fratris Antonii cardinalis de Monte filius, qui ex monacho sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, & ex abbate sancti Clementis Arretii & commendatario sancti Petri de Planetulo electus episcopus Civitatensis sepultus fuit a suis in plebis templo. Ughellius [a] Antonium de Monte Arretinum electum Bethleemitanum translatum ad Civitatensem ecclesiam in Beneventana provincia tunc vacantem die XXI. augusti anni 1517. asserit, Gasparem deinde de Monte defunctum facit hoc anno 1545. Luca Guarico succedente. Ad annum 1543. vidimus Gasparem Civitatensem episcopum benevolum in monasterium sanctæ Mariæ angelorum, cui hospitale sancti Martini Pisarum sibi commendatum renuntiavit. Catalogi omnes nostri, & præsertim Fortunius [b] & Minius episcopum Civitatensem & quidem defunctum hoc ipso anno nominant Antonium de Monte. Superest ergo, ut Antonius & Gaspar unus idemque sint, & Antonii nomen in religione assumpserit, qui Gasparis nomen in baptismate obtinuerat. Habitum monasticum recepit Antonius in cœnobio Angelorum de manu Delphini 1505. ut constat ex epistola XXXVI. libri VIII. inde anno sequenti [c] juxta morem ejus seculi, intercedente patruo archiepiscopo Sipontino & auditore sacri palatii postea S. R. E. cardinale Antonio, factus est abbas sancti Clementis de Arretio, quod monasterium in commendationem obtinebat patruus. Cannetus noster in epistola ms. ad Guidonem Grandium octava januarii anni 1693. suspicatur improprio vocabulo Antonium episcopum Civitatensem appellatum a Fortunio, fuisse aut Tiphernatem in Umbria, aut Civitatis-castellanæ Fescenii in Faliscis, aut Civitatis-ducalis in Aprutio, aut Lucerienfem in Apulia, aut Pennensem in Aprutio; sed hæ omnes cathedrales sedes ab aliis implebantur his annis, solusque Antonius de Monte ad annum 1506. reperitur episcopus Tiphernas Antonii nostri patruus, inde Sipontinus archiepiscopus & S. R. E. cardinalis. De Antonio Civitatense episcopo mentionem facit etiam Buccellinus in Benedicto Redivivo.

a T. VIII. col. 273.

b P. II. lib. 5. cap. 2.

c Lib. VIII. ep. XLII.

Nicolaus Rodulphius S. R. E. cardinalis commendationem abbatiæ sanctæ Crucis Fontis-avellanæ transtulit in Philippum Rodulphium nepotem suum septennem, obtento a Paulo III. diplomate quarto nonas martii hujus anni.

Capitulum generale prælatorum congregationis celebratum est hoc anno in monasterio sancti Michaelis de Muriano.

ANN. CHR. 1546. XXXII. Capitulum in insula Marthana.

PAULO ante hunc annum Clemens Romanus unus ex pontificis Pauli III. familiaribus Patricanus ex Patrica oppido Ostiensis diœcesis, ceterum ex nobili familia Anguillaria, mundi pertæsus, & perfectioris vitæ desiderio accensus, relictis honoribus & spe majorum dignitatum eremum Camal-

maldulensem petierat. Cum autem Farnesiana gens locum eremiticæ vitæ accommodatum possideret in insula Marthana, quæ in lacu Wulsinio sita est, ducatus Castri, Clemens hunc eremo Camaldulensi a pontifice aggregandum curavit. „ Interea præmortuo Antonio Puccio cardinale ordinis „ protectore Robertus frater (ait Fortunius [a], sed lege *patruus*) in ejus „ locum suffectus fuerat, cujus hortatu patres locum ipsum, ut in cœno- „ bium redigeretur, constituere; " quod actum vidimus anno 1543. „ In- „ ter hæc Johannes-baptista generalis in gravem inciderat valetudinem, „ adeo ut nec equitando, nec stando partes suas implere posset. Itaque „ pontificio imperio indictus conventus ad ipsam insulam Marthanam in „ eremo sancti Stephani diœcesis Montis-flasconis mense septembri. Ibi „ autem, præsidente cardinale Roberto, multi prælati depositi sunt, & „ Johannis-baptistæ loco ipse Clemens eremita, primusque ex eremitis, „ nam eatenus e congregatione monachorum assumpti fuerant generales, cla- „ vo præpositus, & usque in quadriennium confirmatus, retento loco san- „ cti Stephani pro eremo condenda. " Extat Pauli III. breve ad Robertum cardinalem sub die sexta augusti, quo ipsi injungit onus convocandi generale capitulum. Statuta fuit in eodem capitulo die XXI. septembris residentia generalis in monasterio sancti Hippolyti de Faventia, ubi deinceps fere omnes usque ad hodiernam diem resederunt. Assignati fuere in visitatores congregationis Ventura Venetus & Laurentius Florentinus. Johanni autem Baptistæ Patavino generalatum deponenti, attenta ipsius infirmitate, & laboribus pro ordine susceptis data sunt subsidia ex bonis monasteriorum sancti Petri de Rovereto Cæsenatis, & sancti Viti Vicetinæ diœcesis. Laudat Johannem-baptistam generalem ex doctrina, integritate & insigni animi virtute kalendis januarii hujus anni Hippolytus Ballarinius Novariensis Camaldulensis monachus in tractatu de *Diligendis inimicis*. Mandatum quoque fuit ipsi Clementi generali, simulque priori sancti Mathiæ de Muriano, ut se componerent cum presbytero Alovixio super beneficio sancti Pauli de Pasiano Concordiensis diœcesis in permutationem ecclesiæ sancti Viti de Vicetia. Eversum siquidem fuit circa hæc tempora bellorum impetu idem cœnobium sancti Viti, ecclesia pariter solo fere æquata, itaut monachi ex suburbano sancti Viti ad alterum suburbanum, sed civitati proximiorem locum sanctæ Luciæ recipere se coacti fuerint, cujus etiam postremi loci ecclesia hoc anno consecrationis munere insignita fuit ab archiepiscopo Antibariense Ludovico Clericato, altare principe in honorem sancti Viti dicato. Anno 1552. Ludovicus Beccattellus legatus apostolicus in dominio Venetiarum copiam fecit monachis transferendi saxa & lapides ecclesiæ sancti Viti pro constituenda turri campanaria ecclesiæ sanctæ Luciæ.

ANN. CHR. 1546.

[a] Part. I. lib. III. c. 23.

XXXIII. Mors Severi Parellæ abb. Camald.

DUM ad capitulum Marthanum pergeret Severus Volaterranus abbas Vallis-castri & sancti Blasii de Fabriano, decessit e vita apud urbem Sutrinam. Is ex familia Parella Volaterrana „ præstitit, teste Fortunio [b], ele- „ ganti ingenio in Etrusco carmine componendo; nec desunt, qui asse- „ rant ipsum Ludovici Areosti Ferrariensis poetæ amicitias coluisse, il- „ lumque de ipso mentionem facere in ultimo cantico iis verbis: *e An- „ drea Marone e l'Monaco Severo*; inter ceteros hoc asserit Thomas Por- „ cacchius Castilionensis, qui Fornarium refellit asserentem Areostum lo- „ quutum ibidem fuisse de Severo monacho Cistercienſi. " Pluribus eamdem rem tractat, sed Severo suo tribuit Baccettius abbas in historia monasterii Septimiani ordinis Cisterciensis. „ Obtinuit Severus noster, prose- „ quitur Fortunius, omnes fere ordinis dignitates, & multum pro congre- „ gatione

[b] Part. II. lib. IV. cap. 22.

Ann. Chr. 1546.

„ gatione sancti Michaelis laboravit. Vicarius generalis cum esset Johannis-
„ baptistæ Patavini supremi præsidis, Bononiam in habitu seculari profe-
„ ctus est, ut dignitati parthenonis sanctæ Christinæ provideret, quod car-
„ dinalis Campegius pontificius Clementis VII. legatus reformare volebat,
„ ac ibidem Severus monachabus aliquibus inde remotis, novam abbatis-
„ sam cum duabus aliis sororibus ibi constituit ex sancti Maglorii monaste-
„ rio de Faventia petitam. Exemit quoque abbatiam sancti Michaelis in
„ Burgo Pisarum de manibus commendatarii. Abbas cum esset anno 1534.
„ sancti Hippolyti Faventiæ, captus fuit, & tentus in arce sub mortem
„ pontificis Clementis VII. eo quod recusaverit solvere quamdam pecunia-
„ rum summam indictam, a qua propterea cœnobium absolutum fuit. Po-
„ stremo factus abbas Fabrianensis, ac cum episcopatum sibi oblatum, ut
„ ferunt, repudiasset, valetudinarius iter suscipiens, & Sutrium perveniens,
„ ibidem occubuit. Reliquit editas a se aliquot comœdias pro more ejus
„ temporis, cum variis rythmis, quæ varie distractæ sunt. " Hæc idem Fortunius; fuit autem Severus monachus sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ, quem una cum Timotheo altero monacho & poeta Latino valde dilexit Delphinus, datis ad ipsos literis communibus, ut diximus, cum de Timotheo verba fecimus.

Ante generalissimum capitulum Marthanum mense septembri, aliud habitum fuerat prælatorum aliquot in monasterio Classensi mense majo.

Ann. Chr. 1547.

XXXIV. Brevia Pauli III.

Paulus III. Clementis Patricani electionem factam in abbatem generalem Camaldulensium anno præcedenti approbat die XIII. julii, simulque ratas habet constitutiones omnes factas in capitulo sancti Stephani in insula Marthana diœcesis Montis-fiasconis, observarique mandat.

Die XVI. novembris bulla sua, quæ incipit, *Exponi nobis*, facultatem confirmat eidem generali Camaldulensi alienandi bona ad summam duodecim millium scutorum aureorum, & reducendi usuram decem, octo & sex pro centenario ad quinque scutorum fœnus.

XXXV. Prioratus S. Marci Volaterrarum erigitur in monialium asceterium.

Idem die XXV. novembris erigit prioratum sancti Marci Volaterrarum in monasterium sanctimonialium, de qua erectione hæc nobis constant ex relatione Romualdi Calvelli Florentini monachi Camaldulensis confessarii præfatarum sanctimonialium. Cum urbs Volaterrana, inquit, exoptaret
„ aliud pro puellis construi & designari locum, in quo possent Deo de-
„ servire susceptione monastici habitus, & cum cetera monasteria referta
„ essent sacris virginibus, ita ut ægre petentium votis satisfacere possent,
„ Michael Benedicti Gherardi Volaterranus commendatarius sancti Marci
„ ordinis Camaldulensis ejusdem urbis exhibuit urbi dictum prioratum,
„ retentis sibi illius fructibus. Sed cum prioratus dictus manualis esset,
„ & subjectus abbatiæ sanctorum Justi & Clementis ejusdem urbis, quam
„ in commendationem obtinebat Johannes-baptista Bava protonotarius apo-
„ stolicus, exquisitus fuit & ejus assensus, qui facilem se præbuit, cum
„ ea conditione, ut monasterium erigeretur sub regula sancti Benedicti,
„ & sub ordine Camalduli, cum annuo censu imposito abbatissæ libræ in-
„ censi offerendo die Pentecostes in signum recognitionis prælaturæ, quam
„ obtinebat abbas sancti Justi, sive commendatarius foret, sive regularis,
„ ut firmatum fuit, tum bulla Pauli III. hoc anno, tum conventionibus
„ scriptis die trigesima augusti anni 1549. manu Hieronymi Mostardini a
„ Sancto-geminiano cancellario magnifici Caroli Roberti Donati Acciajolii
„ Volaterrarum capitanei. Die tertia februarii anni 1547. (intelligatur ab
„ Incarnatione, hoc est anno sequenti) magnifici Volaterrarum priores pos-

„ sessio-

„ sessionem iniere prioratus sancti Marci pro fundando parthenone. Die „ decima-septima ejusdem mensis iidem priores cum toto urbis consilio & „ cum clero processerunt ad sanctum Dalmatium, ubi præceperunt Elisa- „ bethæ Benedicti Guillielmi, & Birgittæ Marci Brandini monialibus di- „ cti monasterii, ut e claustris suis exeuntes se conferrent ad ecclesiam „ sancti Marci. Celebratis ibidem Missarum sollemniis electa fuit in pri- „ mam abbatissam novi monasterii præfata Elisabeth, assignata ei in so- „ ciam Birgitta. Die XVIII. maji anni 1550. denuo priores cum populo „ convenerunt in ecclesiam sancti Marci, & abbas commendatarius sancti „ Justi benedictionem posuit super vestes albas, quibus tum abbatissa, tum „ ejus socia indutæ fuere, detractis vestibus atris, ac novam abbatissam „ confirmavit, a qua juramentum subjectionis recepit." Hæc memoria extracta fuit ex libris monasterii sancti Petri in Silice, ubi se progressu temporis receperunt moniales sancti Marci, nempe anno 1710. die prima junii, metuentes, ne monasterium sancti Marci absorberetur a voragine proxima. Laurentius Gasparis Fentius ab Abbatia Pollicinii abbas regularis sancti Justi post commendatarium Bavam anno 1566. die secunda maji præcepit abbatissæ sancti Marci, ut intra quindecim dies sacerdotem statueret, qui curam animarum monialium & populi exerceret, sub pœna excommunicationis & in virtute sanctæ obedientiæ. Die tamen XXVIII. septembris dicti anni idem Laurentius abbas jurisdictionem suam transtulit in Volaterranam communitatem, quæ transfudit in episcopum diœcesanum, cui ad hodiernam diem subjiciuntur moniales dicti asceterii, recognito tamen abbate sancti Justi in novis abbatissarum electionibus.

XXXVI. Acta capitularia congregationis.

Rainutius Farnesius sancti Angeli presbyter cardinalis, marchiæ Anconitanæ cum adnexis a latere legatus, & protector ordinis Camaldulensis auctoritate apostolica facultatem facit abbati generali Camaldulensi Clementi Patricano, ut una cum duobus visitatoribus Ventura Veneto & Laurentio Florentino, & cum abbate Classensi Romualdo Veronense, aliisque prælatis ad arbitrium ejusdem generalis eligendis per totum mensem maji dietam seu parlamentum congreget, eaque omnia agat, quæ ad ordinis & congregationis Camaldulensis & monasteriorum utilitatem facere videbuntur. Datum Anconæ die XXIV. martii anni 1547. Qua auctoritate fultus Clemens generalis, vocatis præterea Hippolyto Novariense abbate sancti Michaelis de Muriano, Leonardo abbate Carcerum, & Benedicto Faventino priore sancti Johannis-baptistæ de Faventia, ad diem XXVI. aprilis in abbatia Classensi decrevit plura ad rem ordinis facientia, inter cetera vero, ne sine generalis licentia passim provocaretur a prælatis & a monachis ad cardinalem protectorem, neve quis auderet inscio supremo præside Romanam curiam adire. Mense vero augusto iterum apud monasterium sancti Michaelis de Muriano plura tractavit cum ceteris prælatis, & præsertim de redigendis ad minorem summam oneribus fructuum solvendorum pro pecuniis mutuatis ab ordine ad pontificia subsidia obeunda, quæque duodecim, decem & octo pro quolibet centenario persolvebantur, ad quinque vel sex reducendis, obtenta ad id apostolica bulla, de qua superius. Demum anno sequenti vigesima-secunda aprilis conventum indixit idem Clemens generalis in monasterio Classis. Decretum in eo est, ut in urbe Cæsena construeretur monasterium, cui unirentur ecclesia sancti Pauli ejusdem urbis & altera sancti Petri de Rovereto ipsius diœcesis. Restitueretur vero beneficium sancti Proculi de valle Clanarum monasterio Arcus Senarum, ut ipsius membrum adnexum. Rainutius Farnesius Pauli III. nepos protectionem ordinis suscepit post Robertum Puccium, qui decesserat initio hujus anni 1547.

Ann. Chr. 1547.

Hieronymus Sueffanus Major & prior sancti Salvatoris Montis-coronæ ecclesiam sine cura sanctæ Mariæ de Nicone Castellanæ diœcesis vigore privilegii Clementis VII. sub die XVII. junii anni 1528. univit die XXII. septembris hoc anno eremo Montis-coronæ.

Ann. Chr. 1548. XXXVII. Stephani eremitæ Camald. pius obitus.

SANCTO fine quievit hoc anno die XXVI. decembris Stephanus Venetus, eremita factus Camaldulensis saltem ab anno 1519. De ipso narratur, quod fuerit vir multæ doctrinæ, ut colligitur ex pluribus ejus epistolis, quæ mss. 57. numero prostant in bibliotheca eremi ab anno 1538. ad 1546. Interrogatus a Lælio Taurellio auditore Cosmi ducis Etruriæ circa beatitudinem sensuum hominis glorificati, multis Scripturarum & sanctorum patrum testimoniis tractatu profundo respondit; alium quoque tractatum edidit virtutum mulieris Chananeæ, alios duos sermones de Maria Magdalena, alium super perfectione hominis in vita positi; de contractibus usurariis justum libellum confecit; episcopo Sarsinati consilium scripsit super matrimonio valde dubio. Epistolæ porro ejus zelum Dei spirant, & ad Dei honorem ampliandum sunt compositæ, caritatem erga proximum, humilem cognitionem sui docent, quibus virtutibus præsertim præditus erat Stephanus. Scripsit etiam ad celebrem pictorem Georgium Vasarium, & ad Bernardinum secretarium consulis Carporum. Ex commissione abbatis generalis Camaldulensis visitavit totum ordinem; in eremo vero officium Majoratus gessit anno 1542. De eo multa cum laude mentio habetur in vita beati Michaelis eremitæ reclusi Camaldulensis, cujus erat familiarissimus, & eodem contemplationis ac pœnitentiæ genere conjunctissimus.

Cardinalis Nicolaus Rodulphius obtinuit a Paulo III. die XXIV. decembris bullam excommunicationis contra incidentes silvas, & contra usurpantes pecunias oblationum, eleemosynarum & votorum in die sancti Albertini in ecclesia sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, cujus erat abbas commendatarius. Pariter denuo univit abbatiæ Avellanensi beneficia Aprutii, scilicet monasterium & ecclesiam sancti Nicolai de Cornu, & sancti Augustini de Basciano diœcesis Pennensis, renuntiante Ludovico Gabriellio pensionario.

Ægidius de Stupanis de Valle-tellina abbas sancti Blasii de Fabriano locavit hoc anno comitibus de Scala de Retorsio beneficium sanctæ Mariæ & sancti Laurentii de castro Retorsio, quod erat subjectum abbatiæ sancti Urbani de Apiro. Etiam Stephanus Brixiensis abbas ejusdem loci anno 1554. Johanni de Nobilibus comiti castri Genghæ idem beneficium locavit, & anno sequenti comiti Nicolao Scala de Retorsio.

Electi fuere a patribus capituli, qui convenerant in monasterium Classis, in visitatores Johannes de Valle-tellina, & Rodulphus de Faventia; anno sequenti Hippolytus Ballarinius de Novaria & Theophilus Biozzius de Balneo sub regimine abbatis generalis Clementis Patricani.

Ann. Chr. 1549. XXXVIII. De electione generalis intra triennium.

„ CONSUETUDO eligendi generalem ordinis infra annum per mor-
„ tem ejus, qui præfuisset, ex antiqua institutione eatenus fuerat,
„ ait Fortunius [a], ut duo visitatores, totidemque ordinis prælati loco,
„ ubi decessisset, proximiores novam facerent electionem. Anno 1549.
„ animadvertentes patres fieri interdum, ut ex una eademque familia plu-
„ res generales continenter institui possent, non sine gravi aliarum detri-
„ mento, pontificem pro pace congregationis consuluerunt. Qui digniorum
„ cœnobiorum dignitatis habita ratione, simul ut una ex duabus par-
„ tibus facilius ex impare numero alteri cedere deberet, novem tantum-
„ modo

a P. I. lib. III. cap. 24.

„ modo ex prælatis hujusmodi electionem in omne futurum tempus de-
„ mandatam esse voluit; Majori scilicet sacræ eremi, abbatibus sancti Mi-
„ chaelis Muriani, Classis, Carcerum, & Vallis-castri, prioribus sancti
„ Mathiæ Muriani, Angelorum Florentiæ & duobus visitatoribus; qui
„ quidem infra mensem a die obitus generalis conventum haberent, &
„ generalem usque in proxima comitia instituerent, alioquin intra dictum
„ tempus non consentientibus, electio ipsa ad totius ordinis prælatos de-
„ volveretur. Datum Romæ apud sanctum Marcum die decima-nona ju-
„ nii Pauli III. pontificatus anno XV." Bulla data est visitatoribus Camaldulensibus, & incipit *Exponi nobis*; & juxta ipsius tenorem deinceps occurrente casu mortis infra annum, vel infra triennium, generalis abbas novus electus fuit in congregatione.

ANN. CHR. 1549.

Celebratum est capitulum ejusdem congregationis in abbatia sancti Hippolyti de Faventia die XII. maji sub Clemente generali; recepta fuere per renuntiationem possessorum varia beneficia; resignante Andrea priore ecclesia sanctæ Mariæ de Ficano cum suis adnexis unita fuit abbatiæ Vallis-castri; ecclesia sancti Pauli de Balneo, eam dimittente Laurentio de Salvettis, abbatiæ Balneensi adjuncta; ecclesia sanctæ Mariæ de Vighizzolo quæ membrum evasit abbatiæ de Carceribus. Idem generalis possessionem accepit monasterii Rosæ Senarum, suorumque bonorum, impetrata bulla a Julio III. ut dicimus anno sequenti.

ANN. CHR. 1550. XXXIX. Julii III. brevia & privilegia.

PAULUS III. pontificatus sui anno octavo, nimirum 1541. XIII. kalendas junii assensu suo jam probaverat unionem monasterii Rosæ Senarum factam congregationi Camaldulensi per cessionem Friderici abbatis; verum rebus dilatis, & morte subsequente ejusdem pontificis, qui obierat die decima novembris anni elapsi, apostolicæ nondum confectæ fuerant literæ; quare Julius III. in Pauli locum electus die octava februarii hujus anni eam cessionem & unionem confirmavit primo sui pontificatus anno, octavo kalendas maji, literas apostolicas expediens, & complens antecessoris sui approbationem.

Idem Romanus pontifex Julius undecima decembris pontificatus primo extendit ad Camaldulenses Etruriæ eremitas privilegia omnia, quæ hactenus a prædecessoribus suis Romanibus pontificibus concessa fuerant eremitis societatis sancti Romualdi, sive Monte-coronensibus, innovans etiam cetera quomodolibet, & quandocumque indulta ab iisdem hactenus ipsis Camaldulensibus Etruriæ, mandans proinde vicariis archiepiscoporum Florentini & Pisani, & episcopi Arretini, ut quoties fuerint requisiti, eisdem eremitis privilegia hujusmodi manuteneri invigilent. Porro ea præcipua sunt, ut prior eremi ab omnibus censuris absolvere possit subditos suos, ut sacra vasa sacrasque vestes benedicere valeat, ut ipse ceterique eremitæ altaria portatilia secum deferre possint, celebrare ante lucis auroram, confessiones secularium excipere, sacramenta ipsis ministrare, ab excommunicationibus absolvere, irrequisitis etiam locorum ordinariis, queant, demum liberi sint a gravaminibus & impositionibus ordinariis & extraordinariis, substituta dumtaxat solutione trium unciarum auri.

In eodem Camalduli-majoris Etruriæ monasterio congregatum fuit hoc anno capitulum congregationis generale die XXVIII. aprilis sub præsidentia Fabii Myrti episcopi Cajacensis subdelegati a Rainuccio Farnesio cardinale ordinisque patrono. Oravit in ipso Brunus eremita, olim monachus Cartusianus ex partibus Delphinatus. Deponente regimen Clemente Patricano eremita generali subrogatus est ex monachis & ex cœnobio sanctæ

Mariæ

Ann. Chr. 1550.

Mariæ Angelorum de Florentia Laurentius Orasus de Battiloro Florentinus in supremum præsidem; Gregorius autem Bergomas in Majorem eremi. Visitatores hujus anni fuere Romualdus Veronensis & Stephanus Brixiensis; anno vero sequenti Leonardus Faventinus & Maurus de Mandello. Plura in hoc capitulo decreta sunt ad conventualium monachorum reformationem, ne secularium clericorum habitum deferant, sed pallium talare induant ad normam monachorum observantium, neque barbam gestare continuent. Commissum fuit generali & priori sancti Mathiæ de Muriano negotium recuperandi & eripiendi e manibus laicorum abbatiam sancti Michaelis de Lemo.

Ex necrologio Avellanense decessit die XXXI. januarii Nicolaus Rodulphius S. R. E. in Via-lata cardinalis commendatarius abbas ejusdem monasterii; commendationem accepit Philippus Rodulphius ejus nepos jampridem constitutus coadjutor.

XL. De ecclesia B. Thomasii de Costacciario.

Dum in oppido Costacciarii conciones ad populum haberet magister Bonaventura Ascesi ex minoribus conventualibus ordinis sancti Francisci sub Bonaventura Pio ministro generali, oriundo ex eodem oppido, persuasit incolis loci, ut capellam beati Thomasii eremitæ Camaldulensis, qui ad Deum transierat anno 1337. & summa veneratione ibidem colebatur, e suo loco, in quo consistebat, dimoverent, ad hoc, ut ecclesiæ pulchritudo magis eniteret. Capsa itaque ipsius sacrarum reliquiarum collocata fuit super altare majus sub tabernaculo sanctissimi Sacramenti, immo alia nucea & deaurata fuit elaborata, in qua deposita sunt lipsana sancti viri, excepto capite, quod Dionysius San-matthæjus Costacciarensis ejusdem ordinis asceta inclusit in theca argentea e prospectu ecclesiæ, quam etiam crate ferrea custodiendam curavit. Hæc ex Silvano Ractio anno 1600. scribente, qui id contigisse asserit ante quinquaginta annos. Ad eumdem Dionysium electum postea fidei quæsitorem generalem in toto dominio Florentino extat inscriptus ab Augustino Fortunio hymnus de beato Thoma eremita Camaldulensi, cujus etiam vitam scribere paraverat, locoque ipsius exaravit præfatus Ractius.

D. O. M. Johanni Baron canonico Virdunensi scriptori apostolico protonotario viro insigni, conterraneorum quondam libertatis oppressæ optimo liberatori, ætatis suæ anno XLVIII. *tunc sacerdoti, de anno* M. D. XLVI. *tertio idus junii vita functo, avunculo benemerenti & posteris fato solutis Adam Baron alias Rauce nepos, etiam canonicus & scriptor mæstissime poni curavit. Anno Jubilæi* M. D. L. Prostabat hujusmodi inscriptio in ecclesia veteri sancti Gregorii de Urbe.

Ann. Chr. 1551.

XLI. Julii III. brevia.

Romanus pontifex Julius III. sexto kalendas augusti separavit monasterium sanctæ Mariæ de Trivio ab illo sancti Felicis in Platea Florentiæ, cui conjunctum olim fuerat sub Leone X., & Triviense liberum congregationi Camaldulensi tradidit.

Intercessit etiam hoc anno Julii III. pontificatus secundo ipsius beneplacitum apostolicum pro renuntiatione abbatiæ sancti Vigilii Senarum & sancti Salvatoris Berardingorum, quam fecit abbas ipsorum monasteriorum commendatarius Fabius Mignanellus Senensis episcopus Lucerinus congregationi Camaldulensi.

XLII. De abbatia Rosæ Senarum, aliaque monumenta.

Narrat Fortunius[a] „ sub hoc anno Fridericum Bellum abbatem Rosæ Senarum, qui jam ab anno 1515. congregationi Camaldulensi cesserat cœnobium illud juxta formam privilegiorum Leonis X. obtinueratque loco pensionis fructus sancti Georgii (de Apibus) & Galignani,

[a] Part. II. lib. IV. c. 32.

„ ni, reservata sibi administratione, (renuntiaverat etiam regimini anno 1543. & die XXVII. aprilis ejus anni nomine congregationis regimen acceperat Innocentius Bergomensis) hanc cum titulo deposuisse hoc an- „ no 1551. in manibus Laurentii generalis ac visitatorum, qui illum ab- „ batiæ Montis-christi titulo insignitum esse voluere. Decessisse autem Fri- „ dericum condito testamento, cum jam cœnobium funditus eversum ja- „ ceret ob bellum Senense. Interea quia eremus ad Vivum mensæ mona- „ sterii Rosani jamdudum una cum cœnobio Arcus unita fuerat, Johan- „ nes Nicoluccius Senensis prior ipse quoque utrumque sacerdotium con- „ gregationi resignavit, una cum altero sanctæ Mariæ-magdalenæ Castillio- „ nis secundum formam privilegiorum, sed a Cardinalacio ejectus, rece- „ pit sese Johannes ad sanctæ Cæciliæ de Podio-sanctæ-Cæciliæ, nec ce- „ dere jura sua congregationisque voluit, quæ propter ejus mortem cœno- „ bium ipsum liberum omnino postea obtinuit. Eremus ad Vivum jam di- „ vendita erat, ad solvendam impositionem viginti-quatuor decimarum, „ quam statuerat Clemens VII. Sic ergo unico superstite ordini cœnobio „ sanctæ Mustiolæ ad Arcum Senarum, translatum fuit in illud collegium „ monachorum, & quotquot post bellum præfuere, instaurandis prædiis, „ templo & domo diligentissime incubuere. "

ANN. CHR. 1551.

Licet alias vetitum fuerit monialibus sancti Parisii de Tarvisio exire e propriis claustris pro reformandis monasteriis sacrarum virginum ejusdem urbis, hoc anno tamen, præmisso brevi apostolico, capitulum generale celebratum die XXVI. aprilis in abbatia Classis fatultatem fecit Angelæ & Jacobæ monialibus ejusdem parthenonis, ut cum licentia episcopi possent adire monasterium sancti Theonisti pro restituenda in eo monastica disciplina.

Annuente pontifice Julio anno II. decimo-octavo Kalendas octobris apud sanctum Petrum Laurentius generalis obtinuit resignatione Jacobi Augustini terræ Montis-regalis diœcesis Reatinæ acolythi apostolici ecclesiam parœcialem sancti Nicolai in Forbitoribus in regione Columnæ sive Trivii urbis Romæ, pensionis conventione triginta scutorum aureorum super ipso beneficio, & aliorum quadraginta super abbatia Vallis-castri. Confirmatio perpetua ejusdem beneficii facta fuit ab eodem Julio anno quinto sui pontificatus quinto-decimo Kalendas maji cum obligatione imposita congregationi reparandi ecclesiam & proximas domos.

Idem Romanus pontifex XXVII. decembris pontificatus sui anno secundo, petente Laurentio generale, remisit congregationi summam duorum millium scutorum auri, ob solutionem factam quingentorum, mandans nuntio apostolico in dominio Venetiarum, & vicariis archiepiscoporum Ravennatis & Florentini, ne Camaldulenses ulterius molestiis afficerentur; quod ipsum præcepit agentibus cameræ apostolicæ.

In necrologio Avellanensi sub die XIV. februarii habetur: *Obiit reverendissimus dominus Nicolaus Monterchia episcopus de Viterbio benefactor noster* 1551. Nescimus cur Salvinus [a] Ughellium emendaverit, qui ad annum 1551. statuit defunctum Nicolaum, & ad oram paginæ apposuerit: *Obiit autem anno* 1550. *secunda novembris*.

Extant in archivo sancti Romualdi de Urbe [b] decem documenta pro præpositura sancti Johannis de Petriolo diœcesis Firmanæ quoad causam agitatam inter monasterium sancti Blasii de Fabriano cujus erat, & Achillem pensionarium, ac inter capitulum Lateranense, quod in eam jus prætendens volebat ipsam unire hospitali domui Petrioli.

a *T. I. col.* 1421.

b *Fascic.* XVI. 6.

Ann. Chr. 1552.

XLIII. Capituli Fontis-boni acta.

DEFUNCTO, antequam compleretur triennium, Laurentio Orafo abbate generali Camaldulensi die quinta martii, juxta formam privilegii Pauli III. de quo ad annum 1549. electus fuit in monasterio Fontis-boni die secunda aprilis intra annum in præsidem generalem Samuel Florentinus e familia de Pezzinis monachus sancti Benedicti extra Florentiam & tunc prior monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, confirmatus subinde die xxv. maji in proximo Carcerum capitulo generali congregationis, & decretis ei in socios visitatores Theobaldo de Villa-fora, & Maphæo Murianense, ac anno sequenti Johanne Salodiensi & Romualdo Balneensi. Inter primas Samuelis sollicitudines ea fuit, ut impensius opera daretur acquisitioni ecclesiæ sancti Nicolai in Forbitoribus de Urbe, quam anno præterito Laurentius ejus prædecessor acceptaverat; quare egit, ut & in comitiis patrum congregatorum approbaretur acquisitio, licet post biennium dumtaxat intercesserit apostolicum Julii III. beneplacitum. In eodem capitulo mandatum fuit ipsi generali, ut omne studium adhiberet, pro obtinenda libera a manibus commendatariorum restitutione abbatiarum sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum, sancti Frigdiani de Pisis, & sancti Felicis in Platea Florentiæ. Aliud eidem generali impositum negotium redimendi prioratum sancti Angeli de Massaccio, & componendi cum Augustino Torellio de Piccolomineis ordinis Camaldulensis abbate monasterii Campi-fellonis dioecesis Firmanæ, tam super eadem Campi-fellonis abbatia, quam super præpositura sancti Laurentii Massaccii. Demandatum quoque fuit abbati Classensi, & capellano monacho sanctæ Christinæ de Bononia onus redimendi & reducendi ad ordinem prioratum sanctæ Mariæ Angelorum, & alterum sanctorum Cosmæ & Damiani de Bononia.

XLIV. De Silvano & Samuele eremitis Camaldulensibus.

IN eodem capitulo declaratus fuit Major eremi Silvanus de Saluthio celeberrimus sui temporis eremita, quod officium repetitis vicibus antea & postea gessit. En quæ habet de ipso, & de Samuele altero eremita Andreas Mugnotius Conchensis in descriptione eremi Camaldulensis ad sanctissimum Pium V. „ Silvanus vir non minus divinarum literarum eruditione, quam vitæ sanctitate præclarus sermocinationes ac documenta super lectione evangelica utilia valde & salubria ad vitæ ipsius eremiticæ perfectionem indagandam privata, ac interpolatis diebus publica summo spiritus fervore & caritatis ardore tironibus sacris ceterisque omnibus ingeniose admodum & pie edisserit atque dilucidat. “ Et superius: „ Viri Dei Samuel & Silvanus aliis dignitatis honore notiores atque eminentiores in ipsa eremitica solitudine a multis hinc annis magna cum laude versati, qui plane quasi duo magna ipsius divæ eremi luminaria sunt, a quibus ceteri eremitæ tamquam stellæ fixæ vitæ sanctæ splendorem merito suscipere possent. “ Vivebat ipse Silvanus etiam anno 1569. scripsitque tractatus aliquot utillimos, qui servantur in bibliotheca ejusdem eremi mss. sub numero 284. *de Indulgentiis*, *de Excommunicationibus de Electione canonica*, *de Passione Christi Domini*. *Quomodo anima Deo uniatur?*

Ann. Chr. 1553.

XLV. Antonius Pisanus eligitur generalis Camald.

CAPITULUM generale congregationis habitum fuit hoc anno in abbatia Carcerum, & inter cetera decreta deputati fuere in eo viri, qui constitutiones Camaldulenses ad examen revocarent, & optimas ac dignas, quæ observarentur, in unum corpus compilarent. Paulo post decessit Samuel generalis, cujus postrema dies fuit undecima julii; quare iterato ad Paulinam constitutionem convocata fuit dieta Venetiis in monasterio sancti Michaelis, ubi a statutis prælatis una cum interventu auditoris

toris cardinalis sancti Angeli Rainutii Farnesii ordinis protectoris postulatus est in supremum præsidem Antonius de Piscibus sive de Cursiis Pisanus, qui ex monasterio Angelorum Florentiæ, in quo professionem emiserat, jampridem ad eremiticam in solitudine Camaldulensi transierat. Eaque electio necessaria videbatur, ut juxta statutum capituli Marthani approbati a Paulo III. post duos generales monachos generalis eremita eligeretur. Alii electores dissentiebant, eo quia hæc electio repugnaret veteribus constitutionibus ordinis. Prævaluit tamen primorum opinio, ipsiusque Antonii electio contigit die octava augusti, Johanne Salodiense, & Romualdo Balneense visitatoribus. Mense autem decembri Romam pergens Antonius favore Cosmi Medicei Florentini ducis, & ejus auditoris Lælii Taurellii amicissimi sui obtinuit a Romano pontifice Julio III. breve pro minorandis usuris, quæ pro pecuniis mutuo acceptis solvi debebant a congregatione.

ANN. CHR. 1553.

Renuente Romualdo Nardio abbate concedere congregationi monasterium sancti Felicis in Platea Florentiæ, a quo jamdudum dissociatum fuerat illud Montis-cornarii sive de Trivio, beneplacito apostolico assignatum est dictum monasterium monialibus sancti Petri martyris Florentiæ; ex archivo sancti Romualdi de Urbe.

Alterum Camaldulense cœnobium sancti Clementis de Arretio destructum fuit hoc ipso anno, pro aptandis propugnaculis ejus urbis, ac unita fuere bona ipsius ab eodem pontifice Julio parthenoni sanctæ Catharinæ, in quo degebant moniales ipsius pontificis propinquæ, ut in historia Arretii scribit Rondinellius [a].

[a] Pag. 60.

E contra beneficus ipse pontifex erga eremitas Coronenses concessit ipsis die decima aprilis ad perficienda ædificia eremi Montis-coronæ subsidium ordinarium villæ collis sancti Savini & sancti Juliani proximæ eidem eremo.

XLVI. De Jo: Baptista Cremense abbate, ejusque operibus.

JOHANNES-BAPTISTA Cremensis, qui vitam monasticam amplexus fuerat in monasterio sancti Johannis-baptistæ de Judaica Venetiarum die XXI. septembris anno 1521. & anno sequenti vota sollemnia emiserat in illo sancti Michaelis de Muriano, quique multo tempore commoratus fuerat cum eremitis societatis sancti Romualdi tum in Piceno, tum in eremo Montis-coronæ, reversus ad congregationem monachorum, edidit hoc anno & complevit die prima decembris Eptapleurum, sive vitam sancti Johannis-baptistæ carminibus solutis Italicis septem libris, quod opus dicavit Humiliæ Perulæ moniali Camaldulensi. Concinnavit etiam expositionem in Evangelia ex dictis sanctorum patrum & ecclesiæ doctorum. Creditur insuper auctor prolixæ tragediæ Passionis Christi versibus pariter Italicis, quæ una cum primo opere mss. servantur & autographa in bibliotheca sancti Michaelis. Typis vero edita extat vita sancti Placidi martyris in vulgare idioma ab ipso conversa Venetiis anno 1583. Inter poemata Faletti impressa Venetiis ab Aldo anno 1557. legitur epigramma Johannis-baptistæ monachi Camaldulensis. Ipsius facile est aliud carmen inscriptum: *Johannis-baptistæ monachi Camaldulensis in adventu reverendissimi Georgii Cornelii episcopi Tarvisini*, qui ab anno 1538. ad 1577. eam ecclesiam administravit. Visitator fuit congregationis anno 1554. cum Theophilo Balneensi; abbas inde monasterii sancti Michaelis ab anno 1557. ad 1560. postea cœnobii Carcerum, ignoraturque annus ejus obitus.

In chronico Baroncinii adnotatur sub hoc anno adventus Francisci Mendoza de Burgos S. R. E. cardinalis ad visitandam eremum Camaldulensem.

Ann. Chr. 1554. XLVII. De monachis ad patriarchatum Venetum postulatis.

JUxta consilium Veneti senatus a multo tempore assumebantur patriarchæ ejus urbis ex ordinibus regularibus, quod a Maphæi Gherardi electione ad hæc tempora præstitum fuerat; vacante itaque ea dignitate ob mortem Hieronymi Quirini ex ordine Prædicatorum, assumptus fuit inter ceteros *ad probam*, ut dicunt, die XXI. augusti Bonifacius Trivisanus monachus Camaldulensis; verum mutato consilio electus remansit Petrus-franciscus Contarenus ex senatore amplissimo ac reipublicæ censore. Iterum mortalitate exuto anno sequenti Contareno die XXVII. decembris postulatus fuit idem Trivisanus, & demum anno 1559. XI. decembris adnumeratus Trivisanus, & alter eremita Rhuensis Benedictus Lauretanus, sed secunda vice Vincentius Diedo, tertia vero electus est patriarcha Venetiarum Johannes Trivisanus abbas sancti Cypriani de Muriano. Inter suos monachos vitam finivit Bonifacius Trivisanus, Benedictus autem Lauretanus ad Curzolensem episcopatum fuit admotus anno 1562.

XLVIII. De monasterio S. Vigilii Senarum.

VARIA fata subiit circa hæc tempora monasterium Camaldulense sancti Vigilii Senarum. Multa damna passum est occasione bellorum, inde cum commendatum esset cardinali Fabio Mignanello Senensi, ejus vitæ tempore concessum fuit clericis regularibus Societatis Jesu; id in perpetuum obtinuerunt a Romanis pontificibus paulopost mortem cardinalis, quæ obvenit anno 1557. Anno tamen 1559. ibidem habitabant moniales Omnium Sanctorum urbis Senarum, quarum monasterium obsidionis ejusdem urbis tempore solo æquatum fuerat. Recesserunt inde moniales a loco sancti Vigilii, & in præsentiarum ecclesia & locus tenentur ab iisdem clericis regularibus S. J.

Viguit hoc anno in capitulo Classensi congregationis controversia monachos inter & eremitas Camaldulenses, ad quam familiam pertineret eremita electus prælatus vel generalis congregationis. Monachi in medium adducebant capitulum Carcerum anno 1519. decrevisse, eremitam prælaturam extra eremum suscipientem, quamdiu illam exercuerit, de familia eremi minime haberi, nec barbam deferre valere. Eremi capitulum e contra die XVIII. aprilis protestatum est præsidenti & definitoribus capituli generalis per hujusmodi constitutionem, ut etiam aliam quamcumque Marthani conventus detrahi vel præjudicari minime posse juribus ac libertatibus ipsius eremi, nulliusque valoris aut efficaciæ futurum, quidquid contra a quibuslibet capitulis generalibus contigerit attentari; manu Francisci Martini notarii.

In eodem capitulo patres congregati confirmarunt Antonium Pisanum in abbatem genaralem, in visitatores autem Johannem-baptistam de Crema, & Theophilum de Balneo. Dispensarunt vero a celebratione capituli pro anno sequenti.

Elogium in ecclesiæ veteris sancti Gregorii de Urbe pavimento: *D.O.M. Alexandro Fuscherio Urbinati viro integerrimo causarum patrono suæ ætatis facile principi, & Septimiæ Fuscheriæ puellæ lectissimæ Genevra Cortesia viro optime merito, ac filiæ dulcissimæ Vincentius Fuscherius utriusque signaturæ referendarius & reliqui fratres patri carissimo & sorori suavissimæ fecerunt. Vixit pater annos* LX. *filia annos* XII. *Obiit ille anno sal.* M.D.LIIII. *pridie nonas aprilis, hæc anno* M.D.LXII. XVI. *kl. decembris.*

Ann. Chr. 1555. XLIX. De Gregorio Bergomate, & de Cornelio Calabro eremitis Camald.

USque ad hæc tempora superest memoria Gregorii Bergomatis, qui ex eremita ordinis sancti Augustini eremita factus in Camaldulo Etruriæ anno 1518. plura officia, abbatis etiam Camalduli-Florentini, & sæpius Majoris eremi sustinuit, hoc pariter anno, multumque studio, dexteritate & opera sua profuit eidem loco. Reliquit mss. *Memorabilia sui temporis*, quæ ad historiam eremi, eremitarumque piorum & illustrium

sui

ANN. CHR. 1555.

sui ævi faciunt, eaque dicata voluit Clementi Patricano eremitæ recluso Camaldulensi; librum quoque epistolarum, quæ asservantur in bibliotheca præfatæ eremi Camaldulensis. Dum eremitam ageret in ordine sancti Augustini, vocabatur frater Philippus-Jacobus, distinguendus tamen ab alio ejusdem nominis, qui vivebat sub finem elapsi seculi & initio præsentis, celebris ob Chronicorum compilationem, & cum quo confusum ab aliquibus scimus Gregorium nostrum. Noster appellatur Beatus ad annum 1528. a Bucellino in Benedicto Redivivo. Facile occasione ipsius obitus electus & confirmatus fuit Major eremi hoc anno mense octobri Cornelius Calaber. De eo hæc paucis verbis habet in sua descriptione eremi Camaldulensis Andreas Mugnotius eo temporis, quo reclusionis voluntariis legibus tenebatur. „ Supra horum autem gravissimorum virorum, aliorumque laudabilem solitudinem, quæ non modica est, summis etiam laudibus efferendam esse censeo vastam illam assiduamque Cornelii viri religiosissimi solitudinem, quam in una ex ipsius eremi cellulis conclusus, sub perpetuo silentio ac vitæ perspicuæ fulgore viginti annos & ultra transigit. Quem cum videre, & alloqui mihi permissum esset, ea fui animi voluptate perfusus tum ex venerabili illius ac senili aspectu, tum etiam ex piis monitis vitæque Christianæ religionis institutis, de quibus me pro sua humanitate certiorem fecit, ut vix plura graviora a Serapione viro illo sanctissimo & antiquissimo audire possem &c.

L. De Romualdo Coronense eremita.

SACERDOS quidam morigeratæ vitæ, perspicacis ingenii & non vulgaris doctrinæ, sanctitate servi Dei Antonii Pagani, qui morabatur in urbe Vicetina, sed origine Veneti, motus se ad ipsum contulit, ut ejus sanctis colloquiis proficeret, ac conscientiæ propriæ melius consuleret. Mira & summe utilia momento Paganus effudit, ita ut sacerdos ille confiteretur nec diuturnis studiis, neque frequentibus orationibus potuisse unquam obtinere eas cognitiones, quas brevi horæ spatio ab ejus ore hausit. Paganum oravit sacerdos, ut se sub sua disciplina susciperet; quod ut facilius præstaret, habitationem suam fixit in urbe Vicetina, inde in Veronensi, societatem quoque Crucis ingressus, sed demum suasione Pagani ad eremum Camaldulensem Montis-coronæ transiit hoc ipso anno 1555., ubi perfectiori vitæ incumbens, pluraque pro ordine suo agens, sancte dies suos implevit Romæ procuratorem generalem agens, & vocabatur domnus Romualdus. Hæc fuse leguntur in vita ejusdem Antonii Pagani [a], quam conscripsit, & Venetiis edidit anno 1713. abbas Soderinius patritius Venetus.

[a] *Cap.* XLV. *pag.* 185.

Ob mortem Simonis & Philippi comitum de Casalido habitantium in castro Bononiensi, castra Pergulæ & Quaradæ in territorio Faventino devoluta fuere ad monasterium Classense, a quo ii comites investituram acceperant. Compositio secuta est inter abbatiam & cameram apostolicam pro recuperatione eorum bonorum, confirmata a Julio III. die XXVIII. februarii hujus anni, pontificatus sui anno VI. assignata cameræ & Francisco de Aspra thesaurario tertia parte, aliis autem duabus tertiis partibus monasterio Classensi, dummodo camera expensas omnes subiret pro hujusmodi recuperatione, cui par non erat abbatia Classensis aliis expensis debitisque subjecta.

Simon Aleottus de Foro-livio coram Petro-johanne episcopo Foro-liviensi Romæ tunc commorante cognoscens nullum se jus habere super prioratu sanctæ Mariæ de Camaldulino Foro-livii sponte cedit ipsum prioratum, tamquam unitum abbatiæ sancti Hippolyti de Faventia, congregationi Camaldulensi.

Visitatione absoluta monasteriorum Antonius Pisanus generalis Romam se

ANN. CHR. 1555.

se contulit ad osculanda vestigia novi pontificis Pauli IV. a quo quater fuit benigne auditus, & cujus motu proprio obtinuit, ut ex abbatia Urani ejiceret Vespasianum Tibertum hominem externum, qui plura negotia ei abbatiæ facessiverat, cujusque redditus & bona dissipaverat, chartas diripuerat, ultimamque cladem afferre paratus erat.

Habitatores castri Ficani jus-patronatus vindicare sibi volebant in ecclesiam parœcialem sanctæ Mariæ de Fenestrellis extra castrum Ficani, quæ adnexa fuerat monasterio sancti Blasii de Fabriano. In archivo sancti Romualdi de Urbe extant documenta [a], quibus evincitur jus præfati monasterii. Hinc anno præterito contra Ficanenses occupantes parœcialia jura commissio apostolica facta est episcopo Camerinensi & ejus vicario, ac vice-legato Marchiæ Anconitanæ ad favorem monasterii sancti Blasii.

a Fasc. XVI. 7.

Ecclesia sanctæ Columbæ diœcesis Montis-ferertri, revocato ad claustrum Paulo Reginopolitano monacho locatur fratribus ordinis sancti Augustini.

Ecclesia eremi Montis-coronæ consecrationis honore fuit insignita.

Obiit Fridericus de Bellis abbas olim commendatarius monasterii Rosæ Senarum, & post resignationem abbas factus titularis cœnobii Montis-christi.

ANN. CHR. 1556.

LI. Pretiosa mors Hieronymi Suessani fundatoris eremi Rhuensis.

PAULUS IV. qui ad Romanum pontificatum post mortem Julii III. & Marcelli II. assumptus fuerat anno antecedenti die XXII. maji, memor veteris amicitiæ, quæ a teneris annis coaluerat ipsum inter & Hieronymum Suessanum eremitam Monte-coronensem, anno primo suæ promotionis ad se eumdem Hieronymum accersiri jussit. Rem narrat Lucas Hispanus his verbis [b]: „ Venit Romam vir obedientissimus, ac læto vul„ tu a pontifice suscipitur, eumque osculo pedum præmisso sic alloquitur „ papa: Quale tegumentum istud Hieronyme, (erat enim vilissimis & as„ peris tunica & pallio indutus) seu quæ austeritas ista? Nimis dure te„ cum agis, dimittas ea oportet. Cui senex: His indutus, sanctissime pa„ ter, expeditius inter quercus & arbusta incedo, nec alius habitus pœ„ nitentem decet. Nec tu (inquit pontifex) amplius in deserto eris, „ sed manebis hic nobiscum, nec de cetero eremitam te, sed cardinalem „ volumus. Quo audito statim cecidit pronus in terram senex, *multis et*„ *iam lacrymis profusus*, cum diu refutando dignitatem oblatam persiste„ ret, vix tandem breve tempus ad deliberandum obtinuit. Quo finito „ ad pontificis pedes revolutus humiliter petiit ad suum eremitorium re„ mitti, affirmans nullam dignitatem sibi cariorem esse, quam veræ pœ„ nitentiæ sanctissimum statum, neque alicubi delicias sibi futuras extra „ solitudinem. Ex his cum intellexisset pontifex piam ac sinceram viri „ Dei voluntatem, noluit eum cogendo contristare, sed totam rem in ipsius „ arbitrium contulit. Quam desideratam optionem adeptus Hieronymus, „ elegit abjectus esse in domo Dei sui. Sic tandem recusata, immo libe„ re spreta dignitate, ad suum desideratum reversus est eremitorium. At „ tantæ virtutis tantique meriti longe non distulit Deus promissum præ„ mium; nam confestim redeunti a pugna dedit triumphum. Siquidem „ in eremum Montis-coronæ cum pervenisset, intra dies paucos febricita„ re cepit, crescenteque in dies morbo, feliciter tempore brevi migravit „ ad Dominum. Nec certe mysterio vacat, quod non in eremo, sed in „ tuguriolo sancti Savini, quod in medio montis ascensu est, mori voluit „ vir per omnia pius, ut scilicet, qui vere pauper fuit, de pauperrimo „ loco ad ampla cœli palatia transiret. Obiit autem anno M.D.LVI. men„ se martii feria IV. cinerum, ut vere pœnitens in maximo pœnitentiæ „ die suam finiret pœnitentiam. Sepultum vero in capitulo Montis-coro„ næ

b Lib. IV. cap. V.

„ næ corpus ejus requiescit. Hinc in omnibus catalogis Sanctorum & Beatorum ordinis Camaldulensis legitur : *Beatus Hieronymus Suessanus eremita Montis-coronæ, qui cardinalatum recusavit.* Prosequitur Lucas: „ Cujus „ quidem vita non sine sanctitatis expressis signis, nec sine divinæ virtu„ tis demonstratione præteriit. Contigit etenim , cum aliquando in Cry„ ptis Massaccii prior esset , ut de mense januarii nivium abundantia ob„ rueretur vallis illa, ut per dies quindecim illinc quis exire, aut aliunde „ illuc ingredi prorsus prohiberetur. Unde factum est, ut fratribus victui „ necessaria in totum deficerent; hinc Constantius cellerarius fame & ine„ dia perituros fratres timebat . Hominem consolatus Hieronymus eccle„ siam ingrediens ante altare prostratus humi, in multam noctem oratio„ nem traxit. Ceperat eadem fere hora tenuis, paulisper mitigato aere , „ imber defluere , qui paulatim in abundantem pluviam crevit. Ecce ma„ ne facto, dum Prima in choro de more diceretur, ostii tintinnabulum „ pulsatur, illuc propere currit Constantius , ac foribus patefactis homi„ nem & jumentum pane & aliis alimentis onustum coram se stare videt. „ Erat autem homo ille ex domo sanctæ Luciæ de Ficano, qui cum du„ rante pluvia venisset, pluviam non sensisse asseruit, nec ejus pallium aut „ etiam sarcina in aliquo madefacta fuere reperta . “ Hæc referente eodem Constantio fidelissimo conservo exaravit Lucas Hispanus [a], qui aliud prodigium Hieronymi subdit in nobilissima muliere atque honestissima Galeatii Bigolini Patavini nuru. „ Hæc per annos decem in matrimonio suo „ sterilis processerat. Petiit ergo a Hieronymo, ut Deum oraret, ne sine „ sobole moreretur . Concepit mulier intra menses paucos , nec unicum „ partum tantum enixa est, sed annuatim parere assuevit . Casu contigit „ Dei servum post annos in ejus domum venire, in cujus conspectu omni„ bus infantibus positis subridens mulier: desine, inquit, pro fœcunditate „ mea orare ad Dominum , satis enim superque sunt mihi hæredes . “ Quoad diem ejus obitus , licet Lucas Hispanus proferat mensem martium, cum tamen Hieronymus ad Deum avolaverit ipsa feria IV. Cinerum, quæ hoc anno contigit die XVIII. februarii, ad eam diem quoque locanda est ejus mors. Bollandus de eo mentionem facit, sed inter omissos, tomo primo maji [b]. Cornelius abbas congregationis Montis-oliveti & præpositus monasterii Vendæ in collibus Euganeis hominem perfectum & Sanctum appellare consueverat adhuc viventem Hieronymum, apud eumdem Lucam Hispanum. Bernardinus Scardeonius doctissimum & sanctissimum virum nominat; Sanctum Scipio Mercurius in libro, cui titulus: *Errores populares*, qui in eo fallitur , quod Hieronymum medicum facit Pauli IV. cardinalatum autem scribit respuisse, ut eremum Rhuensem conderet, quam ante duodeviginti annos ædificaverat . Laudatur præterea Hieronymus a Buccellino tamquam *omni scientia cultissimus, & medica in primis excellens arte, meritissimus reformationis Montis-coronæ propagator , meritis & virtutibus illustris*; a Ractio, Fortunio, Minio, Minardo, Vergio, Angelo Portenario in Felicitatibus Paduæ, & Prospero Mandosio in Theatro medicorum pontificiorum ut sanctus, beatus, doctusque vir effertur. Scripsit, dum medicum ageret, Latina lingua ejusdem facultatis volumen quoddam in IV. libros distinctum ex variis physicorum auctoribus extractum. Item eremita factus de statu religionis tractatulum unum , cui *Decora Columba* titulum fecit, propter sermonis elegantiam & materiæ dignitatem non contemnendum, sed qui neglectus adhuc jacet . Monumenta etiam supersunt manu ejus scripta in archivo Rhuensi circa ædificationem ejusdem eremi. In bibliotheca sacræ eremi Camalduli-majoris n. 57. extat opusculum , cui

[a] *Lib. IV. Capp.* 4. 5.

[b] *Pag.* 222.

Ann. Chr. 1556.

cui titulus: *Columba eremitica*, auctore Johanne-baptista Ruota canonico Patavino, dicatum Johanni-baptistæ Novariensi eremitæ Camaldulensi in laudem domni Hieronymi Suessani fundatoris eremi Rhuæ, cum verbis qualitates Columbæ describentibus præfixis, moderna sed ingeniosa compositio.

In catalogo venerabilium eremitarum Monte-coronensium sub hoc anno habetur etiam breve elogium Rodulphi de Oddis Perusini, *qui obiit in eremo Montis-coronæ cum magna fama sanctitatis anno* 1556. de quo plura non scimus. In eremo vero Rhuæ decesserunt Dionysius a Castro-ficardo *vir eruditissimus & silentii studiosissimus*. In mss. relatione eremi Anconitanæ, quam posteris reliquit Johannes Advogarius eremita, Dionysius a castro Ficardo fuit vir doctissimus & valde eruditus, poeta quoque, qui professionem emiserat anno 1532. die xv. augusti in eremo Montis-soractis, & plurium eremorum, Anconitanæ autem anno 1551. fuit prior; Alexander Patavinus, prius sacerdos Olivetanus, *pietate & doctrina celebris*, & Pius Venetus *ob eximiam pietatem Sanctus ab omnibus cognominatus*.

Paulus IV. die xxii. februarii confirmat vetera privilegia eremitis Camaldulensibus; prohibet tamen ipsis benedictionem calicum & patenarum. In capitulo generali habito hoc anno in monasterio sanctæ Mariæ Carcerum mandatus fuit abbati generali tractatus negotii beneficii sanctæ Mariæ-magdalenæ in agro Senensi, sive de Castellione Vallis-urciæ Pientinæ diœcesis, habendus cum Bonifacio Senense, ut uniretur monasterio Arcus Senarum, quod & factum fuit. Visitatores electi Theobaldus ab Abbatia, & Maurus de Mandello. Beneficium sancti Johannis de Petriolo Firmanæ diœcesis impetratum fuit, falsis productis apostolicis literis, fraude vero detecta recuperatum est a monachis sancti Blasii de Fabriano [a], testimonio Fortunii [a].

a P. II. lib. IV. cap. 20.

Superest usque ad hunc annum memoria Venturæ Veneti abbatis sancti Michaelis de Muriano duabus vicibus, sanctæ Mariæ ad Carceres, visitatoris, & rectoris aliorum monasteriorum ex professione præfati monasterii sancti Michaelis. Is præter Memoriale, in quo plura exscripsit ad notitiam suorum temporum, reliquit collecta dicta & sententias sacræ Scripturæ & sanctorum patrum in codice ms. ejusdem cœnobii.

Ann. Chr. 1557.

LII. Statuta pro stabili regimine congregationis.

„ ANNO 1557., inquit Fortunius [b], habita sunt comitia ad cœnobium Carcerum in Patavino, in quibus patres stabili regimini „ congregationis consulentes inter cetera hoc statuere: Ut non possint in „ futurum plures duobus unius ejusdem monasterii professi definitores crea- „ ri, nec plures quam sex aut septem, excepto generali, comprehensis „ visitatoribus, in prælatorum numerum cooptari, optima sane ratione. „ Dum enim singulas congregationis familias debita honorum portio pro „ juxto & æquo manet, non unus aut duo, vel tres, quæ est omnium „ dominandi libido, principari in republica videntur, sed æqua lance cun- „ cti, dum singulis ad clavum sedendi patet accessus. Quod ipsum patres „ præterea firmare volentes, sanciverunt neminem in generalem assumi „ posse ex professis in domo & familia antecessoris, nec duos visitatores „ ejusdem factionis declarari. Itaque cupientes ipsam constitutionem apo- „ stolica auctoritate confirmari, Paulum IV. pontificem maximum propte- „ rea consuluerunt, cujus jussu auctoritas cardinalis protectoris, ut est sol- „ lemne, intercessit anno sequenti, declarando, ut ipsæ electiones nullo „ alio modo fieri possent, nisi de consilio protectoris ad instantiam ad mi- „ nus duarum tertiarum partium prælatorum, quibus competit jus feren- „ di suffragium in capitulo generali per occulta suffragia consensum præ-

b Part. I. lib. III. c. 2.

„ stan-

„ ſtantium. Datum apud ſanctum Petrum ſub ſigillo pœnitentiariæ Kalendis ſeptembris anno Pauli IV. pontificatus quarto. " Hæc porro conſuetudo a duobus ſeculis nunquam immutata viget ad hodiernam diem in congregatione noſtra. Subjungimus porro ipſam cardinalis confirmationem ex regeſto I. monaſterii ſancti Hippolyti de Faventia.

Ann. Chr. 1557.

„ Rainucius miſeratione divina tituli ſancti Angeli presbyter cardinalis dilectis in Chriſto generali & viſitatoribus ceteriſque abbatibus & prioribus congregationis Camaldulenſis ſalutem in Domino. Ex parte veſtra nobis oblata petitio continebat, quod alias in capitulo in abbatia Carcerum Paduanæ diœceſis de anno Domini M.D.LVII. celebrato habita ſuper his matura deliberatione, communi tranquillitati & concordiæ congregationis ejuſdem impoſterum proſpicientes, & ut in ea quietius & commodius futuris temporibus omnipotenti Deo ſerviatur, admodum providere cupientes, illius capituli definitores, hæc inter alia potiſſimum decreverint, videlicet quod deinceps tempore eligendi definitores non poſſint eligi plures quam duo, qui ſint ejuſdem monaſterii, ſeu in eodem monaſterio profeſſi ad ordinem definitoriatus, excepto tamen generali pro tempore, quem nullo modo ordinationi huic ſubjacere voluerunt. Declarantes, quod ex omnibus vocem habentibus duo tantum unius ejuſdemque profeſſionis, qui plura vota habuerint, definitores eſſe valeant, ceteri vero ejuſdem profeſſionis aliis aliarum profeſſionum cedant. Item quod non poſſint eligi in prælatos vel eſſe prælati plures quam ſex aut ſeptem, qui ſint ejuſdem monaſterii aut in eodem monaſterio profeſſi, connumeratis etiam viſitatoribus, & quidem in dicto numero non comprehendatur generalis pro tempore, prout etiam declaratum extitit in definitorio capituli generalis proxime præteriti, quæ declaratio ſeu additio hic pro expreſſa habeatur. Item quod generalis pro tempore eligendus non poſſit eſſe vel aſſumi ex eadem profeſſione ſive ex profeſſis in eodem monaſterio, cujus vel in quo profeſſus fuerit ejus immediatus anteceſſor. Item quod ſimul & ſemel non poſſint eſſe duo viſitatores, qui ſint ejuſdem ſive in eodem monaſterio profeſſi. Item quod nullus poſſit aſſumi ad viſitatoratus officium, qui ſit profeſſus in eodem monaſterio, in quo & generalis, qui pro tempore erit, ſicut in dictis decretis ſeu capitulis dicitur latius contineri. Cum autem, ſicut eadem ſubjungebat petitio, quia firmiora ſunt, ea quibus apoſtolicæ ſedis intercedit auctoritas, vos cupiatis decreta, ordinationes & declarationes hujuſmodi, ut perpetuo illibata perſiſtant, apoſtolicæ confirmationis munimine roborari, ſupplicare feciſtis humiliter nobis ſuper his per ſedem apoſtolicam de opportuno remedio provideri. Nos igitur veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate domini Papæ, cujus pœnitentiariæ curiam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, decreta & ordinationes prædictas tenore præſentium approbamus & confirmamus &c. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ Kal. ſeptembris pontificatus domini Pauli papæ IV. anno IV. "

In præfato Carcerum capitulo electus fuit in abbatem generalem Hippolytus Ballarinius Novarienſis ex profeſſione ſancti Michaelis de Muriano, electique in viſitatores Matthæus de Prato-veteri, & Theobaldus de Pollicinio; anno vero ſequenti confirmatus Matthæus, & ſubrogatus Theobaldo Bellinus Atheſtinus. Præſidente Hippolyto, vigore privilegii Leonis X. ob mortem Nicolai presbyteri ultimi rectoris unitus fuit monaſterio Angelorum

ANN. CHR. 1557.

gelorum de Florentia prioratus sancti Jacobi de Orticaria diœcesis Fesulanæ. Sed illud potissimum egit Hyppolitus, ut a cardinale sancti Marcelli Hieronymo Dandino Cæsenate impetraret consensum & beneplacitum super adjungendo ad perpetuum tempus beneficio sancti Nicolai de Forbitoribus Urbis, alias ipsi tamquam titulari sancti Marcelli specialiter reservato a Romano pontifice Paulo IV. Quæ impetratio a cardinale verbo tenus facta est, firmanda postea per cedulam & subscriptionem. A cardinale etiam camerario Guidone-ascanio Sfortia obtinuit sub die XXIII. junii Hippolytus mandatum commissariis decimarum & quartæ fructuum, ne molesti forent exinde congregationi Camaldulensi.

LIII. De Antonio Simeonis episcopo Nepesino & Sutrino.

DECESSIT hoc anno Antonius Simeonis Menicuccii e Monte-sancti-Sabini Julii III. pontificis maximi affinis die septima septembris, qui ex monacho Angelorum de Florentia prius episcopus Minoritanus in regno Neapolitano anno 1552. electus a Julio, transierat inde ad episcopatum Nepesinum & Sutrinum anno sequenti, ubi in majori basilica fuit conditum ejus corpus. Ita Ughellium emendavit Salvinius [a]. Anno 1553. confirmaverat ipsi Julius III. prioratus sanctæ Agathæ & sancti Christophori de Monte-sancti-Sabini, & capellam sanctæ Luciæ in dicto sanctæ Agathæ prioratu, & ecclesiam sancti Laurentii inter Vineas omnes ordinis Camaldulensis, quinto nonas julii.

[a] T. I. col. 1033.

Cum præsideret anno 1557. eidem monasterio Angelorum Benedictus Cati Volaterranus, „ urbs Florentiæ maximam illam diluvii cladem accepit, Arno fluvio sinistra ripa per civitatem debacchante, cujus aquæ „ quoque in cœnobio Angelorum amplius quam tres ulnas in claustro Vitalbæ se extulerunt. “ Augustinus Fortunius [b] id narrat, qui anno sequenti ab eodem priore habitum monasticum accepit in ipso cœnobio. Mortuo Francisco Florentino abbate sancti Michaelis Pisarum sufficitur in ejus locum Garzias ab Ilua.

[b] P. II. lib. V. cap. 2.

Inscriptio sepulcralis in ecclesia divi Gregorii de Urbe: *D. O. M. Adæ Baron Rauce Lotharingo V. J. Bacc. scriptori & protonotario apostolico ac comiti palatino omnibus sibi notis admodum charo & bene accepto, suæ ætatis annum ferme* XL. *attingenti*, VII. *idus novembris* M. D. LVII. *ab humanis in vitam feliciorem sublato Johannes Baron Rauce fratri charissimo hoc memoriæ signum non sine lacrymis ex illius testamento posuit.*

ANN. CHR. 1558.

LIV. Mors Hippolyti Ballarinii generalis Camald. ejusque scripta.

SUPREMUS hic annus fuit Hippolyti Ballarinii præsidis generalis congregationis nostræ. Is Novariæ ex ea illustri familia natus Bernardino patre, primum nomen dedit Casinatibus patribus congregationis sanctæ Justinæ. Grandævus ad Camaldulenses transiit, albo cucullo indutus die octava decembris anni 1533. in monasterio sancti Michaelis de Muriano sub Cypriano Novocomensi abbate, professione vero emissa anno sequenti sub Ventura Teutonico abbate. Post triennium anno 1538. visitator cum Samuele Florentino egregie munus suum implevit. Anno 1545. usque ad 1548. monasterium sancti Michaelis rexit summa cum prudentia & probitate. Iterumque destinatus fuit visitator cum Theophilo Biozzio Balneensi, & denuo tribus annis 1550. 1551. & 1552. regimini cœnobii sancti Michaelis admotus, annis 1553. 1554. & 1555. abbatiæ Carcerum, & 1556. monasterii Classensis. Demum die XX. maji anni 1557. assumptus est ad supremam in ordine præfecturam, quam non complevit immaturo fato raptus regiminis secundo anno degens in monasterio sancti Michaelis die XXVII. septembris hujus anni 1558. Corrigendi sunt Minius & Fortunius,

tunius, qui ejus decessum referunt ad annum 1557. unoque anno post generalatum susceptum, adeoque dupliciter errant. Dum abbatem ageret in monasterio sancti Michaelis sermonem habuit ad monachos suos die natalitio Domini; perfida invidorum audacia sermo Lutheranæ impietatis quoad justificationis materiam accusatus fuit, delatusque ad Ludovicum Beccatellum episcopum Ravellensem prælatum domesticum Julii papæ III. & in toto Venetiarum dominio cum potestate cardinalis de latere apostolicum legatum & ad quæsitores fidei. Non tulit Hippolytus adeo atroci vulnere famam doctrinamque suam sauciari, quare sermonem ipsum notis e sacrorum Bibliorum ac theologorum fontibus haustis illustravit, objectam hæresim purgavit, æmulorum jacula retudit, contenditque nihil non orthodoxum se scripto dictove unquam protulisse, atque sermonem apologetico suo munitum exhibuit eidem apostolico legato, qui cucullatis sex theologis in consilium vocatis, post severiorem censuram, illum orthodoxæ religioni apprime inhærentem, omnisque Lutherani erroris expertem probavere, ipso & theologis subscribentibus die nona septembris anni 1550. iterumque die decima-octava ejusdem mensis multa cum laude & approbatione doctrinæ auctoris. Paulo post insidiarum architectus a Rainutio Farnesio cardinale sancti Angeli ordinis Camaldulensis patrono insulis expoliatus, locoque pulsus in ordinem redactus fuit. Floruit Hippolytus doctorum suæ ætatis hominum consuetudine, quos inter præcipue Petrum Aretinum coluit, virulentum illud ac superbum monstrum, cui principes omnes omnesque docti viri munera & laudes tribuere certatim cogebantur, ut effrænem atque indomitam, qua ille agebatur, proscindendi libidinem eliminarent. Ipsius vero Hippolyti opera hæc sunt: *De diligendis inimicis ad Johannem-baptistam Mazzolanum Patavinum abbatem generalem Camaldulensem Venetiis* 1546. kalendis januarii ex cœnobio sancti Michaelis. Quod opus in Italicum deinde sermonem ipsius auctoris jussu conversum Franciscus Monosinus a Prato-veteri Antonio Pisano abbati generali dicavit, atque Venetiis edidit anno 1555. typis Bartholomæi Imperatoris. *Expositio in Orationem Dominicalem* 1555. *Epistola ad Petrum Arretinum* missa una cum muneribus e monasterio sancti Michaelis, dum ibi abbas præsideret die VI. februarii 1551. Extat impressa tomo II. epistolarum nobilium doctorumque virorum ad Petrum Arretinum scriptarum [a], quas duobus tomis Franciscus Marcolinus collegit. *Sermo ad suos monachos in die sancto Natalis Domini, cum ipsius auctoris adnotationibus.* Extat ms. in archivo sancti Michaelis de Muriano cum approbationibus & censuris tum nuntii apostolici, tum quæsitoris fidei, tum sex theologorum. Eidem Hippolyto Franciscus Monosinus dicavit vitam sancti Romualdi a sancto Petro Damiani Latine scriptam, a se Italice redditam cusam formis Bartholomæi Imperatoris Venetiis 1556. De Hippolyto agunt Fortunius, Minius, Wion, Minardus in Balneis Calderii, Cinellus, Lazarus-augustinus Cotta in Musæo Novariensi, & Armellinius in bibliotheca Casinensi.

ANN. CHR. 1558.

a Pag. 413.

LV. Antonius Pisanus iterum generalis.

SECUNDA vice suffectus est Hippolyto extra tempus die XXVI. octobris in officio generalatus Antonius Pisanus, collectis electoribus in monasterio Classis. Lælius Bonsus academicus Florentinus in sua oratione Eucharistica edita anno 1560. Florentiæ, & Antonio dicata ipsum laudat, quod ut morem gereret consiliis ducis Cosmi, & ut satisfaceret votis suorum monachorum, subire non detrectaverit dignitatis hujus onus. Refertur etiam, quod audita iterata ejus electione ipse Magnus-dux dixerit Guido Guidio physico & excellentissimo philosopho professori studii Pisani hæc verba: *In fatti non si può con veruna alchimia meglio ingannar il mondo, che con l' esser Uomo dabbene*; significare volens non ambitione, sed

ANN. CHR. 1558.

integritate vitæ perveniſſe Antonium ad ſupremum ſuæ congregationis gradum pluribus vicibus. Ipſum Antonium alta eloquentia donatum, ſanctitate autem vitæ inſignem profert Germanus Vecchius in hiſtoria Patriæ Foro-julii ad cardinalem Gallium. Petrus autem Ricordatus in ſuo Dierum monaſtico opere [a] Antonium æquiparat celeberrimis Camaldulenſibus hierarchis Ambroſio, Delphino, Orlandino. Paucis diebus poſt ſuam electionem Romam ſe contulit novus generalis ad Rainutium Farneſium ordinis protectorem, & inter cetera ab ipſo inquiſivit, an in bulla Pauli IV. *contra Apoſtatas* edita ſub die XX. julii hujus anni comprehenderentur ii monachi Camaldulenſes, qui extra clauſtra viventes, beneficia ordinis vel alterius generis obtinebant; & ad pedes Romani pontificis introductus, ab ejus ore intellexit eos etiam comprehendi, atque in illos, quatenus opus eſſet, juxta contenta in bulla animadvertendum fore. Rurſus pontifex generalem commonuit, ut in viſitationibus extirpare potiſſimum contenderet in monachis omnem proprietatem, rerumque poſſeſſionem. Die vero decima novembris, cum adhuc in Urbe commoraretur ipſe Antonius, recepit ſequentes literas a cardinale Alexandrino, mentem pontificis clarius aperientes circa monachos apoſtatas.

[a] Pag. 473.

LVI. Michaelis Ghislerii card. mandatum de ſuppreſſione monachorum conventualium.

FRATER *Michael Ghislerius miſeratione divina tituli ſanctæ Mariæ ſuper Minervam S. R. E. presbyter cardinalis, Alexandrinus vulgariter nuncupatus, univerſis & ſingulis præſentes noſtras patentes literas inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Quia a nonnullis præſertim monachis Camaldulenſis ordinis dubitari videtur, numquid ſub bulla a ſanctiſſimo domino noſtro domino Paulo divina providentia papa IV. nuper contra apoſtatas emanata comprehendantur monachi Camaldulenſes, ad eorum vitam dicti vel alterius ordinis, aut etiam ſecularia beneficia obtinentes, idcirco ad tollendam omnem dubietatem, fidem indubiam facimus & atteſtamur, qualiter idem ſanctiſſimus dominus noſter dominus Paulus divina providentia IV. ſub vivæ vocis oraculo nobis facto monachos dicti ordinis Camaldulenſis, quævis eccleſiaſtica beneficia etiam præfati vel alterius ordinis, vel ſecularia, ad vitam vel alias quomodolibet obtinentes ſub dicta bulla comprehenſos, & præfatis beneficiis omnino privatos, & ad illa retinenda & obtinenda inhabiles & incapaces exiſtere declaravit, ac hujuſmodi beneficia penitus vacare decrevit. Quodque generalis abbas dicti ordinis liberam habeat facultatem & omnimodam poteſtatem compellendi tales dicti ſui ordinis monachos beneficia, ut præfertur, quomodolibet obtinentes ad clauſtralia loca & obedientiam reverti, & ibi ſub regularibus inſtitutis degere & commorari, contradictores & rebelles, ſive quovis modo inobedientes in pœnas & cenſuras in bulla contra apoſtatas contentas, ex nunc prout ex tunc, incurriſſe declaravit. Et inſuper dictus generalis abbas quoſcumque monachos & converſos dicti ſui ordinis a quibuſvis ſententiis eccleſiaſticis per eos quomodolibet per apoſtaſiam vel inobedientiam, aut ex quavis alia cauſa in dicta bulla comprehenſa incurſos & contractos abſolvere, ſecumque ſuper irregularitate vel irregularitatibus diſpenſare poſſit ac valeat, eiſque pœnitentiam ſalutarem injungere, licentiam & facultatem conceſſit & impartitus fuit. Voluitque inſuper ſanctitas ſua omnes & ſingulos monachos dicti ordinis, qui extra regularia loca, ſive retento, ſive dimiſſo habitu permanſerint, inter apoſtatas comprehendi, & pro talibus & ut tales haberi ac reputari, eoſque officiis, & beneficiis quibuſcumque voce activa & paſſiva perpetuo privavit, privatoſque eſſe declaravit, & ad hujuſmodi aliaque quæcumque beneficia, dignitates, præeminentias ac officia eccleſiaſtica perpetuo inhabiles eſſe voluit & declaravit; quodque perpetuis futuris temporibus tales tam in choro, quam in refecto-*

fectorio & in processionibus aliisque locis publicis post omnes professos tempore sui reditus ultimum locum teneant . In quorum &c. *Datum Romæ in sacro apostolico palatio in ædibus nostræ solitæ habitationis die* IX. *mensis novembris pontificatus ejusdem sanctissimi domini nostri domini Pauli papæ IV. anno ejus* IV. M.D.LVIII.

Ann. Chr. 1558.

Fr. M. G. Card. Alex.

Jo. Matthæus Robertus Secr.

Hinc vigore dictarum literarum fere omnes conventuales monachi habentes beneficia ordinis ea in manibus generalis cesserunt congregationi , cui unita fuere , & pedetentim nomen conventualium monachorum extinctum. Ex itinerario ejusdem Antonii liquet die XXIII. novembris abbatiam sancti Angeli de Massaccio , quam tenebat Johannes-maria de Comitibus titulo commendatitio, resignatam ab ipso fuisse; eadem die prioratum sancti Salvatoris de Podio-cupo ; XXV. ejus mensis prioratum sanctæ Agnetis Perusinæ diœcesis; XIV. decembris abbatiam Triviensem; die sequenti prioratum sancti Damiani de Bononia , alterum sancti Mauri de Solarolo , tertium sancti Angeli de Duduva , abbatiam quoque sanctæ Agathæ de Monte-herculis , prioratum sancti Angeli de Nasciano , & sic vicissim alia beneficia annis sequentibus. Præterea monachi, qui professionem emiserant in aliis ordinibus & congregationibus, atque postea transierant ad Camaldulensem , declarati fuere privati voce activa & passiva , inhabilesque ad gradus & officia, atque adstricti ad sua vetera claustra remeare.

In capitulo Carcerum celebrato die octava maji , dum adhuc in vivis esset Hippolytus generalis , inter alia mandatum fuit abbati Pisarum , & priori sanctæ Mariæ-angelorum Florentiæ , ut componerent cum principe Plumbini pro facienda permutatione bonorum cum insula Montis-christi Januenses enim mense aprili hujus anni scripserant ad Garziam ab Ilua abbatem sancti Michaelis Pisarum , ut propugnaculis muniret dictam insulam, eum etiam adigentes ad expensas pro loci securitate . Pariter abbati sancti Hippolyti de Faventia imperata fuit reædificatio ecclesiæ sanctæ Mariæ de Camaldulo Foro-liviensi affatim dirutæ , quæ unita fuerat Faventino præfato cœnobio .

Paulus IV. confirmavit Fabium Zondadarium in priorem sancti Petri de Monte-liscario, ubi erat parœcialis ecclesia dependens a monasterio sancti Petri de Rotis , quæ vacaverat per mortem Scipionis item Zondadarii . Bullam exequutus est Innocentius tituli sancti Honuphrii cardinalis de Monte abbas commendatarius sancti Petri de Rota ordinis Camaldulensis, cui cœnobio subjiciebatur prioratus de Monte-liscario.

Ann. Chr. 1559. LVII. Fundatio eremi S. Petri in Monte-cònero.

PROPOSITA fuit hoc anno sub Innocentio majore eremi Montis-coronæ ædificatio alterius eremi in territorio Bergomate ab Aloysio Lippomano episcopo ejusdem urbis, quæ tamen effectu caruit ob mortem brevi secutam prædicti antistitis. Altera feliciter peracta fuit fundatio in Monte-cònero diœcesis Anconitanæ. Vidimus ad annum 1521. B. Paulum Justinianum solitudinem construxisse ad radices ejus montis prope ecclesiam sancti Benedicti, & aliquanto tempore varie exagitatum ab eremitis Gonzagitis, qui incolebant monasterium sancti Petri positum in summitate dicti montis , pacifice tandem obtinuisse possessionem eremi sancti Benedicti. Hoc itaque anno eremo sancti Benedicti relicta, Coronenses patres ad monasterium sancti Petri incolendum se transtulere, ipsumque ad eremi formam reducendum suscepere . Sed historiam altius repetamus .

ANN. CHR. 1559.

Attulimus in nostris Annalibus instrumentum comitis Ugi filii comitis Amezonis cum uxore sua Adelasia, comitis Amezonis quondam comitis Murici, & comitis Anfredi quondam comitis Amezonis nobilium Auximanorum, quo ordinarunt ecclesiam sancti Petri Montis-cõneri in monasterium, præposito ibidem in abbatem Guimezone, & adjecta ipsi monasterio ecclesia sancti Benedicti sita in loco dicto *Petra-abbatis*, una cum pluribus modiis terræ. Tempore progrediente mons Cõnerus evasit sedes plurium eremitarum, nam præter ecclesias mox dictas sancti Petri & sancti Benedicti, exsurgebant aliæ ecclesiæ sancti Johannis-baptistæ, sancti Nicolai, sancti Antonii, Crypta sanctæ Mariæ de Consolatione, cella ad locum dictum *le cappane*; in Portu-novo habitabant duo solitarii, in monte Dago alter degebat eremita, ubi etiam defunctus est beatus Hieronymus Anconitanus. Præfata ecclesia sancti Antonii anno 1048. donata fuit ab Actone sacerdote Campezoni abbati sancti Petri. Exceptis aliquot levibus monumentis, quæ inspersimus historiæ nostræ, desiderantur notitiæ abbatiæ sancti Petri usque ad annum 1372. quo anno nominatur Nicolaus abbas sancti Petri in charta archiepiscopi Burgensis camerarii domini papæ, qui eum absolvit a præstatione pecuniæ debitæ cameræ apostolicæ ob numeratos aliquot florenos. Anno 1413. Gregorius papa XII. committit abbati sancti Petri Montis-cõneri, abbati sancti Laurenti de Castello-ficardo, & uni canonico ecclesiæ Anconitanæ, ut inducant in possessionem ecclesiæ sancti Stephani ejusdem Castri-ficardi Angelum rectorem sancti Blasii diœcesis Camerinensis. Anno sequenti idem pontifex eligit in abbatem sancti Petri Antonium Fanellum monachum & clericum post mortem alterius abbatis Antonii. Ex hoc postremo brevi monachi degentes in eo monasterio profitebantur regulam sancti Benedicti. Anno 1446. abbas commendatarius erat Antonius de Fatatis archipresbyter Anconitanus. Communitas Anconæ anno 1498. sub die XXV. junii vetat, ne animalia ultra certam distantiam ducantur ad pascua prope ecclesiam sancti Petri. Anno 1506. rector ejusdem ecclesiæ erat Hieronymus Simonis Anconitanus, qui testamento suo confecto die XIX. aprilis reliquit communitati Anconæ oratorium suum in monte Dago; post triennium eadem communitas elegit tres cives, qui pecunias ejusdem hæreditatis exigerent. Anno 1515. ad diem XXVI. novembris reperimus chartam donationis factæ eremitis fratribus ecclesiæ sancti Petri Montis-cõneri. Inde devoluta est ecclesia ad jurisdictionem episcoporum Anconitanorum. Ex brevi Romæ emanato anno 1518. die I. octobris Petrus Accoltus S. R. E. cardinalis tituli sancti Eusebii & episcopus Anconitanus tradidit eamdem ecclesiam Hieronymo & Thomæ presbyteris, ac Nicolao Mauroceno Veneto laico eremitis dictis sanctæ Mariæ de Gonzaga, qui sine votorum adstrictione, & sine regula vivebant. Institutum hocce incœperat quidam Hieronymus Riginus Mantuanus, qui vitam eremiticam assumpserat ob gratiam curationis, quam ope sanctæ Mariæ de Salute obtinuerat marchio Franciscus Gonzaga Mantuanus dominus circa annum 1490. in villa Gonzagæ dissita XII. miliaribus ab urbe Mantuana. Anno 1521. eadem communitas Anconæ donavit iisdem eremitis Gonzagitis vineam, devolvendam denuo ipsi communitati, deficiente ea congregatione; quo etiam anno ad Cryptas sancti Benedicti in inferiore parte ejusdem montis prope mare venit beatus Paulus Justinianus; ac, ne jam dicta repetamus, recolantur ea, quæ diximus ad annum 1521. Perseverarunt Gonzagitæ usque ad annum 1539. quo incensum, destructum & derelictum, nescitur, qua de causa, fuit monasterium sancti Petri; itaut epi-

episcopus Anconitanus ab eo tempore rogaverit eremitas sancti Benedicti a Justiniano institutos, ut incolerent ac restaurarent dictum sancti Petri cœnobium. Id tamen dilatum usque ad hunc annum, agente præsertim Johanne-francisco archidiacono Anconitano; quare die 1. augusti Innocentius Bergomensis Major una cum suis visitatoribus Coronensibus locum receperunt a Vincentio de Lucchis episcopo Anconitano & Humanatensi, & rectore abbatiæ sancti Petri, donationem confirmante Pio IV. quinta martii anni sequentis, electoque in primum eremi priorem Rodulpho Veronensi viro integerrimo, qui decies officium Majoratus in Coronensium congregatione gessit. Anno 1561. eremitæ, qui degebant ad sanctum Benedictum, translati fuere ad sanctum Petrum, & ex duabus eremis una coaluit, licet usque ad annum 1606. prior titularis cum duobus eremitis resederit ad cryptas sancti Benedicti, & anno 1583. relatum fuerit denuo in ecclesiam sancti Benedicti sanctissimum Christi corpus, quod annis præcedentibus jussu capitulorum generalium sublatum fuerat.

Post plures lites cum eremitis de Gonzaga, cum hominibus quoque castri Siroli pacifice locum possederunt & exornarunt eremitæ Coronenses, specialiaque brevia obtinuerunt a Romanis pontificibus Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. & adjectionem pariter impetrarunt ceterarum ecclesiarum sancti Johannis-baptistæ & sancti Nicolai, ac oratorii de monte Dago. Inter primos eremitas hujus loci recensetur etiam Nicolaus Maurocenus Venetus, qui scilicet ex congregatione Gonzagitarum transiens in novam eremitarum Coronensium familiam, silentio, solitudine, rerumque omnium contemptu excelluit, nobilissimæ gentis suæ splendore posthabito. Scripsit Nicolaus de vita spirituali & de commendatione cellæ, & vitæ solitariæ, quorum operum mentionem faciunt Possevinus in Apparatu, & Sansovinus lib. XIII. historiæ Venetæ.

Describit præfatum locum Lucas Hispanus [a] his verbis: „ Justa & pacifica possessione adepta patres brevissimo tempore dirutum templum in „ pristinam formam testudine facta instaurarunt. In quo non minoris magnitudinis quam difficultatis opere nimium argenti pondus consumptum „ est, & ideo religio magno ære alieno gravata. His itaque immoderatis sumptibus territi patres, inopia cogente per aliquot annos operi supersederunt. Verum cursu temporis oneribus illis aliquatenus alleviati, „ religionisque conditione meliore facta, novissime fabricari ceptum est, „ & opus hodie omni diligentia prosequitur. Mons autem iste, de quo „ agitur, Anconitanus vulgo nuncupatur, nonnulli vero Latini moderni scriptores, corrupto, ni fallor, vocabulo Conerum dixisse videntur; Plinio vero libro III. Cumerum promontorium est, apud antiquos utique celeberrimum; quod nomen ab arbusto Græca voce *Comaro*, quæ arbor ibidem plurima gignitur, deductum crediderim. Est „ autem in ea Piceni parte, quæ ad septemtrionem spectat in ipsa Adriatici sinus ripa, intraque fines ditionis diœcesisve Anconitanæ constitutum, „ ex adverso Dalmatiæ litus habens. Radices vero ipsius late distenduntur in circuitu, sed paulatim erecti in altum colles ad unum cacumen „ omnes contendunt, cujus summitas in planitiem quamdam terminata „ ostenditur. Quæ quidem tum frondosæ ilicum silvæ circumcincta corona, tum prati non exigui viriditate ornata miram præsefert spectantibus pulchritudinem. Hinc prospectus quoquo te vertas, in immensum „ protenditur. Septimo ab ipsa eremo milliario in amplissimo ac florido „ Piceni campo ter venerandum quasi ob oculos, mirabili structura consurgit ac micat Loreti templum. Ab utroque latere, quantum huma-

„ ni

[a] *Lib. IV. cap. VI.*

ANN. CHR. 1559.

„ ni oculi acies penetrare valet , tantum maritimi litoris intuenti pa-
„ tet, quæ ora maritima visu pulcherrima est, ac multarum urbium fre-
„ quentia decorata. Denique ad Aquilonem Adriaticum mare jacet, cu-
„ jus unda proximam promontorii partem abluit . Nec rara est intuen-
„ tium delectabilis navium triremiumque hinc inde navigatio. Introitus ip-
„ sius loci spatiosus valde , magnum ostium ante & post ingressum latis
„ plateis conjunctum non contemnendæ structuræ statim introeuntibus se
„ offert. Post quem opportunæ ipsius domus officinæ contiguæ sequuntur,
„ quibus in superiori parte infirmorum cameræ additæ sunt . Præterea an-
„ tiqua ecclesia , quæ ibidem reperta fuit , tantæ artis in se ostensionem
„ habet, ut prorsus priscæ architecturæ nobis specimen atque perfectionem
„ demonstret. Nam præter externorum parietum quadrato lapide instru-
„ ctorum perpolitam effigiem ac solidam firmitatem triplici testudine al-
„ tis firmissimisque rotundis columnis innixa totum cooperitur ædificium,
„ iisdemque columnis distinguentibus in tria deambulatoria seu atria divi-
„ ditur pavimentum . Chorus item & majus altare supra paulum eleva-
„ tam testudinem sedent, sub testudine vero devotissimum sacellum est bea-
„ tissimæ virgini consecratum . Manet juxta idem templum veteris clau-
„ stri vestigium, in medio cujus cisterna est magnam aquæ quantitatem, eam-
„ que salubrem continens. Post ecclesiam & claustrum orientem versus la-
„ ta planities datur, in qua solitariæ cellæ, nondum tamen ad justum nu-
„ merum deductæ cum suis hortulis situatæ existunt, ad cujus extremum
„ sacrum divo Nicolao sacellum venustum opus apparet . Inter hæc latæ
„ ac longissimæ viæ, quæ etiam in magnum nemus ambulantem introdu-
„ cunt, non sine magno eremi decore extenduntur. “

LVIII. Conventio monast. Vallis-castri cum Vergaretano commune.

VERGARETANUM commune hucusque quotannis deferre consueverat ad cœnobium sancti Romualdi Vallis-castri saccum musci ex arborum corticibus, loco pœnitentiæ perpetuæ impositæ ipsorum majoribus a sancto parente Romualdo. „ Præsenti anno die XVIII. octobris, ait Fortunius [a] , „ pretium musci ad æstimationem unius aurei annui redegerunt , manu „ Juliani Bartholini notarii de burgo Stiæ, intercedente decreto magistra- „ tus civitatis Florentiæ. Memores vero posteri ad hanc diem quanti mo- „ menti fuerit injuria ipsorum patrum , qui e finibus suis Romualdum „ ejecerunt, confluunt quotannis catervatim omnes promiscui sexus & omnis „ ætatis ad cellam ipsam, quæ sancti Romualdi nomen perpetuum servat, „ ibique per manum sacerdotis eamdem percussionem super scapulas spon- „ te suscipiunt. “ Superius instrumentum edidimus ad calcem Appendicis primi voluminis Annalium.

[a] *Par. II. lib. I. cap. 10.*

LIX. Capitularia acta.

COMITIA habita sunt hoc anno ad diem XVI. aprilis in abbatia Classensi, in quibus confirmata fuit electio facta mense septembri anni præcedentis Antonii de Pisis in abbatem generalem ordinis, additis ei in visitatores Matthæo Prato-veterensi, & Bellino Estensi. Demandatum est a definitoribus eidem generali, visitatoribus ac procuratori generali in curia Romana onus tractandi negocium abbatiæ sancti Petri de Rotis in diœcesi Arretina, alterumque beneficii sancti Paterniani de Ferracciano, illud cum Innocentio cardinale de Monte, hoc cum domino Basso de Britonorio , qui ea in commendationem obtinebant . Eidem procuratori generali assignatus est locus sessionis in capitulis generalibus deinceps statim post priorem sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia. Commissum quoque fuit abbati Balnei , ut una cum majoribus ordinis præfectis disponeret de eremo sanctæ Mariæ intra montes Balnei fundata seculo præterito ab Alexio eremi Camaldulensis Majore. Provisum est abbati sancti Felicis in Platea Florentiæ,

rentiæ, ut subventionem haberet ex proventibus abbatiæ sanctæ Mariæ in Trivio. Unita fuit monasterio sancti Blasii de Fabriano præpositura sancti Laurentii de Massaccio, (cui nuntium miserat Vincentius assertus abbas Campi-fellonis. Alter Franciscus assertus prior beneficii sanctæ Agnetis de sancto Æenea prope Perusium dimisit ipsum prioratum, qui adjectus est monasterio sancti Severi de Perusio.

LX. Lites inter monachos & eremitas compositæ.

„ OPERA ejusdem Antonii Pisani generalis, hortante etiam cardinale „ protectore Farnesio, transactæ sunt, ex Fortunio [a], hoc anno gravissi- „ mæ lites, quæ diutius inter eremum Camaldulensem & congregationem „ versatæ fuerant, ratione mutuo datorum, & acceptorum, & pariter ex- „ pensarum. Ad illud negotium pro sacra eremo Silvanus de Saluthio „ Major, Johannes-baptista Novariensis, & Michael Cupinus Meldulensis „ eremitæ procuratores instituti sunt, & ipse Antonius generalis una cum „ Bellino de Valanconio, & Matthæo a Prato-veteri visitatoribus pro con- „ gregatione. Quibus apud Camaldulum Fontis-boni convenientibus, ab- „ sente ipso Bellino valetudinario, proferuntur tabulæ, in quibus hinc „ inde vel expensa pecunia lata est, vel accepta relata, subductaque ra- „ tione ipsa eremus creditrix congregationis apparet in summa librarum „ 3145. 15. 2. idque causa expensarum confirmationis privilegiorum con- „ gregationis, solutionis quartæ partis fructuum, expeditionis bullarum „ sancti Nicolai de Urbe, & ratione residui bonorum immobilium mo- „ nasterio sancti Mathiæ venditorum apud Filetum, & aliis præterea de „ causis. E contra vero congregatio reperitur creditrix sacræ eremi in „ summa librarum 4362. 10. idque ratione octavæ partis solutionis unciæ „ auri ad eremum spectantis anni 1551. per aliquod tempus intermissæ, „ & pro residua octavæ partis fructuum & impositionis scutatorum qua- „ tuor millium anni 1556. dum videlicet sacra eremus se ab ea solutio- „ ne beneficio apostolicæ sedis liberari procurabat. Super qua adhuc pen- „ dente lite, electus est arbiter communi consensu cardinalis protector. „ Quibus firmatis constat jura congregationis creditum eremi in summa „ librarum 1216. 14. 10. superare. Cum pacto, ut congregatio teneatur „ conservare eam indemnem pro summa librarum 462. quæ summa solu- „ ta fuerat monachis sanctæ Justinæ tempore impetrationis privilegiorum, „ & cum pacto, ut census a Rosa Senarum & a Petra-ficta sacræ eremo „ persolvendus in hujusmodi transactione minime comprehenderetur; cum „ alio etiam pacto, ut sacra eremus solvat singulis annis scutatos duos „ aureos procuratori generali in Urbe pro sua portione unciæ auri. Qui „ quidem procurator solutionis ejus fidem singulo triennio ad sacram ere- „ mum mittere teneatur. Quibus sic compositis ac terminatis utraque pars „ sibi invicem super omnibus controversiis atque discordiis finem ac quie- „ tationem fecit per Aquilianam stipulationem, & acceptilationem subse- „ quentem in forma, pœna aureorum duorum millium apposita; manu „ Juliani Bartholini de vico Stiæ notarii die XXIII. septembris. “

[a] P. I. lib. III. cap. 25.

Paulus IV. die XIX. julii pontificatus sui anno V. bulla incipiente. *In sacra beati Petri sede*, prohibuit episcopis & archiepiscopis regularibus, qui a dignitatibus suis se abdicarent, vel removerentur, vel aliquo alio modo reverterentur ad monastica claustra, ne redeuntes officia vel ministeria regularia in religionibus præsumerent recipere vel exoptare.

Extat in tabulario sancti Romualdi de Urbe [b] epistola equitis Cæsenatis Stephani Parti ad Antonium Pisanum generalem Camaldulensem, circa fines Rubiconis tempore antiquo, & circa ecclesiam & monasterium Camaldulense sancti Pauli prope Cæsenam, cum aliis eruditis notitiis Cæsenatibus.

[b] *Fascic.* XL. 42.

POST

Ann. Chr. 1560.

LXI. Pii IV. bullæ pro Camaldulensibus.

POST mortem Pauli IV. quæ contigit die XXVIII. augusti, electus fuerat die XXVI. decembris anni præteriti Johannes Maria Mediceus Mediolanensis sub nomine Pii IV. Is die XVIII. junii bulla, cujus initium est: *Apostolicæ sedis* confirmavit Camaldulensibus omnia privilegia prædecessorum pontificum, renovans aliam suam similem datam die XII. februarii pontificatus similiter anno primo.

LXII. Monasterium S. Nicolai de Burgo-sancti-Sepulcri datum Camaldulensibus.

DIE quinta maji habitum fuit capitulum generale in abbatia Classensi, actumque est in eo de tractanda recuperatione monasterii sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum, cujus commendatarius erat Johannes-baptista Bava. Præterea licet anno præcedenti beneficium sanctæ Agnetis de castro sancti Æneæ unitum fuisset monasterio sancti Severi de Perusio, revocatum est dictum mandatum, & unitum fuit monasterio sancti Nicolai de Burgo-sancti-Sepulcri, ut res grata fieret Burgensibus, sequenti decreto, cujus verba proferimus. *Dudum siquidem in oppido tunc, quæ nunc civitas Burgi-sancti-Sepulcri dicitur, cujus initia ab ipsa religione fluxisse constat, ordo & religio ipsa in ecclesia seu monasterio sancti Johannis-evangelistæ per multa secula viguit, in qua sedes abbatialis officio pastorali fulgebat. Verum tempore succedente, sedes eadem suppressa, & in episcopalem erecta fuit. Ei tamen, qui suo pretioso sanguine genus humanum moriens a morte redemit, ut adhuc religionis reliquiæ superessent, pietate sua immensa placuit. Ibidem namque adhuc manet prioratus dicti ordinis sub titulo sancti Nicolai episcopi, qui quidem tenuis est & modicus; & cum dictæ civitatis mirum in modum erga dictam religionem dilectio vigeat, & ut fide dignorum testimonio compertum extitit, cuperent homines dictæ civitatis dictum locum nedum habitatione & ædificiis, sed etiam divino cultu honeste ampliari, & consequenter redditibus & proventibus, quibus ibi possit personis Deo servientibus & divinis horis psallentibus de vitæ ministeriis provideri. Verum cum universitas ejusdem civitatis paupertate prematur, nec possint, quantum eorum animus cuperet, adjuvare, præterquam contribuendo quamdam eleemosynam, quæ dari solita est capellano ecclesiæ pauperum leprosorum, quæ vulgariter sancti Lazari dicitur, & est sub cura, custodia, seu commenda vel unione perpetua fraternitatis sancti Bartholomæi ejusdem civitatis: Considerantes præsidens & definitores capituli religionis prædictæ zelum & devotionem universitatis, disuniverunt beneficium sanctæ Agnetis de castro sancti Æneæ comitatus Perusiæ a monasterio sancti Severi, & prioratui sancti Nicolai in perpetuum univerunt omni meliori modo &c. Datum Ravennæ die* VII. *maji anni* 1560. quod decretum, ne dubitationis locus ullus daretur, denuo confirmatum est anno sequenti, & transmissum fuit universitati Burgi-sancti-Sepulcri, quæ publica confessione die nona novembris hujus anni declaravit „ injuste & sine crimine expulsos fuisse ab ea urbe Camaldulenses, & abbatia privatos, nulla habita ratione, quod fuissent ii „ primi patres & fundatores ejus urbis, ad quam proinde revocandos esse voto se adstrinxerant. " Hieronymus Gherardius in mss. Burgensibus monumentis asserit civitatem Burgi-sancti-Sepulcri ob expulsionem Camaldulensium monachorum peste percussam fuisse. Id scilicet lumen accipit ex sequenti epistola Rainutii Farnesii cardinalis sancti Angeli, quæ adnotatur in regesto Bartholomæi abbatis sanctorum IV. coronatorum de Urbe procuratoris generalis ordinis Camaldulensis ad annum 1556. *Venerabili in Christo patri Dei gratia episcopo Burgi-sancti-Sepulcri vel ejus in spiritualibus vicario Rainutius miseratione Divina sancti Angeli presbyter cardinalis salutem & sinceram in Domino caritatem. Ex parte prioris generalis & congregationis ordinis Camaldulensis nobis oblata petitio continebat, quod op-*

pressa

pressa videlicet vestra civitate gravis pestis morbo, illius incolæ & habitatores Deo, si eam ab illa liberaret pro sua misericordia, quosdam monachos ordinis Camaldulensis, qui forsan extra dictam civitatem absque causa saltem legitima temere & de facto expulsi fuerant, ad illam restituere pro modo voti promiserunt &c.

Anno scilicet 1523. die octava julii consules & confalonerii urbis Burgensis votum Deo voverunt revocandi in eorum urbem monachos Camaldulenses, & vexillum offerendi ad domum sacram Lauretanam pro obtinenda liberatione a peste. Anno 1533. die XVIII. februarii ecclesiam parœcialem sancti Nicolai eisdem monachis Camaldulensibus assignarunt, & potissimum Benedicto Lazari Burgensi monacho, eo quia pestis ab anno 1523. ad eum annum vel gravius, vel mitius, semper tamen desævierat. Anno 1552. januarii XXIII. die confirmaverant eam donationem, attentis præsertim monachorum Camaldulensium meritis & laboribus, qui quartam urbis partem sacramentis cœlestibus pascebant, ac pauperes infirmos sancti Lazari visitabant & fovebant. Temporis progressu adjuncti fuere ecclesiæ & monasterio sancti Nicolai a Camaldulensi congregatione etiam redditus abbatiæ Trivii Montis-cornarii.

LXIII. Monialibus S. Margaritæ ejusdem urbis datus prioratus S. Bartholomæi.

Ad eadem circiter tempora pertinet sequens monumentum, quoad demolitionem parthenonis sanctæ Margaritæ ejusdem Camaldulensis ordinis in præfata urbe Burgi-sancti-Sepulcri, cujus moniales sæpius memoratæ sæculo præcedenti ab Ambrosio in Hodœporico translatæ fuere, residentque hodie in sancti Bartholomæi asceterio. Ipsum subjungimus ex tabulario dicti loci.

Illustrissimus dux Florentiæ pro tuitione civitatis Burgi-sancti-Sepulcri monasterium monialium sanctæ Margaritæ ordinis sancti Benedicti prope & extra muros civitatis prædictæ consistens, demoliri & solo æquari facere intendit. Et cum abbatissa & moniales monasterii prædicti nullum invenire, nec habere possent locum, ubi se transferre & inhabitare valerent, ven. dominus Dominicus Biliaffi rector parochialis ecclesiæ, prioratus nuncupatæ, sancti Bartholomæi civitatis prædictæ, cui sanctæ Agathæ villæ de Peschaja parochialis, & sancti Donati dictæ diœcesis sine cura ecclesiæ perpetuo unitæ & annexæ existunt, zelo caritatis motus ecclesiam sancti Bartholomæi prædictam cum domo & horto penes eam existentem abbatissæ & monialibus præfatis pro earum usu & habitatione, & ut inibi unum monasterium monialium ejusdem ordinis erigi facere possint, perpetuo dare & consignare paratus existit, dummodo sanctæ Agathæ parochialis & sancti Donati sine cura ecclesiæ præfatæ a dicta ecclesia sancti Bartholomæi dissolvantur & separentur, & de eisdem præfato Dominico provideatur; ac ecclesia sancti Bartholomæi hujusmodi pro usu & habitatione abbatissæ & monialium prædictarum, ac quod inibi unum monasterium monialium ejusdem ordinis erigi facere possint per sanctissimum dominum nostrum papam concedatur. Ideo supplicandum est domino nostro, ut sanctitas sua sanctæ Agathæ parochialem, & sancti Donati sine cura ecclesias a sancti Bartholomæi parochiali ecclesia prædicta perpetuo separare & dissolvere, ac de eisdem præfato Dominico providere, & ecclesiam sancti Bartholomæi cum domo & horto præfatis hujusmodi abbatissæ & monialibus pro earum usu & habitatione, ac facultate unum monasterium monialium ordinis prædicti inibi erigi faciendi, ac omnia bona & res monasterii demoliti ad monasterium erigendum hujusmodi transferendi, & dictæ ecclesiæ sancti Bartholomæi per capellanum ad earum nutum ponendum & amovendum deserviri faciendi, ac alia in præmissis necessaria & opportuna gerendi, concedere & assignare, literasque super omnibus

ANN. CHR. 1560.

bus & præmiſſis in ſimul per Breve, *attenta maxima abbatiſſæ & monialium*, *ac dicti Dominici paupertate*, *mandare dignetur de gratia ſpeciali*.

LXIV. De S. Romualdi nomine ac. cenſito faſtis eccleſiaſticis ab immemorabili.

a *Pag.* 236.

NARRAT Johannes Caſtagnizza [a] in vita ſancti Romualdi Antonium Piſanum generalem ordinis Camaldulenſis, & Auguſtinum Fortunium monachum Angelorum Florentiæ admodum ſollicitos de tempore, quo in Sanctorum catalogum recenſitus fuit beatus Romualdus, ſcripſiſſe Bartholomæo procuratori generali ordinis in curia, ut archiva libroſque ſcrutaretur, an ullibi aliquid expiſcari valeret. Quod cum poſt diligens ſtudium non reperiiſſet, eumdem procuratorem de ea re verba feciſſe cum doctiſſimo cardinale Sirleto, cui tunc cura impoſita fuerat a Romano pontifice emendandi Romanum Sanctorum martyrologium, qui cardinalis reſponderit, Romualdo id contigiſſe, quod contigerat ſancto Petro, ſancto Clementi, aliiſque innumeris, quorum notoria erat ſanctitas; nimirum eccleſiam ſine proceſſuum diligentia, ut Sanctum ſemper ipſum habuiſſe, ejuſque nomen martyrologiis veteribus appoſuiſſe. Decretum, & apoſtolicum beneplacitum interceſſiſſe alibi vidimus ex teſtimonio ſancti Petri-damiani ſcriptoris vitæ ſancti Romualdi.

Obiit hoc anno in eremo Rhuæ diœceſis Patavinæ Petrus Candianus patritius Venetus & eremita Camaldulenſis, cujus elogium paucis iis verbis deſcribitur: *Fuit contemptu ſui*, *& ſpiritu orationis laudatiſſimus*.

Eremum Camaldulenſem Etruriæ viſitavit hoc anno menſe ſeptembri devotionis gratia cardinalis ſancti Angeli Rainuccius Farneſius major pœnitentiarius, ordinis protector, & eremi ſingularis benefactor.

Participatio bonorum ſpiritualium congregationis Camaldulenſis conceſſa fuit ſocietati ſancti Pauli apoſtoli, quæ noctis tempore adunatur in civitate Florentia.

ANN. CHR. 1561.

LXV. Inſtitutio equitum S. Stephani.

REFERT Germanus Botta ex Thoma Minio clariſſimum principem Coſmum Medicem Florentiæ & Senarum ducem præſenti Incarnationis anno M. D. LXI. ſacrum militum ſancti Stephani ordinem, annuente Pio IV. pont. max. ad fidei patrocinium excitaſſe, ſollicitumque de veſte equitibus tribuenda eam inter Benedictinas monaſticas familias inquiſiviſſe, & demum reperiiſſe in cœnobio Angelorum Florentiæ. Deſcribunt uterque noſter ſcriptor rem his verbis: „ Magnus dux una die ad monaſterium ſanctæ Mariæ Angelorum de Florentia properavit, primo abbatem „ (Benedictum Catti Volaterranum cœnobii priorem) advocans, eique „ loquens dixit: Pater venerande, affer mihi habitum hujus religionis, & „ ſtatim attulit ei habitum, quem cucullam vocamus, quam cum diligentiſſime conſpexiſſet, cognovit quod multum ferentem gladium, ut „ equiti convenit, impediret; propterea ipſemet abbas habitum laicorum, „ ſeu converſorum, quem planetam vocamus, detulit; quam cum ipſe „ Magnus dux inſpiceret, hilari vultu eam amplectens ait: Equidem hac „ utar. Quæ quidem planeta ex utraque parte aperta eſt, & maxime ad „ inferendam manum armis in hoſtes apta videtur. Habitus hic adeo Coſmo Mediceo Etruriæ Magno-duci placuit, ut impoſterum omnes, qui „ hujuſcemodi religionem profiteri vellent, eam accipere juſſerit. Quæ religio diligentia, ac ſereniſſimæ Mediceæ domus prudentia, ita nobilitate, opibus, armorumque virtute præcellit, ut omnibus ſummæ videatur eſſe admirationi. “ Idipſum in Florentia illuſtrata tradit Ferdinandus Meliorius, ſcimuſque Coſmum I. ideo ex monachorum familiis veſtem ſuis equitibus quæſiiſſe, quia regulæ ſancti Benedicti ſtudioſiſſimus erat, cujus

jus etiam exemplar semper ad manus habebat, quam pariter suo novo equestri ordini observandam & profitendam tradidit.

ANN. CHR. 1561.

LXVI. Applicatæ ipsi ordini equitum plures abbatiæ Camaldulenses.

OCCASIONE institutionis præfati sacri equestris ordinis suppressæ fuere plures abbatiæ, & inter has multæ Camaldulenses jam commendatæ, quæ perpetuo addictæ sunt eidem ordini; præ ceteris abbatia sancti Frigdiani Pisarum, quam obtinuit post triennium brevi Pii IV. die XX. februarii anni M. D. LXIV. Johannes Benedicti Fosia Urbinas, & cum omnibus bonis suis applicatam novimus religioni sancti Stephani. Ecclesiam postea & monasterium, instante Carolo-antonio a Puteo archiepiscopo Pisano, Ferdinandus Magnus-dux, & supremus Magister ordinis anno 1595. donavit clericis regularibus sancti Pauli, vulgo Barnabitis, qui in possessionem introierunt die IX. januarii anni sequentis. Anno 1675. die IX. novembris, ut legitur in memoriis Francisci-aloysii Barellii clerici reg. ejusdem ordinis, incendio conflagravit ecclesia, quæ tamen deinde fuit restaurata. Abbatia pariter sancti Savini in Montione approbante Pio IV. & confirmante Pio V. assignata fuit eidem equestri religioni; monasterium vero sancti Stephani de Cintorio cameræ apostolicæ fuit adjectum. Jam ab anno 1552. stylo Pisano, idem Cosmus I. dux publicum armamentarium ædificare volens prope ecclesiam sanctorum Viti & Modesti Pisarum, ubi degebant moniales ordinis sanctæ Claræ, quæ ex Sardinia prius ad ecclesiam Omnium-sanctorum ad Pantanum, inde ad abbatiam sancti Viti fuerant delatæ, novum ipsis domicilium construi fecit prope ecclesiam parœcialem Camaldulensem sancti Laurentii ad Rivoltam, in quod ingressæ sunt moniales eodem anno die XXVII. octobris, quibus Camaldulenses monachi copiam fecerunt, ut cratem ferream aperire possent, ex qua Missas audirent, & sacramenta reciperent a ministris ecclesiæ sancti Laurentii. Permissio hæc usque ad annum 1619. perseveravit, quo propter lites frequentius exorientes sanctimoniales inter & monachum parochum, Paulus V. ecclesiam & animarum curam monachis ademit, & utramque monialibus indulsit. Jacturam quoque fecere Camaldulenses monasterii sancti Bartholomæi de castro sanctæ Jucundæ, quod die X. novembris anni 1551. commendatum fuit Guilielmo Sangalletti camerario & thesaurario Pii V.

LXII. Acta in Capitulo Classensi.

IN capitulo Classensi hujus anni ad diem XXVII. aprilis tractatum fuit de commutatione beneficii sancti Pauli de Pasiano cum abbatia sancti Michaelis de Lemmo in Histria, quæ tamen commutatio effectu caruit. Pasianum situm est in Concordiensi diœcesi, & presbyter Aloysius rector ipsius beneficii agebat cum monachis sancti Mathiæ de Muriano, ut ejus resignationem exciperent. Antonio Pisano abbati generali demandatum est negotium alterius beneficii, quod offerebant homines terræ sanctæ Sophiæ prope Galeatam. Aliud super beneficiis castri Pyri commissum procuratori generali; sicut abbati Classensi impositum est onus permutandi ecclesiam sanctæ Mariæ in Horto Ravennæ subjectam suæ abbatiæ cum altera sanctæ Mariæ in Cipadella ejusdem urbis. Oblati fuere ab Augustino Fortunio monacho Angelorum Florentiæ libelli translationis corporis sancti Romualdi ex abbatia Valle-castrensi ad illam sancti Blasii de Fabriano, commissaque a patribus eorumdem revisione, præceptum fuit, ut deinceps a tota congregatione ageretur festivus dies hujus translationis.

Approbati sunt in visitatores ordinis Romualdus Veronensis & Ægidius Stuppanus de Valle-tellina, qui fuerant electi anno præcedenti. Ludovicum Clericatum Vicetinum archiepiscopum Antibarensem legimus confirmatum in conservatorem jurium monasterii sanctorum Viti & Modesti de Vicetia, vel sanctæ Luciæ, ad quam ecclesiam transierant monachi Camaldulenses.

Ann. Chr. 1561.

In claustro sancti Gregorii de Urbe hujusmodi apposita inscriptio: *D. O. M. Edovardo Carno Brittano, equiti aurato, jurisconsulto, oratori summis de rebus Brittaniæ regum ad imperatorem, reges, bisque ad Romanam & apostolicam sedem, quarum in altera legatione a Philippo Mariaque piis regibus missus, oborto deinde post mortem Mariæ in Brittania schismate, sponte patria cedens ob catholicam fidem, cum magna integritatis veræque pietatis existimatione decessit. Hoc monumentum Galfridus Vachanus & Thomas Fremannus amici ex testamento posuerunt. Obiit anno salutis* M.D.LXI. XIIII. *kalendas februarii*. Libenter afferimus hujusmodi sepulcrales inscriptiones, eas præsertim, quæ reperiebantur in veteri pavimento ecclesiæ sancti Gregorii de Urbe, quia licet pleræque earum pulcherrimo ordine collocatæ & distributæ sint per claustrum ante eamdem ecclesiam, multæ tamen ipsarum detrito, vel etiam destructo pavimento perierunt, quarum memoriam perennamus ex collectione eo temporis facta, & relata in schedas, quæ asservantur in archivo ejusdem monasterii.

ANNA-

ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEPTUAGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno CHRISTI M. D. LXII.

ANN. CHR. 1562.

I. Abbatia Volaterrana SS. Justi & Clementis restituitur congregationi.

CAPITULUM generale congregationis habitum fuit hoc anno die XXVI. aprilis in monasterio Carcerum, in quo complente Antonio Pisano tertium sui regiminis annum, suffectus ipsi fuit in abbatem generalem Theophilus Biozzius Balneensis ex professione sancti Mathiæ de Muriano, & assignati fuere cum eo in visitatores Johannes-baptista Faventinus, & Paulus de Miniatis Florentinus, Major autem eremi Camaldulensis destinatus Johannes-baptista Barba Novariensis. Data est a patribus potestas generali componendi cum abbate commendatario monasterii sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum. Hoc siquidem anno Johannes-baptista Riccobaldus Bava archidiaconus Volaterranus & dicti cœnobii abbas commendatarius ipsum congregationi Camaldulensi omnino immune restituit, reservata sibi administratione, dum viveret. Obiit autem anno 1566. secunda maji, sepulturæ in templo superiori datus. Extat elogium resignationis per illum factæ in epistylio unius ex columnis claustri ad perpetuam rei memoriam. „ Ex quo tempore, subdit Fortunius [a], instituto „ ibi collegio monachorum duodecim, annui præficiuntur abbates de more „ congregationis, qui studiose omnes non minus amplificationi regularis observantiæ, quam possessionum incumbunt, recuperataque sunt prædia Lajatici, & terræ variæ aliis in locis, ut etiam fabrica cœnobii. Magna „ & singularis dignitas abbatis sancti Justi ostenditur multis in rebus, sed „ præcipue, quando episcopus novus Volaterranus sollemni pompa possessionem vult adipisci sui præsulatus. Cui abbas ad sacellum sancti Quirici occurrit, palliumque eidem detrahit, deinde rursus illum excipit ad „ templum sanctorum confessorum Justi & Clementis, dans illi pacem Domini, ut postea possit ad sancti Marci & ad alia loca reliquas suas sollemnes cæremonias peragere. “ Confirmavit anno sequenti pontificatus sui quarto mense januario Romanus pontifex Pius IV. abbatiæ Volaterranæ dimissionem factam a Bava, & restitutionem congregationi Camaldulensi

[a] *P. II. lib. IV. cap.* 30.

Ann. Chr. 1562.

lensi, præcipiens episcopis Muranensi & Feltrensi, ac vicario episcopi Volaterrani, ut Camaldulensibus præsto forent in percipienda pacifica ipsius possessione. Abbatia etiam sanctæ Mariæ de Castagneto ejusdem Volaterranæ diœcesis, quæ olim monasterio sanctæ Mariæ de Vertilio Montis-sancti-Sabini, postea vero cœnobio Angelorum Florentino adjuncta fuerat, ea opportunitate unita fuit præfato monasterio sanctorum Justi & Clementis per patres capituli generalis in monasterio ad Carceres similiter congregatos anno sequenti.

Etiam plebanatus sancti Venantii de Albacina, & ecclesia parœcialis sancti Petri de Muscano unita fuere abbatiæ sancti Salvatoris Vallis-castri & sancti Blasii de Fabriano, quarum erant membra, Pio IV. unionem confirmante kalendis julii pontificatus sui anno III. hoc est præsenti.

II. Exemptiones confessariorum monialium regularibus subjectarum.

Idem Romanus pontifex die XXII. julii hujus anni communitati Faventiæ scribens vetavit, ne confessarii regulares ejusdem urbis celebrarent Missarum sacrificia in ecclesiis monasteriorum monialium ipsis subjectarum, neve sacramenta illis imposterum administrarent. Simile validiusque edictum emanavit anno 1564. episcopusque Faventinus Johannes-baptista Segichellius imperavit ejus executionem; quare per mensem moniales sancti Maglorii & sanctissimæ Trinitatis de Faventia ordinis Camaldulensis subjectæ monasteriis sancti Johannis-baptistæ, & sancti Hippolyti caruerunt sacramentis. Reclamante Stephano monacho confessario monialium sancti Maglorii, eamque reclamationem in Urbem mittentibus monialibus, delegatus fuit episcopus Narniensis gubernator Bononiæ Donatus Cæsius, qui prioribus sancti Hippolyti, & sancti Johannis-baptistæ de Faventia, quibus subjiciebantur eædem moniales, concessit sacrorum administrationem in ecclesiis suarum monialium, donec Romanus pontifex mentem suam apertius ea super re declararet. Flavius Ursinus episcopus Muranensis & cameræ apostolicæ auditor pronuntiavit ad sanctimonialium favorem, & eodem anno 1564. instante cardinale Rainuccio Farnesio Camaldulensium protectore declaravit idem Pius IV. monasteria sancti Maglorii & sanctæ Trinitatis de Faventia comprehensa non esse in suo brevi reformationis monialium hujus anni 1562. Paulus III. anno 1540. cardinali Rodulpho Pio Carpensi episcopo Faventino parum absimile contra exemptiones regularium & monasteriorum breve concesserat, quod effectu caruerat.

III. Benedictus Lauretanus eligitur episcopus Curzolensis.

Ad episcopatum Curzolensem, sive Corcyræ-nigræ in Dalmatia assumptus fuit præsenti anno Benedictus ex patritia Veneta familia Lauretana eremita Rhuensis, qui institutum eremiticum amplexus fuerat anno 1556. die XII. januarii sub beato Hieronymo Suessano ejusdem eremi fundatore. Factus episcopus Benedictus nil prorsus remisit de austeritate incommodisque vitæ eremiticæ, quibus adjunxit sancta pietatis exercitia, zelumque incredibilem animarum sibi commissarum; miraculis insuper claruit tum in vita, tum post obitum, ob quæ populi ejus insulæ ipsum ut Sanctum a die defunctionis venerantur. De Benedicto fit mentio in ms. codice eremi sancti Clementis Venetiarum; ac patriarcha Venetus Johannes Theupulus in primo indice Sanctorum & Beatorum Venetorum titulum Beati eidem tribuit.

Instrumento rogato convenit hoc anno inter Romualdum Balneensem abbatem sancti Michaelis de Muriano, & inter Ludovicam abbatissam sanctæ Mariæ de Porcilia Patavinæ urbis cum sexdecim suis monialibus, ut loco medietatis oblationum, quæ fiebant ad corpus beati Antonii Peregrini, prout convenerant eorum majores anno 1510. deinceps mense februario decem & octo libræ solidorum numerarentur a sanctimonialibus Porcilien-

cilienſibus, dummodo eleemoſynarum oblatio perſeveraret; ex tabulario ſancti Michaelis de Muriano.

ANN. CHR. 1562.

Caſtra Pergulæ & Quadratæ in territorio Faventino cum cenſuariis omnibus habentibus bona abbatiæ Claſſenſis in eodem territorio, inſtrumento inveſtituræ rogato die X. martii hujus anni a Johanne Mandelli, & a Johanne-baptiſta Cevolini in ſolidum notariis Bononienſibus, data fuere ab eadem abbatia magnificis dominis Cornelio & Alexandro fratribus & filiis quondam magnifici Conſtantii de Urſiis, & Jacobo quondam Annibalis ſenatoris Bononienſis, & Alexio quondam Alexandri de Urſiis tam diviſim, quam conjunctim uſque in tertiam generationem maſculinam, ut pro una vice tantum ſolverent abbatiæ ſcuta quingenta auri, & quotannis duas uncias ceræ & ſolidum pro qualibet tornatura, cum pacto, ut in dicta conceſſione non eſſent comprehenſa monaſteria ſanctorum Johannis-baptiſtæ & ſancti Maglorii de Faventia in numero cenſuariorum.

Sepulcrale elogium in veteri eccleſia ſancti Gregorii de Urbe: *D. O. M. Corneliæ Columnæ quondam Pirrhi Malvetii nobilis Bononienſis, quæ vixit annos* LVIII. *Pompilius Canius & Joſephus de Rubeis hæredes ex teſtamento heræ benemeritæ poſuere. Obiit anno ſal.* M. D. LXII. *die* III. *menſis octobris.*

ANN. CHR. 1563. IV. M. Duciſſa Etruriæ renuit ingredi eremum Camaldulenſem.

REFERT Mugnotius in deſcriptione eremi Camaldulenſis ſe audiviſſe anno 1569. a Silvano de Saluthio inſigni eremita, „ clariſſimam Eleonoram „ a Toleto Coſmi Medicei Florentiæ & Senarum ducis maximi uxorem de„ ſiderio eremum Camaldulenſem videndi accenſam ampliſſima diplomata „ a Pio IV. pontifice maximo ingrediendi quævis etiam ſecretiora loca ob„ tinuiſſe. Cumque die quadam huic ſuo deſiderio ſatisfacere vellet, mon„ tis ipſius juga aſcendere cepiſſe, cui jam ligneis crucibus proximæ Sil„ vanus ipſe, qui rem præſciverat, data opera obvius occurrit, ut ejus „ animum ab ingreſſu revocaret. Cujus monitis ac ſuaſionibus Eleonora „ ſententiam non abſque maxima omnium laude & lætitia mutavit, no„ lens, cum poſſet, tam laudabile & antiquum inſtitutum tranſgredi, „ quinimmo ipſius divæ eremi ædem ſacram pretioſis quidem veſtibus, ut „ Chriſto Domino piacula ſolvantur, ornavit. " Ipſo hoc anno prope finem menſis julii idem magnus dux Coſmus Camaldulum venit ex partibus & finibus Romandiolæ Florentinæ, ubi pugnabat contra exercitum Petri Strozii, condebatque munimenta & arces. Petitione autem ipſorum eremitarum literas dedit in eorum commendationem Romano pontifici Pio IV. teſtimonium reddens optimi ipſorum regiminis, ac piorum caritatis & hoſpitalitatis operum, ſimulque conteſtans, quod quidquid ipſe pontifex ratione quindenniorum eremitis relaxaret, id totum in pauperum uſus foret convertendum, juxta loci veterem religionem.

V. Abbatia Agnani ad congregationem redit.

ABBATIA ſanctæ Mariæ de Agnano Arretinæ diœceſis poſt Johannem Nicolinium archiepiſcopum Athenienſem, abbatemque commendatarium, eodem commendationis titulo devenerat ſub anno 1499. ad Petrum Anſii Florentinum, ſub anno 1514. ad Nicolaum Florentinum, & poſt ipſum ad Gentilem Carlenum Medicem. Hic poſtremus declaratus fuerat notarius apoſtolicus anno 1507. a Leonardo de Ruvere cardinale legato apoſtolico; anno 1510. donatus penſione quinquaginta ducatorum auri a Julio papa II. ſuper monaſterio ſancti Laurentii extra muros Urbis; anno 1511. decoratus prioratu ſancti Sabæ ordinis ſancti Benedicti diœceſis Tiburtinæ, exequente bullam epiſcopo Cavallionenſe; anno eodem proviſus de capella ſancti Antonii ſita in eccleſia ſancti Apollinaris de Urbe a Leonardo

Ann. Chr. 1563.

nardo presbytero cardinale Agennense, anno 1518. ditatus præpositura ecclesiæ Senogalliensis a Marco Vigerio electo episcopo. Erat autem Gentilis monasterii Agnaniensis abbas anno eodem, quo ad ejus petitionem viginti-duo S.R.E. cardinales indulgentiam concedunt ecclesiæ sanctæ Mariæ in Gradibus subjectæ abbatiæ Agnani. Gentilis Carlenus adoptavit in filium Johannem-vincentium clericum Romanum, qui consignatus sibi fuerat infans anno 1527. in Urbis excidio; huic anno 1534. confirmante Paulo III. cessit prioratum sancti Sabæ, & demum abbatiam Agnani. Dum pontificalia exerceret ad altare hoc anno mense februario in sua abbatia Johannes-vincentius, occisus est a Laurentino & a Vincentio Belcari de Vanneschis de Agnano. Theophilus Bononiensis Camaldulensis monachus & tunc procurator in Urbe electus statim fuit a congregatione Camaldulensi dicti monasterii in abbatem regularem, sed Pius IV. post Johannis mortem commendavit Agnani abbatiam nepoti suo Carolo tituli sancti Martini in Montibus S.R.E. presbytero cardinali Borromæo, quam hic anno sequenti, & firmius anno 1565. liberam ordini Camaldulensi dimisit; quare Theophilus munus suum exequi fuit prohibitus. Vigore tamen privilegiorum Leonis X. Bartholomæus Bertonius prior sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia possessionem ipsius abbatiæ statim accepit, iterumque post biennium Garzias ab Ilua prior ejusdem monasterii, confirmante Pio IV. & tandem anno 1566. in capitulo generali congregationis, præsidente Ægidio Stuppano, recepta fuit abbatia ob dimissionem ipsius factam a cardinale Borromæo, reservatis quingentis scutis auri ad quinque pensionariorum favorem.

VI. Obitus Justiniani Bergomatis eremitæ Coronensis.

Obdormivit in Domino hoc anno Justinianus Bergomas, Magnus dictus, penes eremitas Coronenses. „ Is ex Luca Hispano [a], non ignobilis „ genere, nobilior tamen virtute fuit, literis exercitatus in lyceo Patavino, „ ipso juventutis flore congregationem monachorum sanctæ Justinæ in eadem „ civitate ingressus est. Vigesimo autem secundo ætatis suæ anno, Christi „ 1515. ex monacho eremita factus est in Camaldulensi Etruriæ solitudine, „ & per octo annos mirabiliter conversatus, testimonio Petri Delphini, quo„cum literarium commercium aperuit. Interrumpere coactus est post trien„nium dilectam quietem, profecturus in barbaras gentes ad redimendum ex „ captivitate germanum fratrem suum, & susceptis duobus affinibus suis iti„neris comitibus, qui in via a sicariis aggressi vulneribus confossi, atque „ pecunia spoliati, ipso spectante Justiniano, quem Deus ad majora serva„bat, crudelissimum fatum subjerunt. Reducto tandem post acerba rerum „ discrimina in patriam germano, justisque matri, cui præsto fuit morien„ti, persolutis, dulcissimæ solitudinis in sinum rediit. Amicitiam ibidem ar„ctissimam contraxit cum altero Paulo Justiniano, qua factum est, ut pau„lo post ipsum in Picenum secutus fuerit, eique adhæserit & successerit in „ nova efformanda sancti Romualdi eremitarum congregatione. Quantus in „ observantia regulari eremitica adimplenda atque tuenda fuerit Justinianus, „ crebra fratrum cum gemitibus recordatio superabunde testatur. Quo enim „ magis secularia negotia ac forenses strepitus odio habuit, eo magis pieta„tis sanctimoniæque exercitium adamasse cognoscitur. Simili modo perinde „ terrenas opes per totam vitam abhorruit, atque animi delicias dilexit, „ semper & ubique professionis iter mordicus sine intermissione tenens, adeo „ ut septuagenarius factus, nihil de stricta sui ordinis observatione remisit. „ Quid quod aliquid sibi indulgere a patribus rogatus, eo quod propter ne„cessitatem eum longævum optarent, hunc in modum respondisse fertur: „ Tamdiu, observandissimi patres, me vobis utilem fore existimate, quam„diu solitariæ seu eremiticæ vitæ observatorem habebitis. In multis fuit in-

„ signis

[a] Lib. IV. cap. VII.

„ signis Justinianus, quatuor tamen in rebus miram in modum excelluit, „ nimirum in studio literario privato, in divinorum officiorum devotione, „ in solitariæ quietis silentiique continua observatione, & in secretæ contem„plationis indeficienti fervore. Scripsit itaque vir ille doctissimus opuscula „ multa, ex quibus pauca supersunt hodie, eo quod aliquot ante ipsius mortem „ annis propria cella, in qua cuncta ejus scripta continebantur, fortuito in„cendio, dum ipse nocturnis vigiliis in communi ecclesia assisteret, combu„sta fuerit, cujus jacturæ vix mœstitiæ signum expressit. Supersunt liber „ unus, sive *dialogus de vera & falsa amicitia*; & alter *de hujus seculi con„temptu*, uterque literis aureis exarandus, quos conscripsit Patavii, dum „ monachum Casinensem ageret. Reperti sunt insuper tractatuli duo; alter „ *de differentia peccatorum*, & alter *de scandalo*. Alium præterea vidit Lu„cas Hispanus, ex quo hæc describimus, *de Oratione* prænotatum. Erant „ inter combustos libros opus, cui titulus: *Difficilium Scripturæ sacræ loco„rum elucidatio;* aliud *adversus Martinum Luterum*, ceterosque ea tempe„state pessima hæresum semina spargentes; erat demum *vita Pauli Justinia„ni*, testibus eodem Luca & Buccellino. Ita officiose Sanctorum Patrum „ vitas perlegebat, ut dicere consuesset: Vellem volumen hoc mecum una „ sepeliri, ut etiam post mortem solatium ex eo haberem. In choro re„ctus, complicatis manibus stans, plena voce, qua dotatus erat, tanto „ cum decore Deo laudes reddebat, ut aliquando affirmaret, se ne verbum „ quidem, nedum versum per inadvertentiam amittere. Quoties fuit Major „ aut prior eremi, hostiario præcipiebat, ne, dum in choro laudes Altissi„mo caneret, sibi aliquid cujusvis momenti foret, nuntiaret, neque inter„ventu alicujus magnæ personæ, licet cardinalis existeret, se interpellare „ præsumeret. Voluntariam reclusionem in cellula propria elegit toties, quo„ties officiis majoribus congregationis non fuit impeditus. In ea reclusione „ cum esset, Major electus hoc anno epistolam ad patres veluti ultimum vi„tæ suæ testamentum scripsit, deprecans cum omni humilitate ab eo officio „ absolvi, præsentiens quoque vicinum terminum peregrinationis suæ. Non „ assentiente capitulo, e cella extractus, & Major effectus est. Tertio vero „ ab electione mense febri correptus lecto prosternitur, & ad mortis articu„lum deducitur. Aderant, qui eum, ut bono animo mortem susciperet, „ hortabantur, quibus respondisse fertur: Ego, patres, licet non meis „ meritis, fide non dubia, speque firmissima, atque misericordia fretus Al„tissimi, mortem, quasi virgo sponsum, expecto. Quibus & aliis verbis „ mirabiliter dictis in pace quievit die sancti Laurentii x. augusti. " Subdit Lucas Hispanus, quemdam cardinalem, magnam ecclesiæ sanctæ columnam, cui notissimus erat, sæpissime etiam cum gemitu dixisse: O utinam cum eremita Bergomensi animam hanc permutare possem! Hinc gravissimi scriptores Beati titulo ipsum cohonestarunt. De Justiniano, præter Delphinum, & Lucam agunt Fortunius, Hastivillius, Minardus, Bucellinus, Marius Mutius Part. II. historiæ sacræ Bergomi, Donatus Calvus in Scena Literaria Scriptorum Bergomensium, Armellinius in bibliotheca Casinensi, Ziegelbaur & Vergius. Socii Bollandiani tom. II. augusti pag. 484. ipsius meminerunt. Decessit autem in eremo Montis-coronæ, cujus præcipuus fuit fundator.

VII. De Benedicto Buffo altero eremita.

Inter primos, qui eidem novæ congregationi eremitarum sancti Romualdi a Paulo Justiniano institutæ in Piceno nomen dederunt, fuit Benedictus Buffus Eugubinus in eremo sancti Hieronymi de Pascilupo in agro Eugubino. Hic typis Venetis Michaelis Tramezzini edidit hoc anno: *Opere di Giovanni Cassiano delle Costituzioni ed origine de' monaci tradotte.*

ANN. CHR. 1563.

Versionem hanc dicavit Benedictus Petro Pamphilio Eugubino, quem a strepitu mundi ad solitudinem invitat sincero affectu. Est inter libros a sacra Indicis congregatione suspensos. De Buffo verba faciunt Ludovicus Jacobillius in bibliotheca Umbriæ, Fontaninius in libro *Eloquenza Italiana*, & Mazzucchellius in bibliotheca, qui Baffum appellat.

Nona maji habita fuere comitia generalia in monasterio Carcerum, additis Theophilo generali Mauro Stuppano de Mandello, & Benedicto Catti de Volaterris in visitatores.

Sepulcrale elogium in veteri ecclesia sancti Gregorii de Urbe: *D.O.M. Cæsari Polito nobili Senensi amplissimi cardinalis Capisuchi a consiliis Julius nepos patruo benemerenti ex testamento posuit. Vixit annos* XLII. *m.* XI. d. XXI. *obiit* XII. *kalendas aprilis* M.D.LXIII.

ANN. CHR. 1564.

VIII. Variæ cessiones & uniones congregationi Camaldul. factæ.

IN capitulo generali congregationis coadunato in abbatia Carcerum die XXX. aprilis hujus anni, confirmatis abbate generali, & visitatoribus anni præcedentis, præter abbatiam Agnani, decretum est, ut recuperaretur ordini abbatia commendata sancti Salvatoris Berardingorum. Nonis novembris pontificatus anno quinto Pius IV. liberam dimisit abbatiam Agnani ordini Camaldulensi brevi, quod incipit: *Pastoralis officii*. Anno tamen dumtaxat 1568. primus constitutus est vel restitutus abbas regularis Agnani Innocentius Grisellius a patribus capituli ejus anni. Trigesima quoque octobris Laurentius Gianfiliatius renuntiavit eidem congregationi alteram abbatiam sancti Michaelis de Arretio. Parœcia sancti Johannis de Ghetiano tribus milliaribus dissita ab urbe Pisarum oblata fuit a communitate loci, & jussu Magni-ducis Cosmi I. unita abbatiæ sancti Michaelis in Burgo; donationem ratam habuit Georgius Cornelius nuntius apostolicus in dominio Florentino die XV. martii hujus anni, eamque confirmavit nonis septembris anni sequentis Pius IV. Dictæ parœciæ sancti Johannis adjuncta fuit altera sancti Michaelis proxima, sed brevioris jurisdictionis. Ad præsens etiam utriusque ecclesiæ bona & jura spectant ad idem monasterium.

IX. De statu abbatiæ Avellanensis.

IDEM Romanus pontifex XVIII. kalendas januarii pontificatus sui anno V. univit in perpetuum prioratum sancti Donnini de Rocca-contrada diœcesis Senogalliensis monasterio sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, cui jam uniti fuerant prioratus sancti Nicolai de Cornu, & sancti Augustini de Basciano Pennensis diœcesis annis antecedentibus. Quandoquidem vero paucis post annis abbatia Avellanensis congregationi Camaldulensi cessit, eidem in perpetuum adjuncta ab ejus successore Pio V. non injucundum erit postrema Fontis-avellanæ congregationis fata statumque dignoscere, ac monasticam disciplinam ob oculos ponere, ex sequenti epistola scripta a vicario generali abbatis commendatarii Avellanensis.

Venerabilibus, & nobis in Christo dilectis patribus & monachis deputatis in ecclesiis Aprutii nostræ congregationis S. Crucis Fontis-Avellanæ. Aperiantur per Priorem, cum erit in locis sibi commissis coram toto conventu.

Evangelista Brunus monachus professus monasterii S. Crucis Fontis-avellanæ, & reverendi domini Philippi de Rodulphis dicti monasterii perpetui commendatarii in spiritualibus & temporalibus vicarius generalis, & dictæ congregationis sindicus & procurator &c.

Venerabiles & nobis in Christo dilecti salutem. Inter multa, quæ in comitiis nostris generalibus, sive in nostro generali capitulo de mensibus augusti & septembris proxime decursis celebrato, pro communi nostræ congregationis commodo & existimatione tractavimus, illud unum, quod non parvi ponderis est, tractat de familiarum scilicet dispositione, quoad capita & membra

bra dictæ nostræ congregationis , & signanter de beneficio seu prioratu S. Nicolai de Cornu , S. Salvatoris de Fano , S. Augustini de Basciano cum annexis & connexis , Pennensis , Atriensis & Termulanæ respective diœcesum. Vos infrascripti in eisdem locis deputati fuistis. Videlicet Tu Placide in priorem , & cæteri inferius describendi in familiam seu familiares. Quo circa Te domnum Placidum in priorem dictorum locorum cum infrascripta familia electum & deputatum confirmamus, & mandamus, ut divinum cultum curari facias, cui interesse omnes teneantur. Quæ alias pro dictorum locorum reparatione & beneficio, a nobis & visitatoribus, dum ea visitavimus, decreta & ordinata sunt, observari volumus & mandamus. Alienationemque bonorum, pretiosorum mobilium, & immobilium penitus interdicimus. Fructuum, emolumentorum & introitorum dictarum ecclesiarum librum conficies, in quo introitus & exitus omnes , & quoscumque notabis . Expensas moderatas facies; vigilias omnes & præsertim Apostolorum omnes observent , & jejunent; & in quadragesima & quatuor temporibus , & in vigilia nativitatis Domini nostri , & in aliis & quibuscumque vigiliis de præcepto itidem faciant. Stude autem tu Prior loca ista taliter reformare, ut successores tui habeant, quod sequantur, non autem, quod declinent, & reformare cogantur. Comessationes & ebrietates devita; & multam cum sæcularibus non habeas familiaritatem; & quæ corrigenda sunt, corrige; & incorrigibiles & irremediabiles ejice, & omnia bene dispone secundum datam tibi a Deo nostro gratiam; divinum Officium secundum modum & stilum nostræ congregationis dicant omnes; nec officium beatæ Mariæ Virginis , nec mortuorum, nec orationes de sero & cætera suffragia, quæ in dicto monasterio dicuntur, prætermittant, sed eo modo, ordine & stilo, quibus dicitur divinum officium in dicto monasterio, dicantur, ubi tu residebis & familia tua. Pacem cum omnibus habete , & animarum curæ evigilate , ne diabolus rapiat oves vobis commissas, & pretioso Christi sanguine redemptas. Sacramenta eo modo conservate, quo sacri Canones mandant , & cavete , ne sine lumine sacratissimum Christi Corpus teneatur; infirmos visitate, & eos ad sanctam Confessionem & sanctam Eucharistiæ communionem hortate, & alia pietatis & misericordiæ opera facite, quæ veri Christi servi facere non recusant, & stude magis amari quam timeri . Colonos autem male colentes res , & bona dictorum locorum, & ipsos etiam vassallos adverte , ut bene colant , & si se non emendaverint , mutate , & a cultura bonorum prædictorum levate , neque sinatis arbores radicitus explantari, & minus eradicari, seu male diramari; nihilque, si possibile sit, incultum remaneat de terris, & bonis dictarum ecclesiarum , & bene valete , & pro nobis & nostra congregatione Deum orate , & bene cura tu prior res & bona dictarum ecclesiarum , & eam habeas potestatem per triennium, quam habuerunt alii priores. Conferas autem Te cum tua familia ad kalendas martii ad loca supradicta.

Datum Lapidone in ædibus nostris die XIX. *Januarii* M. D. LXIV. *Prior venerabilis domnus Placidus . Cellerarius domnus Baldus. Conventuales domnus Johannes Baptista de Lapidone , domnus Dominicus de Cantignano , domnus Paulus de Pergula, Novitius domnus Benedictus de Callio. Famulus ad libitum.*

Eleemosynas tam corporales, quam spirituales non negligite , sed facite . Evangelista Brunus vicarius.

In necrologio Font-avellanensi ad diem XII. augusti legitur: *Obiit rev. D. Evangelista Brunus de Frontonio prior sancti Quirici de Lapidona præstabilis utriusque juris doctor , atque vicarius generalis in spiritualibus & temporalibus monachus nostræ congregationis* 1567.

Ann. Chr. 1564.

X.

Privilegia eremitarum & monachorum Camaldulensium.

a P. I. lib. III. cap. 28.

Eremitæ Camaldulenses post privilegiorum confirmationem obtentam a Pio IV. voti compotes facti fuerant anno 1560. ut ad solutionem octavæ partis fructuum non tenerentur: Datum Romæ XII. februarii anno primo. „ Verum congregatio, subdit Fortunius [a], cum ad integram „ solutionem a commissariis apostolicis gravaretur, pontificem ea de re „ adivit, qui per gratificationem sacræ eremi congregationis jura deterio„ ra fieri nolens, exemptionem ipsam revocavit anno 1562. Datum VIII. „ idus decembris anno secundo. Instantibus autem eremitis pontifex rur„ sus sacram eremum eadem immunitate clementissime donavit. Datum „ Romæ VII. martii anno III. Ad tollendum vero præjudicium congre„ gationis, Vitellotius cardinalis ordinis incolumitatis & pacis studiosissi„ mus, cameræ apostolicæ quæstor, jubente pontifice, finem fecit litibus „ postremo loco hunc in modum: Declaravit siquidem portionem quartæ „ partis fructuum, quæ ad sacram eremum spectat, ad annuos nummos „ aureos CLXXXI. solidos V. ascendere, a qua summa congregationem in „ perpetuum apostolica auctoritate absolvit: Datum in camera apostolica „ die VI. decembris pontificatus Pii IV. anno V. "

Sepulcralis titulus in ecclesia veteri sancti Gregorii de Urbe: *D.O.M. Portiæ Torsellinæ Romanæ, quæ obiit die* XVIII. *julii* M. D. LXIV. *Vincentius Mancinus Tiburtinus uxori benemeritæ sibi ipsi posterisque; suis posuit.*

Ann. Chr. 1565.

XI.

Reformatio parthenonis S. Theonisti facta a monialibus S. Christinæ Tarvisii.

Reformatum est præsenti anno per moniales sanctæ Christinæ sive sancti Parisii de Tarvisio antiquum & insigne monasterium sancti Theonisti ejusdem urbis ordinis sancti Benedicti coloris nigri. Volens siquidem Georgius Cornelius episcopus Tarvisinus disciplinam monasticam ibidem restituere, adhibito in consilium Romualdo Veronense abbate sancti Michaelis de Muriano vicario Ægidii abbatis generalis Camaldulensis, Elisabetham de Castro-polæ equitis Bernardini filiam, monialem sanctæ Christinæ, quæ proprium monasterium prima & secunda vice laudabiliter rexerat, eduxit ex suis claustris, & additis ei in socias Helena Candido Utinense, Cæcilia Onigo Tarvisina, Lucia a Fratina, & Maria Opitergina transtulit in sancti Theonisti asceterium, in quo albis vestibus detractis, & superinductis atris, sancte vixerunt, puritatem regulæ Benedictinæ inducentes, & celebrius reddentes instauratum monasterium. Porro licet moniales sanctæ Christinæ omnia Benedictini instituti monasteria Tarvisinæ urbis severioribus legibus firmassent, in suo nihilotamen secius inertes non fuerunt; reflorebant siquidem apud cives magna pietatis opinione, itaut post tresdecim annos Antonius Pisanus totius congregationis Camaldulensis summus præfectus in suo itinerario eas appellaverit *sanctissimas feminas, mira sanctimonia, & vitæ austeritate spectabiles, quæ veluti columnæ domum Dei immobiles spirituale ædificium suis humeris exemploque fultum sustinebant.*

XII.

Historica plura monumenta.

Ægidius superius nominatus e familia Stuppana a Valle-tellina, magistratum deponente Theophilo Balneensi, statutus fuit die XXIV. maji in abbatem generalem a patribus congregatis in capitulo Carcerum, in quo cœnobio etiam professionem monasticam emiserat, assumptis in visitatores Mauro Stuppano de Mandello, & Bartholomæo Bertonio Bagnacaballensi; idque ad mentem cardinalis Farnesii protectoris ordinis, qui aut Antonium Pisanum, aut præfatum Ægidium in generalem eligi mandaverat literis suis.

Ob mortem ejusdem Rainutii Farnesii cardinalis protectoris ordinis secutam die XXVIII. octobris, monachi & eremitæ Camaldulenses sibi elegerunt in patronum Alexandrum cardinalem ejus fratrem, qui dum absens fuit

fuit, commisit Carolo de Fano secretario suo, ut indigentiis eorumdem omnibus interpellatus præsto foret.

ANN. CHR. 1565.

Pius IV. diplomate suo univit prioratui Cerreti dioecesis Volaterranæ parœciam sanctæ Mariæ a Cellulis districtus oppidi Sancti-geminiani. Datum apud sanctum Petrum XV. kalendas aprilis anno pontificatus VI. Anno 1568. agitata fuit causa inter monachos Cerreti, & inter episcopum Volaterranum ac canonicos sancti Geminiani, nullam judicantes unionem factam a Pio V. Unito postea monasterio Cerreti alteri sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, parœcia præfata adjudicata fuit mensæ episcopatus Volaterrani. Cum parœcia sanctæ Mariæ a Cellulis adjunctæ fuerant olim aliæ parœciæ, sancti Petri de Sancto-geminiano, sanctæ Margaritæ de Signano, & sancti Blasii a Cellulis. Copulatæ fuere pariter die XII. aprilis eremo Montis-coronæ ecclesiæ sancti Christophori de Rufiella, & sancti Donati de Monte in comitatu Civitatis-castelli vigore privilegii Clementis VII.

Franciscus Medices Magnus Etruriæ princeps decreto ducentorum civitatis consilii confirmavit die XXIII. maji abbatiæ de Agnano in favorem monachorum Camaldulensium immunitatem eidem concessam anno 1349. a rep. Florentina. Post dimissionem factam abbatiæ a Carolo Borromæo cardinale residentia abbatis annui regularis statuta fuit ad ecclesiam sanctæ Mariæ in Gradibus Arretii manualem Agnani, monachorum ibidem idoneo numero constituto, eo quod bellorum incursione abbatia Agnani non parva in ædificiis sustinuisset detrimenta annis antecedentibus.

XIII. Benedicti Varchii obitus.

„ FATO concessit ex apoplexia hoc anno Benedictus Varchius vir doctissimus, & cœnobii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia valde benevolus, qui propter amicitiam Silvani Ractii monachi ejusdem cœnobii, qui secularis ejus discipulus extitit, condito testamento ad Angelos sepeliri voluit, actæque sunt illi exequiæ sollemni pompa; & Leonardus Salviatus juvenis eruditus, ejus itidem discipulus & eques laudationem ad concionem funebrem habuit, de qua Petrus Victorius disertissimus ad Marium Columnam illustrem scribens adjecit, se non parum molestiæ accepisse, quod Laura Ammanata mulier in Etruscis studiis consumatissima femina intra limina propter legem loci admitti in tanta celebritate nequiverit, sed ex cratata fenestra feralibus interesse vix potuerit. Conditus fuerat Varchius ad sacellum Albertorum, unde Silvanus ad sepulcrum in facie claustri Vitalbæ cum notissimo elogio illum transferri mox curavit. " Hæc Fortunius [a] funeri præsens. Elogium est hujusmodi: *D.O.M. Benedicto Varchio poetæ, philosopho atque historico, qui cum annos* LXIII. *summa animi libertate, sine ulla avaritia aut ambitione vixisset obiit non invitus* XVI. *kalendas decembris* M.D.LXVI. *Silvanus Ractius sacræ hujus ædis cœnobita amico optimo P. C.* Constituerat siquidem Varchius exequutores suæ ultimæ voluntatis Laurentium Lentium episcopum Firmanum, & Silvanum. Cum autem episcopus abesset eo tempore ab urbe Florentiæ, solus Silvanus funus Varchii curavit, expensis Francisci Medicei ducis. „ Insectatus vero, sequitur Fortunius, Silvanus ipse semper Varchii magistri vestigia, Etruscam disciplinam nunquam exercere oblitus est, quemadmodum ex variis libris ex Latino sermone in Etruscum translatis videre est, & ex aliis suo marte compositis. " Sed de Silvani operibus omnia collegimus ad annum ipsius emortualem.

[a] P. II. lib. V. cap. 2.

Elogium sepulcrale in veteri ecclesia sancti Gregorii de Urbe: *D.O.M. Nicolao Acciajolio Florentino juris consulto apprime docto, qui cum Florentinam olim rempublicam adjunctis sibi collegiis rexisset, nec non postea Romæ in advocationibus docte ac strenue se gessisset, tandem ad vitæ quietem*

se

Ann. Chr. 1565.

se contulit , & ex hoc seculo migravit anno ætatis suæ LXVI. *obiit anno salutis* M. D. LXV. *tertio nonas augusti. Filii posuere.*

Philippus Rodulphius abbas commendatarius permutavit abbatiam Fontis-avellanæ cum Julio Feltrio S. R. E. cardinale Roboreo filio ducis Urbini Francisci-mariæ, & fratre Guidobaldi ducis.

Ann. Chr. 1566.

XIV. De monasterio S. Vigilii Senarum.

Tempore obsidionis civitatis Senensis monasterium & ecclesia monialium Omnium-sanctorum ejusdem Senensis urbis ordinis sancti Benedicti maximis expensis constructa, decreto publico & ob ejusdem civitatis publicam defensionem, solo æquata fuerant, quique tunc dictæ civitatis regimini præerant, ne abbatissa & moniales per urbem vagarentur, earumdem lacrymis permoti, alio publico decreto monasterium Camaldulense sancti Vigilii assignaverant, quod Fabius tituli sancti Silvestri presbyter cardinalis Mignanellus in commendationem obtinebat. Verum cum hocce monasterium ob angustiam tot moniales excipere nequiret, quarum aliquæ etiam ob incommoda, quæ ibidem sustinuerant, anno 1559. vita functæ fuerant, tertio decreto statuta fuit ipsis monialibus habitatio loci monasterii sanctæ Mariæ-magdalenæ, quod membrum erat abbatiæ sancti Galgani Volaterranæ diœcesis ordinis Cisterciensis, condonante Achille de Sergardis clerico Senense abbate commendatario, & curante Cosmo Mediceo Florentiæ & Senarum duce. Locum proinde sanctæ Mariæ-magdalenæ monialium olim Omnium-sanctorum hoc anno 1565. stylo bullarum, hoc est 1566. XVI. kalendas februarias pontificatus sui anno I. diplomate suo confirmavit Pius V. qui die VII. januarii electus fuerat Romanus pontifex in locum Pii IV. defuncti sub finem anni elapsi, complens literas apostolicas, quas ob mortem conficere nequiverat ejus prædecessor.

VV. Aliquot monasteriorum historia.

Idem Pius V. die VII. martii eremitis Camaldulensibus confirmata voluit omnia privilegia ipsis concessa a prædecessoribus pontificibus. Nonis decembris pontificatus sui itidem anno I. univit parœciam sancti Bartholomæi de Sancta-jucunda diœcesis Lucensis monasterio sancti Benedicti extra Florentiam, adimens eam a commendatario Sangalletto simplici clerico.

Mandatum fuerat in capitulo anni præteriti generali Ægidio negotium unionis seu reunionis beneficii sancti Georgii de Varignano cum prioratu sancti Damiani de Bononia. Paulus siquidem III. anno 1536. primam unionem fecerat. Sed „ ipsis diebus, hoc est anno præsenti, inquit Fortunius [a], facta est aggregatio sancti Georgii de Varignana monasterio „ sanctorum Cosmæ & Damiani de Bononia diplomate dato XV. kalendas „ aprilis anno I. Pii V. & literæ apostolicæ destinantur priori sancti Jo„ hannis-baptistæ de Faventia, qui possessionem accepit. " Anno 1580. declaratum est pro eodem monasterio contra homines de Varignano jus prætendentes patronatus in electione parochi. Capitulum autem hujus anni habitum fuit die quinta maji in abbatia Classensi.

[a] P. I. lib. III. cap. 27.

Sub eodem Ægidio supremo præside Bartholomæus Bertonius Bagnacaballensis Romæ procuratorem generalem ordinis agebat. „ Is animo re„ putans (ait idem Fortunius) qualiter Gregorius Macingius antecessor „ suus, ut dignitati ordini prospiceret, egerat cum Jacobo Augustino a „ Monte-reati Aquilæ, ut sancti Nicolai sacerdotium, quod ad obeliscum „ sancti Marci ab illo obtinebatur, ordini aggregaretur, ne Camaldulen„ ses Romæ sine habitatione propria imposterum esse contingeret, & qua„ liter supplicatio, quam Julius III. pont. max. per viginti-novem tan„ tum annos admiserat, post hæc rursus studio ipsius Bartholomæi in per„ petuum apostolicæ sedis robur obtinuerat anno 1555. postremo sub crea-

„ tione

„ tione Pii V. pont. max. ut bullatum diploma super eo negotio emana-
„ ret, impetravit. Datum apud sanctum Petrum die XIV. februarii Pii V.
„ anno I. (legitur in ipsa bulla XVI. Kalendas februarii) ex quo die con-
„ stituta annua pensione cessionaria, & ea postmodum extincta, pusillus
„ locus egregie instauratus est, basilica innovata, & exiguum cœnobium
„ magnis sumptibus a fundamentis inchoatum." Extat Pii V. bulla libro Bullarum VIII. pagina 1577. ejusdem Pii V. Romani pontificis in camera apostolica. Parœcia, quæ unita erat ecclesiæ sancti Nicolai, concessa fuit alteri ecclesiæ sancti Marcelli patrum ordinis Servorum, quibus quolibet anno solvitur pensio pro onere illis imposito. Ecclesia sancti Nicolai alio titulo gaudebat sancti Antonini sive sancti Antonii abbatis, ad quam etiam die festivo hujus Sancti ducebantur equi benedicendi, quare congregatio litem super hujusmodi benedictione habuit cum canonicis regularibus sancti Antonii de sancto Antonio Viennensi apud sanctam Mariam Majorem, qui eo privilegio potiebantur.

ANN. CHR. 1566.

Prioratus sancti Marci Volaterrarum redactus ad asceterium sanctimonialium, quæ ibidem deductæ fuerant anno 1547. ex sancto Dalmatio, renuntiatus fuit sponte a Laurentio abbate sanctorum Justi & Clementis ejusdem urbis, cui eatenus subjectus fuerat, communitati Volaterrarum, cum annuo tamen censu libræ unius thuris, & cum obligatione facta monialibus, & sindicis communitatis, ut quotiescumque contingeret novam abbatissam creari, notificaretur electio & nomen electæ abbati sanctorum Justi & Clementis. Hinc moniales sancti Marci, olim sancti Dalmatii, redierunt denuo ad obedientiam episcopi diœcesani.

Cum lis circa præcedentiam orta fuisset inter monachos sancti Viti vel sanctæ Luciæ ordinis Camaldulensis, & inter patres sanctæ Crucis ordinis Cruciferorum urbis Vicetiæ, Matthæus Priolus episcopus Vicetinus sententiam tulit, quoad funera debere præcedere patres sanctæ Crucis, quoad ceteras vero functiones vel publicas supplicationes monachos sancti Viti.

Sub Theophilo Biozzio Balneensi priore sancti Mathiæ de Muriano, qui fuerat usque ad præteritum annum abbas generalis, perfecta fuit, sive instaurata ecclesia nova ejusdem monasterii, quam sacram fecit Johannes Delphinus episcopus Torcellanus ex sequenti inscriptione, quæ visitur in pariete super aram dicatam beato Danieli: *Reverendissimus in Christo pater & dominus dominus Johannes Delphinus episcopus Torcellanus ecclesiam hanc in honorem beati Mathiæ apostoli, reverendo domno Theophilo de Biozziis de Balneo hujus monasterii priore consecravit, & in hujus dedicationis anniversario eam visitantibus* XL. *dies de vera indulgentia perpetuo concessit* M. D. LXVI. *die* XX. *junii.*

ANN. CHR. 1567. XVI. Pii V. bullæ pro Camaldulensibus.

PIUS V. Rom. pont. XXII. aprilis hujus anni congregationi Camaldulensi concessit parœcialem prioratum sancti Zenonis urbis Cæsenæ, cum ea tamen conditione, ut quantocius prope ipsum erigeretur domicilium pro habitatione monachorum; cedebat enim parœciam Antonius-maria Clanarus. Septimo kalendas septembris pontificatus sui anno secundo bulla incipiente: *Ex supernæ dispositionis arbitrio*, extendit ad congregationes monachorum ordinis sancti Benedicti omnia privilegia Mendicantium fratrum, & bullam quæ incipit: *Etsi Mendicantium ordines*; novaque impartitur, eos præsertim ab immoderata episcoporum subjectione eximens; quam universalem summi pontificis concessionem Ptolomæus Gallius S.R.E. cardinalis Novocomensis appellatus, & ordinis Camaldulensis protector ad instantiam Bartholomæi Bertonii procuratoris generalis congregationis scri-

pto

Ann. Chr. 1567.

pto suo die XVIII. novembris, notum facit militare etiam ad favorem monachorum Camaldulensium, novo indulto ex voluntate sanctissimi pontificis bullam ad eos extendens. Animadvertimus hic loci privilegia omnia uni congregationi concessa, vigore onerum cameralium, intelligi jam communicata ceteris undecim congregationibus, de quibus profecto privilegiis mentionem non facimus in his Annalibus, ne in immensum excurrant.

Versus anni finem Romam se contulit Ægidius generalis cum Antonio Pisano, & cum Stephano Brixiense visitatore (aberat alter visitator Innocentius Florentinus) osculatisque pedibus sanctissimo domino, ab eodem cardinale protectore varia recepit capitula, Ptolomæjana ex ejus nomine appellata, ad monasticam Camaldulensem observantiam curandam, augendamque ex mente vigilantissimi pastoris, eaque capitula occasionem dederunt novis efformandis Camaldulensibus constitutionibus, de quibus in annis sequentibus. Sub hoc primum anno apparet nomen Ptolomæi Gallii Novocomensis S. R. E. cardinalis, & insignis benefactoris & patroni ordinis Camaldulensis, qui protectionem suscepit post cardinalium Farnesiorum, Rainutii mortem, breveque tempus Alexandri, jussu sanctissimi pontificis Pii V.

Eremus sancti Silvestri in Monte-soracte primum oblata Paulo Justiniano, & post paucos annos derelicta, denuo hoc anno exhibita fuit congregationi eremitarum Montis-coronæ, instantibus religiosis viris, qui eam incolebant, sed deductio Coronensium eremitarum effectum non habuit, licet acceptata fuisset in capitulo generali eorumdem eremitarum.

Eremitis autem Camaldulensibus Etruriæ abbatiam sanctæ Mariæ de Deciano resignavit Hieronymus Francisci Bellarminius Mons-politianensis ipsius abbas commendatarius. Ad eamdem Etruriæ eremum visendam se contulit hoc anno cardinalis Johannes-franciscus Commendonus.

Legitur sub hoc anno obitus Romualdi a Balneo, olim abbatis sancti Michaelis de Muriano, pluriesque visitatoris ordinis.

Tabula sepulcralis in veteri pavimento ecclesiæ sancti Gregorii de Urbe: *D.O.M. Faustinæ Gutierez castitatis eximiæ, observantiæ in virum, caritatis in liberos, pietatis in Deum prope singularis. Vixit an.* XXVII. *m.* IIII. *d.* XXVII. *obiit die natalis Jesu* M.D.LXVII. *Jacobus Martinez de la Pugna conjugi carissimæ non sine lacrymis posuit, sibi posterisque suis.*

Ann. Chr. 1568. XVII. Visitatio apostolica congregationis Camald.

„ AD reformationem ordinum regularium, inquit Fortunius [a], se convertens sanctissimus Pius V. apostolicos quoque visitatores Camaldulensibus dedit, Archangelum Soncinatem, & Heliseum de Capis Venetum collegam ordinis Prædicatorum; quapropter celebratio capituli in mensem octobrem rejecta Ravennæ habita est. Ibi autem Ægidius Stuppanus generalatum deponens, locum fecit Johanni-baptistæ Barbæ Novariensi eremitæ hoc anno. " Extant Elisei Capis constitutiones sub die tertia maji hujus anni, quorum capita præcipua sunt frequentia Sacramentorum pœnitentiæ & communionis his periculosis temporibus, celebratio haud interrupta Missarum, & lanearum vestium pro lineis usus, nec majora in visitatione aut carpuntur, aut præcipiuntur. Extat in tabulario sancti Mathiæ commissio apostolica Pii V. sub die III. maji hujus anni pontificatus III. quare Elisei visitatio perfecta fuit post eam diem. Quoad Johannem-baptistam Barbam hæc memoriæ prodidit Andreas Mugnotius Hispanus in descriptione eremi Camaldulensis post biennium ad eumdem Pium V. „ Sed quid dicam de Johanne-baptista Novariensi, patre nimirum religione & pietate insigni? Qui cum olim in hoc procelloso se-

„ culo

„ culo diu artem militarem maxima certe cum laude apud primates quam-
„ plurimos exercuisset, ut verus Christi miles fieret, ad sacratissimam ere-
„ mum Camaldulensem celeriter confugiit, inibique vitam solitariam
„ admirabili quadam perseverantia per multos annos egit. Cujus eximiis
„ meritis, sanctitate ac singulari prudentia religiosi omnes collegii Ca-
„ maldulensis commoti in ejusdem ordinis generalem & principem, com-
„ muni omnium accedente consensu, ac magno etiam applausu suffectus
„ est. Cujus quidem ordinis vitæque gerendæ rationis norma novis quo-
„ tidie ac perutilibus institutis ampliat, excolit atque perlustrat. " Sta-
tim a sui electione in Urbem se contulit piissimus eremita, sistensque se
ad pedes pontificis audire meruit ex ejus ore: „ Nunc pro comperto ha-
„ bemus monachos vestræ congregationis habere voluntatem semetipsos re-
„ formandi, atque vitam optimam traducendi, posteaquam vocaverunt pa-
„ ternitatem vestram in suum pastorem & generalem, " & post multa
alia verba, ipsi vivæ vocis oraculo commisit revocationem omnium mona-
chorum conventualium ad claustra, & redditus ac proventus illorum bene-
ficiorum jussit uniri atque omnino adnecti cœnobiis, ubi vigor observan-
tiæ maxime floreret; dedit insuper facultatem absolvendi ab officio omnes
prælatos negligentes in rebus disciplinæ monasticæ, vel permittentes eam
parvifieri a subjectis sibi monachis. Deinde dixit: „ Crastina die huc so-
„ lus accede summo mane; & nos ita perfecimus, (verba sunt ejusdem
„ Johannis-baptistæ in itinerario) & cum ad sacrum palatium perveni-
„ mus, jam elapsa erat hora duodecima illius diei, & ipse summus pon-
„ tifex interer at divinæ Missæ, qua peracta & expleta rediens ipse ad pro-
„ prium cubiculum, pios oculos in nos convertit, nosque ad se vocari
„ jussit, & cum primum pedem posuimus intra suæ habitationis limina,
„ congrua humilitate atque summa devotione suimet pedes osculati fui-
„ mus, & ipse nobis resignavit, traditque in manus nostras visitationes
„ apostolicas a suis commissariis factas per omnia loca nostræ congregatio-
„ nis, & tradidit nobis etiam omnem facultatem atque justam delibera-
„ tionem super hujusmodi visitationibus, dicens: Volumus cardinales ex-
„ pertes evadere rerum vestrarum; pro quibus omnibus nomine totius
„ nostræ congregationis immortales gratias illi peregimus, & præsertim pro
„ pio ac diligenti studio suo erga congregationem nostram. Deinde sui-
„ met animum scire curavimus diligenter de evocatione ad claustra illo-
„ rum monachorum, qui præsto sunt in custodiendo bona communia; ipse
„ respondit, velle omnino omnes revocari, & quod satis erat de illis cu-
„ ram imponere diligentissimis cellerariis pro conservatione bonorum, quos
„ quidem cellerarios, inquit posse per octo aut decem dies, quoties opus
„ fuerit, habitare loca ipsa, cum licentia tamen suorum superiorum, dum-
„ modo in illis non sit eorum residentia. Denique discessimus a sancti-
„ tate sua affecti omni spirituali gaudio, considerantes summam atque sin-
„ gularem bonitatem tam probi pontificis, qui piissime omnia peregerat,
„ evigilans pro honore & bono nomine proximi. Visitavimus postea re-
„ verendissimum cardinalem Sirletum, qui quidem omni caritate refertus
„ suscepit nos ingenti amore; visitavimus insuper reverendissimum cardi-
„ nalem Montis-politiani, qui etiam alacri vultu nos suscepit, seseque
„ omnino rebus nostris pertractandis, ut optime conficerentur, quoties
„ opus fuerit, libenter obtulit. Denique visitavimus reverendissimum car-
„ dinalem Urbinatem benefactorem nostrum, cum quo peregimus, quæ
„ fiebant ad obtinendam ab ipso abbatiam sanctæ Crucis Fontis-avellanæ,
„ & inter multa animadversione digna una cum reverendo domno Petro

Ann. Chr. 1568.

Ann. Chr. 1568.

„ de Balneocaballo in manus tam probi ac sapientis viri tradidimus omnem deliberationem faciendam ac statuendam, qui sponte nobis promisit tantam bonorum copiam præfatæ abbatiæ, quanta fiebat ad summam scutorum auri mille absque ullo gravamine; dixit insuper velle omnia membra dictæ abbatiæ vacantia per decessum vel per cessum statim ad mensam monachorum inibi vitam viventium cum supradictis scutis libere adnecti; & nos stetimus hujusmodi conditionibus cum conditione tamen, quod summus pontifex omnia probaret, cui reverendissimus præfatus cardinalis de omnibus verba fecit, ex quo retulit hujusmodi responsum: In primis volumus, quod generalis Camaldulensis visitet abbatiam sanctæ Crucis Avellanæ, deinde visa visitatione, & certiores facti, quod Camaldulenses monachi sint & ipsi reformati, & bene beateque vitam traducant, tunc nostrum erit de medio sumere, quod faciendum existimabimus: Quæ verba ex pio ore pontificis nobis reddidit dictus reverendissimus cardinalis, & nobis assumptum contribuit alloquendi denuo cum summo pontifice. Qui quidem nobis fere eadem verba loquutus fuit, & nobis expresse imperavit, ut visitaremus supradictam abbatiam Avellanæ, & visitationes traderemus cardinali præfato, ut & ipse eas daret in manus suæ beatitudinis, & ita libere & expedite postulavimus benedictionem suæ sanctitatis, & deinceps dedimus facultatem reverendo domno Bartholomæo de Balneocaballo procuratori generali in Urbe sumendi ad censum, videlicet octo per centum, scutos quingentos in Urbe, unam e pensionibus abbatiæ nostræ sanctæ Mariæ de Agnano extinguendi gratia, & non solum pro tunc ei dedimus præfatam facultatem, verum etiam ita prosequendi usque ad integram liberationem dictæ abbatiæ a pensionibus. Fuimus Romæ per dies quindecim &c. Commissio apostolica facta Johanni-baptistæ generali Camaldulensi visitandi Avellanense monasterium emanavit die XXII. decembris pontificatus Pii V. anno III.

Electus quoque fuit hoc anno in Majorem eremi Camaldulensis Samuel de Valeriis Foro-liviensis, gravis ætate, quippe qui minister fuerat beati Michaelis de Pinis Florentini, institutoris Coronæ dominicæ. Hunc idem Johannes-baptista generalis in suo Itinerario appellat *pulcherrimum florem, & eremitarum margaritam*; Mugnotius autem [a] *magnum eremi Camaldulensis luminare*. Sub ipso Samuele hoc anno venerunt ad eremum duo celebres Hispani Ambrosius ex vetustissima & nobilissima familia Moncada & Cardona, & Peregrinus olim Guillielmus Michaelis Palaù Barcinonensis, quorum ille duodecim annos perstitit, assumptus postea ad episcopatum Urgellensem, hic semper permansit in semel arrepto instituto, & quadraginta annorum spatio reclusionem sustinuit.

a Pag. 22.

Ann. Chr. 1569.

XVIII. Visitatio monasterii Avellanensis.

DEMANDATAM provinciam visitandi monasterium Fontis-avellanæ, nulla interposita mora, implorata quoque Guidobaldi ducis Urbinatis auctoritate, exequutus est Johannes-baptista Barba generalis Camaldulensis; nam abscedens ex Urbe, cum esset in oppido Fabriani die XXIX. decembris anni præcedentis, venerunt ad ipsum bini monachi sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, secumque detulerunt literas apostolicas. Discessit cum ipsis, & tum a monachis ibi degentibus, tum a domino Ludovico commissario cardinalis Julii abbatis commendatarii exceptus, visitationem prosequutus est, & complevit, eamque in scriptis transmisit ad eumdem cardinalem, ut ipse eam exhiberet summo pontifici. Triginta numero monachi partim presbyteri & clerici, partim conversi in cœnobio morabantur

tur

tur. Invenit abbatiam recte in solitudine positam, & observantiam undique proclamantem, & quia referebat venerandam vetustatem & singularem sanctitatem, tum propter structuram lapidum, tum etiam propter sanctarum reliquiarum copiam, fuit ibi per quatuor dies, ut in suo itinerario conscripsit. Conspectis visitationis actibus Romanus pontifex Pius, suffragante cardinale Feltrio, Petro Bagnaca-ballensi visitatori Camaldulensi intimoque cardinalis familiari, congregationique monachorum Camaldulensium regendum tradidit Avellanense monasterium, extinctis congregatione & nomine monachorum Avellanitarum. Datum apud sanctum Petrum quarto idus decembris pontificatus anno quarto. Ante aliquot tamen dies, prima scilicet decembris, iterum commisit eidem Johanni-baptistæ generali Romanus pontifex, ut quantocius se ad dictum monasterium conferret, & ne hujusmodi extinctio, & translatio ad ordinem Camaldulensem aliquo modo turbaretur, vasa, vestimenta, omniaque bona præfati cœnobii reciperet, & in inventarium redigeret, ope ejusdem Urbinatis ducis, atque ad se transmitteret. Ex his corrigendus est Ciacconius, qui suppressionem congregationis Avellaniticæ tribuit Gregorio XIII. & traditionem ejus abbatiæ factam a cardinale Feltrio congregationi Camaldulensi assignat ad annum 1575. Subjungimus ipsam Pii V. bullam extinctionis, & introductionis, eo quia in ipsa sanctissimus pontifex historiam ultimaque facta hujus monasterii ob oculos ponit.

XIX. Unio Avellanensis congregationi Camaldulensi.

PIUS *episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Quantum animus noster gaudio profunditur de religionibus bene institutis, tantum innixus hæret illi dolor de prævaricatione nonnullarum, quæ summo studio & labore ad præsidium fidei catholicæ seductæ mala dæmonis arte postea defecerunt. Quo in numero monachos monasterii & congregationis sanctæ Crucis Fontis-avellanæ ordinis sancti Benedicti Eugubinæ diœcesis jampridem conspicamur, non sine mærore expendentes, quanto in periculo ii versentur, quam longissime aberrent a monastica illa disciplina, in qua ex eremo a venerabilis memoriæ Petro Damiano tanta olim pietate instituta de felicis recordationis Johannis papæ XX. ad fundendas uberiores fruges de fratrum suorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine commutavit. Ut vero illos vagos & dissolutos in viam quoquo pacto reduceremus, primum eorum animos per dilectum filium nostrum Julium tituli sancti Petri ad Vincula presbyterum cardinalem Urbini prædicti monasterii commendatarium, qui illorum correctionem vehementer expetebat, explorandos curavimus. Nunc tandem resipiscentes, cum ex mundi involucris in ovile pro intuitu convenire, & qua decet vita, in claustro agere, ac propter inordinatos ipsorum ritus proborum religiosorum moderationi subesse proponerent, sed ad excusandas excusationes in peccatis quidam sese regulam cum ea, quam nunc habent, libertate ingressos esse, alii alia inania causantes, jugum religionis & clausuram aperte detrectarunt. Cum impensius instaremus, rursus a prædicto Julio cardinale adstricti, capitulum generale apud dictum monasterium indixerunt, ex cujus consessu cum omnia bona sperabamus, tum procuratores illorum ad nos missi eos futuræ reformationi prorsus obtemperaturos esse coram annuebant; interim vero alia atque alia clam pertractantes diem ex die ducere conabantur, ut forte inter multas sollicitudines hoc negotium oblivioni daremus. Sed postquam optata perficere decrevimus, ac proinde quid ferrent in mandatis procuratores prædicti cognoscere intendimus, ipsi ita demum se voluntati nostræ adstipulaturos renuntiarunt, si earum rerum, quas suas esse prætendunt, usum atque dominium retinerent, & in reliquum tempus vitæ libertate anteacta fruerentur. Hinc dijudicari licet, quo quisque inge-*

Ann. Chr. 1569.

nio reductionem ferant. Hinc videri, qua temeritate, qua audacia nobis illudere velint. Hinc pernosci, quam periculosum sit hoc nostrum institutum longius remorari. Postquam igitur illos tamdiu expectatos alieno animo esse, neque in communem salutem, uti æquum fuit, per se consulere intelligimus, non procrastinandum ulterius arbitramur, quia quod hac in re ad officium nostrum pertinet, atque in animo instituimus, sedulo prosequatur. Itaque de similis potestatis plenitudine revocamus & abolemus omnes & quascumque tam apostolicas, quam ordinarias collationes, provisiones, commendas perpetuas & temporales, ac alias dispositiones de prioratibus, dignitatibus, administrationibus & officiis, etiam conventualibus & claustralibus monasterii & congregationis prædictorum, & ab illis dependentibus, necnon omnibus & singulis aliis beneficiis cum cura & sine cura, secularibus, ac quorumvis ordinum regularibus, etiam de jure patronatus laicorum tantum etiam nobilium existentibus, ac etiam reservationes fructuum & aliarum rerum ecclesiasticarum, necnon assignationes pensionum super similibus fructibus & rebus prædictis monachis sive in perpetuum, sive ad certum & qualecumque tempus, vel etiam ad nutum factas, necnon omnes regressus, accessus & ingressus, ac regrediendi, accedendi & ingrediendi facultates & indulta, coadjutorum quoque deputationes ad illos, illas vel illa ex quacumque causa quantumvis onerosa & considerabili eisdem per quoscumque Romanos pontifices prædecessores nostros, ac nos, & sedem apostolicam ejusque legatos, necnon superiores etiam motu proprio & ex certa scientia, deque simili potestatis plenitudine ac alias quomodocumque concessa, restituta & confirmata, ac beneficiorum ipsorum fundatione inter alia disponentes, quod nullus nisi ordinem prædictum expresse professus ad dicta beneficia etiam de jure-patronatus existentia assumi possit, quorum omnium tenores, æque atque ad verbum insererentur, præsentibus haberi volumus pro expressis. Cassamus quoque & annullamus apostolicas & quascumque alias literas desuper confectas, necnon processus inde habitos & quæcumque secuta sunt, etiam ex eisdem, quin etiam omnes & singulos monachos prædictos, etiam longissimo & quantocumque tempore possessores, eisdem omnibus præsentium auctoritate privamus, privatosque esse, ac prioratus, dignitates, administrationes, officia & beneficia prædicta vacare decernimus ac declaramus, ipsosque ab illorum possessione amovemus, ac omnium & singulorum dispositionem nobis & dictæ sedi specialiter & expresse reservamus. Insuper causis prædictis adducti, & propterea cogitantes monachos prædictos numero adeo exiguo, atque omnino ipsam congregationem angustis adeo finibus circumscriptam, ut illa per se etiam reformata & correcta paucos admodum fructus producere possit, proinde conducibilius fore existimamus, si alteri meliori disciplinæ institutæ commodis rationibus adscribatur. Quare de simili potestatis plenitudine extinguimus & abolemus in prædicto monasterio, & illius dignitate abbatiali, ac etiam in omnibus prioratibus, membris & locis dictæ congregationis & ab ea communiter possessis, pariterque in omnibus beneficiis cum cura & sine cura regularibus ad dispositionem abbatis ipsius monasterii pertinentibus, ordinem, statutum, nomen & essentiam regularem sancti Benedicti & congregationis Fontis-avellanæ. Ipsum vero conventum cum ecclesia & claustro ad conventum necessario, ac prioratibus, membris & locis, necnon proprietatibus, jurisdictionibus & juribus omnibus ab ipsa congregatione extincta communiter possessis (prædicta dignitate abbatiali, illiusque mensa, necnon capella subtus altare majus dictæ ecclesiæ, ac parte ædium dicti monasterii, quæ ab intimo septo conventus dividi, & ad usum abbatis accommodari poterunt, ac etiam omnibus bonis, beneficiis, juribus ac jurisdictionibus ejusdem

dem dignitatis penitus separatis & exceptis) ordini & congregationi monachorum Camaldulensium perpetuo unimus , annectimus & incorporamus , illosque & illa, necnon predictos monachos congregationis extinctæ, qui transire voluerint, cum eis conjungimus. Itaut posthac una & eadem utrorumque congregatio & sodalitas, videlicet monachorum Camaldulensium fiat, monachorumque Foneis-avellanæ, necnon prioratus, membra & loca, itemque monachi omnes extinctæ congregationis ad regulam , habitus , ritus & mores monachorum Camaldulensium omnino reformari, illique horum institutis prorsus conformari debeant . Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ priori generali congregationis Camaldulensis, ut salvis eapella , ædium parte a dicto Julio cardinale statuenda, omnibusque proprietatibus, bonis, rebus, juribus, jurisdictionibus spiritualibus & temporalibus dictæ dignitatis abbatialis & illius abbatis, ut prædictum est, separatis , corporalem possessionem conventus monasterii, prioratuum, membrorum, locorum & jurium omnium communiter possessorum, per se vel alium seu alios, omni mora & dilatione præcisa libere capiat, & apprehendat , captamque & apprehensam sine spoliis & attentatorum vitio perpetuo retineat, monasterium & loca ad conventum idonea de monachis suæ congregationis juxta illius morem instituat . Alios vero supradictæ congregationis extinctæ ordinem ipsum Camaldulensem ingredi volentes per alios conventus suos una cum aliis monachis Camaldulensibus distribuat. Contradictores &c. Ut vero justus monachorum & ministrorum numerus apud dictum monasterium commodius haberi possit, partem proprietatum & possessionum propinquarum se commodiorum mensæ abbatialis prædictæ usque ad valorem annuum mille scutorum monetæ de juliis decem pro quolibet scuto computatis ab ipsa mensa de consensu dicti Julii cardinalis dividimus & separamus , eamque mensæ conventuali ipsius monasterii pro victu monachorum, fabrica & aliis oneribus perpetuo applicamus & appropriamus. Ad hoc eisdem conventui, monachis & personis etiam in prædictis membris & locis constituendis , ut omnibus & singulis privilegiis & exemptionibus immunitatibus, gratiis & indultis, etiam ratione possessionum & bonorum ordini & congregationi Camaldulensi quomodolibet concessis & concedendis pariformiter & æque principaliter uti , potiri & gaudere libere & licite valeant, perpetuo concedimus. Ceterum, ne præsentium effectus extinctæ congregationis monachorum pertinacia protrahatur , volumus, ut infra mensem a publicatione præsentium in dicto conventu facienda numerandum, illi omnes vel congregationem monachorum Camaldulensium ingrediantur, vel ad aliquam ex aliis religionibus approbatis transeant, & ibi ordinem juxta cujusque regulæ instituta omnino profiteantur , sin minus lapso mense in eos tamquam desertores , ut ceteris etiam exemplo sint , animadvertendum curabimus, prout rei gravitas videbitur postulare . Nos enim sic ingressos vel translatos & professos, ac voluntati nostræ obsecutos anteactæ vitæ pænitentes a reatu apostasiæ & criminibus omnibus , necnon excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque sententiis, censuris & pœnis ecclesiasticis, quas ipsi extra claustra suorum locorum, & in seculo vagando juxta canonicas sanctiones & ordinis sancti Benedicti instituta incurrerunt, etiam habitu regulari sæpius dimisso vel mutato, aut operto , aut seculari assumpto , in utroque foro absolvimus, cum eo tamen quod quisque pœnitentiam, quam confessor idoneus a se eligendus pro commissis injunget, adimplere omnino teneatur, ac cum eis super irregularitate , quam contraxerunt propterea, ac quia censuris & pœnis hujusmodi sic ligati Missam et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt, et alias sese immiscuerunt sæpius in divinis , utque in susceptis omnibus ordinibus etiam

etiam

Ann. Chr. 1569.

etiam in altaris ministerio ministrare, & ad dignitates, officia & administrationes promoveri, illaque recipere & exercere libere & licite valeant, dispensamus. Abolentes omnem inhabilitatis & infamiæ maculam, sive notam contra ipsos quomodocumque insurgentem ex prædictis. Jubemus igitur monachis & personis monasterii & extinctæ congregationis in universum & singulatim prædictis omnibus, non expectata alia jussione, mentisve nostræ declaratione parere, neminemque prorsus etiam ex iis, quorum collationes, provisiones & commendæ beneficiorum, & aliæ concessiones fructuum, pensionum & rerum, necnon regressuum, accessuum & coadjutoriarum, & aliæ gratiæ hic revocatæ sunt, quocumque tempore, quavis causa, restitutione in integrum, reductione ad terminos juris, aut quodvis aliud gratiæ vel justitiæ remedium impetrare vel etiam ab alio vel aliis impetrato, aut etiam motu simili concesso uti posse. Postremo dignitatem prædictam abbatialem, ut supra, separatam & exemptam, necnon ecclesiam, capellas & beneficia omnia regularia ad liberam dispositionem abbatis dicti monasterii pertinentia ad statum secularem perpetuo reducimus, itaut deinceps abbas dicti monasterii nihil omnino cum monachis, conventu, ordine & congregatione commune habeat. Neque rursus ipsi in eum, dictamque abbatiam ejusque mensam, proprietates, bona, beneficia, jurisdictiones & jura quicquam prætendere possint; ac eidem abbatiæ capellam pro ecclesia, & partem ædium prædictarum pro habitatione perpetuo assignamus. Statuimusque, ut ipsa dignitas abbatia nuncupanda, quotiescumque vacabit, clerico seculari tamquam beneficium seculare, curam animarum non habens, & cum quibuscumque aliis etiam curatis compatibile, a congregatione prædicta prorsus alienum, per Romanum pontificem dumtaxat conferri & assignari debeat, eidemque sedi prædictæ, ut olim monasterium erat, prorsus subjectum remaneat, & beneficia omnia cum cura & sine cura ad secularitatem reducta, & ad dispositionem dicti abbatis pertinentia, etiam de jure patronatus, ut præfertur, existentia, deinceps clericis secularibus dumtaxat assignari, & in eis, qui de jure patronatus sunt, personæ seculares ad præsentationem patronorum dictorum institui per ipsum abbatem debeant. Decernentes supradicta omnia & singula perpetuo inviolata atque immutabilia fore &c. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo-nono IV. *idus decembris pontificatus nostri anno quarto.*

Cæs. Glorierius.

XX. Conduntur novæ constitutiones Camaldulenses.

Idem vigilantissimus pontifex Pius V. animadvertens veteres Camaldulenses constitutiones partim desuetudine, partim impossibilitate suum amplius vigorem non obtinere, dederat in mandatis ante biennium Ægidio Stuppano generali abbati prædecessori Johannis-baptistæ Barbæ, ut novas constitutiones efformaret ab omnibus monachis Camaldulensibus deinceps observandas. „ In Classensi itaque capitulo Ravennæ superiori anno celebra„ to, & præsidente eodem Ægidio totum hocce negotium commissum fuit „ Stephano de Prevostis Brixiensi, Antonio Cursio Pisano, Mauro Stup„ pano de Mandello, & Petro Bagnolo de Bagnacaballo, ut mutuis col„ loquiis, solerti diligentia, matura consideratione in hanc unam curam „ invigilarent, quo & constitutiones veteres restaurarentur, & quæ antea [a] „ sparsim diffusæ magna illarum observationis jactura vix cognoscebantur, „ in aliquod tandem opusculum brevi methodo redigerentur, & ipsi re„ gulæ sancti Benedicti suis quæque locis adscriberentur, & ita congrega„ tionis malo occurreretur, & beatissimi patris voluntati fieret satis. “

Qui

Qui quidem prælati patribus capituli itidem Claſſenſis hujus anni propoſuerunt conſtitutiones a ſe efformatas, ut eorum approbatione firmarentur, ſicut legitur in præfatione ad eaſdem conſtitutiones: Ad calcem autem libri earumdem conſtitutionum habetur, quod approbatæ & confirmatæ fuerunt tum a definitoribus, & prælatis capituli anni 1569. tum ab aliis definitoribus capituli anni ſequentis. Eas in Latinum ſermonem digeſſit Silvanus Ractius monachus ſanctæ Mariæ-angelorum de Florentia; vidit autem & probavit ex mandato Pii V. frater Vincentius Herculanius ordinis Prædicatorum. Demum ſupremam ipſis impoſuere manum tum illuſtriſſimus cardinalis Claravallenſis frater Hieronymus Socherus ordinis Ciſtercienſis, tum ipſe ſummus pontifex Pius V. cui nuncupatoria epiſtola dicavit Johannes-baptiſta generalis; quare una omnium voce parique conſenſu acceptatæ fuere ab univerſa congregatione anno 1571. Extant ipſæ conſtitutiones autographæ manu ejuſdem Silvani Ractii cum ſigillis & ſubſcriptionibus definitorum patrum, in monaſterio Florentino ſanctæ Mariæ-angelorum, ut proinde immerito earum compoſitio tribuatur obſervantibus patribus ordinis ſancti Dominici congregationis ſanctæ Sabinæ.

Poteſtatem inſuper fecerat idem pontifex Pius præfato Johanni-baptiſtæ generali eligendi ex arbitrio voluntatis ſuæ definitores, qui ſederent in capitulo hujus anni 1569. quibus, pariterque eorum ſucceſſoribus in perpetuum demandata eſt omnis facultas in rebus ordinis. Præceperat etiam cardinali Gallio ordinis protectori, nec non archiepiſcopis Florentino & Ravennati, ne permitterent, ut ullo modo generalis & definitores in ſuis exequutionibus a quopiam impedirentur: Datum apud ſanctum Petrum ſub anulo piſcatoris die XXVI. martii pontificatus anno IV.

XXI. Extinctio monachorum conventualium.

DEMUM vigeſima-ſexta maji extinxerat id genus monachorum Camaldulenſium, qui appellabantur Conventuales, adjudicatis eorum ſacerdotiis congregationi, & abrogatis omnibus privilegiis, quæ ad eam diem impetraverant; in iis nominantur abbatia ſanctæ Agathæ Montis-herculis, alia ſanctæ Mariæ in Trivio Sarſinatis diœceſis, alia ſancti Angeli de Maſſaccio, prioratus ſancti Salvatoris de Podio-cupo Æſinæ, ſanctæ Agnetis Peruſinæ, ſancti Mauri de Solarolo Imolenſis, ſancti Damiani Bononienſis, ſancti Angeli de Duduva Arretinæ diœceſis eatenus collata conventualibus & ab ipſis habitata, „ quorum redditus, ſubdit pontifex, in proprium „ vel in parentum utilitatem convertunt, “ & voluit, ut ea ſola monaſteria in congregatione Camaldulenſi perdurarent, in quibus duodecim monachi commode ſuſtentari valerent; ea vero, quibus animarum cura imminebat, imperavit, ut committerentur presbyteris ſecularibus amovibilibus per approbationem vel reprobationem ordinariorum.

Die decima julii Antonius Altoviti archiepiſcopus Florentinus conſecratione inſignivit eccleſiam ſanctæ Agathæ de Florentia. Ad ipſam eccleſiam ſeculo ſequenti anno M. DC. XL. ex cœmeterio Calixti delatum eſt corpus ſancti Theodori juſſu Urbani VIII. inſtante Maria-angelica Magalotti ejuſdem aſceterii moniale, & ſorore Conſtantiæ Magalotti cognatæ ejuſdem Urbani.

In vita ſervi Dei Julii Mancinellii Maceratenſis miſſionarii ex S. J. [a] legitur „ ipſum hoc anno cum degeret in ſacra eremo Camaldulenſi Etru„ riæ viſionem habuiſſe de Deo & de curia cœleſti, ac Deum ipſum vi„ diſſe in loco ſilentii & quietis tamquam in loco ſanctitatis. “ Obiit Mancinellus anno 1618. octuageſimo-primo ætatis ſuæ anno, viſionem autem hanc habuit trigeſimo-ſecundo vitæ ſuæ anno, & conſequenter præſenti.

a *Pag.* 467.

Inſcriptio ſepulcralis in clauſtro ſancti Gregorii de Urbe: *D.O.M. Roberto*

Ann. Chr. 1569.

berto Pechamo Anglo equiti aurato, Philippo & Mariæ Angliæ & Hispaniæ regibus olim a consiliis, genere, religione & virtute præclaro, qui cum patriam suam a fide catholica deficientem adspicere sine summo dolore non posset, relictis omnibus, quæ in hac vita carissima esse solent, in voluntarium profectus est exilium, post sex annos pauperibus Christi hæredibus testamento institutis sanctissime e vita migravit idibus septembris anno M. D. LXIX. *ætatis suæ* LIV. *Thomas Goldovellus episcopus Asaphensis & Thomas Kirtonus Angli testamenti procuratores posuerunt.*

Ann. Chr. 1570.

XXII. Recipitur possessio monasterii Avellanensis.

FACTA Avellanensis cœnobii unione ordini Camaldulensi, ejus sacerdotia, quæ a monachis obtinebantur, omnia clericis secularibus fuere tributa, præter beneficia sancti Donnini, abbatiam Eugubii & prioratus sancti Nicolai de Cornu, ac sancti Augustini de Basciano Pennensis diœcesis, quæ non erant juris cardinalis commendatarii. Unde plerique monachorum Avellanensium libenter habitum Camaldulensem induerunt variis in cœnobiis; centum ex ipsis supererant, quadraginta autem & quinque ad Camaldulensia instituta transierunt; inter hos nominat Fortunius [a], quos de facie cognoverat, Christophorum a Costacciario, qui obiit anno 1574. annum centesimum vigesimum, ut ferunt, agens, menteque sanus, Maurum de Serra senem, Vincentium a Saxoferrato, Mauritium decretorum doctorem, Angelum Ciottium Eugubinum, Petrum Dominicum a Castaneto, Philippum Florentinum, & multos alios tum sua virtute, tum plurimo rerum usu utiles congregationi. Sexta januarii hujus anni capta fuit abbatiæ possessio coram episcopo Calliense, institutusque est primus abbas Franciscus Perusinus monachus omnis veræ observantiæ monasticæ cultor veteranus, qui triginta annos & amplius magister novitiorum cœnobii Angelorum Florentiæ summa cum laude fuerat. Franciscum Perusinum nominat & laudat ut virum bonarum literarum, & integritatis morum conspicuum Petrus Ricordatus die prima historiæ monasticæ [b]. Verumtamen cura administrationis & ordinationis loci Petro Bagnacaballensi visitatori, qui unionis extiterat auctor, commissa. Cui cum cardinalis Feltrius mensam monachorum in bonis stabilibus constituisset, ille prædia & loca sibi assignata ad culturam bonam redigi primus curavit, & per ejus vestigia reliqui abbates, qui per tempora fuere, incubuere, ut ait idem Fortunius.

a *P. II. lib. V. cap. 20.*

b *Pag. 109.*

XXIII. Fundatio monast. S. Mariæ-angelorum Pisauri.

JACTA sunt fundamenta hoc anno tertio idus decembris alterius monasterii & ecclesiæ sanctæ Mariæ-angelorum de Pisauro, adnitente Johanne-baptista Barba præside generali Camaldulensium, a Guidobaldo Urbini duce, cui Johannes-baptista acceptissimus erat. Tres in hoc ædificio locati in fundamento lapides, quorum unum jecere supralaudatus cardinalis Julius Urbinas ducis frater, & dux ipse, alterum Julius Simonetta Mediolanensis Pisaurensis episcopus, & ipse Johannes-baptista generalis; tertium Hieronymus de Ruvere Taurinensis archiepiscopus Taurini, qui postea cardinalis, & Paulus Maurus de Ruvere Pisaurensis Calliensium episcopus, universis civitatis ordinibus plaudentibus, atque cepto operi bene precantibus. Quingentos aureos sub ipsis ædificii initiis obtulit dux Guidobaldus, surrexitque in dies templum & monasterium eleganti structura, ejus & illustrissimæ familiæ munificentia. Assignata fuere recenti monasterio bona sequentium ecclesiarum; sanctorum Decentii & Germani, sancti Paterniani de Puteo, sancti Pauli de Puteo, sancti Petri de Monte-luro, sancti Georgii de Calibano diœcesis Pisaurensis, sanctæ Mariæ de Saxo Pergulæ diœcesis Eugubinæ, sanctæ Mariæ de Aqua-nigra, sanctæ Mariæ-magdalenæ de Aqualagna diœcesis Calliensis, sancti Blasii de Monte-biturlo, sancti

ſancti Martini de Montiniana diœceſis Peruſinæ, ſanctæ Marinæ de Tumba, ſanctæ Catharinæ de Rocca-contrada diœceſis Senogallienſis. Sed anno 1573. ſive M. D. LXXII. ab incarnatione, undecimo Kalendas februarii pontificatus ſui anno primo Gregorius XIII. mandavit archiepiſcopo Urbinati, & epiſcopis Piſaurenſi & Callienſi, ut eccleſiam beatæ Mariæ-veteris nuncupatam Piſaurenſis urbis (hæc erat juris Camaldulenſium, fundata ab anno 1360.) jam reſignatam ab Angelo Sparagno canonico majori Piſaurenſi, & rectore ejus eccleſiæ traderent generali & viſitatoribus Camaldulenſibus, qui eccleſiam novam fundarent ſub invocatione ſanctæ Mariæ-angelorum, conſervata & dotata cappellania ſub titulo ſanctæ Mariæ-veteris in majori eccleſia, & applicarent novo monaſterio & eccleſiæ bona eccleſiæ veteris, & inſuper aſſignarent pro dote recentis monaſterii eccleſias & bona ſancti Johannis-baptiſtæ Bottani de Cantiano, ſanctæ Ruffinæ Montis-ſalajoli, ſancti Silveſtri Montis-urbini, ſanctæ Mariæ Majeſtadellæ de Mercatali Eugubii, ſanctæ Mariæ de Saxo Pergulæ, ſanctæ Mariæ de Aqua-nigra Frontonis, ſancti Bartholi de Franco-capitali Frontonis, ſanctæ Trinitatis Montis-neronis, ſanctæ Mariæ-magdalenæ de Aqua-lagna, ſanctæ Catharinæ de Rocca-contrada, ſanctæ Marinæ de Tumba, ſanctæ Mariæ Dagliole de Serra-ſancti-Quirici, ſancti Blaſii de Urbiſalia, ſanctæ Mariæ de Tarquignano, ſancti Blaſii Montis-biturli, ſancti Blaſii de Rantella, ſancti Martini de Montignano, ſancti Benedicti de Citerna, Eugubinæ, Nullius, Callienſis, Senogallienſis, Camerinenſis, Auximanæ, Peruſinæ, Civitatis-caſtelli & aliarum circumvicinarum diœceſum, nec non ſancti Quirici Firmanæ. Hæ eccleſiæ ſine cura pertinebant fere omnes ad diſpoſitionem abbatis commendatarii Fontis-avellanæ, fuerantque olim & antiquiſſimis temporibus vel monaſteria, vel prioratus, vel beneficia, aliquæ etiam earum pertinebant ad monachos Camaldulenſes ejus generis, qui conventuales appellabantur, extinctique recens fuerant; earumque numero etiam adjunxit Romanus pontifex Gregorius XIII. eccleſiam ſanctæ Crucis Eugubinæ diœceſis, cum primum vacaverit per ceſſum vel deceſſum. Atque hæc fuit origo Piſaurenſis monaſterii ſanctæ Mariæ Angelorum.

ANN. CHR. 1570.

Pius V. ſuo brevi: *Apoſtolicæ ſedis copioſa benignitas* approbavit unionem eremitarum Camaldulenſium cum congregatione monachorum ſancti Michaelis factam anno 1513. ſub Leone X.

Obiit hoc anno in eremo Montis-coronæ Zacharias Siculus unus ex primis diſcipulis Pauli Juſtiniani, quem Lucas Hiſpanus [a] præſertim laudat ex ſilentio inviolabili, quem ſervabat. Alter quoque in pace quievit commiſſus Sanctinus Brixianus in eremo Patavina Rhuæ, oratione, modeſtia & miraculis etiam in vita clarus.

a *Lib. IV. cap.* x.

XXIV.
Aſcanius Ceva fit eremita Camaldulenſis.

ASCANIUS ex nobiliſſima & antiquiſſima Pedemontana familia marchionum Cevæ, Johanne patre, Catharina Scarampi matre natus die XXIII. januarii anni 1538. magiſtro uſus Franciſco Galbiato Pontremulenſi, inde epiſcopo Ventimilienſi, poſtquam Romæ, ad quam urbem ſe contulit anno 1560. ſub diſciplina ſancti Philippi Nerii, quo utebatur conſcientiæ moderatore, & ſub familiari conſuetudine Juvenalis & Matthæi Ancina inſtituti oratorii presbyterorum, a ſecretis fuerat cardinalis Alexandri Cribellii, ac plurimorum purpuratorum patrum, & prælatorum, ac præcipue Camilli Burgheſii, qui poſtea fuit Paulus V. amorem ſibi conciliaverat, inurbane a quodam litigante, quem componere cupiebat, ad præſentiam cardinalis, alapa cæſus, mundique propterea pertæſus, triginta & duos annos natus eremiticum inſtitutum amplexus eſt apud Camaldulenſes Etruriæ, hortatore ipſo Philippo Nerio, aſſumpto Alexandri nomine die I.

ANN. CHR. 1570.

novembris, & eadem die anni sequentis professione emissa. Omnia pene officia gessit in eremo & in Fonte-bono, Major quoque & prior sacræ eremi electus est anno 1587. utpote qui *& observantiæ austeritate, & vitæ nitore apprime floreret tam in eremo, quam penes totam congregationem*; ut in confirmationis literis gratulatus est ceteris eremitis Philippus Fantonius abbas eo anno generalis totius Camaldulensis ordinis. Aliquo etiam tempore reclusionem subiit, quo reclusionis anno præsertim, toto quinimmo tempore, quo moratus est in præfata eremo, nil adeo in votis habuit, quam ut eremiticum institutum traduceret in patrias Pedemontii regiones; quod pium desiderium, qua ratione impleverit, & congregationis eremiticæ sancti Romualdi Pedemontanæ fuerit auctor, suo anno aperiemus.

Edidit hoc anno Romæ apud Julium Accoltum Andreas Mugnotius Conchensis Hispanus descriptionem eremi Camaldulensis, dicavitque beatissimo Pio V. pontifici maximo, quem, ait illustrasse præsentia sua sacri loci illius religionem.

Sepulcralis epigraphe in veteri ecclesia sancti Gregorii de Urbe: *D. O. M. Aloysio Busto Lodensi vitæ morumque sanctitate honestissimo, pontificiæ clavæ honoribus functo sub Pio pont. IV. ex humanis decedenti Ambrosius Locarnus Mediolanensis hæres collegæ carissimo ac benemerenti P. Vixit ann.* LXX. *die obiit* IIII. *februarii*.

ANN. CHR. 1571.

XXV. Impositio Pii V. contra Turcas.

IMPOSITA fuit hoc anno pontificatus sui sexto XIV. kalendas aprilis a Romano pontifice Pio V. summa quadringentorum millium scutorum auri duodecim congregationibus in subsidium classis & copiarum, quas ipse instruxerat pro defensione Venetorum contra Turcarum immanem potentiam. Contigit congregationi Camaldulensi summa decem & octo millium ducatorum, cum declaratione pontificis, ut media solutione hujus impositionis ipsorum monasteria expresse redderentur immunia a ceteris solutionibus, & præsertim pro fundatione seminariorum & collegiorum ecclesiasticorum, quam episcopis omnibus curandam in suis diœcesibus mandaverat recenter concilium Tridentinum. Voluit autem Pius, ut in ea taxatione comprehenderentur præter monachos eremitæ etiam Camaldulenses Etruriæ, & Montis-coronæ. Ad hanc rem tradit Hieronymus Catena in vita sanctissimi Pii V. „ supplices cum Moyse ad cœlum palmas erigentes, precesque in eremo fundentes Camaldulenses anachoretas maritimam victoriam Venetorum ad Echinadas insulas, Deo revelante, agnovisse, dum referretur. "

Die XX. decembris [a] conservatores archivi Florentini permittunt eremitis Camaldulensibus habere protocollum, liberosque eos pronuntiant a trasmittendis contractibus in archivum publicum Florentinum.

a §. *Privilegia. A.* 6. 14.

XXVI. Carnes edere in eremo Camaldulensi vetitum.

NARRAT Fortunius [b] „ Anno a partu almæ Virginis Mariæ M. D. LXXI. cum præsideret Major Camaldulensis eremi Samuel (de Valeriis) Foro-liviensis, venerabilis senex, accidisse duos rusticos ex partibus Romandiolæ Florentiam ad divæ Annunciatæ templum, ut vota sua solverent, venire. Hi in ascensu ardui montis longo itinere fatigati procul ab eremo aquam quærebant. Transeunte vero eadem via alio viatore, cum illi, ubi aliquis fons scaturiret, interrogassent, respondit ille: At ne frustra laborate fratres, prosequimini viam, jam vobis vicina occurrit sacra eremus, ubi loci, nec caritas patrum, neque aquarum deest abundantia. Tunc illi propius ad sacrum locum facti, visis aquis, quæ ad januam ex fonte propinantur, festinato illuc concurrunt, manus in peras mittunt, educunt panem, & carnem suillam solitam, & ibi

b *Par. II. lib. V. cap.* 21.

„ & ibi reficere incipiunt. Ceterum volentes carnem incidere, gladii il-
„ lam nec secare, nec comprimere quidem ullis eorum conatibus volunt.
„ Tunc dum alter eorum carnis particulam manibus vi multa frangit, &
„ in os mittit, ecce ostiarius aperta janua hos intuitus & carnes, excla-
„ mat: Heu quid agitis miseri? editis carnem in eremo? excommunicati
„ estis. Deglutivit tunc repente bolum, qui carnis particulam in os mi-
„ serat, sed incredibiliter mente confusus propter verba ostiarii discedens,
„ & Florentiam veniens, nec quietem, nec cibum gemens ulterius cape-
„ re potest. Igitur templum divæ Annuntiatæ ingressus, cum vota sua
„ exsolveret, devotissime precibus a matre misericordiæ & gratiæ postula-
„ bat, ut quomodo se a tanto mærore & anathemate liberare posset,
„ viam ostenderet. Tunc visus audire vocem: Vade ad patrem Majorem.
„ Repente iter arripuit, ut ad sacram eremum reverteretur, & cum so-
„ cius illum deseruisset, ad Camaldulum veniens, audito, quod ibi esset
„ Samuel Major pater, obnixa supplicatione lacrymans postulabat intro-
„ duci ad illum. Quod audiens Samuel Major per ostiarium internuntium
„ jussit, ut Stephanus Urbinas, qui ei inserviebat (& hæc nunc cellera-
„ rius Camalduli nobis retulit) quid vellet, eum interrogans, qui eum
„ mærentem & squallidum videns, causaque ipsius adventus audita ob vo-
„ cem ad eum factam ad templum divæ Annuntiatæ, protinus afflictum
„ hominem ad Majorem introduxit, quem ille increpavit acriter, quod
„ in locum sacrum carnes importasset, benedixitque illi veniam petenti
„ libenter, ac dimisit, qui illico lætus factus miraculum passim invulga-
„ re postea non cessabat, gratias agens Deo. "

XXVII. Erigitur sacellum S. Antonii Fesularum.

Idem Fortunius [a] originem sacelli sancti Antonii Fesularum ad hunc annum revocat. „ Origo, inquit, contubernii & sacelli sancti Antonii Fe-
„ sularum ab Antonio Pisano profecta est. Transtulit se Antonius ad mo-
„ nasterium sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia anno 1532. cum esset
„ professus monasterii sancti Michaelis Pisarum, quod locus suæ professio-
„ nis esset conventualis, inde vero rigorem observantiæ regularis ample-
„ cti desideraret; exinde captus studio eremitici propositi, post noven-
„ nium ad eremi Camaldulensis transivit militiam, unde anno 1553. ge-
„ neralis ordinis per obitum Samuelis professi sancti Benedicti infra annum
„ ingressus, & pariter anno 1557. (lege 1558.) per obitum Hippoly-
„ ti, completo secundo magistratu a tota congregatione in congregationem
„ reverti compulsus, Classis & Angelorum gubernavit domos, & cum
„ præesset Angelis, videns monachos indigere contubernio aliquo extra ci-
„ vitatem, quo se aliquando recipere possint recreationis gratia, illud ad
„ vineam Fesularum excitavit, ut cernitur, cum sacello, quod postea be-
„ nedixit Franciscus Catanius a Diaceto episcopus Fesulanus ad honorem
„ sancti Antonii eremitæ die xii. augusti anni 1571. & Torellus Phola
„ canonicus Fesulanus rem literis mandavit ad perpetuam rei memriam: "
Antonii ejusdem opera cœnobium Angelorum „ sacerdotiis auctum est
„ Vallis-Elsæ, nempe Adelmi, Mucchii & plebis Sancti-geminiani. "

[a] P. II. Lib. V cap. 2.

XXVIII. Obitus Lucæ Papini, & Nicolai Trivisani.

Lucas Papinus a Bagnacaballo abbas Classis defunctus est quinquagesimo-quarto ætatis suæ anno. Observantia regulari, integritate, prudentia & meritis illustrem laudat Romualdus-maria Magnanus [b] in suis Sanctorum & Beatorum Faventinorum vitis. Translatum est ejus corpus ad basilicam sancti Apollinaris extra muros Ravennæ, & ad lævam aræ majoris sequenti decorata fuit inscriptione ejus memoria; *D. M. Æ. Lucas Papinus V. P. ex Tiberiaco oppido oriundus, Classensis cœnobii insignis exempli ac pietatis præfectus Ravennæ obiit* xv. *kalendas augusti, & postridie*

[b] T. II. pag. 63.

ANN. CHR. 1571.

ad hanc ædem translatus M. D. LXXI. *Vixit annos* LIIII. *Hic quiescit; viator parumper siste gradum, proque ejus anima D.O.M. obsecra. Monumentum hoc temporum injuria labefactatum, ne memoria consanguinei optime meriti interiret, quum abbas Apollinaris Montanarius Bagnacaballensis hujus ecclesiæ nitorem augeret, Danesius & Comes Pepinus Felix Papinius Patricius Parmensis restaurandum curarunt. A.D.* M. DCC. XXVI.

Decessit etiam jam centenarius in monasterio Carcerum Nicolaus Trivisanus, qui se gestis beati Pauli Justiniani usque ad extremum ejus vitæ interfuisse gloriabatur, quique ex eremitis ad monachorum congregationem ante plures annos transierat. Ipsum *sanctitatis amatorem* appellat Lucas Hispanus, se autem præsente occubuisse testatur hoc anno Fortunius.

XXIX. Venturæ Minardi monachi opera.

VENTURA Minardus Athestinus, qui habitum monasticum induerat in præfato monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus sub Ventura Teutonico abbate anno 1537. die XXIX. junii, & I. januarii anni 1539. professionem emiserat in cœnobio sancti Michaelis de Muriano in manibus Cypriani Novocomensis abbatis hujus loci, edidit hoc anno typis Venetis *Monopanton de Balneis Calderii in agro Veronensi*. Non sine risu excipiendus Hastivillius, qui *Monopanton* comitem insignem fuisse scribit, qui nomen dedit in Camaldulensibus castris. Repetita fuit hujus operis editio Veronæ anno 1689. in typographia nova Rubeana. Eodem anno 1571. Venetiis addidit Ventura: *Compendio delle Regole date da diversi eccellentissimi autori intorno ai Bagni di Caldiero con un Dialogo, dove si tratta della minera contenuta in dette acque e fango, e delle separazioni fatte da esse ec.* & iterum Veronæ apud Hieronymum Discipulum 1594. & demum paulum inverso titulo Veronæ 1689. edente Antonio Rubeo typographo. Monopanton dicavit Ventura Leonardo de Bandis Sanguineti comiti ex Camaldulo Avesæ Veronensis diœcesis idibus martii hujus anni. Præmittitur epitalamium Galeatii Danielis Bandæ clarissimi equitis Veronensis, & Socinæ Leonardi Martinengi magnifici equitis Brixiensis per Johannem Taberium Brixianum M. CCCC. LXXXVII.; tum præfatio Minardi ad lectorem die prima martii 1570. inde leguntur opera Menghi Branchelli Faventini, Johannis-antonii Panthei Veronensis, Aleardi de Indemontibus Veronensis, Antonii Fumanelli Veronensis, Gerardi Bolderii Veronensis, Aleardi de Pedemontibus Veronensis, Nicolai Massæ Veneti, & Gabrielis Falloppia Mutinensis. In altero vero libro: *Compendio* ec. multa Ventura digerit de ordine Camaldulensi, de insigne Malduli, ut memorat etiam Fortunius Part. I. lib. I. cap. 27. de cœnobio Camalduli Avesæ, & de viris doctis Camaldulensibus hujus seculi, præsertim ex monasterio sancti Michaelis de Muriano plura interspergit. Ii sunt, præter veteres, Petrus Donatus abbas, Petrus Delphinus, Paulus Canalius, Petrus Cornelius abbas, Benedictus de Mandello abbas, Eusebius Hispanus, quem virum doctissimum & oratorem pro rege Hispaniarum ad remp. Venetam, magnæque auctoritatis ob doctrinam suam & bonitatem laudat, Bernardinus Gadolus, Maphæus Gherardus, Bonaventura Veronensis, Eusebius Priolus abbas & episcopus Veglensis, Paulus Justinianus, Justinianus Bergomas, Petrus Quirinus, Hieronymus Sueslanus, Silvanus eremita, Hippolytus Novariensis abbas & generalis, vir integritate & virtutibus gratissimus principibus ac hominibus doctis, & Augustinus Fortunius. Nominat etiam cum laude Constantium Hierotheum canonicum prius regularem, & postea monachum Camaldulensem, *cujus*, subdit, *habetur elegantissima correctio Periarchon Origenis*. Emendasse & illustrasse etiam fertur Constantius Henrici de Gandavo archidiaconi Tornacensis Quodlibetorum Theologiæ tomos duos in folio,

folio, ut legitur in ms. indice bibliothecæ Camaldulensis eremi. Fœtus ipsius Minardi sunt quoque meditationes centum valde piæ de vita DN. Jesu Christi; aliud præterea opus *de Conflictu vitiorum & virtutum, deque Babylonis & Jerusalem spirituali imperio*, decades XII. sed imperfectæ. Ex bibliotheca Carcerum transiit codex hic ms. in illam sancti Michaelis. Ad initium operis *de Conflictu vitiorum* adsunt carmina latina nonnulla elegiaca Silvestri Fabrianensis monachi, de quo Silvestro verba facit Donatus Milcettus in catalogo scriptorum Camaldulensium, & alia præfixa carmina Sebastiani monachi itidem de Fabriano. De Minardo agunt Possevinus, Germanus Vecchius, Wion, Ziegelbaur, aliique.

Ann. Chr. 1571.

Ad sancti Gregorii de Urbe sepulcralis inscriptio: *D. O. M. Vercellino Bucchæ ex oppido Candiæ marchionatus Montis-ferrati, in alma Urbe per annos* IV. *honorifice versato, novissimum universæ carnis resurrectionis diem expectanti. Naturæ debitum solvit* VIII. *idus decembris anno sal.* M.D.LXXI. *ætatis suæ* LXXIII. *Ursulina Tasca conjux viro, cum quo ultra annos* XLII. *concordissime vixit, & Johannes Franciscus Bucca archivi Romani scriptor filius patri carissimo PP.* Alia. *D. O. M. Pompeo Quarto omnium literarum studio juveni peritissimo, philosophiæ ac sacræ Theologiæ magistro, morum vitæque sanctitate in humanis insigni, Franciscus Quartus & Catharina Banca uxor filio carissimo non sine lacrymis monumentum hoc mœstissimi posuere anno* M. D. LXXI.

Ann. Chr. 1572. XXX. Gregorii XIII. bullæ pro Camaldulensibus.

CUM sanctissimus pontifex Pius V. in humanis agere desiisset die prima maji, salutatus fuit die XIII. ejusdem mensis in vicarium Christi Hugo Boncompagnus, assumpto nomine Gregorii XIII. Paulo ante mortem Pii V. magistratum deposuit Johannes-baptista Barba generalis, suffectusque est in ejus locum Romualdus Veronensis ex monasterio sancti Michaelis de Muriano; qui statim ab electo pontifice impetravit confirmationem privilegiorum veterum Romanorum pontificum die XIII. augusti pontificatus anno primo, & præsertim extensionem & communicationem eorum, quæ concessa fuerant eremitis sancti Romualdi de Massaccio seu Monte-coronensibus, cum mandato archiepiscopis Ravennati, & Florentino & abbati sancti Georgii-majoris Venetiarum, ut forent jurium & privilegiorum Camaldulensium conservatores.

Die decima septembris idem pontifex episcopo Bononiensi Gabrieli tituli sancti Martini in Montibus S. R. E. presbytero cardinale Paleotto, vel ejus vicario Angelo Perutio electo archiepiscopo Cæsariensi mandavit, ut ad instantiam abbatissæ & monialium sanctæ Christinæ de Fundatia Bononiæ transferri curarent reliquias corporis beatæ Luciæ sanctimonialis ex veteri & ruinam minante ecclesia sanctæ Luciæ de Septem-fontibus ad ecclesiam parœcialem sancti Andreæ de Ozzano æque subjectam eidem parthenoni sanctæ Christinæ, in qua majori cum veneratione lipsana ejusdem sanctæ colerentur, cum vetus ecclesia frequenter pateret incursionibus armatorum & perditorum hominum, ut fusius legitur tum in bulla ejusdem Romani pontificis, tum in processu, examine & actis judiciariis confectis coram eodem vicario pro exequutione ejusdem translationis. Contigit hæc die septima novembris anni sequentis, ac de ipsa agunt Bombacius in libro de Viris illustribus Bononiæ, & Alexander Macchiavellus in notis ad rythmum Braggiæ in collectione Calogeriana opusculorum philologicorum, immo omnes auctores Camaldulenses & Bononienses mentionem faciunt, & inter ceteros Leander Albertius in suo chronico Bononiensi, Pompejus

ANN. CHR. 1572.

pejus Vizzanus in sua historia, eques Paleottus in suo archiepiscopali Bononiensi, & comes Valerius Zanius in sua Bononia Sacra.

XXXI. Reformatio congregationis Vallis-umbrosæ per eremitam Camald.

VIDENS præfatus pontifex congregationem Vallis-umbrosæ reformatione indigere, flagitantibus id etiam atque etiam prælatis ac monachis ejus cœnobiticæ familiæ, favore quoque cardinalis sancti Sixti Vallumbrosanorum protectoris, eduxit e sacra eremo Camaldulensi Arsenium eremitam, Pupiensem patria ex familia Crudelia, qui olim monachus ejus congregationis extiterat sub nomine Patritii, eumque Vallumbrosanis præsidentem generalem dedit die XXVII. mensis junii. Qui cum ibi biennium ordinandis domibus & constitutionibus incubuisset, statuto regimine abbatis generalis ad quadriennium, celebratione autem capituli generalis quolibet secundo anno, missionem iterum a pontifice imploravit per literas ejusdem cardinalis sancti Sixti datas die vigesima-quarta aprilis anni 1574. redeundi ad quietem sacræ eremi, ad quam libenter reversus est. Eudoxius Locatellus libro II. capite LXVII. vitæ sancti Johannis-gualberti conqueritur de Arsenio, improbatque ejus regimen; forte Arsenius abusus aliquot sustulit in congregatione Vallumbrosana, apud quam posterosque ea ratione male audiit. Etiam Arnoldus Wion tamquam minus idoneum remotum ab officio præsidatus a Gregorio XIII. scribit. De Arsenio tamen illud exploratum est ipsum redeuntem ad eremitarum Camaldulensium cœtum magna viguisse fama tum apud suos, tum apud exteros. In historia regionis Clusentinæ confecta a Mannuccio, quæque extabat in bibliotheca Magliabecchiana numero 87. legitur Clementem VIII. [a] suspexisse Arsenium ut sanctum virum, cui etiam argenteam crucem dono dedit, eumdemque eremitam prædixisse violentam mortem Angelo a Sancto-angelo in Vado eremitæ ob amorem justitiæ; ipsum demum excepisse sanctum Carolum Borromæum in eremo Camaldulensi, & duxisse ad Pupium patriam suam, aliaque dedisse venerationis & studii sui signa erga pium cardinalem, quibus ejus gratiam sibi promeruit. Fuit Major eremi Arsenius anno 1601.

Per eos dies etiam eremitæ Camaldulenses Antonium Pisanum olim eremitam ex congregatione monachorum redeuntem sibi in Majorem præfectum ascivere, cum esset ad comitia in monasterio Carcerum, licet a congregatione tota monachorum rogaretur, ne discederet; maluit tamen pius vir ad quietam redire vitam, in qua ad tertium annum fuit confirmatus in Majorem. Sub ejus regimine fœdum incendium contigit in Camaldulensi eremo, quod apud Fortunium [b] descriptum habetur.

In præfato Carcerum generali capitulo abbatia sanctæ Mariæ in Trivio Montis-coronarii adjuncta fuit monasterio sancti Nicolai Burgi-sancti-Sepulcri.

Seraphinus Cavalli Brixiensis magister generalis ordinis Prædicatorum concessit eremitis Camaldulensibus Etruriæ facultatem instituendi confratriam sanctissimi Rosarii in eorum ecclesia, cujus perpetuus capellanus foret Major pro tempore eremi. Datum die XXII. maji. Timotheus Riccius Florentinus prior conventus sanctæ Mariæ supra Saxum id obtinuit a magistro generali.

„ Hisce temporibus, ait Fortunius [c], dum præesset abbas secundo & „ tertio Petrus Balneo-caballensis (monasterio Classensi) familiaris Julii „ Feltrii cardinalis Urbinatis & archiepiscopi Ravennæ, area magna con„ cessa est ab ipso cardinale cœnobio, pro dilatando hortum, & ubi no„ va fabrica hodie consurgit, instituta jam bibliotheca nova in fabrica, „ quam Ægidius Stuppanus & Lucas Balneocaballensis antea erexerant, „ præ-

a *Pag.* 106.

b *P. II. lib. III. cap.* 29.

c *P. II. lib. III. cap.* 4.

„ prædiaque inculta multa in novalia redacta, Ragaginæ contubernium, „ in quo Lucas ipse multum elaboraverat, absolutum. “

Ann. Chr. 1572.

Inscriptio in veteri ecclesia sancti Gregorii de Urbe: *D. O. M. Angelo Meliolo Bononiensi militi pio ob fidei integritatem morumque suavitatem Johanni cardinali Morono a secretis Orsina Bononiensis conjux* M. D. LXXII.

Ann. Chr. 1573.

XXXII. Coronæ Dominicæ indulgentiæ.

GREGORIUS XIII. precibus Ptolomæi Gallii cardinalis protectoris ordinis Camaldulensis, præter indulgentias jampridem concessas a Leone X. recitantibus Coronam Dominicam, die XIV. februarii anni 1573. pontificatus sui anno primo, indulsit illis, qui per annum quotidie eam recitaverint, confessis & contritis in paschatis resurrectionis Dominicæ festivitate quolibet anno plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & indulgentiam, iis vero, qui ad extremum usque vitæ diem recitaverint, legitimo cessante impedimento, contritis & confessis vel contritionis signum ostendentibus plenariam in articulo mortis.

XXXIII. Aggregatio monast. S. Gregorii de Urbe congregationi Camald.

„ HOC anno, inquit Fortunius [a], facta est aggregatio congregationi „ Camaldulensium nobilissimi cœnobii sancti Gregorii ad clivum Scauri „ Urbis. Pertinebat sacratissimus locus ad illustrem Hieronymum ex anti- „ quissima Comitum familia Romana, & Franciscus Roncionius nobilis „ vir procurator illum administrabat. Cum enim Roncionius ad amicitiam „ Bartholomæi Bertonii Bagnacaballensis monachi Angelorum Florentiæ & „ procuratoris generalis in Urbe se contulisset, suscepto religionis voto, „ factum est, ut locus ipsius Bartholomæi studio, Franciscoque opem fe- „ rente, ab ipso Hieronymo, consentiente pontifice Gregorio XIII. ordi- „ ni Camaldulensi aggregatum sit. Admisit supplices libellos pontifex die „ XXII. julii M. D. LXXIII. emanavitque bullatum diploma die XII. octo- „ bris (lege XII. kalendas octobris) anno secundo. “ Commisit siquidem archipresbytero basilicæ Lateranensis de Urbe, & abbatibus sancti Pauli, & sancti Sebastiani prope & extra muros, sancti Benedicti & Cisterciensis ordinum, ut generalem & visitatores Camaldulenses in possessionem inducerent ejusdem monasterii. Franciscus Roncionius in congregatione habitum recipiens, Gregorii nomine assumpto, prælaturæ etiam dignitate donatus est, & Gregoriano monasterio aliquo tempore præfuit, assignata a commendatario abbate mensa pro octo sacerdotibus, & duobus laicis. Chorus pro celebrandis divinis officiis constructus est a congregatione, porticus ad meliorem formam redacta & ornata, janua ecclesiæ edacitate temporis consumpta nova cum lapideis ornamentis fabrefacta, sacrarium vestibus pretiosis ditatum, & monachi vacantes diurnis nocturnisque laudibus iterum devotionem populi Romani erga ipsam ecclesiam excitarunt, itaut Gregorius XIII. multis cardinalibus comitatus veniens ad ipsam, vidensque, quo splendore & nitore festivitas & sollemnitas commemorationis defunctorum ibidem peragere tur, versus ad circumstantes dixerit: „ Nunc certe credo, quod hanc ecclesiam sancti Gregorii ad antiquam de- „ votionem & splendorem reduxerimus. “ Quod certe dictum maximi pontificis comprobatum est, nam valde posthac auctus est numerus monachorum, ædificia constructa, vestes sacræ nobilissimæ comparatæ, altaria restaurata & de novo confecta, candelabra argentea cum Cruce elaborata, lampades quoque & vasa argentea, reliquiæ Sanctorum, quæ prius in loculis ligneis confusæ repositæ erant, decentissime in argenteis thecis crystallo vestitis interclusæ sunt. Has reliquias enumerat Michael Losanna Romanus & monachus noster seculo sequenti, anno 1641. scribens: „ Lignum „ sanctæ Crucis, spina coronæ Domini, lac B. Virginis, dens S. Pauli aposto-

[a] P. I. lib. III. cap. 30.

„ li,

ANN. CHR. 1573.

„ li, brachium dexterum S. Gregorii, quod miraculis coruscat, & praecipue enitet in curatione strumarum. Ad hoc visendum se contulit de mandato Urbani papae VIII. Antonius Torniellus episcopus Novariensis, tunc vices-gerens Romae eminentissimi vicarii, reperiitque temporis vetustate in tres partes divisum. Brachium S. Lucae evangelistae eductum & adsportatum a S. Gregorio ex CPoli mirabiliter; nam arca porphyretica, orante Gregorio, ultro aperta est, brachiumque supernaturali virtute elevatum se tradidit in manus ipsius; crus S. Pantaleonis; pars capitis S. Silviae matris S. Gregorii; pars capitis S. Margaritae; baculus S. Gregorii. Nil tamen, subdit, antiquitatis superest in calicibus, ceterisque vasibus argenteis, itaut evidenter appareat industria congregationis Camaldulensis omnia ab hoc anno facta fuisse. Illud quoque pro miraculo habendum, quod cum primis temporibus quolibet anno tres vel quatuor monachi ob aeris situsque vitium occumberent, diceretur-que communiter monasterium sancti Gregorii sepultura monachorum, progressu temporis locus ita sanus redditus fuerit, ut licet laboribus & vigiliis exerciti coenobitae sospitate gavisi sint, omnis aeris noxia qualitas sublata fuerit, ope profecto sancti protectoris Gregorii. “

XXXIV. Et monasterii S. Mariae de Fullina.

PTOLOMAEUS Gallius Novocomensis S. R. E. tituli sanctae Agathae presbyter cardinalis & ordinis Camaldulensis patronus, qui anno praeterito, ex dimissione cardinalis Caroli Borromaei, in commendationem obtinuerat monasterium sanctae Mariae Sanae-vallis de Fullina Cenetensis dioecesis, ipsum cedit congregationi Camaldulensi hoc anno, obtenta a Gregorio XIII. bulla incipiente: *In apostolicae dignitatis speculo*, cum obligatione assumpta ab eadem congregatione alendi decem monachos, qui divinum cultum promoverent, independenter tamen ab abbate commendatario, & cum assignatione quadringentorum ducatorum, constituta habitatione intra claustra, & tradita ecclesia cum sacrario manutenenda a monachis. Datum idibus januarii pontificatus Gregorii XIII. anno secundo. Fortunius [a] habet die XIV. januarii. Anno 1609. die VII. martii, cum pretia victualium valde excrevissent, concordia secuta est inter Marcum Gallium commendatarium, Ptolomaei cardinalis nepotem, & inter monachos, ut tot assignarentur terrae, quae idem pretium importarent, quam concordiam roboravit Paulus V. quarto idus septembris anno V. bulla: *In apostolicae dignitatis culmine*. Cetera suis annis.

[a] *Lib. II. cap.* 30.

XXXV. Statuta societatis Caritatis Fabriani.

IN ms. codice societatis Caritatis in urbe Fabriani haec monumenta leguntur, *compilata a fratre inutili & indigno officiali Augustino Manario, anno* 1668. Et prius circa fundationem societatis: *Memoria prima. Iddio somma & immensa Carità per communicarsi a noi, e vincolarci con un nodo di carità più perfetta, acciò fussimo una cosa istessa con lui, giacchè è detto del apostolo ed evangelista, che* Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, *con una ispirazione di Paradiso fin dall' anno septuagesimo-terzo del secolo quindicesimo* (lege *sedicesimo*) *del Mondo cristiano mise in cuore a un religioso Camaldolese per nome Don Benedetto da Fiorenza di promovere in Fabriano l' istituzione di una compagnia, che per la via dello spirito nell' esercizio delle opere di carità e di pietà cristiana incamminasse i fedeli, che vi si ascrivessero. Questo buon servo di Dio operò in modo che fu affatto conclusa e stabilita la fondazione in Fabriano di una tal compagnia sotto l' invocazione e titolo della beatissima Vergine della Carità.* Memoria seconda. *Il cenobita prudente & illuminato suo fondatore ristrettosi con gli officiali, che primieri sortirono di quell' anno medesimo* 1573. *il governo di quella, unitamente e di concerto formarono e stabili-*

bilirono le appresso leggi, costituzioni e statuti, che con publica e autentica forma appariscono registrati al suo libro per le mani di ser Lodovico Benigni, ed in questo da me fedelmente rapportate e copiate sono. Memoria terza *ec.* Memoria quarta. *O che il nostro Camaldolense Don Benedetto prendesse all' esemplare dell' istituto dell' Archiconfraternità della SS. Trinità de' Pellegrini di Roma il modello della nostra compagnia, o che questi due servi di Dio Benedetto e Filippo Neri, comechè ambi di una patria medesima, potessero aver fra di loro quella corrispondenza, che naturalmente passa fra i simbolici, dell' anno* 1577. *a sua sommossa fu aggregata alla archiconfraternità di Roma, spedite le lettere di aggregazione l' anno* 1578. *coll' obbligo di un annuo canone di libre due di cera bianca lavorata ec.*

ANN. CHR. 1573.

XXXVI. Historica monumenta collecta.

ALPHONSUS II. Mutinæ, Regii & Ferrariæ dux die XIV. junii concessit Camaldulensibus monachis facultatem ædificandi ecclesiam Ferrariæ, & emendi spatia terræ pro construendo ibidem monasterio eorum ordinis.

Vigizzolani, in quorum ecclesia inerat cura animarum, quique juxta sententiam latam anno 1433. ab Ambrosio generali, parochum sibi constituebant, icto hoc anno fœdere cum Ægidio monasterii Carcerum abbate & cum monachis, quibus subjiciebatur ecclesia Vigizzolana, renuntiantes eidem sententiæ, constituerunt, ut deinceps daretur ipsis sacerdos in parochum ad arbitrium abbatis, qui domus & templi foret sine contentione dominus.

Decessit in eremo Montis-coronæ Philippus Brunellus Anconitanus venerabilis senex eremita speculum observantiæ, qui in multis eremis officium prioris exercuerat.

Extant sub hoc anno die prima augusti acta Hieronymi Ragazzoni episcopi Famaugustani, qui post visitatas ecclesias & episcopatus Ravennatem & Cerviensem, idem officium impendit in urbe Britonoriensi, & visitavit ecclesiam abbatiæ sanctæ Mariæ de Urano. Eodem anno Jacobus Garuffus ejus auditor visitavit ecclesias rurales, & inter ceteras „ illam sanctorum Jacobi & Sigismundi de Gavedecollis. Tunc non apparebat vestigium ullum hospitalis, quod antiquitus extare dicebatur; tenebatur „ autem ecclesia ab Alexandro Selvajano rectore per bullas papæ. Vigesima-quinta julii visitavit ecclesiam sancti Andreæ in villa Vincareti perpetuo unitam congregationi Camaldulensium, in qua erat rector Archangelus monachus, sed mandavit visitator eidem congregationi, ut trium „ mensium spatio juxta bullam Pii papæ V. vel vicarium perpetuum nominaret, vel quatuor monachos ibidem institueret. Trigesima julii visitavit ecclesiam sancti Johannis de Richoo, quæ erat sub eremitis Camaldulensibus " *&c.*

Episcopus Senogalliensis litem movit monasterio sancti Blasii de Fabriano pro cathedratico, quod prætendebat ab ecclesia sancti Michaelis de Prosano diœcesis Senogalliensis, unita eidem monasterio. Acta hujus litis in archivo sancti Romualdi de Urbe [a] protenduntur usque ad annum 1625.

[a] *Fasc.* XVI. 9.

ANN. CHR. 1574.

XVXVII. De Germano Vecchio celebri poeta & historico.

FLORUIT per hæc tempora Germanus Vecchius, Johannis-petri & Germanici frater, ex nobili Utinensi familia, sed Atheste natus, monachus Camaldulensis in cœnobio sancti Mathiæ de Muriano ab anno 1563. Italicis versibus imitatione septem Davidis pœnitentialium psalmorum descripsit pœnitentiam Caroli V. imperatoris sub titulo *Lagrime Penitenziali*, quas septem cantibus hoc anno edidit Venetiis apud Jacobum Simbenium, dicatas Urbano Savorniano domino oppidorum Piaciani & Rago-

Ann. Chr. 1574.

Ragognæ in Foro-julio. Antequam ederet, eas examini subjecerat Silvani Ractii, Francisci Turchii Tarvisini Carmelitæ, Bernardini Tomitani, Vincentii Justi, fratris Valerii Moschetæ Patavini, Marci-antonii Beroldi Veneti, Josephi Bettussi, & Petri Fortis Veneti, qui suis lucubrationibus Germani opus laudarunt, & præsertim Tomitanus data epistola ad Johannem Martinengum. Iterum lucem aspexerunt eædem lacrymæ pœnitentiales in collectione Dionysii Ramazini Veronæ anno 1739. Super his pœnitentialibus lacrymis, ad Germanum carmen & epistolam misit etiam Torquatus Tassus, quæ reperitur tomo II. epistolarum familiarium ejusdem, quam etiam breviorem Latinam factam a Petro Cannetio nostro hic subjungimus.

Germano Vecchio monacho Camaldulensi Torquatus Tassus S. P. D. Si quantum gratiarum tibi debeo, mi Germane, tantum laudis tribuere valerem, enimvero libentissimo id animo præstarem. Non minus enim laudes tibi, quam gratiæ debentur, neque sane modus tuis in laudibus mihi habendus esset, quando omnem tu modum in meis excessisti. At earum nimium forte cupidus videri possim, si eas tibi reddam, quasi vero in id mea me vota ferrent, ut amplioribus a te encomiis repetito fœnore ornari exoptarem. Ego plane, qualiscumque sim, fateor me tuis ab humanissimis literis tibi arctius obstrictum esse. Quod si mihi liceret ea, quæ in mei commendationem scripsisti, ita aut minus probare, aut etiam improbare omnino, ut amor in me tuus integer foret, nihil equidem hæsitantiæ in veterum causa ostendissem. Sed amori tuo tuisque laudationibus, quæ ab amore ipso proficiscuntur, quantacumque venia detur. Te amabo & ipse, teque laudabo, cum ea sese obtulerit occasio, ut non philautiæ inservire, sed debitis tibi officiis me satisfacere apud omnes probare valeam. Mitto ad te in præsentiarum Tesseradecastichum in tuas imperatoris Caroli lacrymas, quas semel atque iterum perlegi, mecumque tacitus multa sane cum voluptate commendavi. Illud ut typis una cum ceteris aliorum Tesseradecastichis edatur, cures te oro. Vale Mantuæ. Habetur hæc eadem epistola parte secunda voluminis inscripti: *Idea del Segretario* Bartholomæi Zucchii pagina 135.

Præterea carmine Etrusco illustravit Germanus noster septem Davidis pœnitentiales psalmos. Historiam quoque Foro-juliensem inscriptam *Nemesis* concinnavit, quam ms. se vidisse Possevinus affirmat, quippe quæ ob importunum auctoris obitum inedita superfuit, servabaturque olim in bibliotheca Justi Fontaninii archiepiscopi Ancyrani. Hanc idem archiepiscopus carpit in secunda editione suæ eloquentiæ Italicæ, sed Fontaninianas animadversiones retudit auctor epistolæ criticæ, quæ prodiit Venetiis anno 1738. inter examina cetera scripta contra Fontaninii librum. Oblatam ipsam ab auctore, subdit Fontaninius, septem deputatis urbis Utinensis anno 1583. die XXIV. decembris, sed ab his rejectam, sed quo monumento id sciverit, Fontaninius silet. Philippus pariter a Turre episcopus Adriensis in suis monumentis Veteris Antii impressis Romæ anno 1700. in dissertatione de colonia Foro-juliense pagina 379. agit de quadam antiqua inscriptione Utini reperta anno 1517. inter rudera veteris palatii, quam adinventionem esse Germani de Vecchiis existimat. Nil tamen mirum, quod Germanum nostrum falsitatis notaverit episcopus Adriensis; cum enim inscriptio hæc provinciam Foro-juliensem demonstret denominationem suam accepisse a Cajo Julio Cæsare, evertit illius opinionem, qua putat ita vocatam ante eumdem Julium Cæsarem. Ceterum laudant Germanum nostrum præter Tomitanum, Benedictus Varchius in Erculano, Augustinus Fortunius, Thomas Minius, Possevinus, Wion, Crescimbenius aliique,

Hora-

Horatius Amaltheus Opiterginus civis plures apud se servabat Vecchii epistolas, quæ incassum requisitæ sunt apud ejus hæredes, penes quos tamen custodiuntur Lacrymæ in miniato & concinno codice. Hæ epistolæ de eruditis antiquitatibus agebant ad Franciscum Melchiorium Opiterginum excellentissimum antiquarium, ut proinde Fontaninii judicio standum non sit, qui historiam Utinensem Germani deprimit. Vivebat Germanus etiam anno 1591.

ANN. CHR. 1574.

XXXVIII. Alia monumenta historica.

In capitulo generali celebrato in abbatia Carcerum unitum fuit hoc anno monasterio sancti Apollinaris in Classe beneficium sancti Paterniani de Ferraciano. Cardinalis S. R. E. camerarius præcepit collectoribus decimarum Senogalliæ, ne aggravarent monachos Camaldulenses, declarans ipsos ab illis immunes ob contributionem quadringentorum millium ducatorum impositam duodecim congregationibus, atque proinde ipsis Camaldulensibus, a Pio V. exsolvendam cameræ apostolicæ.

Provisores Pisanæ accademiæ fixam habitationem in urbe Pisana non habebant, sed bis in anno ad eam accedebant, ac tunc in abbatia sancti Michaelis in Burgo stationem ponebant, in cujus sacrario studentes probabantur, & doctorum albo adscribebantur; quod etiam æstivo tempore elapso seculo aliquando factum est. Impræsentiarum professio fidei a studentibus emittitur in eadem ecclesia, ad quam accedunt primores studii adsistentes vicario generali archiepiscopi, in cujus manibus fides juratur a candidatis.

Incepta hoc anno constructio novi monasterii Rosæ Senarum sub Mauritio Moronio Faventino Rosani monasterii abbate, quæ perfecta fuit ab abbatibus successoribus, permutatione etiam sequuta proximarum domuum, quæ pertinebant ad fratres ordinis sancti Augustini.

Antonius-maria Angelerius beneplacito apostolico renuntiavit monasterio sanctæ Mariæ-angelorum Pisauri beneficium simplex sanctæ Crucis de Eugubio, quod eatenus ipse obtinuerat in commendationem.

Inscriptio, quæ reperiebatur in veteri sancti Gregorii ecclesia a Martinellio in *Roma sacra* relata: *J. C. R. Placido Fusco e Monte-florum Ariminensi, Medico q. Dom. Corn. Palatino, qui tum in Flaminia, tum Melitæ atque Siciliæ plerisque civitatibus ob admirabilem prædicendi facultatem Prognostes vocatus est, tum Romæ a Pio V. in familiam cooptatus, & ante & post eum in sancti Spiritus nosocomium, atque in S. Inquisitionis carcerem missos, aliosque pietatis erga pauperes annos* XVI. *curando. Obiit pridie idus martii* 1574. *Vixit annos* 64. *mens.* V. *diem* I. *Thomas Fuscus filius J. V. D. unicus hæres testamento rogatus cum lacrymis P.*

Post obitum vivo melius, doleoque medendi Artibus extremum sæpe fugasse diem.

ANN. CHR. 1575.

XXXIX. Fortunius edit primam partem historiarum Camaldulensium.

COMITIA generalia ordinis acta sunt hoc anno Ravennæ, ubi de more facta est prælatorum institutio in mense majo, & Romualdo Veronensi generalatu abeunte Petrus Bagnolus Bagnacaballensis ex abbate Classis illi subrogatus, & usque in tertium annum confirmatus.

Aggregatum est per id tempus congregationi Camaldulensi sacerdotium sanctæ Crucis Eugubii bulla Gregorii XIII. data apud sanctum Marcum die XXVI. augusti anno IV. ejus pontificatus, cessione facta ab ejus rectore anno antecedenti.

Typis Sammartellianis Florentiæ edidit primam partem suæ historiæ Camaldulensis Augustinus Fortunius monachus sanctæ Mariæ Angelorum, quam scripsit hortatu Antonii Pisani Majoris sacræ eremi, digessit post evolutas paginas archivorum religionis, & dicavit serenissimo Francisco Mediceo magno Etruriæ duci. Ipsam terminat [a] cum narratione beneficio-rum

[a] *Lib.* III. *cap.* 30.

Ann. Chr. 1575.

rum Julii Feltrii cardinalis Urbinatis in eremum Camaldulensem, „ qui „ pietatis ergo novam cellam se vere dignam in eremi Camaldulensis area „ erigendam curavit, Mariæ semper Virgini Lauretanæ dicatam. Cui ac- „ cessit novum quoque sacellum, quod patres eremitæ ad fontem, ubi „ sanctus pater Romualdus visionem cœlestem scalæ habuit, auctore An- „ tonio Pisano Majore, construi fecerunt. Quemadmodum & sacratissima „ eremi basilica omni interiori ornatu renovata est, nec non aureis vesti- „ bus, ad rem divinam sollemniter faciendam, Bartholomæi Gondii cla- „ rissimi senatoris studio elaboratis quam ditissime referta, novaque tabu- „ la ad majorem aram locata, quod extremum fere Georgii Vasarii pi- „ ctoris opus extitit. “

Stephanus Bonnuccius ex ordine fratrum Servorum Mariæ episcopus Arretinus jure diœcesano tentavit hoc anno visitationem instituere ecclesiæ Fontis-boni, cui restitere eremitæ; causa in congregatione cardinalium super episcoporum & regularium negotiis & consultationibus proposita, in favorem tandem Camaldulensium decisa est.

XL. De doctis Camaldulensibus hujus temporis.

Petrus Ricordatus monachus Casinensis in historia monastica, quam præsenti anno in lucem protulit, laudat sub die quarta [a] Cherubinum Lendenariensem magnum philosophum, doctorem Patavinum & priorem sancti Severi de Perusio; Maurum de Mandello priorem titularem theologum doctorem Patavinum; Johannem-baptistam a Raffina procuratorem generalem in curia Romana, sacræ Theologiæ doctorem in universitate Pisana, & verbi Dei prædicatorem; Desiderium Angelerium Athestinum abbatem sanctæ Mariæ ad Carceres, rarum & singularem poetam Latinum; Sebastianum de Fabriano magnum concionatorem; Franciscum a Monte-sancti-Sabini in humanioribus literis celebrem, & poetam Græcum ac Etruscum; Gregorium Florentinum literatum optimumque summistam; Gabrielem Bagnacaballensem philosophum; Andream a Bevania sacrorum canonum doctorem, rarum musicæ artis magistrum & abbatem titularem; Julium Florentinum, Secundum a Pollicinio & Marium Florentinum excellentes musices compositores & organorum pulsatores. Omnes ex Camaldulensi familia vivebant ad hæc tempora, Ricordato apprime cogniti.

a *Pag.* 467.

In epistola Francisci Melchiorii ad Danielem Padova scripta ex Opitergio die prima maji hujus anni commemoratur obitus Johannis-petri a Patavio monachi Camaldulensis in monasterio sanctæ Mariæ de Fullina, quem gravissime ipse Melchiorius tulit, eo quod candore animi, integritate vitæ, doctrina, gravitate amorem omnium, sed sui in primis conciliasset.

In vita Catharinæ Vannini Senensis sanctimonialis ad Deum conversæ hoc anno, quam scripsit cardinalis Fridericus Borromæus, & Italica ac Latina lingua edidit Mediolani anno 1618. quæque rursus typis hæredum Corbelletti prodiit Romæ anno 1699. initia ejus conversionis tribuuntur cuidam monacho Camaldulensi commoranti in eadem urbe Senarum. Hic enim vocatus ad ipsius confessionem excipiendam, tempore, quo morbo gravissimo Catharina languebat, noluit ad eam accedere, vel sacrum Christi corpus ad eam deferre, nisi ipsa prius se exueret vanitatibus omnibus corporis, quibus eatenus indulserat, & nisi expoliarentur parietes cubiculi ornamentis mundanis. Quod pium præceptum monachi statim adimplevit Catharina, meruitque a peccatis suis absolvi. Hoc tempore parochus Rosæ Senarum erat Benedictus quidam, idem forte, quem vidimus ante biennium in urbe Fabriani confratriam Caritatis instituisse.

Sepulcrale elogium in veteri ecclesia sancti Gregorii de Urbe: *Isabella sorella di Ferrante di Capsa duca di Termoli & moglie di Alberico Cybo*

uno

uno dei principi d' imperio, & principe di Massa, donna di santimonia, di valore & di giudizio esemplare morì in Massa con grandissima costanza della fede, & con animo invitto l' anno M. D. LXXV. *& per l' anima sua lasciò, perchè se li dicessero Messe da questi padri Gregoriani, un censo di scudi* X. *l' anno perpetuo, quali li son pagati da M. Fulvia Tasca, come per istrumento rogato da M. Bernardino de Comitibus notaro Capitolino sotto di* XXX. *di marzo* M. D. XLVII.

ANN. CHR. 1575.

ANN. CHR. 1576.

XLI. Excerpta ex Fortunio.

„ ELAPSO Jubilæi magni anno obtinuit Petrus Bagnacaballensis ab-
„ bas generalis Camaldulensis sacrosanctum cœleste munus pro locis
„ & personis ordinis sui, studio cardinalis Comensis protectoris, ex diplo-
„ mate bullato Gregorii XIII. " quod per extensum affert Fortunius [a].
„ Hoc eodem anno, subdit idem historicus [b], monasterio sancti Blasii de
„ Fabriano præeminebat secundo Garzias abbas, qui cum antea chori or-
„ natum, cisternam novam claustrumque ampliasset, novam ingentem tur-
„ rim inchoavit, & postero anno templum cameratum, atque, ut cerni-
„ tur, ornari curavit, locatis organis in faciem super januam. Eodem
„ tempore, opera etiam Fortunii, & studio Baptistæ Rassinatis tunc pro-
„ curatoris generalis in Urbe, Gregorius XIII. pont. max. concessit in-
„ dulgentiam perpetuam decem annorum & totidem quarantenarum visi-
„ tantibus corpus sancti Romualdi ad templum sancti Blasii die VII. fe-
„ bruarii festiva ejus translationis, qui vere pœnitentes & confessi sint,
„ ac Deum pro unione principum christianorum, extirpatione hæresum,
„ atque exaltatione sanctæ Matris ecclesiæ oraverint. Datum Romæ sub
„ anulo piscatoris die XXX. januarii pontificatus sui anno quarto per ma-
„ num Cæsaris Glorierii. Huc accedit gratia altaris privilegiati sancti Bla-
„ sii ex munificentia ejusdem pontificis anno 1578. "

[a] Part. II. lib. V. cap. 22.
[b] Ibid. lib. IV. cap. 20.

XLII. Nova ecclesiæ Uranensis ædificatio.

ÆDIFICATA sunt præsenti anno nova ecclesia, novumque monasterium in abbatia Uranensi, alio in loco, sub mœnibus nimirum urbis Britonorii & extra viam regiam, quæ Forum-pompilii ducit & Forum-livii. Augustinus Molignattus episcopus Britonoriensis a canonicis, clericis & magistratu comitatus primum lapidem posuit die XXVI. martii. Inscriptio, quæ legitur in pariete claustri contra januam, ad quem translata fuit anno 1737. cum antea prostaret in loco eminentiori, hujusmodi est. *D. O. M. Sedente Gregorio XIII. Anno Domini* M.D.LXXVI. XXVI. *martii cœnobii hujus jacta feliciter fuerunt fundamenta sub rev. D. Petro de Balneocaballo generale, necnon rev. D. Augustino Veronense abbate.* Post duodecim annos nova ecclesia consecrata fuit secunda octobris die Dominico anno M. D. LXXXVIII. a Dominico Angelo Petruccio episcopo Sarsinate & comite Bobii, cum licentia Johannis-andreæ episcopi Britonoriensis, inservientibus canonicis & clericis, & Gherardo abbati Urani, Augustino abbate sancti Salvatoris Foro-livii, rogante Octavio Mainardi notario Britonorii. Ecclesia vetus erat extra portam Britonorii appellatam veterem super viam, quæ Meldulam ducit. Anno postea M. D. XCIIII. translata fuere tria corpora sanctorum Maglorii, Paschasii & Sampsonis in ecclesiam novæ abbatiæ sub abbate Octaviano Anglariensi, & sub episcopo Britonoriensi Johanne-Andrea Calegario Brisichellensi tunc nuntio apostolico in Germania. Translationi præsentes fuere episcopus Foro-liviensis dictus Hebræinus ex O. P. & episcopus Sarsinas Bononiensis. Jam ab anno 1545. ecclesia vetus minitabatur ruinam, adeoque ad minorem formam redacta & restaurata fuerat, reliquis ipsius ecclesiæ partibus ad usus rerum necessariarum domus assignatis. Intervenit tunc Rainutii Farnesii cardinalis & summi

pœni-

Ann. Chr. 1576.

pœnitentiarii commissio archidiacono, & Johanni Mattarello canonico Ravennati, ut Uranenses monachos absolverent, si ob demolitionem ecclesiæ, & conversionem partium ipsius ad profanos usus censuras incurrissent; anno XII. Pauli III. quinto idus decembris.

XLIII. De Peste Veneta, a qua immune monasterium S. Michaelis de Muriano.

a P. II. lib. II. c. 27.

Capitulum annuum intermissum est ob pestilentiam, quæ regionem Venetiarum infestavit, sed habitus ex apostolica auctoritate conventus novem prælatorum Ravennæ, ubi ea disposita, quæ ad universæ congregationis amplitudinem tuendam exaugendamque pertinerent. Hæc porro quoad luem Venetam addit Fortunius [a]: „ Anno 1576. laborante Venetiarum urbe truci pestilentia, Cyprianus Athestinus abbas cum familia sancti Michaelis votum vovit Deo pro sospitate retinenda, eductoque reverentissime uno ex capitibus sanctorum Innocentium, quod inter sacrosanctas alias templi reliquias custoditur, actaque sollemnissima supplicatione per hortum atque regiones cœnobii, statutum est, ut sanctorum Innocentium festum quotannis sollemnissimo ritu celebretur ad sancti Michaelis Muriani, & pariter ut recenseatur quotidie eorum memoria in divinis officiis. Et ecce contagio ex divina misericordia sic evitata est, ut ex Camaldulensibus Venetiis interierit nemo. " Literas subjungimus ejusdem Cypriani abbatis ad perennandam rei memoriam.

Domnus Cyprianus de Este abbas sancti Michaelis de Muriano Torcellanæ diœcesis ordinis Camaldulensis universis & singulis successoribus suis abbatibus, prioribus claustralibus & monachis, vicariis & gubernatoribus prioratuum & locorum dicti monasterii, necnon tam Camaldulensibus suis, quam ceteris præsentibus inspecturis seu audituris salutem in Domino.

Justum siquidem ac salubre fore duximus, ut uberioris divini favoris gratiæ memores posteris etiam nostris sacri Murianensis cœnobii, quantum spiritualis consolationis sanctorum martyrum Innocentium suffragiis consecuti fuerimus, ad gloriam omnipotentis Dei aliorumque exemplum pandere curemus, ut & vota nostra, quæ Deo optimo maximo urgentibus calamitatibus spopondimus, etiam eorum nomine fideliter, ut par est, persolvantur.

Anno itaque proxime elapso millesimo quingentesimo septuagesimo-sexto ex patrum nostri ordinis electione commisso nostris viribus, licet imparibus, regimine abbatiæ sancti Michaelis de Muriano, ne commendato gregi diu absentes magis obesse, quam consulere videremur, licet manifesta nobis diraque objiceretur mors, cum civitates & loca omnia essent morbo & peste suspecta, monasterium ipsum adire curavimus; verum monasterio ipso, ac si carceri introclusis per dies & menses, nihil aliud sperandum fuit, quam cum patribus nostris resolutionem expectare; inter malleum enim & incudem, ut dicitur, positis quid aliud sperandum? ex multitudine namque cadaverum provectorum circum septa monasterii, & ex fumo rerum mobilium in litore & in locis ad hoc deputatis combustorum, aer adeo fœtidus ac pestilens inerat, ut foris mors, intus pavor, clausisque fenestris vitreis etiam summo æstu, vix respirandi daretur facultas. Accessit insuper (quod reticendum non arbitror) quod crebrescentibus per milliaria mortuorum cadaveribus, & ne aer corrumperetur, ex Senatus Decreto circa litus maris ingentes ac profundas foveas paratas, ad eas benedicendas accedere, tum reverendissimi patriarchæ tunc sequestrati, tum clarissimorum dominorum Sanitatis jussu coacti sumus; nullus quippe aderat episcopus præ fuga & mortis timore. Cymba itaque nostra cum duobus fratribus properavimus, & benediximus foveas ad tumulandum; sed quid ad tumulandum dico; an non potius ad comburendum? Acervatim siquidem cadavera permixta calce projiciebantur; horribilis profecto aspectus & miserabile accumbendi genus! Et si cun-

si cuncta enarrare voluero, incredibilia videbuntur. Auxit timorem facti magnitudo; & ni divina clementia succurreret, actum de salute nostra arbitrabamur. Ad cælum usque lamentabiles voces, cum circumdarent nos gemitus mortis, mittebantur. Et quid plura? Funesta omnia. Paucissimi transitare cernebantur; rari enim apparebant nantes in gurgite vasto, aut enim mortui, aut suspecti; & qui pauci sani esse videbantur, ultro semet eorum domibus claudebant.

ANN. CHR. 1576.

Cumque medicorum exquisitis pharmacis & humanis præsidiis aliqua inesse salus aut medela minime videretur, rati mala ipsa ex justo Dei flagello ob nostra facinora provenire, nullisque efficacioribus remediis posse opitulari, quam resipiscentes ab impietatibus nostris, fructus dignos pœnitentiæ faciendo, in jejunio & fletu corda scindentes, pii patris solitam clementiam expectare, horis canonicis diurnis, nocturnisque peculiares orationes vocales ac mentales addidimus, atque litanias majores Sanctorum, beatissimæ Virginis, atque devotas Nominis Jesu-christi cum suis versiculis & orationibus in ecclesia & per claustra monasterii processionaliter decantari instituimus. Verum cum in dies videretur ira Dei flagello validiori exterminium minari, & quasi oblitus dominus creaturæ suæ, seque esse pietatis patrem, cui proprium est misereri semper & parcere, ac si severus judex severitate supplicii tarditatem compensare, de viribus nostris diffisi, ad illos cælestis curiæ cives & domesticos Dei confugientes peculiarem nobis advocatum seu patronum eligere, atque illius precibus nos commendantes, Dei misericordiam expectabamus. Cogitantes vero nos, ad quorum potissimum Sanctorum suffragium esset confugiendum, recordati sumus, quod majores nostri reliquias sanctorum martyrum Innocentium dictæ ecclesiæ sacrario condiderunt, cogitantesque, quemadmodum multorum facinoribus ad iram excitari, ita multorum deprecationibus Deum posse placari: cum illi Sancti sint, qui non loquendo, sed moriendo Christum filium ejus confessi sunt; quibus datum est, teste evangelista Johanne, ut singuli stolis albis decorati ante thronum Dei & Agni peculiare canticum, quod nemini datum est, decantent, & quod Virginitatis candore perluceant, & sequantur Agnum Christum Filium Dei quocumque ierit; vel certe, quod bonorum pace dictum sit, quoniam peccatum luxuriæ speciali mulcta vindicatum est, innocentia Innocentium ac illorum Deo grata Virginitas, quasi contraria contrariis addendo medicamenta, sauciata sanari oportere. At quoniam in rebus maximis prius consulto, quam facto opus esse didicimus, consultorem nobis similem omni spe destituti non habentes, ad Deum prævia oratione & jejunio confugiendum fore duximus. Ut igitur per tres dies Missa de Spiritu-sancto cantaretur, ordinavimus, & peculiari orationi insistendo, quid remedii capturi, quemve patronum rogaturi fuerimus, ex inspiratione certiores fieri sperabamus. Primo & secundo die decantatis Missis adhuc animus imbecillis & pavidus, nec solatium evitandæ horribilis adfuit mortis. Sed ecce die tertio orantibus & deprecantibus omnibus nobis in choro circa horam quintam-decimam diei decimi septembris, & tempore, quo a sacerdote Missam canente elevabatur corpus sanctissimum Domini nostri Jesu-christi, de more genuflexis, nec sine lacrymis orantibus radii divinæ clementiæ Solis radiis splendidiores mentem & cor occupant, firmissimam spem concipientes prædictorum martyrum Innocentium non modo nos & loca religionis nostræ, sed & civitates omnes & loca a peste ipsa & morbo orationibus posse liberari, ac liberata eorummet patrocinio conservari. Hac spe hilares & gaudentes reliquias, caput scilicet unius ex ipsis theca argentea in decentiori loco dictæ ecclesiæ collocandum fore proposuimus; ac sollemni voto tam nostro, quam successorum nostrorum

strorum nomine omnipotenti Deo vovimus: In primis eorum festivitatem vigesima-octava die decembris, uti præcedentibus tribus diebus nativitatis Domini more consueto plenissimæ sollemnitatis celebrare; in die antecedenti sancti Johannis evangelistæ in pane & aqua jejunare cunctis diebus vitæ nostræ; & quod alii tam præsentes, quam futuri de familia dicti monasterii jejunio tantummodo ordinario quadragesimali quotannis jejunare nonnisi infirmitate cogente non prætermitterent, & quod eo die in Missa sollemni eorum reliquiæ processionaliter, secundum ordinem per nos iis assignandum, portarentur venerarenturque.

Expleto voto, in Dei pietatem quænam solatii, gaudii, & spiritualis consolationis major adesse poterat certitudo? Toti itaque hilares, toti læti cantavimus: Consolationes tuæ Domine lætificaverunt animam meam, in lætitia cordis mei. *Cunctis igitur peractis & liberatio est consecuta, ac inclyta civitas Venetiarum denuo populata, adeout pauci suum obiisse diem videantur; atque in ista Venetorum provincia monasteriis nostris ne ordinaria quidem morte vel unus diminutus, vel peste suspectus habitus vel sequestratus. Quid restat? nisi ut tantorum beneficiorum memores vota nostra, quæ nullo cogente spopondimus, persolvere studeamus. A quo enim dictum est: Vovete, dictum quoque est: Reddite. Quæ tamen omnia, ut pari devotione & ordine reddantur, modulam infrascriptam assignare curavimus. Reliquum est, ut vos omnes & singulos nostri regiminis successores horter & moneam, ut quæ eorum nomine per nos urgenti necessitate promissa sunt, persolvere studeatis; illud etiam observantes per nos institutum, ut inter Sanctorum suffragia post commemorationem sancti Marci evangelistæ hori canonicis sanctorum Innocentium cum antiphona, versiculo & oratione Commemoratio fiat. Rogamusque in Domino & obsecramus omnes & singulos nostri ordinis prælatos, præcipueque illustrissimo dominio subditos, ut tanti beneficii memores sanctorum Innocentium veneratione Deo eorum servatori se, locaque ipsa religionis studeant commendare, ac præmissa jubeant observari. Quibus vero nobis præcipiendi jus est, cum omni sollicitudine nostro durante regimine ea, qua possumus, efficaciori auctoritate præcipimus & mandamus, ut tam in monasterio ipso sancti Michaelis, quam extra suis in annexis conformis ordo, quoad fieri possit, devotissime observetur; atque pro peccatis meis orare meminerint, ut una pari voto glorificetur Deus per Jesum-christum Servatorem nostrum, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus in secula seculorum, amen.*

Omnia suprascripta confirmata & approbata fuerè per reverendissimum patrem præsidentem & definitores in generali capitulo totius nostræ congregationis Camaldulensis celebrato hoc anno M. D. LXXVIII. *die* XXIII. *aprilis, ut videre est in regesto Actuum capituli per manum R. P. domni Cherubini de Lendenaria scribæ ejusdem capituli, cujus tenor talis est:*
„ Sæviente peste Venetiis, cum a Deo opt. max. nobis auxilium adfue-
„ rit, R. P. domnus Cyprianus Atheſtinus abbas monasterii sancti Mi-
„ chaelis de Muriano pro evitanda tam horrenda lue votum vovit Do-
„ mino & sanctis Innocentibus, quod confirmari petiit & approbari a
„ RR. patribus definitoribus; quibus annuentibus est constabilitum in mo-
„ nasterio sancti Michaelis perpetuis temporibus numquam imminuendum
„ ab iis, qui ibi commorabuntur. "

Obiit Benedictus a Nursia eremita Coronensis, speculum virtutum omnium, præsertim singularis patientiæ, ut effertur in brevi elogio eremitarum illustrium Coronensium.

RE-

Ann. Chr. 1577.

XLIV. Fundatio eremi Coronatæ prope Nolam.

REFERTUR ad hunc annum fundatio eremi sanctæ Mariæ Coronatæ Camaldulensis ordinis ad viginti milliaria ab urbe Nolana; cujus originem sequenti narratione describit Lucas Hispanus [a], qui hoc anno Major erat congregationis Montis-coronæ, consentitque Advogarius in relatione ms. „ In ea parte regni Neapolitani, quæ Principatus Citra di„ citur in diœcesi Beneventana, mons celeberrimus est, quem indigenæ „ Virgineum, Latini Virgilianum appellant; mons ob sui magnitudinem „ incircumscriptæ molis, & propter Deiparæ nobile sacellum ab universis „ incolis Regni mirum in modum frequentatus. Montis hujus quædam „ præcipua pars sibi seorsum constans *Chiaja* vulgo nuncupatur, quæ intra „ fines baroniæ sancti Angeli de Scala, quæ est antiquissimum patrimonium „ inclytæ domus Carrafæ, ac sub ejus jurisdictione & dominio continetur, „ duodecim milliaribus distans ad urbe Beneventi, quatuor autem ab insi„ gni ecclesia, quæ caput est congregationis Montis-Virginis. In eo itaque „ loco viri duo religiosi genere nobilissimi in summa vitæ austeritate „ ac laudabili perseverantia per annos viginti-duos solitarii vixerunt, quo„ rum alter Julius origine Narbonensis, alter vero Hispanus Johannes Fi„ guere nomine, quorum salutiferum sanctitatis exemplum multos ad in„ culti loci devotionem atque frequentationem induxerat. Inter quos præ„ cipue extitere Antonius Carrafa marchio Montis-belli Carrafeorum fa„ miliæ unicum decus, & Alphonsus Carrafa Montorii comes, Antonii ex „ sorore pronepos, sed nemo erga locum sanctum, piosque Dei servos major „ devotione fuit Laura Brancaccia marchionis Antonii conjuge. Hæc namque „ non ignobile templum, commodamque habitantibus mansionem condi„ dit. Templum autem illud sacratissimæ Virgini Mariæ Coronatæ dica„ tum fuit, eo quod Virginis simulachrum perpulcrum, regiaque corona „ ornatum, Græcanicæ formæ, a Nolanis civibus divinitus inspiratis illuc „ cum magna devotione atque sollemni processione quondam deductum, „ & in sacello illo in perpetuum locatum extiterit. Fertur etiam Nola„ nos pœnituisse postea hujus translationis, & reduxisse simulacrum intra „ urbem suam; ex qua tamen iterum se receperit prodigioso transitu in „ montem. In hanc ampliorem formam redactum locum cum vidissent „ Johannes & Julius, ecclesiam ipsam alicui probatæ religioni subdi, & „ se sub regulari observantia in posterum vivere toto corde anhelabant. „ Modum autem, quo id recte fieri posset, aut cui potius congregationi „ subjici debuisset, penitus ignorantes, accidit, ut ii duo solitarii Anto„ nio Carrafæ S. R. E. cardinali amplissimo animum suum manifestarent; „ quod quidem piissimo viro summopere placuit, & sanctum eorum pro„ positum collaudans, utque citius perficeretur, sedulam se operam datu„ rum eisdem recepit. Cum denique cardinalis sancto zelo accensus sum„ mum pontificem Gregorium XIII. de congregatione Casinensi consule„ ret: *Non Casinenses*, pontifex ait, *sed Coronenses, hoc est eremitæ Mon„ tis-coronæ vocandi sunt, eo quod & ipsi deserta inhabitent, & solitariam „ vitam sub obedientia ducant*. Hoc vero responsum quasi divinum oracu„ lum ab ore Dei prolatum fidelissimus cardinalis suscepit, & nuntio mis„ so eremitis Coronensibus notum facere curavit, qui immo intelligens „ rem ipsam circa acceptationem aliquam difficultatem pati, ad Montem„ coronam, nulla proprii laboris ratione habita, vir tantus, quo Dei ne„ gotium perficeretur, personaliter accedere non recusavit. Cujus sane præ„ sentia merito potuit, omni difficultate rejecta, renuentes patres ad ac„ ceptandum flectere, nec non ad ejus sanctissimum desiderium amplecten„ dum prorsus inclinare. Scilicet jamdudum proposuerant patres nova lo-

a *Lib. IV, cap.* 8.

Ann. Chr. 1577.

„ ca de cetero non acceptare, neque novas eremos condere, eo quod vi„ tæ hujus eremiticæ austeritas, experientia docente, non facile a multis „ etiam volentibus capi posset. Acceptata itaque fuit eremus illa die XXII. „ septembris hujus anni (aliqui acceptationem referunt ad annum ante„ cedentem) ad quam statim missi sunt fratres numero quinque, qui & „ futuræ fabricæ debitum ordinem, & loci observantiæ optimum initium „ darent, cardinale, & Carrafa familia præsertim auxiliantibus, prædia„ que & tumulos terræ donantibus. " Enituit cardinalis pietas, qui sacerdotium non minimi valoris cum unione perpetua adjunxit eremo.

Laura autem Brancaccia post mortem præcipue marchionis viri sui, præter templum & ornatum ipsius, præter ædificationem eremi, vivens donatione irrevocabili reliquit eremo prædictæ patrimonium suum, quod superabat triginta millia scuta, cum palatio & habitatione, quam habebat in urbe Neapolitana, quæ modo in hospitium eremitarum est conversa, eligens degere in humili domo, & recipere victum ab iisdem eremitis, apud quos etiam moriens voluit humari. Tanto scilicet erga eremitas afficiebatur amore, ut eos tamquam filios, quos genuisset, diligeret, oblectaretur eorum profectibus, assiduaque esset ad orandum in ecclesia eremi, ubi moderatore conscientiæ suæ utebatur eodem Johanne vetere eremita, qui post adventum Coronensium votis regularibus se adstringens, & mutato nomine Johannis in illud Ambrosii, austerissimam, simplicissimam & purissimam vitam duxit, obiens cum sanctitatis opinione post annum 1604. quo adhuc valde longævus vivebat, fundatorque fuit & primus prior ceterarum eremorum in regno Neapolitano, & etiam totius Coronensis congregationis Major anno 1588. Alter eremita Julius vel sancte decessit inter monachos parum dissitos congregationis Montis-virginis, vel defunctus est ante adventum patrum Camaldulensium. Ostenditur siquidem in cœmeterio Montis-Virginis scheletum, quod Julii dicitur, ad cujus contactum prodigia fiunt, & obsessi a dæmone præsertim liberantur. In primum priorem hujus loci destinatus est Maurus Perusinus; ecclesia autem nova sollemniter consecrata fuit die XV. novembris anni 1592. a Maximiliano Palumbaria archiepiscopo Beneventano sub titulo *Assumptionis* beatæ Virginis Mariæ. In veteri ecclesia sanctæ Mariæ Coronatæ ad oratorium defunctorum, ubi modo cubiculum ædificatum est prope sacrarium, appensa erat lanx prægrandis, in qua ex una parte æstimabatur pondus hominum, qui aliquod insigne a Deo & a beata Virgine beneficium obtinuissent, ex alia vero parte farina, cera, oleum vel quidquid offerebant ii, qui gratias receperant, ut esset utrobique æqualis mensura, cum certis orationibus exaratis in veteri rituali, quæ ea occasione proferebantur. Lancem hanc post eorum ingressum sustulerunt eremitæ Coronenses solitudinis & quietis amatores. Multis autem prosequitur Lucas Hispanus, qui ut Major hoc anno rem penitus tractavit, descriptionem hujus eremi, ipsiusque situm, miracula etiam, quæ sacratissimæ Virginis obtentu, eo in loco contigere, quorum tractatum se aliquando vulgari lingua daturum pollicetur. Quod facile præstitit, cum Johannes Advogarius alter Coronensis insignis eremita seculi sequentis in relatione ms. ejusdem eremi frequenter memoret & laudet libellum miraculorum sanctæ Virginis Coronatæ.

XLV. Indulgentiæ Gregorii XIII. concessæ Camaldulensibus, aliaque monumenta.

IDEM Gregorius XIII. die octava octobris pontificatus sui anno VI. precibus præfati Antonii Carrafæ diaconi cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin, concessit perpetuo, ut quotiescumque aliquis sacerdos sive regularis, sive secularis sacrosanctum Missæ sacrificium peregerit ad altare ca-

pellæ

pellæ felicis recordationis Gregorii papæ IX. situm in eremo Camaldulensi pro liberatione unius animæ in purgatorio existentis suo vel alieno arbitrio, ipsa anima per hujusmodi celebrationem easdem indulgentias & peccatorum remissiones consequatur, & ad ipsius redemptionem, pro qua celebrabitur dicta Missa, operetur & anima consequatur, quas consequeretur, & Missa operaretur, si prædictus sacerdos hac de causa sacrificium offerret ad altare situm in ecclesia sancti Gregorii de Urbe ad id deputatum.

ANN. CHR. 1577.

Prædictus pontifex contra prætensa jura episcoporum Sarsinatis & Burgensis declaravit abbatiam sanctæ Mariæ in Balneo esse *Nullius diœcesis*. Consimili brevi contra Burgensem episcopum idem confirmavit anno 1635. Urbanus papa VIII. ex tabulario sancti Romualdi de Urbe [a].

[a] Fasc. V, n. 5.

In epistola Pauli Flandrensis monachi sanctæ Mariæ de Puteo-stratæ prope Taurinum scripta præsenti anno die XII. aprilis priori sancti Gregorii de Urbe refertur conditio ejusdem Taurinensis monasterii, & insuper describitur status parœcialis ecclesiæ sancti Georgii de Reano, membri abbatiæ sancti Salvatoris vel Solutoris de Taurino, quæ sponte & sine ullo gravamine renuntiabatur a suo rectore Johanne Comna congregationi Camaldulensi tum in subsidium monasterii de Puteo, tum ut monachi plures numero alerentur, qui curam haberent animarum extra portam Taurini; adjunctis etiam renuntiationi duabus paginis ejusdem rectoris, qui dictum priorem sancti Gregorii in procuratorem suum eligebat pro tractando & conficiendo hujusmodi negotio. Paulum Gandavensem appellat Fortunius, laudatque ut doctorem sacræ Theologiæ in universitate Taurinensi & priorem Putei anno 1579.

Supremum diem obiit hoc anno abbas monasterii sanctæ Mariæ de Carceribus, in quo etiam professionem emiserat, Ægidius Stuppanus de Valle-tellina; qui plurima cum laude omnibus dignitatibus sui ordinis & suprema quoque generalatus functus fuerat.

„ Anno 1577. XVIII. maji, ait Fortunius [b], concessa est ædicula exterior ecclesiæ sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia Hieronymo Minucio Volaterrano pincernæ Francisci Medicis Magni Etruriæ ducis, Bartholomæoque ejus fratri canonico Florentino atque protonotario apostolico, ut ibi sepulcrum sibi & posteris ponere liceat. “ Ante aliquot annos iisdem diebus, quibus Garzias ab Ilua prior secundo præeminebat eidem monasterio, Marsilius Albizius cœnobii devotissimus templum aulæis ditavit in Flandria elaboratis, quibus mysteria Christi & beatissimæ Mariæ semper Virginis mirabili texto opere exprimuntur. “

[b] P. II. lib. V. cap. 3.

ANN. CHR. 1578.

XLVI. Tertia vice eligitur generalis Antonius Pisanus.

AD cœnobium Classis acta sunt mense aprili comitia generalia, Petro Bagnacaballense officium dimittente, omniumque consensu Antonio Pisano pro tertia vice electo abbate generali, quo tempore & eremitæ Camaldulenses ipsum in Majorem confirmaverant, electis in visitatores Michaele-angelo Athestino, & Gregorio Turatio Patavino. Igitur peractis comitiis Michael-angelus Athestinus visitator & quidam alii prælati ordinis ad eremum venerunt, insigniaque ad Antonium generalem detulerunt, qui ægre ferens se a quiete solitudinis divelli, accito tabellione, dignitati sollemni ritu renuntiavit, insigniaque oblata rejecit. Quam rem cum patres cardinali protectori Comensi significavissent, & ille pontifici, jussus est Antonius apostolico imperio insignia & generalatus dignitatem suscipere, ut ipse fatetur in epistola ex Bononia data die III. novembris hujus anni ad omnes prælatos & monachos Camaldulenses, in qua sexaginta & sex annos natum se asserit. Prima illius cura fuit, ut eremitis viduatis de Majore provideret; communibus itaque suffragiis electus est in Majorem Johannes-

Ann. Chr. 1578.

hannes-baptista Barba Novariensis longævus, qui olim congregationis totius fuerat generalis. Præterea restaurandum curavit prioratum sanctæ Margaritæ de Borsellis nuper e commenda liberatum, & mensæ monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia adjudicatum, cujus ædificia resarcienda mandavit Johanni-baptistæ priori ejusdem cœnobii Angelorum. Petro Dominico monacho administrationem commisit omnium beneficiorum assignatorum recenti cœnobio sanctæ Mariæ-angelorum de Pisauro. Abbatiam Montis-muri, egregium olim monasterium, sed temporum vitio & bellorum injuria, quibus dudum respublica Florentina conflagrarat, ad instar exigui tugurii reductum una cum ecclesia ruinam minante visitavit, & subsidio pecuniarum adjuvit; sancteque præfuit usque ad annum 1583. toti congregationi.

XLVII. Obitus Julii Feltrii cardinalis.

In necrologio Font-avellanensi refertur ad hunc annum, diem vero tertiam septembris obitus Julii Feltrii a Ruvere S. R. E. cardinalis abbatis commendatarii ejusdem monasterii, & insignis benefactoris ordinis Camaldulensis. Eo mortuo Gregorius XIII. cœnobii Avellanensis proventus, qui ad cardinalem pertinebant, neque utilitatibus monachorum fuerant addicti, applicavit collegio Germanico Urbis, quod regebatur a patribus societatis Jesu, quorum ministri annis sequentibus turbarunt pacificam possessionem monachorum Camaldulensium, tum in solo æquandis aliquot ædificiis, tum aliis injuriosis & violentis actibus, quos memorat Romualdus Blancus in historia ms. ejusdem Avellanensis cœnobii.

Die xv. aprilis pontificatus sui anno vi. idem Gregorius privilegio decoravit plura altaria Camaldulensia pro defunctis, nimirum altare sancti Jacobi in ecclesia monasterii sanctorum Angelorum de Florentia; altare Nativitatis D. N. J. C. in Camaldulo-majori, altare sanctæ Crucis in ecclesia sancti Michaelis de Muriano, altare sancti Gregorii in basilica sancti Apollinaris extra muros Ravennæ, altare sancti Petri in abbatia sanctæ Mariæ de Carceribus; & altare sancti Blasii in ecclesia sancti Blasii de Fabriano.

Ad Deum transiit hoc anno in eremo Cryptarum Massaccii Innocentius eremita Florentinus genere, vir jamdudum solitariæ vitæ deditus, carus olim Juliano Mediceo fratri Leonis X. & postea socius Petri Quirini in Urbe, & discipulus B. Pauli Justiniani, humilitate ac fervore observantiæ laudatissimus. Fundavit tres eremos in Apulia, ut diximus ad annum 1523. Oblatum clericatum constantissime renuit, libenter in conversorum classe abjectus laicus Deo servire gestiens.

Commissa fuit a capitulo generali Johanni-baptistæ abbati Carcerum recuperatio hospitalis S. Danielis urbis Patavinæ a Hieronymo comite Purliliarum detenti.

„ Sequenti anno post acquisitionem præfatæ eremi sanctæ Mariæ Coro-„ natæ, inquit Lucas Hispanus [a], puta LXXVIII. Gregorius XIII. pon-„ tifex maximus, qui semper Coronensibus propitius extitit, interventione „ ac favore prædicti illustrissimi cardinalis Carrafæ, ecclesiam sancti Leo-„ nardi trans Tyberim Romæ, quæ prius capituli sancti Petri fuerat, so-„ cietati Coronensium eremitarum in perpetuum aggregavit; ubi nunc „ opportuno hospitio fabricato, procuratores generales, qui propter reli-„ gionis negotia in Curia residere coguntur, satis commode ac religioso „ more commorantur. “ Primus procurator generalis eremitarum Coronensium fuit Liberatus Ferretti Anconitanus, qui cum eodem cardinale Carrafa & cum capitulo sancti Petri anno præsenti die XXVII. januarii instrumentum emphyteusis perpetuæ confecit sub canone trium librarum

a *Lib. IV, cap. VIII.*

ceræ.

ceræ. Ipse postea anno 1583. emptione vicinarum domorum habitationem ampliavit. Restaurata fuere ecclesia & domicilium anno 1700. a Josue de Monte-aureo procuratore generali.

ANN. CHR. 1578.

ANN. CHR. 1579. XLVIII. Comitia ad Carceres, ubi multa statuta pro bono regimine congregationis. a Fortun. P. II. Lib. V. cap. 24.

„ COMITIA [a] ordinis habita sunt hoc anno ad cœnobium Carcerum, „ exhibitis in definitorio literis apostolicis in forma brevis datis Ro„ mæ apud sanctum Petrum die octava aprilis; declaratum est titulares „ omnes dignitates ordinis extinctas, præter Montis-christi, sanctæ Mariæ „ Pisauri, & sanctæ Mariæ Trivii. Exhibitis similiter quibusdam capitu„ lis a cardinale protectore missis pro institutione studiorum facienda, nec „ non correctione administrationis prælatorum, promulgatæ sunt constitu„ tutiones, Ptolomæjanæ ad instar priorum nuncupatæ, quæ Octavianæ di„ ctitantur; erectæque sunt studiorum accademiæ publicæ quatuor, præter „ privata monasteriorum studia, ubi vestiuntur vel aluntur novitii & ju„ niores, ad sancti Justi Volaterrarum in Etruria, ad sanctæ Mariæ Car„ cerum in Venetiarum provincia, ad cœnobium Classis in Romandiola, „ ad Avellanam propter Picentes. Ibi autem singuli lectores Logicæ & „ Philosophiæ, atque etiam sacræ paginæ adscripti, a definitorio post an„ num confirmandi, si conclusiones publicas tempore comitiorum sustenta„ verint generalium, & præter alias immunitates & beneficia jus ferendi „ & accipiendi suffragium una cum conventualibus monasteriorum, adeout „ duo definitores tantum ex ipsis eligi possint. Hinc etiam statutum, ne „ vestiantur in futurum tempus novitii, nisi de quadriennio in quadrien„ nium, quo singulis quatuor annis classes firmioribus fundamentis huma„ narum literarum instructæ ad majores scientias se alacrius convertere stu„ deant. De administrationibus deinde decretum est, duos sindicos Gene„ ralis actus publicos ultimo anno recognoscere debere, qui a definitorio „ secundo anno fuerint electi, exeunte Generale extra definitorium, qui „ similiter ipso sequenti anno definitor esse prohibetur. Visitatores ex ea„ dem patria & provincia esse non debere, nec in eodem monasterio us„ que ad tempus visitationis morari. Prælatos & monachos pecunias possi„ dere non posse ultra decem aureos, hosque in depositum quæstori tra„ di debere, reliquum sacrariis addictum, & proprietarii præjudiciis sacro„ rum canonum alligati. Prælati majores munera largiri ultra decem au„ reos prohibentur, & minores quinque, & omnibus cum quæstoribus in „ vestitu eamdem quantitatem excedere cum suo ordinario per anni spa„ tium interdictum. Pecunias proprietarii monachi seu prælati capsæ unius „ pro centenario adjudicandas. Pecunias unius pro centenario solvendas „ secundum veros monasteriorum introitus, tribus capsis ad cœnobium An„ gelorum Florentiæ, ubi congerantur totius provinciæ Etruriæ summæ, „ ad sancti Michaelis Muriani pro illa Venetiarum provincia, & ad cœ„ nobium Classis pro Romandiolæ ac Piceni locis. In tenenda administra„ tione cujusque monasterii, libri more mercatorum ubique retineri & cu„ stodiri debent fidelissime, præscriptæque sunt gravissimæ privationis pœ„ næ prælatis transgressoribus. Pecunias unius pro centenario ex capsis tan„ gi non posse, nec etiam a definitorio, nisi post decem annos, aliqua ur„ gente necessitate utilitatis corporis congregationis. Postremo propter one„ ra eleemosynarum & oblationum & etiam legatorum ecclesiæ, atque al„ tarium sancti Gregorii Romæ, necnon ceterarum ecclesiarum congrega„ tionis, quibus propter nimis magnum numerum Missarum dicendarum „ satisfieri non potest, sancitum ac declaratum est (inhærendo decretis „ sacri concilii Tridentini) ut iis omnibus oneribus applicentur divina

„ omnia

ANN. CHR. 1579.

„ omnia omnium monasteriorum ordinis officia, obsecrationes, preces, je-
„ junia, meditationes, disciplinæ tam sacræ eremi Camalduli, & singulo-
„ rum monasteriorum & locorum ordinis, quam sacrificia & Missæ, quæ
„ celebrabuntur in omne futurum tempus ad altaria privilegiata. “

XLIX. Fortunius edit II. partem historiarum Camald.

ATQUE ita secundam suam historiarum Camaldulensium partem conclusit Augustinus Fortunius, qui eam hoc ipso anno mense septembri Venetiis edidit in typographia Guerræa, & dicatam voluit Ptolomæo Gallio S. R. E. cardinali, & beneficentissimo ordinis Camaldulensis patrono, accedente maxime consensu Antonii Pisani generalis, & suadente Bartholomæo Bertonio Bagnacaballense procuratore generali & simul priore sancti Gregorii de Urbe.

L. Collectio plurium monumentorum.

MANDATO ejusdem Antonii generalis Sebastianus Fabrianensis monachus typis edidit Venetiis brevem illustrationem Coronæ Dominicæ, & mysteriorum ipsius, additis diplomatibus Leonis X. & Gregorii XIII. pro indulgentiis lucrandis in recitatione ipsius.

Agebatur de deducendis monialibus Camaldulensibus sanctissimæ Trinitatis, quæ erant extra burgum portæ pontis de Faventia, intra urbem ad monasterium sancti Johannis-baptistæ monachorum similiter Camaldulensium, id præsertim urgente Annibale de Grassis episcopo Faventino, qui causabatur, quod monachi sancti Johannis pariete tantummodo dividebantur a contiguo asceterio sanctæ Claræ. Restitit episcopi voluntati Antonius generalis, & impetrato brevi a Gregorio XIII. alium parietem in solo monasterii sancti Johannis elevavit cum brevi calle inter utrumque monasterium, atque ita monachi sancti Johannis perstiterunt in suo veteri monasterio, & similiter moniales sanctissimæ Trinitatis in suo suburbano parthenone.

Obtinuit idem generalis ab eodem Romano pontifice facultatem interpretandi, quinam essent apostatæ comprehensi in bullis Pauli IV. & Pii IV. adjecta etiam auctoritate absolvendi, liberandi, & ad omnia munera restituendi, qui denuo redeuntes ad religionis gremium sancte & laudabiliter in ea degerent.

Alia pariter bulla incipiente: *Ab ipso primum die*, unita fuere hoc anno a Gregorio XIII. ecclesia sancti Nicolai in Forbitoribus de Urbe monasterio sancti Gregorii ad clivum Scauri, abbatia Arcus monasterio Rosæ Senarum, abbatia sancti Michaelis de Arretio monasterio Agnani, ecclesia sancti Nicolai de Burgo-sancti-Sepulcri abbatiæ Triviensi, prioratus sanctæ Margaritæ de Borsellis cœnobio Angelorum de Florentia, plebanatus sancti Martini de Cellulis cœnobio sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum, & ecclesia sanctæ Crucis de Eugubio, & abbatia sanctæ Trinitatis de Monte-herculis monasterio Pisaurensi, suppressis titulis abbatialibus in primis locis, & translatis ad secunda loca, in quibus justus monachorum numerus, & monastica recta disciplina vigebat; titulus pariter abbatialis SS. Quatuor Coronatorum Urbis, & sancti Hippolyti de Faventia suppressus declaratus est ab eodem pontifice, retento in his duobus monasteriis titulo tantummodo prioratus, ex tabulario sancti Romualdi de Urbe [a].

[a] *Fascic. LXIV. n.* 16.

Exeunte mense augusto Romam pergens Carolus Borromæus S. R. E. cardinalis acturus coram summo pontifice negotia ecclesiæ suæ Mediolanensis, & defensurus decreta Synodorum suarum adversus sui calumniatores, venit ad eremum Camaldulensem, susceptus quam reverenter, licet ex improviso, a Johanne-baptista de Novaria Majore, ab Arsenio Pupiense & a ceteris eremitis; altera die familiam suam ad sacram ædem Lauretanam præmisit, secum duobus tantum familiaribus retentis; ipse vero in nova

cella

cella sanctæ Virginis Lauretanæ in eremo tamquam reclusus dies aliquot permansit, seu ad medium usque septembris orationibus incumbens, atque in eadem cella imposterum orantibus indulgentiam quadraginta dierum impertitus est. Qua ex re apud seculum fama per æmulos ejus evulgata est, eremitam eum induisse. Verum montem inde Alverniæ & capellam sacrorum stigmarum invisit, Romanumque iter prosecutus est.

ANN. CHR. 1579.

LI. De sacellis abbatiæ Volaterranæ.

In abbatiæ Volaterranæ ecclesia dirutum fuit altare antiquitus erectum in honorem beati Jacobi de Certaldo monachi ejusdem monasterii, ubi quieverat tercentis annis, & ubi visebatur imago antiquissima ejusdem Beati cum diademate apposito viris Sanctis. Id præcepit visitator apostolicus mense decembri hujus anni, eo quod superabundarent altaria in dicta ecclesia. Translatio dicti corporis facta fuit anno sequenti, ut dicimus.

Quoad sacellum beati Jacobi apostoli narrat ad hæc tempora sequens prodigium Fortunius [a], qui anno sequenti scribebat vitas sanctorum Justi & Clementis in urbe Volaterrarum: „ Proximis superioribus mensibus, „ cum divi Jacobi apostoli dies sollemnis illuxisset, atque ad ejus aram „ singuli fere monachi de more sacrificaturi accessissent, & cuique sacrifi- „ cantium non pauci utriusque sexus semper interessent, cum in domo & „ opere Dei nemo plane sibi vitæ hujus periculum imminere, sed æternæ „ gaudium usquequaque cogitet, factum est, ut rebus omnibus sacris pera- „ ctis, & omnibus, qui ad templum venerant, inde egressis, quædam te- „ cti pars tigno fracto super sacellum divo ipsi Jacobo dicatum corruerit. „ Quod templi detrimentum ære publico statim resarcitum fuit. Cujus „ casus rumore extra templum excepto ab iis omnibus, qui illuc sacræ „ rei faciendæ causa perrexerant, tanti periculi expertes, atque ab eo Dei „ benignitate Sanctorum confessorum protectione plane servati, singuli per- „ pendere ceperunt, quæ sit vitæ hominis, & quotquot quantisque peri- „ culis ubique etiam obnoxia. Ad hæc non abs re fuerit admonere, que- „ madmodum in ipso divi Jacobi sacello etiam beati Jacobi a Certaldo, „ qui illius cœnobii monachus & abbas fuit, sita sunt ossa, quæ illius- „ modi casu retecta furtim aliquot, præter calvariam, sublata fuerunt, „ reliqua vero nobis præsentibus, qui hæc literarum memoriæ commenda- „ vimus, summo cum honore summaque cum diligentia ibidem contecta „ restiterunt. "

a Cap. 46.

LII. Obitus Romualdi de Fabriano eremitæ Coronensis.

Sancte decessit præsenti anno nonagenarius Romualdus Fabrianensis, unus ex primis B. Pauli Justiniani discipulis, in monasterio seu eremo sancti Salvatoris Montis-acuti, post quinquagesimum-sextum conversionis suæ annum. De eo aliqua protulimus ad annum 1529. Præterea addit Lucas Hispanus [b]: " In oratorio divinis officiis continuus etiam decrepitus usque „ ad ultimum diem tenaciter perstitit. Semper in psalmis meditationibus- „ que occupatus, vix momento ab oratione vacabat. Facies ejus num- „ quam perturbata visa, sed semper hilari vultu cunctis apparuit, ex ore „ sacro quasi tacitum risum ac tenuem producens. Quod ei adeo assue- „ tum fuit, ut etiam moriens ridenti similis absque dolore vel horroris „ signo spiritum afflaret. " Obiit etiam in eremo Rhuæ Paulus Stafulanus poeta insignis; sed humilitate & abstinentia insignior, dum esset visitator generalis.

b Lib. III. cap. x.

Vivebat Venetiis Vincentius Vicentinus monachus Camaldulensis, cui Antonius generalis hoc anno copiam fecit transeundi ad vitam eremiticam penes Coronenses. Laude dignus Vincentius, quod argumenta in omnes Delphini epistolas confecerit, & ad oram adnotaverit omnia sacrarum Scripturarum loca, quæ singula fere linea occurrunt in epistolis ejusdem. Ex-

tat

Ann. Chr. 1579.

tat Vincentii exemplar cum argumentis & adnotationibus in nostra sancti Michaelis bibliotheca, cujus monasterii erat alumnus.

In pavimento veteris ecclesiæ sancti Gregorii de Urbe legitur inscriptio sepulcralis: *D. O. M. Benedicto Lomellino, qui eruditione insignis Romanæ aulæ varios honores emensus a Pio IV. P. M. in cardinalium collegium fuit adlectus, cuique ob eximiam pietatem, fidem, justitiam summamque humanitatem major voto hominum præoptata dignitas morte prærepta gloriam intendit. Josredus Lomellinus supplicum libellorum magister, cameræ apostolicæ clericus & commissarius generalis ad memoriam gentilis ac patroni optimi conservandam P. Obiit* VIII. *kalendas augusti anno a Salvatore nato* M. D. LXXIX. *annum agens* LXII.

Alia: *Contino Rainerio Interamnati militi militiæ Jesu-christi Pii IIII. pont. max. a cubiculo secreto fide & probitate insigni ob suavissimos mores omnibus caro, vixit annis* L. *obiit* III. *idus augusti* M. D. LXXIX. *hæredes ex testamento pos. Petrus Rainerius nobilis quoque Interamnas restauravit anno* 1631.

Ann. Chr. 1580.

LIII. Inventio sacrarum reliquiarum in abbatia Volaterrana.

JAM ab anno 1491. sub abbate Justo Gherardi Bonvicinio in ecclesia sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum in restauratione altaris sancti Justi, fabri murarii puteum detexerant reliquiarum Sanctorum refertum, & operculo aperto per totam urbem fragrantissimus odor diffusus fuerat maximo adstantium stupore, quas idem abbas, qui anno antecedenti recognoverat ad altare majus etiam reliquias sanctarum Actiniæ & Græcinianæ, sollemnitate, debitaque reverentia in capsam marmoream eodem in loco deposuerat, cum parva pixide plumbata, in qua membranaceam paginam collocaverat pro memoria hujus inventionis, addens se recognovisse inter eas reliquias, illas quoque sanctorum Dulcissimi & Carissimi discipulorum sancti Petri apostoli ab ipso missorum in urbem Antoniam (sic vocabatur tunc urbs Volaterrana) ad disseminandum evangelium. Cum autem hoc anno 1580. restauraretur denuo dictum altare, pro collocando in eo corpore beati Jacobi a Certaldo ex altare veteri, repertæ iterum fuere supradictæ reliquiæ, & abbatis Justi memoria. Ad cujus famam tota urbs advolavit, & episcopus Guido Serguidius Volaterranus sollemni supplicatione intra dictum altare condidit, sublatas ex lapidea arca, & reposuit intra capsam nuceam, ubi etiam deposuit caput sancti Clementis in capsa lapidea repertum in capella sancti Clementis nuncupata sancti Sebastiani, & ossa beati Jacobi Certaldensis. De inventione harum reliquiarum verba facit & Antonius Pisanus abbas generalis in suo Itinerario.

LIV. Placidi eremitæ Coronensis obitus.

OBIIT circa hunc annum in eremo Montis-coronæ Placidus conversus, de quo hæc habet Lucas Hispanus [a], „ Iisdem fere temporibus ingressus „ est religionem hanc Placidus conversus ex Fracta Urbini ortus, vir quadam naturali gravitate dotatus, statura procerus, corpore robustus & laboriosus, promptus & fortis, literarum rudis, sed ingenio sagax ac judicio clarus. Legalis ac fidelissimus in omnibus actionibus suis. In solitaria cella silens & abstinentissimus, obedientiæ & regularibus observantiis jugiter incumbens, ad exteriora negotia diligentem atque utilissimum semper se præstitit. Unde per annos multos œconomus constitutus totum patrimonium abbatiæ sancti Salvatoris tanta diligentia ac rectitudine administravit, ut ea in re nec hactenus parem habuerit, nec habere speretur. In hoc autem mirabilis fuit, quod sive iter faciens, sive manu laborans, domi vel foris agens, regularia jejunia eremiticasque panis & aquæ abstinentias nunquam prætermisit. Denique in controversiis com-

„ ponen-

a Lib. III. cap. 7.

„ ponendis speciale donum a Deo habuisse , omnes , qui eum norunt , „ autumant, ideoque quotiens inter paganos illos Fractenses aliqua de re- „ bus rusticis orirentur jurgia , seu quævis dissidia nascerentur , adeamus „ ajebant fratrem (sic eum per antonomasiam vocabant) & quidquid „ ipse dixerit , sequamur. Vixit annos 78. in religione vero 55. Obiit „ circa annum M. D. LXXX. Quantum iste religioni profuerit , si plene „ ostendere velim, novo ac longo tractatu opus esset. "

ANN. CHR. 1580.

LV. Ambrosius Moncata eremita Camald. fit episc. Urgellensis.

GREGORIUS XIII. ad instantiam Philippi II. regis Hispaniarum Ambrosium , alias Ugonem de Moncata monachum & eremitam Camaldulensem elegit hoc anno in episcopum Urgellensem (male Minius archiepiscopum Urgellitanum habet) in archiepiscopatu Tarraconensi . Is anno 1568. institutum eremiticum amplexus fuerat in solitudine Camaldulensi, de quo hæc habet Andreas Mugnotius in descriptione eremi Camaldulensis : „ Illustrem admodum sacrum hunc locum vitæ sanctæ „ splendore facit Ambrosius Moncata , præclaræ indolis juvenis , claris- „ simi comitis Aitonæ citerioris Hispaniæ frater germanus , qui ex ve- „ tustissima illustrissimaque & Moncatæ , & Cardonæ ducum familia ori- „ ginem trahens, spretis mundi hujus divitiis ejusque illecebris, ut divi- „ nis obsequiis melius vacare posset , summo omnium exemplo in ejus „ ætatis flore , sanctæ hunc solitudinis locum in ejus habitationem & re- „ quiem elegit . " Ad ipsum electum episcopum literas dedit Antonius Pisanus generalis ex sancto Michaele Venetiarum die xx. aprilis hujus anni potestatem faciens acceptandi episcopatum, ad quem assumptus fuerat.

Hæc de Ambrosio memoria superest in libro genealogico familiæ Mon- „ cadæ: „ Domnus Johannes Moncada primus comes de Aitona post mor- „ tem primæ conjugis nupsit domnæ Annæ de Cardona filiæ domni Fer- „ dinandi Folch Cardonæ ducis ac domnæ Franciscæ Manrique de Lara, „ quorum filius secundo genitus (cujus pater in testamento meminit) „ fuit Hugo . Iste peracto magna usura , nec inferiori sanctitatis odore , „ studiorum suorum stadio, Camaldulensium instituto nomen in Italia de- „ dit , ubi strictioris observantiæ tenax sancte vixit , soli Deo vacans , „ quousque ad preces & præsentationem Philippi II. Gregorius XIII. epi- „ scopum Urgellitanum eum creavit , qui gregem sibi creditum octo an- „ nis ad obitum usque suum tamquam sedulus pastor rexit ac gubernavit. " Ex hoc monumento liquet ipsum ad Deum transiisse anno 1588.

LVI. Buldronensium monialium confidentia in Deum.

NARRAT Silvanus Ractius [a] in vitis Sanctorum & Beatorum Camaldulensium, se, cum circa hunc annum confessarium ageret monialium Buldronensium, in quo munere quinquennio perseveravit , vocatum quadam die ad solitum audiendarum confessionum locum ab Humilitate Ptolomæi abbatissa, & a Maria-angela Stroctia priorissa, quæ ei dixerunt panem in monasterio non adesse , nisi pro die præsenti , neque frumentum vel farinam pro conficiendo alio pane . Suasit ipsis Silvanus , ut a priore sanctæ Mariæ-angelorum, quod alias fecerant, expeterent ; verum reposuerunt , se toties eum interpellasse pro indigentiis vitæ , ut hac vice nollent eum defatigare ; auxilium potius a Deo se sperare ; quod ter repetierunt. Dum itaque de ea re simul colloquerentur , strepitus solito major fit ad januam monasterii: & ecce eques Serguidius primus secretarius Magni-ducis Francisci cum cursalium equorum præfecto, qui nuntium attulerunt defunctum esse Lucam quemdam , qui habuerat duas filias jam mortuas in eodem parthenone, qui omnia sua reliquerat monasterio Buldronensi, ex qua hæreditate statim opem indigentiis suis præstare valuerunt.

[a] *Pag.* 67.

Visitatores hujus anni fuere Cherubinus de Lendenaria & Dominicus

Ann. Chr. 1580.

Agavius Cremonensis; hoc autem obeunte Desiderius Angelerius Athestinus. Inscriptio sepulcralis in veteri sancti Gregorii de Urbe ecclesia: *D.O.M. Martia Fabia pacem & misericordiam expectans elegit hoc sepulcrum. Ei mortuæ religiosi basilicæ istius hoc in perpetuum addixerunt. Memoriæ sororis optatissimæ Julianus ac P. Paulus Fabii, conjugisque Jacobus Albizinus tabulam posuere. Vixit* LX. *circiter annos ad* XIX. *usque kal. septembris* M. D. LXXX.

Ann. Chr. 1581.

LVII. Compositio litium inter abbatiam Classis & communitatem Ravennæ.

Obeunte ex officio generalatus Antonio Pisano, in capitulo patrum Ravennæ congregatorum suffectus fuit in abbatem generalem congregationis Bartholomæus Bertonius Bagnacaballensis ex professione monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. Paucis tamen mensibus post suam electionem decessit in urbe Foro-liviensi die XXI. julii idem Bartholomæus, vir undequaque meritissimus, qui plura congregationi æmolumenta attulerat, & zelo ac sollicitudine in rebus agendis excelluerat. Ipsum una cum Gregorio Macigno, qui ambo pluribus annis in Romana curia procuratores ordinis fuerat, laudat gloriosa mentione Thomas Porcacchius in nuncupatoria epistola traductionis Speculi Monachorum abbatis Dacriani. Ob ipsius obitum iterum convenientes ii prælati, ad quos spectabat, juxta formam brevis Pauli III. crearunt in generalem præfectum Cherubinum Mangonium ex Lendenaria S. Th. D. & professum monasterii sancti Michaelis de Muriano, qui tunc visitatoris officio fungebatur.

In primo capitulo generali hujus anni recepta fuit quoque & approbata concordia quædam recens concepta inter abbatiam sancti Apollinaris in Classe, & inter communitatem Ravennæ. Pluribus siquidem litibus & contentionibus eatenus disceptatum fuerat ab utraque parte circa jura pascuorum in bonis dictæ abbatiæ, tum in Pineto, tum in ampla valle Candiani. Ut de cetero iisdem litibus parceretur, amicabiliter devenerat utraque pars ad hujusmodi concordiam; nimirum, ut abbatia Classensis jure dominii & proprietatis præcipua semper existeret tum quoad Pinetum, tum quoad vallem Candiani, sed jure emphyteotico investiret communitatem Ravennæ de parte ejusdem vallis, quoad pascenda dumtaxat animalia, apposito annuo censu quinquaginta librarum Bononiensium, & unius libræ ceræ novæ, solvendo a communitate ipsi abbatiæ; idque in viginti-novem annos, post quos investitura renovaretur cum solutione quinque librarum. Ne vero pars vallis concessa communitati controverteretur deinceps, arma seu insignia abbatiæ Classensis in marmore figerentur ad faciem respicientem ipsius jura, insignia autem communitatis ad faciem respicientem usum pascuorum; communitas autem nunquam jus ob hujusmodi concessionem prætenderet in dicta abbatiæ bona. Volens autem Petrus Bagnolus vigilantissimus abbas Classensis, præter congregationis approbationem, concordiam apostolico munimine roborare, confugiit ad Romanum pontificem Gregorium XIII. qui advocata ad se causa, litesque silere jubens, inserta etiam Pauli II. bulla de *Alienationibus*, quinto Kalendas octobris, pontificatus sui anno decimo, mandavit archiepiscopo Ravennati, & archidiacono ejusdem ecclesiæ, ut si ipsis constaret suprarelatam transactionem vere cedere in evidentem utilitatem ejusdem monasterii Classensis, eam voto suo approbarent, committerentque perpetuam illius observationem, ut discimus ex autographa ipsa bulla existente in eodem Classensi cœnobio.

Ann. Chr. 1582.

LVIII. Aliquot simul collecta monumenta.

Agente Cherubino abbate generali Gregorius XIII. sub die XXV. februarii hujus anni, pontificatus sui decimo plenariam & perpetuam indul-

indulgentiam concessit ecclesiis & monasteriis tum monachorum, tum monialium totius ordinis Camaldulensis in festis Sanctorum titularium earumdem ecclesiarum, & in die festivo sancti Romualdi fundatoris. Pariter die decima aprilis impetravit generalis ab eodem Romano pontifice renovationem privilegii Eugenii papæ IV. ut scilicet prælati congregationis facultatem haberent absolvendi monachos suos ab irregularitate.

Ann. Chr. 1582.

Ordini Camaldulensi & Gregorio priori & archimandritæ familiæ ipsius eremi mense novembri Ludovicus Langiacus abbas sancti Antonii Viennensis ordinis sancti Augustini participationem omnium bonorum spiritualium suæ religionis impartitus est, quam ordo Camaldulensis canonicis Viennensibus, ipsi nimirum Ludovico Langiaco abbati sancti Antonii, & Carolo Anisson præceptori sancti Antonii vicario generali apud Romanam curiam die XXVI. octobris concesserat; icto communicationis spiritualis fœdere mutuo. Gregorius prior erat eremi, non totius congregationis Camaldulensis, quam moderabatur Cherubinus.

In ædicula ecclesiæ sancti Nicolai de Burgo-sancti-Sepulcri adnotantur in tabella hæc verba: *Consecratio hujus ecclesiæ cadit* XVIII. *octobris facta per reverendissimum dominum Franciscum episcopum Lexinensem anno* M. CD. *Deinde in argumentum novæ structuræ de novo fuit consecrata per reverendissimum dominum Nicolaum Tornabonium de Florentia episcopum Burgi-sancti-Sepulcri eodem die anni* M. D. XXCII. *immittendo in altare majore dedicato divo Nicolao reliquias Sanctorum Johannis-baptistæ, Nicolai episcopi, & Benedicti abbatis.*

Sepulcralis tabula veteris ecclesiæ sancti Gregorii de Urbe: *D. O. M. Bernardo Tettio Bugellano Vercellensis diœcesis fe. re. Pauli & Julii III. Marcelli II. Pauli & Pii IIII. Pii V. & S. D. N. D. Gregorii XIII. armorum servienti, majorisque ripæ præsidis & patronarii officio laudabiliter functo Thomas & Johannes Tettii nepotes & hæredes patruo carissimo posuere. Obiit* VIII. *februarii* M. D. LXXXII. *vixit annos* LXXVIII. *& menses duos.*

Ann. Chr. 1583.

LIX. Venditio castri Civorii facta ab abbatia Classensi.

CASTRUM Civorii in diœcesi Sarsinate juris erat monasterii Classensis sancti Apollinaris; venditum ipsum fuerat a monachis Petro-francisco de Nobilibus Monti-politianensi pretio scutorum sex mille sexcentorum auri; verum cum Petrus-franciscus læsionem in venditionis contractu causasset, ipsumque contractum rescidisset, denuo venditum est Æneæ Pio de Obizis nobili Patavino pretio scutorum sex mille quadringentorum, conversumque est pretium dicti castri in solutionem subsidii quadringentorum millium scutorum impositorum contra Turcas a Pio V. undecim congregationibus. Sed animadvertens Gregorius XIII. Romanus pontifex ipsum castrum esse limitaneum finibus Romanæ ecclesiæ, jussit possessionem ipsius recipi a præside provinciæ Romandiolæ pro camera apostolica, & hoc anno 1583. die tertia augusti suo brevi incorporavit eidem cameræ apostolicæ, solutis scutis, quæ debebantur pro portione tum Æneæ emptori, quam monasterio Classensi venditori, duobus nempe millibus quadringentis, quæ monasterio Classis restabat Æneas.

LX. Alia monumenta historica.

IDEM Romanus pontifex quinto kalendas aprilis monasterium sancti Nicolai de Forbitoribus Urbis separavit a monasterio sancti Gregorii, cui univerat anno 1579. adjungens illi duo beneficia simplicia sancti Martini de Domo, & sancti Nicolai de Apiro olim adjecta abbatiæ Valle-castrensi, & volens, ut deinceps cœnobium sancti Nicolai a proprio prælato regeretur. Idem præstitit quoad monasterium sanctæ Crucis de Eugubio, quod separavit a sancta Maria-angelorum de Pisauro, & quoad alterum

ANN. CHR. 1583.

ſancti Damiani de Bononia diſſociatum ab illo ſancti Johannis-baptiſtæ de Faventia, quæ ſimiliter in monaſteria erexit, ſublata dependentia ab illis, quibus eodem anno 1579. adjunxerat.

Obiit die XII. octobris, nondum exacto triennio Cherubinus Mangonius abbas generalis congregationis Camaldulenſis; ſubrogatus eſt in illius locum a patribus congregatis in monaſterio ſancti Apollinaris in Claſſe, Stephanus de Pazzano a Saxolo, ex numero eremitarum, qui tunc Camalduli ſubpriorem agebat. Silvanus Ractius de Marradio, & Dionyſius Duſatus Veronenſis electi viſitatores hujus anni; anno ſequenti Michael-Angelus Atheſtinus, eoque defuncto Sebaſtianus Humanius a Fabriano, & Leonardus Battaglini Piſanus; anno autem 1585. Pompejus Fontana Bergomenſis, Deſiderius Angelerius Atheſtinus & Philippus Fantonius Florentinus.

Cardinalis Gabriel Pallæottus primus archiepiſcopus Bononienſis cellam conſtruxit in eremo Camaldulenſi dicatam ſancto Petronio Bononienſis urbis patrono.

Die undecima junii Vincentius de Peruſio eremita Montis-coronæ & ſindicus abbatiæ Montis-acuti renovavit Nicolao Bevicto confalonerio, & prioribus populi Civitatis-Caſtelli caſtrum Certalti cum muris, foſſis, carbonariis, palatio, domibus & turri.

Eccleſia ſancti Petri Montis-filicis, olim prioratus & membrum abbatiæ Vangaticienſis, ſita in arce in medio ejuſdem montis, ſupplicatione nobilium virorum ex Delphina patritia Veneta gente conceſſa fuerat eidem familiæ tamquam jure patronatus, cum ea conditione, ut in planitie reædificaretur cum domo & dote. Ea conditio neque tempore Sixti IV. ſub quo primo obtentum fuit a Delphinis privilegium anno 1470. neque ſub Innocentio VIII. neque ſub Paulo III. anno 1536. adimpleta fuit. Quare cum hoc anno vacaret, ab abbate commendatario Vangaticienſi Franciſco Lauretano collata fuit Stephano Sellario a Montiniana. Reclamavit Delphina gens, & utraque pars litem in Auditorium Rotæ devolvit. Tres tamen ſententias a cardinalibus Seraphino, Mantica & Blanchetto conformes & contrarias reportarunt nobiles viri *Delphini*, atque propterea ceciderunt a prætenſo jure patronatus, ut ad Severum Seneſium monachum Camaldulenſem epiſtola ſua teſtatum fecit anno 1625. idem Stephanus Sellarius, eccleſiæ præfatæ pacificus poſſeſſor ab hoc anno.

ANN. CHR. 1584.
LXI.
Monaſterium S. Marci de Mantua datum Camaldulenſibus.

ANNO pontificatus ſui XII. kalendis aprilis Gregorius XIII. Romanus pontifex ſuppreſſit ordinem canonicorum regularium ſancti Marci de Mantua, qui quatuor ferme ſeculis perduraverat, & per plures Italiæ urbes propagines ſuas extenderat, ſed quia tunc temporis ad ſex dumtaxat canonicos redactus erat, ad unumque ſancti Marci Mantuæ monaſterium, ob prohibitionem induendi novitios ex viſitatione apoſtolica anni 1576. ipſum cœnobium ad inſtantiam Guillielmi Gonzagæ ducis Mantuæ, (qui hoc ipſum jam exoptabat ab anno 1579. pluresque tractatus habuerat cum Cherubino olim abbate generali Camaldulenſe, univit congregationi Camaldulenſi cum omnibus bonis ad idem pertinentibus, quibuſdam ſolummodo exceptis ad vitam Alberti de Capriana hoc anno prioris & clerici commendatarii ipſius monaſterii, mandans executionem bullæ ſuæ epiſcopis Amerino, Mantuano & Veronenſi, bulla, quæ incipit: *In ſupereminenti militantis eccleſiæ ſpecula*. Guillielmus dux adhibita opera epiſcopi Caſalis, literiſque ſcriptis ad cardinalem Comenſem ordinis protectorem, auctor fuit hujus aſſignationis & unionis monaſterii congre-

gationi

gationi Camaldulensi, & beneficiorum seu prioratuum monasterio principi sancti Marci subjectorum, nempe sanctæ Mariæ de Succursu de Terrarsa, & sanctæ Mariæ de Misericordia Sarmatiæ seu de Capitello diœcesis Patavinæ. Apostolicam bullam exequutus est Bartholomæus Farratinus episcopus Amerinus die XX. julii. Die vero secunda septembris Secundus Piccolatus ex abbatia Pollicinii carusque Guillielmo duci primus designatus cœnobii abbas possessionem ingressus est monasterii sancti Marci una cum Cypriano de Gallis abbate sanctæ Crucis de Eugubio, cum Constantino Rumono abbate Fullinate, Paschali Padavinio priore sancti Johannis de Judaica aliisque monachis, inter quos recensetur Octavianus Battalea monachus & patritius Venetus, in præsentia canonicorum superstitum sancti Marci non contradicentium. Clemens postea VIII. univit mensæ monachorum prioratum secularem sancti Marci post mortem Alberti commendatarii, & post concordiam secutam inter ejus successorem, & inter monachos, formata bulla decimo kalendas novembris anni 1598. assignatis ducentis scutis annuis in tot bonis congregationi Camaldulensi juxta aliam approbationem, quam idem pontifex fecerat altera bulla anni 1596. nonis junii. Cherubino generali Camaldulensi, ut superius diximus, viro gratissimo & familiarissimo Guillielmi Mantuani ducis tribuitur promotio unionis ejus monasterii ad congregationem Camaldulensem. De ipso Cherubino Mangonio, & de Secundo Piccolato honorifica mentio fit in historia monastica Ricordati, in historia quoque ecclesiastica Mantuæ, & in Apparatu sacro Possevini. Meminit Secundi etiam Wion in Ligno Vitæ, ubi commemorat cantus nonnullos ab illo compositos cum sacros, tum profanos, quorum aliqui excusi sunt Venetiis apud filios Antonii Gardani 1574. in 4.

ANN. CHR. 1584.

LXII. Indulta Gregorii XIII.

IDEM Romanus pontifex septima januarii hujus anni indulsit Majori eremi Camaldulensis facultatem conferendi quatuor ordines minores suis eremitis, qui etiam a quocumque S. R. E. cardinale episcopo recipere possent ceteros majores, vel extra tempora, & non servatis interstitiis, ad hoc ut quies eremitarum divagando extra claustra non perturbaretur. Jamdudum vivæ vocis oraculo cardinalis Laurentius Puccius hanc facultatem fecerat, permittente Leone X. anno 1518. Majori, ejusque successoribus, ut propriis eremitis conferrent minores.

LXIII. De Sebastiano Avo, & de Rodulpho eremita.

HOC anno Sebastianus Humanius vel Avus ex Fabriano Camaldulensis monachus edidit librum Venetiis apud Guerræos fratres, cui titulus: *Rosario della gloriosa Vergine Maria con contemplazioni* &c. Auctor est etiam Sebastianus piarum contemplationum de ætate & vita Domini nostri J. C. quas Franciscus Panigarola eximius divini verbi præco, postea episcopus Astensis, luculentissimis illustravit concionibus Venetiis in templo divi Francisci de Vinea, ut scribit Fortunius. Catalogum quoque edidit Sebastianus Sanctorum ordinis Camaldulensis; librum pariter Missarum quinis & senis vocibus Venetiis apud Riccardum Amadinum anno 1593. Anno autem 1583. vitam sancti Placidi abbatis & martyris edidit Venetiis. In regestis Camaldulensibus appellatur Sebastianus de Humanis Fabrianensis, & professus monasterii sancti Michaelis de Muriano. De ipso verba faciunt Possevinus in Apparatu libro I. Hippolytus Marraccius in Bibliotheca Mariana, Fortunius, Petrus Passus in Magia naturali, Maurolycus in Oceano Religionum, & Mazzucchellius ad vocem Avus parte II. pagina 1262.

Narrat Lucas Hispanus [a] sub hoc anno vitam & mortem Rodulphi de Verona eremitæ Coronensis, cui, quod non facit de Petro Fanensi, de

[a] Lib. IV. cap. X.

ANN. CHR. 1584.

„ de Hieronymo Suessano, de Justiniano Bergomate, titulum tribuit Beati.
„ Fuit, inquit, nostris temporibus vir quidam venerabilis patria Veronensis nomine Rodulphus, justa corporis statura, vultu placido, gravique incessu donatus, liberalibus disciplinis non mediocriter eruditus, cujus tamen præcipuum studium in sacris literis erat. In juventute sua inter monachos Olivetanos conversatus, in virili ætate factus eremita, tanta in religione ista integritate morumque sinceritate vixit, ut omnibus esset admirationi. Intantum solitudinem adamavit, ut per annos viginti, quo tempore fere semper aut prior, aut major fuit, ab eremi ostio non sit egressus. In senectute bis reclusionem obtinuit, quam mirabili constantia ac legis ipsius custodia observavit; " ceteraque ejus acta & virtutes fuse describit. „ Obiit vero XXI. aprilis anno M. D. LXXXIV. ætatis suæ 79. " Atque ita Romualdinam suam historiam claudit Lucas additis his verbis: „ Potuissem hic multos non modo defunctos, verum etiam adhuc inter vivos agentes merito optimoque jure laudibus extollere, sed singulos propriis virtutibus efferre difficile nimis atque infinitum opus aggrederem. Multi siquidem e majoribus nostris fuere, quorum alter silentio inviolabili, velut Zacharias quidam Siculus, alter abstinentia, quidam oratione jugi, sicut Arsenius nuper defunctus, non pauci patientia, laboribusque tolerandis multum valuerunt. Nec desunt profecto hodie, qui mirabili ciborum parsimonia, perpetua taciturnitate, continuaque oratione non sine admiratione præcellant. Quales sunt Antonius & Felix conversi, qui adhuc viventes mortui reputantur, & alii innumeri. Sed cum superstites laudare prohibeat Ecclesiasticus, satius erit ab eorum encomiis, etsi justissimis, penitus abstinere. " Libro quinto idem Lucas prosequitur institutum & vitæ eremiticæ observantiam. De Rodulpho meminit etiam Germanus Botta in Synopsi ms. vitarum SS. & BB. Camaldulensium.

LXIV. Historia aliquot monasteriorum.

DIE XIII. decembris hujus anni Gregorius XIII. indulgentiam plenariam concessit visitantibus altare sancti Antonii abbatis, die ejus sacra in ecclesia sancti Nicolai de Forbitoribus, & ad instar hujus indulgentiæ similem extendit ecclesiis omnibus monachorum & monialium Camaldulensium diebus festivis Sanctorum titularium, & in die sancti Romualdi. Datum apud sanctum Petrum anno 1584. stylo bullarum die III. januarii pontificatus sui anno XIII., hoc est anno sequenti.

Favore ducis Urbinatis restituta fuit congregationi & monasterio sanctæ Mariæ-angelorum Pisauri ecclesia sanctæ Mariæ-veteris, quam ad perpetuum canonem eadem congregatio conduxerat a canonico Angelo Sparagno, non sine parvo damno & incommodo; quapropter consensu episcopi Pisaurensis Stephanus generalis Camaldulensis instrumentum jam confectum declaravit nullum.

Septima julii Carolus-antonius a Puteo archiepiscopus Pisanus separavit parœciam sancti Laurentii de Rivolta ab altera sanctæ Cæciliæ, restituens curam animarum dictæ sancti Laurentii ecclesiæ, in qua declaravit inesse & præesse posse ut rectorem, monachum Camaldulensem sancti Michaelis in Burgo Pisarum.

Vivebat adhuc, & consedit hoc anno in capitulo eremi Camaldulensis Johannes-baptista Barba Novariensis, olim abbas generalis congregationis, postea pluribus vicibus, & novissime anno 1580. Major ejusdem eremi. Præter Itinerarium suum epistolam præfixit constitutionibus selectis ordinis Camaldulensis, quas dicavit Pio V. sanctissimo pontifici impressas Florentiæ typis Sammartellianis anno 1572. Præter Fortunium, Minium aliosque

que omnes e nostris honorificam mentionem de Johanne-baptista faciunt Mugnotius, Wion, Jacobillius tomo III. & Lazarus-augustinus Cotta in Musæo Novariensi.

ANN. CHR. 1584.

Completa fuit præsenti anno ædificatio claustri & ecclesiæ sanctæ Mariæ de Saxo, quæ subjiciebatur monasterio sanctæ Crucis Fontis-avellanæ.

ANN. CHR. 1585.

LXV. Gregorii XIII. & Sixti V. bullæ.

GREGORIUS XIII. die quarta januarii priori generali monachorum ordinis Camaldulensis præcipit, & omnibus eremitis Camalduli in Etruria prohibet, ne ad alias religiones transitum permittat, vel transire valeant, neque etiam ad eremitas Monte-coronenses, sine expressa licentia eorum Majoris in scriptis obtenta. Eadem die confirmat extenditque eremitis Camaldulensibus privilegia ceterarum religionum. Atque hæ fuere supremæ dicti pontificis bullæ pro Camaldulensibus. Sixtus vero V. qui electus fuit die XXIV. aprilis Romanus pontifex in locum ipsius, quinta die decembris pontificatus anno primo facultatem facit supremo præsidi generali absolvendi prælatos, monachos & moniales ab irregularitatibus, excommunicationibus, interdictis, ceterisque censuris. Vigesima-prima decembris pariter concedit congregationi reassumptionem titulorum & prælaturarum, quæ sub Gregorio XIII. suppressa fuerant; item erectionem abbatialis dignitatis in iis monasteriis, quæ sub titulo prioratus erant, cum omnibus gratiis, indultis, insigniis & prærogativis, quæ habebant ceteræ abbatiæ, exceptis tribus monasteriis, sancti Gregorii in Urbe, sanctæ Mariæ de Fullina, & sancti Hippolyti de Faventia, quæ retinere deberent denominationem prioratus; duo prima ratione commendationis, tertium quia sedes erat abbatis generalis. Nomina autem monasteriorum, quæ eatenus prioratus fuerant, exprimuntur in supplici libello oblato Romano pontifici a Stephano abbate generali; & sunt monasteria sancti Mathiæ de Muriano, sancti Johannis-baptistæ a Judaica, sanctæ Luciæ de Vicetia, sancti Johannis baptistæ de Faventia, sancti Johannis-baptistæ de Bagnacaballo, sancti Salvatoris de Foro livio, sancti Damiani de Bononia, sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, sanctæ Mariæ de Monte-sancti-Sabini, sancti Severi de Perusio, sanctæ Crucis de Eugubio, & sancti Nicolai de Urbe. In eodem supplici libello petitur, ut abbates hujusmodi, sicut etiam ceteri, vigore privilegii Leonis X. præesse monasteriis possint, etiamsi benedictionis munus non acceperint, & insignia deferre, ornamenta & vasa sacra pro suis ecclesiis benedicere & consecrare, & in sollemnitatibus pontificaliter celebrare, ac post Missas & vesperas populo benedictionis munus impartiri, cum relaxatione viginti dierum de injunctis pœnitentiis valeant. Hinc in præfatis monasteriis, quæ eatenus recta fuerant a prioribus, desierunt priores, & eorum prælati nuncupationem assumpsere abbatum, sicut habebant prælati abbatiarum.

LXVI. De eremo Pascilupi.

CUM ad ipsius pontificis Sixti V. notitiam pervenisset eremitas Coronenses, tum propter ruinam, quam minitabatur mons, tum propter insultus frequentes prædonum, velle deserere eremum sancti Hieronymi de Pascilupo, ubi prima jacta fuerant fundamenta ejus congregationis a B. Paulo Justiniano, commisit Nicolao cardinali Senonensi, ut sequentem scriberet die III. augusti epistolam episcopo Eugubino, quatenus ipse eos induceret ad firmandum incolatum ejus eremi, quam subjicimus ex archivo eremi sancti Benedicti de Bononia: *Illustre e molto Rev. Signore come fratello. Si è riferito a Nostro Signore, quanto si contiene nel memoriale mandato da Vostra Signoria con la sua delli* XXVI. *del passato a monsignor mio Illustrissimo cardinale Alessandrino, che li Padri Camaldolesi per dubbio,*

che

Ann. Chr. 1585.

che hanno, che il monte vogli cascare, e per paura anco de' banditi, vogliano lasciare l' eremitorio di S. Hieronimo di Pascilupo, dove tanti anni sono vissuti; onde Sua Santità ha ordinato, che io scriva a V. S. che faccia intendere a' detti Padri a nome di Sua Beatitudine, che non debbano abbandonare a patto nissuno quel Romitorio, dovendo essi confidare nella bontà di Dio benedetto, che sia per difenderli dal precipizio del monte per l'avvenire, come ha fatto per il passato. Nè meno debbono temere i banditi, poichè Sua Santità provvederà essa col suo braccio a levarli ed estirparli. Così dunque V. S. faccia intendere a' detti Padri, con persuaderli nel miglior modo che saprà. E per fine le prego dal Signore ogni vero bene, e me le offero di cuore. Roma alli 3. Agosto 1585. di V. S. Illustre e molto Rev. Come fratello N. Cardinale di Sens.

Alio tempore eodem timore perterriti efflagitarunt eremitæ Camaldulenses dimissionem ejusdem eremi, sed rursus Dei benignitate confisi consilium suum deserendi locum respuerunt, & ad hodiernam diem perseverant imperteriti, neque saxa, neque prædones timent, a quibus nil læduntur eorum eremus & corpora.

LXVII. Eremus Coronatæ diœcesis Beneventanæ fundatur.

Post adventum Coronensium ad incolendam eremum Coronatæ in diœcesi Beneventana, offerebantur ipsis magnifica palatia convertenda in eremos prope urbem Neapolitanam; quia tamen ritui eremitico minus apta, vel proximiora frequentiæ civium censebantur, pium offerentium desiderium frustrabatur. Tandem præsenti anno vir illustris Johannes-baptista Crispus nobilis Neapolitanus, obtento, confirmatione etiam apostolica Sixti V. a Johanne Cappasanta abbate quodam simplici sacerdotio sancti Salvatoris a Prospectu nuncupato, cujus situs ad eremum condendam satis idoneus videbatur, eremitas vocare, & ad eamdem ecclesiam suscipiendam hortari non distulit; quibus cum locus placuisset, facilis fuit negotii conclusio. Est autem delubrum hoc sancti Salvatoris in cacumine montis præalti, qui a Neapoli quatuor millibus passuum distat, a Prospectu autem nomen accipit, quia Tyrrhenum mare ab oriente, ab occidente & a meridie, fertilis autem Campaniæ ager a septentrione latissime conspiciuntur. Ita autem mons versus urbem declinat, ut facilis sit curribus ascensus & descensus. Agro angustiori sancti Salvatoris Crispus adjunxit sufficientem finitimi agri sui partem, & principium fabricæ statim dedit. Accessit Caroli Caraccioli liberalitas ad ornamenta eroganda ecclesiæ & altarium. Cum autem adhuc pauperior esset ejus eremi status, Johannes de Avalos de Arragonia frater marchionis Piscariæ, & filius marchionis Vasti, qui exercitus imperialis dux strenuus fuit, palatium quoddam mirabili arte fabricatum existens in territorio urbis Neapolitanæ in monasterium convertendum cum sufficienti patrimonio dare voluerat, cui oblationi de more Coronenses eremitæ assensum præbere renuerunt. Is postea morti propinquus prædictæ eremo vice palatii quingentos ducatos annui census in perpetuum testamento reliquit, novum templum erigi, & sub invocatione sanctæ Mariæ Scalæ-cæli consecrari, atque in ipso corpus suum terræ mandari jubens. His ergo auxiliis & magnificis largitionibus hæc eremus initium sumpsit. Ferunt ecclesiam sancti Salvatoris conditam fuisse circa annum 445. a sancto Gaudioso episcopo Afro, fugiente Genserici persecutionem. Hæc ex Luca Hispano [a], cui consentit ms. etiam relatio Johannis Advogarii. Capta fuit possessio ejus eremi die VIII. octobris hujus anni, primusque anno sequenti constitutus rector Hieronymus Perusinus. Hanc eremum proximam lacui Agnani, in quo lina curantur, derelinquere anno 1667. ob graveolentiam aeris proposuerant eremitæ, sed jussu Majorum ædificata in

a Lib. IV. cap. 9.

loco

loco salubriore commoda habitatione ad deducendos infirmos, vel etiam sanos eremitas tempore aeris insalubrioris, perseverarunt, perseverantque vel hodie in ejus eremi incolatu. Sub initiis hujus fundationis secesserunt tamquam in locum solitudinis ad intimas cum Deo collocutiones habendas ibidem Franciscus Caracciolus, Augustinus Adornus & Fabritius Caracciolus, seminaque posuerunt novæ congregationis clericorum regularium Minorum, regulam quoque & constitutiones ibidem compilarunt, quas postea exhibitas judicio apostolicæ sedis Sixtus V. pont. max. hoc eodem anno approbavit, ut in Francisci Caraccioli vita legitur.

ANN. CHR. 1585.

Lites hoc anno inceperunt inter episcopos Foro-sempronienseṁ Octavium Accorambonum, & Fanensem Franciscum Rusticuccium, & inter monasterium Classense circa jurisdictionem spiritualem, quam obtinebat dictum monasterium in ditione appellata Ravenniana; quo jure scilicet abbates parœcias conferrent, qua auctoritate synodos congregarent, ceteraque præstarent, quæ episcopus præstat in diœcesi sua? In charta membranacea seculi XVI. hæ erant ecclesiæ Ravennianæ, quæ abbatiæ Classensi solvebant censum: ecclesiæ sanctæ Mariæ Fractarum, sancti Georgii Fractarum, sancti Viti a Sancto-vito, sancti Apollinaris a Sancto-vito, sanctæ Felicitatis a Monterollo, societas Monterolli, sancti Martini a Monte-vetulo, sancti Apollinaris a Monte-vetulo, sanctæ Sophiæ ab Insula, sancti Marci Turris, societas Fractarum. Cardinalis sancti Sixti die XVII. januarii hujus anni rescripsit, „ episcopum legitime impeditum posse ex facultate sibi „ tradita a concilio ecclesias, quæ *Nullius sunt diœcesis*, per suum gene„ ralem vicarium visitare; episcopum pariter manutenendum in sua quasi „ possessione concursum instituendi, donec abbas legitime jus cogendi sy„ nodum demonstret, aliasque coegisse, in eaque examinatores ad præscri„ ptum concilii deputasse. “ Idipsum respondit die IV. augusti anni 1594. Hieronymus cardinalis Matthæjus. Quare jurium suorum documenta proferre Classenses, & notulas synodorum exhibere coacti sunt, donec, ut litibus parcerent, ditionem hanc episcopo Foro-semproniensi cedere permutatione facta anno 1633. consultius duxere, ut videbimus.

Inscriptio sepulcralis prope altare majus sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. *D. O. M. Didaco Johannis Ramirez de Arevalo ex nobilibus Hispanis, superioris Sancti-miniatis arcis præfectura perfuncto, suis omnibus bonis, dum viveret, partim ex testamento per nationes Hispanas, partim in pauperes piosque usus erogatis, hoc sibi tumulo designato testamenti curatores vita jam functo posuere. Vixit annos* LXXI. *obiit* IV. *kal. Sextiles anno* 1585. Post septennium altera adjecta ibidem inscriptio: *D. O. M. Antonio Ramirez Montalvio, Saxettæ domino, divi Stephani equiti, & Johannæ Vuerennæ Ghevareæ nobilibus Hispanis atque conjugibus filii parentibus optimis mœstissimi ex testamento posuere sibi posterisque suis anno Domini* 1592.

In ecclesia autem sancti Michaelis in Burgo Pisarum prope januam manu læva ingredientibus: ΣΥΝ ΘΕΩ. *Baccius Philippi F. Valorius Præf. Urbi anno D.* M. D. LXXXV. *Cenotaphium dono sibi publice datum restaur. non amovit, ne cui privatim displiceat Pisanæ gentis, satius* ΚΑΙΝΟΤΑΦΙΟΝ *censuit gentis suæ ponendum.*

ANN. CHR. 1586.

LXVIII. Varia monumenta simul collecta.

OCTAVA januarii hujus anni Sixtus V. Romanus pontifex primo sui regiminis anno confirmavit & ampliavit priori eremi Camaldulensis omnia privilegia eremo concessa a suis prædecessoribus Sixto IV. Leone X. Clemente VII. Paulo III. Julio III. Paulo IV. Piis IV. & V. & Grego-

ANN. CHR. 1586.

rio XIII. vel etiam indulta societati sancti Romualdi de Massaccio, sive eremitis Monte-coronensibus.

Cum superioribus annis Stephanus abbas generalis Camaldulensis interpellatus fuisset ab abbate generali monachorum Montis-virginis pro formanda unione utriusque congregationis, & multoties ad eam exequendam ipsum exhortatus fuisset cardinalis Comensis Camaldulensium protector, nil suo marte concludere voluit, sed rem omnem retulit ad dietam celebratam hoc anno in abbatia sancti Hippolyti de Faventia, cujus definitores patres Petro Bagnacaballensi ordinis procuratori commiserunt, ut negotium maturaret, & unionem concluderet, quæ tamen effectum sortita non fuit. Post hæc obiit Patavii die septima novembris idem Stephanus generalis ex numero eremitarum, & in ejus locum suffectus fuit Philippus Fantonius ex numero monachorum professionis sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, & celebris Matheseos professor in universitate Pisana.

In Diamerone, quod hoc anno typis Venetis Angelerii edidit Cyprianus Giambelli Veronensis canonicus regularis Lateranensis, sub die prima pagina 52. introducitur tamquam interlocutor Martialis Gioja Athestinus monachus Camaldulensis, magister sacræ Theologiæ, & doctor peritissimus linguæ Hebraicæ, qui semper denominatur pater theologus. Vestem monasticam induit Martialis anno 1568. XIV. aprilis in cœnobio sancti Michaelis de Muriano sub Mauro de Mandello abbate, & in universitate Pisana lauream magistri in sacra theologia recepit, cujus proinde nomen libenter his Annalibus inserimus.

Canonicus Minuccius auditor nuntii apostolici in dominio Florentino pronuntiavit contra episcopum Arretinum & contra commune sancti Pancratii pro abbatia Agnani jus habente eligendi rectorem amovibilem ecclesiæ parœcialis sancti Ægidii ejusdem castri sancti Pancratii, tamquam membri manualis dictæ abbatiæ. Facta fuerat electio ante biennium monachi Camaldulensis in rectorem; ex tabulario sancti Romualdi de Urbe [a].

a Fascic. I. 31. 34.

Inscriptio ad sancti Gregorii de Urbe: *Johanni Diaz de Cabrera presbytero Hispano nobili genere Matriti nato protonotario apostolico, vitæ innocentia, & in pauperes Christi liberalitate singulari, obiit octuagenario major septimo novembris* M. D. XXCVI. *exequutores testamentarii F. F.* Alia: D. O. M. *Johanni Francisco Marino Camajano patritio Arretino ac Romano, animi & corporis miræ indolis puero, qui vixit annos quinque, menses sex, dies decem & octo; obiit die ultima augusti* M. D. LXXXVI. *Antonius commendator sancti Stephani pater, & Cosmus utriusque signaturæ referendarius patruus multis cum lacrymis posuere, sibique ipsis ac posteris sepulcrum hoc viventes elegerunt.*

ANN. CHR. 1587.

LXIX. De Luca Hispano historico, & de aliis viris illustribus Camaldulensibus.

LUCAS Barcinonensis in Hispania natus, novæ Camaldulensis sobolis eremitarum Montis-coronæ fama ad severioris vitæ amorem incensus, & in Italiam usque piis suis votis perductus eidem sacræ familiæ se mancipaverat multis ab hinc annis, anno nimirum 1569. primaque officia in ea congregatione gesserat, supremumque Majoris munus exercuerat anno 1577. plurium eremorum pariter tum antea, tam postea regimen tenuerat. Is, ne Pauli Justiniani, ceterorumque sanctitate & pœnitentia insignium virorum Coronensium eremitarum memoria in tenebris delitesceret, eorum historiam & gesta scribere aggressus est puro, candido & veritatis maxime studioso stylo, sub hoc titulo: *Historia Romualdina, seu eremitica de origine & rebus præsertim suæ congregationis Coronensis in libros quinque distributa*,

ſtributa, & Antonio Caraffæ S.R.E. cardinali nuncupata, impreſſa in eremo Rhuæ, quæ ſita eſt in agro Patavino anno 1587. Italice vero reddita a Julio Premuda cuſa eſt Venetiis apud Nicolaum Miſſerinum anno 1590. qui eam vulgari idiomate exhibuit juſſu magnifici domini Galeatii Secchii, & dicavit Johanni Juſtiniano pronepoti Pauli Juſtiniani patritio Veneto. De Luca mentio eſt apud Poſſevinum, Wionem, Nicolaum Antonium in bibliotheca ſcriptorum Hiſpanorum, & Antonium Teiſſerium in catalogo auctorum. Una in re male audiit apud quoſdam Lucas, quod ſcilicet Camaldulenſe nomen & album veſtis colorem, quæ primis, omnibuſque Romualdi diſcipulis communis antiquorum tribuit ſententia, in dubium revocaverit. Quapropter Fortunius ſcripta in illum Apologia inſurrexit. Verum haud omnino damnandus Lucas; in primis enim Romualdinæ rei initiis ii dumtaxat Romualdi alumni Camaldulenſes appellabantur, qui eremum Camaldulenſem incolebant, quod nomen poſtea ſenſim in omnes ejuſdem profeſſionis monachos effluxit, qui vel inſtituta Camaldulenſia ſuſcepere, vel ſub Camaldulenſibus aſcetis fundati fuere. Ceterum antequam de Camaldulo condendo Romualdus cogitaret, vel de veſte alba inducenda, quamplurimi morum ſanctimonia, ſublimi ſcientiarum eruditione, illuſtri martyrii palma, effuſa in barbaras regiones evangelica luce, & abdicato regionum dominatu inſignes viri Romualdi diſciplinam colebant. Continuationem hiſtoriæ Romualdinæ proſecutus eſt Placidus Vibius nobiliſſimo genere Peruſii natus, & eremita Coronenſis, qui vivebat circa annum 1640. quam tamen morte correptus ad calcem minime perduxit, extatque ms. in eremo Cryptarum Maſſaccii. De Vibio morum integritate præclaro multa cum laude meminit comes Hieronymus Tetius Placidi ſororius in pulcherrimo opere, cui titulus: *Ædes Barberinæ*.

In quo opere etiam mentionem facit Franciſci Oliverii patritii Peruſini, Floridi Titi patritii Tiphernatis, Victorii Donni patritii Peruſini eremitarum illuſtrium Montis-coronæ, qui tractatus ediderunt de Architectura, quorum exemplaria adſervantur in eadem eremo Maſſaccienſe. De Vibio præterea commemorat multa alia mſs. in eremo Montis-coronæ aſſervata Nicolaus Dannellus a Monte-bodio eremita Coronenſis in epiſtola data Romæ pridie Kalendas februarii anni 1694. Petro Canneto abbati, in qua ſeriem texit illuſtrium ſcriptorum & eorum operum congregationis Montis-coronæ. Inter ceteros mentionem facit cujuſdam Remigii Mutinenſis eremitæ, cujus ætatem ignoramus, qui opuſcula divi Baſilii & ſermones plures e Græco tranſtulit, quæ non reperiuntur in editis. Subdimus autem ſaltem nomina ceterorum, quorum aliquot annum obitus neſcimus; qui ſunt Joſeph a Macerata, Æmilianus de Trivio in Umbria, Gregorius Cartarius patritius Urbe-vetanus, Erculanus Balleonius patritius Peruſinus, Pacificus Penellus Romanus, Johannes-benedictus Lapparinus a Chucia, Gaudentius Lotharingus, Silveſter Mutinenſis, Jordanus Muneghina Patavinus, Archangelus Mantuanus. Aliquot tamen ipſorum nonnulla proferemus ſuis annis, ut proinde multum a veritate aberrent ii ſcriptores, qui otioſam, vel ſoli contemplationi utilem vitam tribuunt ſolitariis Camaldulenſibus, qui ſanctitati vitæ doctrinam quoque adjungere non poſthabuerunt.

Antonio Piſano Majori eremi Camaldulenſis Ludovicus Paſolinus monachus dicavit hoc anno, & edidit Ravennæ orationes Petri Bagnoli Bagnacaballenſis procuratoris generalis in Urbe congregationis Camaldulenſis habitas V. Kal. octobris anni 1583. pro electione generalis; in adventu Stephani generalis ad monaſterium Claſſenſe XII. kal. martii 1584. De

Ann. Chr. 1587.

optimo ſtatu rerum publicarum x. kal. aprilis 1584. In adventu ad Claſſem Antonii Piſani generalis 1580. viii. kal. martias. In adventu ejuſdem Fabrianum pridie nonas ſeptembris 1578.

Ann. Chr. 1588. LXX. De archivis generalibus a Sixto V. in Urbe inſtitutis, & de collegio Montalti.

Sixtus V. ex certis rationabilibus cauſis extinxerat officium archiviſtæ generalis in Urbe, & mandaverat regularibus omnibus inventarium inſtrumentorum & bonorum omnium monaſteriorum deferendum locorum ordinariis. Verum cum Petrus Bagnolus procurator generalis congregationis Camaldulenſis una cum aliis procuratoribus nonnullarum congregationum ſignificaſſet ipſi Romano pontifici archiva congregationis Camaldulenſis eſſe rite ordinata, & a viſitatoribus ſingulo quoque anno ſolita revideri, & ex conſignatione chartarum & inſtrumentorum poſſe multas lites exoriri vel ſecularium prætenſiones, permiſit idem Romanus pontifex die xx. julii pontificatus ſui anno iv. tum ipſi, tum ceteris procuratoribus delationem inſtrumentorum peculiarium cujuſcumque monaſterii ad monaſterium eorum congregationis in Urbe. Hinc omnium monaſteriorum chartæ & inventaria aſſervantur in monaſterio ſancti Romualdi de Urbe.

Quinto-decimo kalendas decembris cum erexiſſet idem Romanus pontifex in urbe Bononienſi collegium appellatum Montalti pro Picentibus, eo in loco, ubi primum erat prioratus ſancti Antonii ordinis ſancti Auguſtini, menſam collegio ſtabilivit ex beneficio ſanctæ Mariæ de Strata, olim monaſterio, quod bonæ memoriæ Philippus ſancti Euſtachii diaconus cardinalis Vaſtavillanus; ex alio ſancti Michaelis de caſtro Brittorum, quod ſimilis memoriæ Alexander epiſcopus Viglevanenſis; ex alio ſanctorum Fabiani & Sebaſtiani vallis de Lavino ordinis ſancti Benedicti, quod quondam Vincentius Beccatellus; & ex prioratu ſanctæ Mariæ de Angelis prope & extra muros Bononiæ ordinis Camaldulenſis, quem quondam Achilles Tofaninus clericus ex conceſſione apoſtolica in commendam obtinebant, & ex plebanatu ſine cura eccleſiæ ſancti Johannis-evangeliſtæ de Paſtino, quem quondam Auguſtinus Bondiolus ipſius rector habebat. Atque hæc fuit poſtrema ſors monaſterii ſancti Michaelis de Caſtro-brittorum antiquiſſimi, quod ſeculo xiv. ad equites Gaudentes ex Camaldulenſibus tranſiens, ſub commendatione ſemper poſtea perſtitit; & prioratus ſanctæ Mariæ de Angelis, in quo decem & octo annos ſupra ducentos ſedem habuere Camaldulenſes monachi ſub regimine prioris ſancti Mathiæ de Muriano.

Octavius Abbioſus Ravennas electus hoc anno epiſcopus Piſtorienſis in commendationem obtinebat monaſterium Camaldulenſe ſancti Salvatoris de Silva-munda diœceſis Arretinæ.

Viſitatores ordinis ſub Philippo Fantonio abbate generali erant hoc anno Dionyſius Duſatus Veronenſis, & Johannes-ludovicus Paſolinus Faventinus.

Cypriano Gallio Atheſtino abbati ſancti Michaelis de Muriano Dominicus & Johannes-baptiſta Guerræi typographi Veneti dicarunt Vitas Sanctorum collectas a Jacobo de Voragine, & jamdudum in Italicum traductas a Nicolao Manerbio monacho Camaldulenſi ſancti Mathiæ de Muriano. Plura habent typographi in nuncupatoria epiſtola, quæ cedunt in ipſius Gallii & congregationis Camaldulenſis commendationem, pro qua etiam teſtimonium in medium proferunt omni exceptione majus Coſmi Medicei primi Magni-ducis Etruriæ, qui virorum ejuſdem cœtus æſtimationem non vulgarem habebat, ſingularemque protectionem. Gallius, qui tempore peſtis anni 1576. rexerat monaſterium ſancti Michaelis de Muriano,

riano, usque ad annum 1579. post Avellanensis & sanctæ Crucis de Eugubio monasteriorum administrationem, secunda vice hoc est sequentibus annis præfecturam tenuit ejusdem sancti Michaelis cœnobii, cujus præsulis sollemnis memoria apud nos viget ad hodiernam diem.

Ann. Chr. 1588.

SIXTUS V. tertia februarii pontificatus sui anno IV. confirmavit & ampliavit indulgentias Leonis X. & Gregorii XIII. concessas recitantibus Coronam Dominicam; & XV. septembris permisit corpora sanctorum Maglorii & Paschasii in ecclesiam abbatiæ Uranensis ex veteri novam transferri, plenariam indulgentiam tribuens iis, qui sollemnitati translationis interfuerint.

Ann. Chr. 1589. LXXI. Alia monumenta.

Post triennium sui regiminis completum a Philippo Fantonio in officio generalatus, secunda vice electus fuit supremus præses in capitulo Ravennæ die XXVI. aprilis hujus anni Petrus a Bagnacaballo, Philippus autem Morettus Florentinus, & Adeodatus de Balneo in visitatores, qui perseverarunt etiam anno sequenti. Præsedit eidem capitulo Nicolaus Sabinensis Augustinianus theologus cardinalis Comensis protectoris, ab ipso delegatus. Secundo sui generalatus anno acquisivit Petrus congregationi præposituram sanctæ Catharinæ de Cremona, operam præstante Gerardo Peregrinio Veronensi, qui tunc procuratorem ordinis agebat in Urbe, & temporis progressu abbas generalis etiam ipse fuit. Reliquiæ decem-millium Martyrum, quæ asservabantur in ecclesia sanctæ Mariæ de Orbisio membro sancti Michaelis de Muriano, translatæ fuere ad dictam sancti Michaelis ecclesiam a Cypriano Athestino abbate, permittente Nicolao Galerio vicario generali Patavii die XVII. martii. Ex typographia monasterii Fontis-boni hoc anno edita fuit *Reformatio Camaldulensis ordinis*, privilegium scilicet amplissimum Leonis X., constitutiones capituli Florentini anni 1513. & literæ apostolicæ datæ ab eodem Leone vicario & visitatoribus congregationis. In eremo Camaldulensi, ut etiam in Coronensi, a multo tempore introducta fuerat ars typographica.

Vivebat hoc anno in Camaldulensi ordine & in monasterio sancti Gregorii de Urbe Bartholomæus monachus ex patricia Cremonensi familia Fabagrossia, qui Ptolomæo Gallio Novocomensi ordinis Camaldulensis patrono dicavit opus a se confectum, cui titulus: *De reverentia S. R. E. cardinalium erga Romanum pontificem Christi vicarium*. Extat ms. opus in bibliotheca ejusdem cœnobii sancti Gregorii, ipsumque laudat, qui e bibliothecæ forulis extraxit, Grandius, & post Grandium, & Cannetium in bibliotheca ms. scriptorum Camaldulensium, Franciscus Arisius tomo II. *Cremonæ Literatæ*.

Congregatio sancti Thomæ Aquinatis anno 1568. instituta a quindecim Florentinis nobilibus sub directione fratris Xantis Cini O. P. bonorum spiritualium ordinis Camaldulensis participatione donata est a generali Camaldulense.

Inscriptiones sepulcrales in ecclesia veteri sancti Gregorii de Urbe: *D. O. M. Hic Franciscus Gutierres Hispanus ex civitate Burgensi ortus jacet, & ab humanis fere octuagenarius die* XVII. *maji* M. D. LXXXIX. *decessit. Sui ex testamento hæredes duabus Missis in qualibet hebdomada, nempe feria quarta pro defunctis, & sabbato de beata Virgine Maria dotatis, & per priorem & fratres hujus monasterii perpetuo celebrandis benemerenti amico posuere.* Altera. *D. O. M. Ossa Mariæ Columnæ Marcelli filiæ, Antonii Cajetani conjugis magnanimitate, prudentia & sanctitate præclaræ hic suo jussu recondita. Vixit annos* LXXVII. *obiit sexto nonas maji* M. D. LXXIX. *Pirrhus filius, Antonius nepos Cajetani matri & aviæ benemeritæ.*

VI-

Ann. Chr. 1596.

LXXII.

Monasterium S. Viti de Mediolano erigitur pro Camaldulensibus.

VIVEBAT hoc tempore in congregatione Camaldulensi Eusebius Brasca ab Albacina, qui sub Ægidio abbate Carcerum vestem monasticam induerat, emiserat autem professionem die prima januarii anni 1554., ac tirocinium posuerat in cœnobio sancti Michaelis de Muriano. Is non vulgaris ingenii vir speciale mandatum procurationis acceperat die XXVI. augusti anni præcedentis ex Ravenna a Petro Bagnolo abbate generali ordinis fundandi & recipiendi pro Camaldulensi congregatione cœnobia in ditione Mediolanensi, & alibi etiam, si sors se obtulisset. Cum itaque se recepisset Eusebius Mediolanum ad Gasparem Vicecomitem archiepiscopum ejus urbis, spem ab ipso habuit obtinendi pro Camaldulensi congregatione monasterium Mira-solis extra portam Ticinensem. Maximilianus etiam quondam Hermetis marchio Soncini & comes Ripaltæ obligatione se adstrinxit successoresque suos hæredes, ut singulis annis darent perpetuis temporibus monachis Camaldulensibus residentibus in eo monasterio mille ducentas libras imperiales in substentationem vitæ aliquorum ex ipsis, sub oneribus, pactis, modis, formis & conditionibus latius contentis in instrumento donationis, promissionis & obligationis recepto per Johannem Petrum Scottum notarium, actuarium, coadjutorem cancellariæ archiepiscopalis Mediolanensis. Cum enim Deo vovisset idem marchio visitare loca sancta Palæstinæ, nec id præstare valeret impeditus aliis occupationibus, Eusebium præfatum monachum rogavit, ut pro se eam peregrinationem susciperet, ejusque labores itineris pia promissione alicujus loci propterea remunerari proposuit ea donatione conscripta die XVIII. aprilis hujus anni. In archivo sancti Blasii de Fabriano visuntur adhuc testimoniales literæ rectoris Terræ-sanctæ fidem facientes Eusebium Brascam monachum Camaldulensem anno sequenti visitasse sacra Palæstinæ loca devotionis gratia. Paulo post obiit piissimus marchio Maximilianus, habitu recepto inter patres ordinis Cappuccinorum. Hæc novimus ex historia ms. Camaldulensis congregationis Mauri Ruggerii de Abbatia Pollicinii abbatis Camaldulensis, quæ servatur in archivo monasterii sancti Mathiæ de Muriano, & ex catalogo cœnobiorum Camaldulensium ad calcem Vitarum Sanctorum Camaldulensium Silvani Ractii. Verum cum archiepiscopus Vicecomes monasterii Mira-solis unionem congregationi Camaldulensi obtinere frustra curasset, cupiens alio modo benevolum erga ipsos se exhibere, ecclesiam obtulit sancti Viti ad Carubium extra eamdem portam Ticinensem. Hæc erat ecclesia parœcialis, quam Carolus Borromæus ejus prædecessor in visitatione suppresserat, decedente rectore, qui tunc vivebat, propter tenuitatem reddituum, parvumque parœcianorum numerum, quos univerat proximis parœciis sancti Michaelis & sancti Sixti, reservans sibi jus applicandi ejus bona, ut liquet ex visitationis actibus. Advocavit itaque ad se archiepiscopus Vicecomes Johannem-antonium Gallaratum postremum & adhuc viventem rectorem ecclesiæ sancti Viti, qui prompto animo cessit ecclesiam Eusebio monacho sequentibus pactis: " Ut suppressio parœciæ fieret sine sui damno toto vitæ suæ tempore, servato „ titulo parochi, & retentis redditibus. Ut monachi, quibus perpetuo „ uniebantur domus parœciales pro ipsorum residentia, locum commodum „ reservarent parocho. Ut ii satisfacerent oneribus Missarum ejus ecclesiæ, „ & providerent ecclesiam vestibus & ornamentis sacris, & domus parœciales repararent, ac bona ecclesiæ, neque in cura animarum se exercerent. " Excepit eas conditiones Eusebius, & nomine congregationis possessionem iniit ecclesiæ sancti Viti, instrumento scripto sub die tertia octobris hujus anni, renovante archiepiscopo suppressionem parœciæ, &

perpe-

Ann. Chr. 1590.

perpetuo concedente eam ecclesiam congregationi Camaldulensi, cum obligatione residendi collegialiter, & augendi quamprimum numerum ad duodecim monachos, & assignata insuper donatione legataria marchionis Maximiliani, cum obligatione quotidianæ Missæ primis duobus annis, & duarum Missarum quotidie celebrandarum annis sequentibus. Innocentius IX. suo speciali brevi die XXIX. novembris anni 1591. unionem & conditiones confirmavit & roboravit. Cessioni supervixit parochus Gallaratus duobus annis, defunctus anno 1592. Post ejus obitum parœciani sancti Viti, licet pauci numero, in unum convenientes die XXIX. maji notariali instrumento reclamarunt a suppressione parœciæ, rogantes archiepiscopum Vicecomitem, ne privaret ecclesiam ipsorum honore parœciæ, quinimmo substitueret monachos Camaldulenses, qui curam animarum exercerent]. Annuit benigne archiepiscopus, tribusque annis cum dimidio Camaldulenses monachi officium parœciale exercuere. Emicuere inter ceteros monachos pietate & doctrina Theophilus Sartorius ex Abbatia Pollicinii lector collegiatus Patavinus, qui abbatis titulo aliquot annis monasterium illud rexit, Aurelius Pollicantes Veronensis, qui postea fuit ordinis abbas generalis, Sebastianus a Verona, sed præsertim Octavianus Battalea patritius Venetus, & monachus Camaldulensis, qui etiam feliciter ibidem dies suos clausit anno 1601. ut dicemus. Obtinuerunt quoque monachi a vicario generali archiepiscopi Antonio Seneca erectionem fontis baptismalis in eorum ecclesia. Quid contigerit iisdem monachis sub Friderico Borromæo Vicecomitis successore aptius aperiemus anno 1596.

Alexander Musottus episcopus Imolensis juxta decretum cardinalis Galli Æmiliæ legati præcepit monachis sancti Hippolyti de Faventia destructionem ecclesiæ sancti Laurentii de Guarcinorio, quæ evaserat asylum perditorum hominum, & applicationem bonorum & onerum dictæ ecclesiæ altari majori parœcialis alterius ecclesiæ sancti Mauri de Solarolo æque subjectæ monasterio sancti Hippolyti.

ANNA-

ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEPTUAGESIMUS-QUARTUS.

Ab anno CHRISTI M. D. XCI.

ANN. CHR. 1591.

I. Acta capituli generalis hujus anni.

IN capitulo generali congregationis celebrato in abbatia sancti Apollinaris de Classe Ravennæ plura tractata fuere pro augendo & dilatando ordine; cum enim, ut diximus anno præterito, archiepiscopus Mediolanensis sponte obtulisset abbatiam Mira-solis, vel aliam domum regularem pro habitatione Camaldulensium, patres miserunt Pium Cæsenatem S. Th. magistrum, virum virtute & moribus ornatum pro obtinenda donatione, præfecerunt autem Eusebium Brascam monasterio sancti Viti. Pariter Herulus de Herulis episcopus Narniensis prolegatus Romandiolæ proposuit Camaldulensibus incolatum in sua diœcesi, monasterium exhibens, statutusque fuit Maldulus Rambaldus Ravennas monachus, qui componeret cum episcopo. Viterbienses etiam obtulerunt ecclesiam sancti Faustini suæ urbis prope mœnia cum platea, fonte, horto & parvo claustro, quæ ecclesia erat collegiata cum sex canonicis & eorum priore, una cum capella appellata de Sargutis; ecclesiam similiter sanctæ Mariæ novæ in medio urbis parœcialem cum ducentis sexaginta domibus rectam a priore. Iidem capitulares patres caute agendum decreverunt cum Petro Usimbardo episcopo Arretino, qui petebat sibi concedi habitationes monasterii sancti Michaelis de Arretio pro inducendis ibidem quibusdam presbyteris reformatis, quos *del Chiodo* nominabant. Receptus quoque fuit in eodem capitulo codex homiliarius recitandus in capitulo monachorum post Primam diei Dominicæ collectus ab Augustino Fortunio, de quo anno sequenti plenius agemus.

II. Gregorius XIV. amplissimum privilegium concedit Camaldulensibus.

AMPLISSIMUM privilegium abbati generali & congregationi monachorum Camaldulensium concessit hoc anno die XXIV. septembris pontificatus sui anno primo Gregorius XIV. qui ex Sfondrata familia post Sixtum V. & brevissimum pontificatum Urbani VII. electus fuerat Romanus pontifex die quinta decembris anni præcedentis. In eo facultatem fecit eidem generali absolvendi monachos suos a quibuscumque excommunicatio-

nicationibus & censuris, exceptis contentis in bulla Cœnæ Domini; communicavit monachis omnia privilegia Monte-coronensium; antecessorum pontificum privilegia omnia confirmavit, & beneficiorum uniones, supplens defectus, si qui occurrissent, & de novo ea concedens; exemit Camaldulenses monachos & moniales ab omni episcoporum jurisdictione & superioritate; participavit demum omnia privilegia concessa & concedenda in quacumque mundi parte tam indulgentiarum plenariarum, quam aliorum bonorum spiritualium & temporalium; extendens privilegia aliarum religionum Camaldulensi absque ulla penitus differentia perinde ac specialiter, nominatim, & ad instar concessa fuissent; idque precibus Ptolomæi Gallii episcopi Tusculani S. R. E. cardinalis. Insuper confirmavit congregationi nova monasteria sanctæ Mariæ a Puteo Stratæ Taurinensis, & sancti Viti in Carrubio Mediolanensis, sanctorum Catharinæ & Romualdi Cremonensis, sancti Augustini de Basciano Aprutii, & sancti Nicolai de Cornu Pennensis diœcesum, in quibus voluit ut possent institui abbates & prælati, sicut in aliis monasteriis. Incipit: *Ex injuncto nobis*. Alia extat ejusdem pontificis bulla confirmatoria privilegiorum in archivo [a] sancti Romualdi de Urbe incipiens: *Ex sedis apostolicæ provisione*, quæ multum differt ab ea, quæ est edita in libro Privilegiorum.

Ann. Chr. 1591.

a *Fasc.* LXIV. 19.

III. Idem donat iisdem monasterium S. Catharinæ de Cremona.

Quoad abbatiam sanctorum Catharinæ & Romualdi de Cremona, devenit ipsa hoc anno, eodem Romano pontifice concedente, ad congregationem Camaldulensem. Præpositura antea fuerat ordinis Humiliatorum, sed post ipsum ordinem a sanctissimo Pio V. suppressum, commendationis titulo obtenta fuerat a Matthæo Ravario, cui ipsam contulerat anno 1571. camera apostolica, quæ anno præcedenti nomine proprio & Romani pontificis Pii tenutam corporalem & spiritualem ejusdem loci introjerat. Anno 1590. literis apostolicis Gregorius XIV. erexerat beneficium simplex ad altare sanctæ Catharinæ in ecclesia ejusdem præpositurræ, ad favorem præfati Ravarii, cum obligatione Missæ quotidianæ. Præsenti vero anno eam ecclesiam congregationi Camaldulensi donavit cum sacristia, turri, campanis, structuris, paramentis & ornamentis, ac sacris & profanis suppellectilibus suis universis, cum hoc tamen, ut prope ipsam ecclesiam construeretur monasterium dictæ congregationis sub invocatione sancti Romualdi, pro perpetuis usu & habitatione abbatis, & octo presbyterorum, ac trium clericorum monachorum, simul numerum duodecim constituentium, vel etiam plurium, juxta dicti monasterii commoditatem. Instrumentum conventionis itaque rogatum est inter congregationem Camaldulensem, & inter Matthæum Ravarium presbyterum secularem beneficiatum altaris sanctæ Catharinæ, ut congregatio solveret quotannis ex redditibus monasterii quingentos ducatos auri eidem beneficiato, qui obligaretur ad quotidianam Missæ celebrationem ad ipsum altare, cetera vero bona, redditus & proventus cederent ad substentationem monachorum. Minorationem hujusmodi pensionis referemus ad annum 1645. Primus loci rector constitutus est Cornelius Lucensis; anno autem sequenti Gerardus Peregrinius Veronensis, qui multum in Romana curia insudaverat pro ea præpositura obtinenda. Sub Mauritio de Barbarano Vicetino ejus loci abbate anno 1599. orta lite circa præcedentiam inter Camaldulenses & monachos Montolivenses, primis concessa fuit præcedentia. Cetera suis annis.

IV. Monumenta aliquot historica.

Parum supervixit pientissimus pontifex de Camaldulensibus optime meritus. Ipsi defuncto mense octobri successit Innocentius IX. Hujus Romani pontificis extat breve, quo confirmat congregationi Camaldulensi ecclesiam parœcialem sancti Angeli de Apiro subjectam monasterio sancti Ur-

ANN. CHR. 1591.

bani de Æsinante, quæ diu possessa per commendatarios vacabat, & reciderat ad ordinem.

Dominicus Pinellus S. R. E. presbyter cardinalis tituli sancti Chrysogoni legatus a latere Umbriæ & Perusii, & pro sede apostolica vicarius generalis in spiritualibus visitat eremum Camaldulensem, & motus pietate & sanctitate loci indulgentias concedit visitantibus aliquot cellas eremi die XVI. septembris hujus anni.

In parthenone Camaldulensi sancti Marci Volaterrarum habitum monasticum assumpserunt hoc anno duæ filiæ principis Plumbini, cujus soror eamdem cucullam induerat in eodem loco anno 1559. Sorori principis Sfortiæ Appiani Plumbini impositum fuit nomen Maximillæ; filiis autem ejusdem principis Virginiæ & Vasonæ nomen, sacrum ritum peragente in his Guido Serguidio episcopo Volaterrano.

Participatio bonorum spiritualium congregationis Camaldulensis conceditur hoc anno a patribus serenissimæ Catharinæ de Austria infanti serenissimi regis Hispaniæ, serenissimo Carolo-emmanueli Taurini duci cum tota prole, illustrissimo & reverendissimo domino Gaspari Vicecomiti archiepiscopo Mediolanensi, illustrissimo domino Maximiliano marchioni Soncini cum uxore, filiis & nepotibus; fratribus & sororibus societatis Coronæ Fabriani, & plerisque aliis ordinis benefactoribus.

Exsuperantius Ferrettus nepos Johannis-petri Ferretti Ravennatis episcopi Lavellinatum septuagesimum-primum annum agens, die XXV. junii dicavit ex urbe Ravenna Johanni-baptistæ Ragusio Faventino abbati Classensi opusculum ejusdem patrui sui de Viris illustribus Ravennæ, ubi de Romualdo, & Petro Damiani præsertim disserit.

Pius Cæsenas superius nominatus facultatem obtinuerat a patribus capitularibus acquirendi alia monasteria in Insubria; monachum induerat in abbatia Classensi die XXIII. julii anni 1573. Carmina varia post se reliquit, & de ipso mentionem facit Thomas Minius in historia ms. Camaldulensi.

In basilica sancti Zenonis Pisarum legitur sub hoc anno in stylobate marmoreæ statuæ sancti Zenonis ad aram maximam sequens inscriptio: *Templum hoc restituit, effigiem marmoream erexit, agros redemit, excoluit, exsiccavit Capponius Capponius abbas & eques D. Stephani anno Domini* M. D. LXXXXI.

V. Philippi Fantonii obitus & opera.

VITAM plane senex in abbatia sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum clausit hoc anno VI. idus augusti Philippus Fantonius Florentinus, secundo post depositum generalatum anno, quem assecutus fuerat anno 1586. Quadraginta annorum spatio nunquam intermisso ingentem plane Matheseos cursum in celeberrimo Pisano archigymnasio tradidit, *incredibili*, ait Minius, *cum omnium admiratione*, *atque audientium profectu*. Anno 1560. vacantibus diebus ac festis extraordinarie mathematicam facultatem explicabat, cum Franciscus Ottonarius ordinarius geometra esset in eadem Pisana universitate. Anno 1581. cum stipendio centum scutorum in Matheseos cathedra successit Josepho Nozzolino Pisano. Anno 1585. augmentatum est ipsius honorarium. Præter Euclidis interpretationem injunctum illi munus explicandi quadripartitum Ptolomæi opus, quatenus ad facultatem medicinæ pertinet, & secundum planetarum delineationes. Anno 1587. coadjutorem habuit in cathedra geometriæ Franciscum Pisserum alterum monachum Camaldulensem ex Monte-sancti-Sabini, qui post mortem Fantonii continuavit usque ad tempora Galilæi Galilæi. Scripsit Fantonius *de ratione reducendi anni ad legitimam formam & nu-*

merum

merum ad Antonium Pisanum Camaldulensium abbatem generalem. Florentiæ apud Junctas anno 1560. *In Sphæram Johannis de Sacro-bosco*. *Commentaria in theoricas novas Planetarum Georgii Pubarchii ad Franciscum Mediceum Magnum Etruriæ ducem*, quæ ms. in folio asservantur in bibliotheca Angelorum Florentiæ. *Institutionem compendiariam cosmographiæ & astronomiæ*, in eadem bibliotheca in 4. cum approbationibus, jam paratam editioni typographicæ. Hoc ipsum opus Italice reddidit Antonius Savinus Philippi nepos monachus Camaldulensis, cujus Etruscæ versionis duo sunt exemplaria in eadem bibliotheca. *In magistrum Sententiarum commentaria*. *Prælectiones mathematicas habitas in accademia Pisana*. Fantonium appellat *matheseos scientia egregium* Gerardus-johannes Vossius de scientiis mathematicis cap. 65. *in divinis Scripturis eruditum*, *in secularibus literis doctum*, & *in mathematicis disciplinis peritum*, *ingenio dulcem*, *eloquio subtilem* Augustinus Oldoinus in Athæneo Florentino; uterque tamen fallitur, qui opera Fantonii, quæ Latine exarata sunt, Italice scripta perperam asserunt. Loquuntur de Fantonio etiam Pocciantius, Buccellinus, Petrus Ricordatus, Wion, Porcachius, Maurolycus, Fortunius, Minius & Possevinus, quem postremum admiratio subit, quod monachus cum esset Philippus, mathematicas tamen disciplinas publice tradiderit in Pisana Accademia. Germanus Vecchius in ms. historia Patriæ Foro-julii, præter integerrimam vitam, excellentemque doctrinam, ex quibus laudat Fantonium, refert ipsius opinionem circa reformationem anni ita placuisse summo pontifici Gregorio XIII. ut non exsatiaretur laudibus ejusdem coram pluribus S. R. E. cardinalibus. Antonius Savinus Fantonii nepos, præter allata, de suo penu elaboravit comœdiam, pro usu eorum temporum, cui titulus: *Gl' inganni donneschi*. Et *Ragionamenti spirituali* tomis duobus in folio, & tomis sex in quarto, in bibliotheca Angelorum Florentiæ, completis annis 1618. & 1620. & nuncupatis Mariæ-antoniæ Paci moniali sancti Petri de Luco.

ANN. CHR. 1591.

Sepulcrale elogium in veteri ecclesia sancti Gregorii de Urbe: *D.O.M. Marco Patriarchæ Johannis filio & Juliæ Ferreæ Ursinæ nobilissimis Romanis Gregorius Patriarcha parentibus optimis cum lacrymis posuit anno* M. D. LXXXXI.

ANN. CHR. 1592.

VI. Lis jurisdictionis renovatur ab episcopo Arretino contra eremum Camaldulensem.

RENOVATA est hoc anno magna lis antiquissimæ libertatis eremi Camaldulensis. Venit siquidem Petrus Usimbardus episcopus Arretinus ad eremum, in qua reverenter & summa urbanitate susceptus est ab eremitis. Locum, ecclesiam, sacras reliquias specie devotionis visitavit, idemque perfecit in monasterio Fontis-boni; quod postmodum se fecisse jure episcopi diœcesani mandavit conscribi in actibus visitationum. At ubi id rescierunt eremitæ, duos ex eorum familia Arsenium de Puppio, & Claudium Volaterranum cum notario Arretium miserunt, protestaturos de nullitate actorum. Hi episcopum invenerunt tunc ecclesiam sancti Bartholomæi de Agna visitantem, qui illos neque admisit, nec alloquutus est, sed notarium minis deterruit. Quare capitulum eremitarum die XX. augusti alterum protestationis instrumentum confecit, & Alexander Ceva eremita tamquam ipsorum procurator die XIX. januarii anni sequentis ab auditore Cameræ Apostolicæ Camillo Burghesio obtinuit monitorium & inhibitorias contra episcopum, ut intra dies XX. compareret sub censuris ad causam dicendam pro usurpata jurisdictione. Produxit episcopus plures veteres attestationes; in iis, quod Petrus Delphinus electus prior Camalduli, fuerit anno 1481. inter Missarum sollemnia ab episcopo Arretino Gen-

Ann. Chr. 1592.

tili Becchio susceptus & confirmatus; quod ad synodum Arretinam convocati eremitæ pluries ad ipsam interfuturi convenerint. Commissa fuit testium examinatio Neapoleoni Comitulo episcopo Perusino anno 1594. Clemens autem VIII. Friderico Borromæo cardinali & archiepiscopo ex Urbe Mediolanum redeunti visitationem eremi, simulque inire concordiam episcopum inter & eremum commisit, qui die IV. augusti anni 1595. concordiam & transactionem exposuit, interpretatione jurispatronatus dumtaxat honorifici episcopi Arretini in eremum Camaldulensem. Comprobata fuit ea transactio judicio etiam cardinalis Flaminii Plati, & Johannis-vincentii Ondedei Eugubini JC. advocati; & demum Clemens VIII. anno 1596. die XIX. novembris eam ipsam transactionem suo brevi inserens, ratam confirmatamque voluit, atque ab omnibus observandam mandavit pontificatus sui anno V.

Basilica sanctæ Mariæ ad Gradus Arretii in meliorem formam fuit redacta a Leonardo de Battaglinis Pisano abbate ejusdem monasterii. Post triennium reliquias Sanctorum, quæ erant in veteri ecclesia, colligi curavit Silvanus Ractius Leonardi successor cum subjecta inscriptione: *Sanctorum reliquias, quæ sub summo altari aliisque in locis veteris ecclesiæ servabantur, in hac tumba a se instaurata poni curavit D. Silvanus Ractius abbas anno Domini* M.D.VC.

VII. Obitus Petri Bagnoli abb. generalis.

Decessit non completo triennali regimine hoc anno Petrus Bagnolus generalis; quare electus fuit quarta vice, jussu cardinalis Comensis protectoris, in ejus successorem Antonius Pisanus, qui grandævam ætatem suam excusans, ab eo munere se abdicavit, paucisque tantum diebus vicarium generalem egit, donec iterum congregati patres in capitulo generali apud Ravennam suffecerunt ad diem XXVIII. maji ex numero eremitarum Simeonem de Paracciis Perusinum, qui dignitatem generalatus obtinuit cum Octaviano de Anglario, & cum Augustino de Balneo visitatoribus, & anno sequenti cum Sebastiano Boccardino Florentino visitatore. Approbarunt etiam patres hoc anno conventionem Matthæum Ravarium inter & congregationem Camaldulensem pro unione præpositura sanctæ Catharinæ de Cremona. Quoad Petrum Bagnolum generalem defunctum, talibus is virtutibus ornatum animum habuerat, ut omnium sibi amorem conciliaverit, ipsorum etiam Romanorum pontificum, cardinalium Gallii & Feltrii, a quo postremo resignationem accepit, ut vidimus, abbatiæ Fontis-avellanæ. Prolixum Bagnoli elogium facit in sua Patriæ Foro-julii ms. historia Germanus Vecchius, narratque summum pontificem Pium V. dum ad regimen ejus cœnobii Petrum dimisit, dixisse: „ Se spem firmam concipe„ re, ut sicut per Petrum Damianum restauratus fuerat locus ille, ita per „ alium Petrum reformandus esset. " Præter Avellanense regimen, aliud iteratis vicibus onus suscepit Classensis monasterii; bis supremum in ordine magistratum gessit, ceteris annis vel visitatoris, vel procuratoris generalis in Curia officium strenue exequutus est. Feliciora Italiæ ingenia laudes ejus celebrarunt. Plures orationes typis edidit, de quibus anno 1587. aliasque in lucem emissas a Vincentio Cartario Ravennate anno 1582. in urbe Ravenna, scilicet in adventu Julii Feltrii de Ruvere cardinalis Urbinatis archiepiscopi Ravennæ, & in adventu Antonii Pisani generalis Camaldulensis. De Bagnolo mentionem faciunt Fortunius, Minius, Pomponius Spretus in opusculo de ingressu cardinalis Sfortiæ legati Ravennam, Rubeus, Fabrius, Pasolinus in Lustris Ravennatibus, & Morigia libro I. capite LVIII.

Receptus fuerat in capitulo anni antecedentis Augustini Fortunii *Homiliarius codex lectionum, quæ cantantur ad* Pretiosa *post Primam officii regularis,* enun-

enuntiata Luna cum Sanctis Martyrologii, quem Florentiæ edidit ipse anno præsenti. In epistola nuncupatoria ad Antonium Pisanum vicarium generalem ordinis hæc habet: „ Huc igitur cum tendant lucubrationes, atque „ homiliæ sanctorum ecclesiæ doctorum, quibus selectis omnis clericorum „ ordo statutis diebus utitur pro expositione sacræ currentis evangelicæ le„ ctionis; cumque in ultima visitatione bonæ memoriæ Petri Balneocaballensis generalis proxime defuncti demandata mihi fuerit cura inno„ vandi libellum deperditum brevium lectionum homiliarium, quibus cho„ rus noster Angelorum utebatur post Primam ad Pretiosa, ut impressus „ fiat communis omnibus aliis nostri ordinis monasteriis; cumque factum „ sit obedientiæ gratia, quod imperatum fuerat, domno Samuele annuen„ te, reliquum est, ut ejus editio, reverendissime pater, tuo exeat nun„ cupata nomini, ad quem pertinet volumina per loca partiri. Addita „ quibus est in fine confessio generalis, quæ peculiaris est nostræ congre„ gationis a sanctæ inquisitionis officio correcta & approbata. Vale ex cœ„ nobio Angelorum Florentiæ idibus maji 1592. “ Et in præfatione: „ Ex his igitur, fratres carissimi, cum vetustus nobilis homiliarius codex „ noster Angelorum deperditus frustra desideraretur, visum est his, qui nobis „ præsunt, ipsum innovari, facta selectione illius capituli cujuslibet homiliæ, „ unde & legentes & audientes magis ædificari posse videantur diebus XII. „ lectionum, nam ferialibus canimus de regula S. P. N. Benedicti &c. “

ANN. CHR. 1592.

VIII. Monumenta historica collecta.

PAROECIA sanctæ Victoriæ de Sarthiano in diœcesi Clusina spectans ad monasterium Rosæ Senarum temporibus obsidionis urbis & dominii Senensis collata fuerat ab episcopo Clusino; defuncto ultimo rectore cum jus acquisiisse in eam ecclesiam existimaret episcopus, impedivit electionem rectoris factam a Leonardo Battaglinio abbate monasterii. Lis agitata fuit inter episcopum & abbatem multo tempore, demum sacra congregatio die XXXI. augusti protulit beneficium illud revera esse congregationis Camaldulensis, atque pertinere ipsius collationem ad abbatem Rosæ, scriptis proinde per secretarium suum literis episcopo Clusino, ut liberam dimitteret parœciam monacho electo ab abbate, constituto tamen ei socio, atque ipsi redditus anteactos beneficii restitueret.

Ad sancti Gregorii de Urbe inscriptiones: *D. O. M. Obertus Ripariolus patricius Genuensis, utriusque signaturæ referendarius hic situs est, qui ob ingenii ac morum suavitatem aliasque animi dotes præclaras Romanæ curiæ atque aulicis omnibus, quamdiu vixit, eximie charus, Asculana præfectura Gregorio XIII. P. M. Perusina Sixto V. cum laude functus est. Vixit annos* LXIV. *obiit* III. *idus martii anni* M. D. XCII. *Clemente VIII. pont. max. sedente pontificatus ejus anno* I. Altera: *D. O. M. Æmiliæ Lomellinæ Pauli Vincentii F. Lucii Sabelli Rignani domini uxori, forma corporis, elegantia morum, animi candore conspicuæ, quæ duos menses vixit nuptiis lætata vere docuit extrema gaudii occupare luctum, Jofredus Lomellinus suavissimæ sorori M. P. Obiit Rignani* IIX. *kl. septembris* M. D. XCII. *ætatis suæ* XXV. *Cathärina Spinula Æmiliam filiam ad nuptias comitata acerbissimi casus dolore percussa funus funere cumulavit, & XI. septembris eodem tumulo condita a Jofredo filio, cui in magno luctu unicum solatium, quod Romæ degenti in sancto hoc templo veniam illis a Deo precari & lacrymas sepulcro profundere datum*. Tertia: *D. O. M. Virgilio Crescentio inter patritios Romanos antiquæ virtutis ac fidei. Vixit annos* LII. *menses* II. *obiit anno* M. D. XCII. IV. *nonas decembris, Constantia Drachia uxor & filii pos.*

FLO-

Ann. Chr. 1593.

IX. De Leone Tordello Aretino monacho.

FLOREBAT in monasterio sancti Gregorii de Urbe Leo Tordellus Arretinus monachus Camaldulensis, qui Ravennæ monachum induerat in cœnobio Classensi anno 1575. sub Romualdo Veronense ejus monasterii abbate, professionem autem emiserat anno sequenti sub Mauro Rhæto abbate viroque doctissimo. Totum se literis addixerat, quibus & Mauri amorem, & Augustini Fortunii amicitiam sibi conciliavit, immo & in Romana urbe Constantini Cajetani monachi, inde abbatis Casinensis communicatione studiorum, cui etiam nuncupavit suam *de assumendo Urielis nomine* dissertationem, quæ ms. servatur in bibliotheca sancti Gregorii de Urbe. Enimvero licet tria tantummodo cœlestium spirituum nomina divinis referantur literis, Uriel vero & cetera ab Aldeberto pseudo-episcopo Gallo aliisque hæreticis conficta, atque Angelis tributa vocabula in Romana synodo præside Zacharia pontifice maximo, damnaverit ecclesia, quod iis nominibus malorum potius dæmonum opera, quam Angelorum præsidium improbi illi efflagitarent, nihilominus nomen Urielis, cum in posterioribus Esdræ libris, quos ecclesia neque probavit, neque improbavit omnino, atque in patrum aliquot operibus vetustisque templis habeatur, non videtur idcirco in privatis saltem precibus hæretica superstitione damnandum. Hæc aliaque fusiori calamo in sua lucubratione habet Leo, in cujus opinionem venit & cardinalis Cæsar Baronius in suis Annalibus ecclesiasticis. Ejusdem Leonis meminit Fortunius parte II. libro I. capite VII. ubi ait ipsum & Maurum Classensem abbatem se plurimum adjuvasse pro inquisitione familiæ ducum Ravennatum ad familiam efformandam sancti Romualdi, utpote antiquitatis studiosos. Procuratorem etiam egit circa hæc tempora Leo monasterii sancti Gregorii de Urbe.

Grandævus ætate, utpote septimum supra octuagesimum annum agens decessit mense novembri hujus anni Antonius Cursius Pisanus, alibi appellatus de Piscibus, qui ter cum abbatis generalis dignitate congregationem rexerat, & quarta vice electus fuerat, sæpius etiam in eremo Camaldulensi Majoris gradum obtinuerat, vir pietate, zelo promovendæ religionis, atque experientia nulli secundus, qui rem Camaldulensem juverat tum apud Romanos pontifices, tum apud Etruriæ magnos duces. Præter alias orationes in ejus laudem dictas & etiam editas, extat in bibliotheca *Classensi* oratio ms. Angeli monachi Camaldulensis in laudem *Antonii Pisani generalis*.

X. S. Abundii de Como monasterium Camaldulensibus oblatum.

IN capitulo apud Carceres habito mandatum fuit generali Simeoni Perusino, ut ageret cum cardinale Comense ordinis protectore, qui proposuerat congregationi Camaldulensi abbatiam sancti Abundii urbis Comensis sibi commendatam, & exhibebat summam scutorum quadringentorum nonaginta pro inducenda ibidem colonia monachorum; quod mandatum repetitum fuit eidem generali etiam anno sequenti in alio congregationis capitulo. Abbatiæ hujus ecclesiam ipse cardinalis commendatarius vetustate collabentem fere a fundamentis restauravit, ubi & multorum sanctorum Comensis ecclesiæ episcoporum corpora inibi quiescientium, quæ reperiit, honestiori loco recondidit, exhibuitque suis Camaldulensibus, quos amore præcipuo diligebat, divinis honoribus frequentandam.

Ann. Chr. 1594.

XI. Hieronymus Perusinus instituitur visitator & abbas generalis congregationis Montis-virginis a Clemente VIII.

CLEMENS VIII. Rom. pont. electus ante biennium post brevem Innocentii IX. pontificatum, die XXX. junii hujus anni Hieronymo Perusino eremitæ Montis-coronæ, qui ante octennium eremi sancti Salvatoris prope Neapolim regimen susceperat, mandavit reformationem monachorum congregationis Montis-virginis, creans eum in abbatem generalem dictæ congregationis ad triennium post Decium Rugerium, qui eatenus

nus officium illud gesserat. Scilicet Ptolomæus cardinalis Comensis optimam de Hieronymo relationem dederat præfato Romano pontifici, facultatemque ei obtinuerat ducendi secum duos aut tres eremitas Camaldulenses, qui hujusmodi reformationi cum ipso operam darent. Cum autem elapso triennio ad suum Camaldulensem recessum pius eremita reverti exoptaret, iterum ipsum die IX. maji anni 1597. confirmavit idem Romanus pontifex sine limitatione temporis, ad beneplacitum suum & sanctæ sedis apostolicæ, ut quæ jecerat fundamenta restitutæ disciplinæ in Virginiana congregatione, fortius firmaret. Permansit itaque in eodem officio aliud biennium, instituta visitatione omnium monasteriorum, & adauctis spiritualibus & temporalibus bonis ejusdem congregationis, cui reliquit exempla non vulgaris probitatis, prudentiæ & dexteritatis, ut literis testimonialibus fidem fecit abbas generalis ejus successor. Postea rediit ad suam Coronensem eremum, ex qua anno 1603. ad fundandam primam in Polonia eremum fuit destinatus, ut anno 1604. videbimus. Id nimirum supererat, ut etiam Coronensis eremita unam ex congregationibus ordinis sancti Benedicti ad meliorem disciplinam revocaret, sicut ante paucos annos per eremitam Camaldulensem Etruriæ reformata fuerat congregatio Vallis-umbrosæ, & ante ducentos annos per monachum Camaldulensem Andream priorem sancti Mathiæ de Muriano restitutus fuerat in Casinensi archi-cœnobio antiquus ejus splendor, & vigor Benedictinæ regulæ.

XII. Novo inconcusso monumento confirmatur Andream Camaldulensem fuisse abbatem Montis-casini.

QUANDOQUIDEM vero nonnulli addubitant, an Andreas primus post episcopos abbas Casinensis fuerit ex ordine Camaldulensi, & malunt aliqui ipsum monachis Montis-oliveti accensere, non abs re, licet extra locum, præter ea, quæ ad annum 1369. in medium posuimus, afferimus Johannis Camaldulensis eremi prioris, & totius ejusdem ordinis generalis literas scriptas Andreæ priori sancti Johannis de Judaica, post quas nullum supererit dubium Andream primum Casinensem abbatem fuisse antea Camaldulensem & priorem sancti Mathiæ. Literæ sunt hujusmodi ex regesto XVIII. [a], quas nuper ex archivo Fontis-boni ad nos transcripsit humanissimus domnus Parisius prior sacræ eremi Camaldulensis, cui etiam illud debemus, quod improbo studio & labore antiquissimis & plurimis ejus archivi monumentis nostros annales adjuverit: *Frater Johannes &c. Fratri domno Andreæ priori &c. Cum monasterium sancti Mathiæ de Muriano dicti ordinis præsentialiter vacet per translationem ven. fratris domni Andreæ olim prioris ad abbatiam monasterii* CASINENSIS, *& ad nostrum spectet officium interesse electionibus faciendis a capitulis de prælatis, & electos & electiones examinare, confirmare, & alia facere, & nos aliis ordinis negotiis impediti ad prædictum monasterium accedere non possumus, nec volentes, quod ex vacatione diutina prædictum monasterium pati possit in spiritualibus & temporalibus detrimentum, tibi, de cujus conscientiæ probitate, & prudentia circumspecta gerimus in Domino plenam fidem, in negotio reformationis monasterii prædicti, committimus hac vice plenarie tenore præsentium vices nostras. Quocirca discretioni tuæ mandamus, quatenus receptis præsentibus ad monasterium sancti Mathiæ prædictum accedere debeas, & omnia & singula exercere circa reformationem, quæ ad nostrum spectare officium dignoscantur. Recepturus ab illo demum, qui confirmatus a te nomine nostro in priorem monasterii supradicti, per jussionem obedientiæ & fidelitatis solitum sacramentum pro nobis & nostris successoribus, ut est moris. Datum in monasterio sanctæ Mariæ de Angelis de Florentia anno Domini a nativitate* M. CCC. LXX. *indictione* VII. *die secunda februarii.*

[a] Pag. 60.

PRÆ-

ANN. CHR. 1594.

XIII. ClemensVIII. confirmat Camaldulensibus eorum privilegia.

PRÆFATUS Romanus pontifex die III. augusti pontificatus sui anno III. confirmavit omnia privilegia superiorum pontificum concessa congregationi Camaldulensi; addens insuper, & declarans abbates & priores electos juxta formam congregationis posse conferre ordines minores suis subditis regularibus, ut faciunt ceteri abbates ordinis sancti Benedicti, qui pontificali vel episcopali benedictione insigniuntur.

In dieta celebrata Faventiæ in abbatia sancti Hippolyti sub Simeone eremita generali patres communi consensu renuntiavere privilegio Gregorii XIV. copiam facientis anno 1591. sub die XXIV. septembris augendi numerum prælaturarum ex septem ad octo prælatos in quolibet monasterio professionis. Hanc tamen congregatorum patrum renuntiationem improbavit idem Clemens VIII. anno 1597. die XIX. aprilis, ac privilegium Gregorianum in suo vigore debere permanere præcepit.

XIV. Historica aliquot monumenta.

ORTA fuerat lis in urbe Mantuana Camaldulenses inter & Monte-olivetenses quoad præcedentiam in publicis supplicationibus. Cardinalis Alexandrinus nomine sacræ congregationis ceterorum cardinalium scripsit die XXX. martii episcopo Mantuano, ut circa præcedentiam observaretur usus Urbis. Id decisum fuerat in eadem sacra congregatione negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præposita ad tollendas omnes controversias die XXVI. augusti anni 1592. & die XXX. ejusdem mensis idem cardinalis Alexandrinus retulerat in congregatione eam sententiam placuisse Sanctissimo, qui dixerit juxta eam in casibus recurrentibus semper rescribi debere, & si opportunum fuerit, generalem constitutionem desuper fieri mandaverit; constitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Exposcit*, aliisque in contrarium quibuscumque minime obstantibus.

a T. III. Narr. III.

In Præsidio Romano Johannis-petri Crescentii [a] legitur sub hoc anno Bernardinum Ricciolini Florentinum, primum reformatorem & præfectum eremitarum Montis-senarii ordinis Servorum B. Mariæ aliquo tempore sacræ eremi Camaldulensis solitudinem incoluisse, atque ab his monachis anachoretis edoctum fuisse in omni contemplativæ & solitariæ vitæ perfectione. Additur eodem tempore Camaldulenses dilatatos fuisse in Poloniæ regiones opera domni Cornelii Mauritii Privernatis, qui antea societati Jesu nomen dederat, & lector insignis extiterat. Sed ea gloria debetur Hieronymo Perusino superius laudato, ut videbimus.

Circa hæc tempora Antonius Barberinus eremum Camaldulensem tamquam tirocinium positurus ingressus est, ex qua tamen postea exivit, ut habitum fratrum Cappuccinorum assumeret. Anno 1624. ab Urbano VIII. fratre suo majore creatus fuit S. R. E. cardinalis tituli sancti Honuphrii.

XV. Obitus Hieronymi Bardii, ejusque edita opera.

IN cœnobio sancti Johannis de Judaica Venetiarum obiit hoc anno XXVIII. martii vel XII. aprilis Hieronymus Bardius Florentinus sanctæ Mariæ-angelorum ejus urbis monachus Camaldulensis, inde a die V. novembris anni 1592. sed a possessionis tempore die XIV. aprilis anni 1593. plebanus collegiatæ parœciæ sancti Samuelis de Venetiis. Hic collecta damus omnia ejus opera. *Additiones ad Johannis Lucidi Samothei chronicon seu emendationem temporum*, factæ ab anno 1535. usque ad annum 1575. & impressæ una cum ipso chronico Venetiis apud Junctas 1575. in 4. *Chronologia universale dalla creazione di Adamo fino all' anno* 1581. Venetiis apud eosdem 1581. tomi tres in folio. *Sommario chronologico dalla creazione del Mondo fino all' anno* 1578. ibidem 1578. in folio. *Delle cose più notabili di Venezia*: Venetiis 1587. & 1601. *Dichiarazione dell' istorie de' quadri posti nuovamente nelle sale dello Scrutinio, e del gran Consiglio di Venezia*: Venetiis 1602. pluries inde reimpressa. *Dell' età del Mondo*.

Mondo. Vittoria navale ottenuta dalla repubblica Veneziana contro Ottone figliuolo di Federigo I. imperatore per la restituzione di Alexandro III. pont. mass. venuto a Venezia: Ibidem 1584. in 4. *Historia universale* tomi XVI. in folio maximo. *Vita degl'Imperadori sino a Ferdinando* I. & *Martyrologium Romanum* a Hieronymo Italice redditum. Minius Hieronymum appellat *historiographum suorum temporum celeberrimum*, *theologum*, *philosophum & poetam*. Wion *Linguæ Etruscæ Tullium*, & *historicum nostri temporis famosissimum*, *poetam*, *rethorem*, *philosophum & theologum*. De eo verba faciunt etiam Fortunius, Oldoinus, Possevinus, Ghilinus, Niger, Grandius, Ricciolius, Fontaninius, Cornelius, Mazzucchelius, Antonius Verderius, & Teisserius. Anno 1583. vitis imperatorum Romanorum lingua Hispanica editis a Petro Messia, & traductis a Ludovico Dolce, addidit in sexta impressione Bardius vitas Ferdinandi I. Maximiliani II. & Rodulphi II. impp. Venetiis.

ANN. CHR. 1594.

Inscriptio ad divi Gregorii de Urbe. *D. O. M. Clemens papa VIII. dolentes igne purgatorio animas in sollemni ecclesiæ universæ luctu, quo magis exhilararet, octiduo commemorationis omnium fidelium defunctorum cunctis ad hoc sancti Gregorii magni templum processiones archiconfraternitatis suffragii sequentibus centum dierum indulgentiam de injunctis quoquomodo pœnitentiis pontificio diplomate promulgavit* V. *idus decembris* M.D.XCIIII.

ANN. CHR. 1595.

XVI. De breviarii Camaldulensis reformatione, & vicissitudinibus Alexandri Cevæ.

JOHANNES-BAPTISTA a Prato, qui anno 1589. ex congregatione monachorum Montis-oliveti ob inquietos suos mores transierat ad patres eremitas Camalduli-majoris in Etruria, electus post triennium Major eremi animo cogitabat reformare breviarium Camaldulense, quod a quingentis annis vigebat, atque propterea a sanctissimo pontifice Pio V. mutatum minime fuerat, aliosque post innovationem breviarii ritus inter Camaldulenses tentabat inducere. Ut intentum suum sortiretur, Romam hoc anno adiit; verum cum inter statuta eremi illud quoque foret, ne ullus Major sine licentia capituli eremitarum Casentini limites transgrederetur, reversus ex itinere carceri addictus est jussu ejusdem capituli. Id audiens Romanus pontifex Clemens VIII. præcepit cardinali Comensi protectori ordinis, ut res inter Majorem & eremitas componeret, qui proinde scripsit Simeoni Perusino eremitæ generali ordinis, ut sequester concordiæ accederet ad eremum Camaldulensem; & quoad breviarium, antequam in lucem produceretur & emendaretur, deputari faceret a capitulo eremitarum idoneum eremitam, alterumque a cœnobitis ex ordine monachorum, qui simul cum Cæsare Baronio presbytero Oratorii corrigerent, adderent, immutarent, quod eorum judicio necessarium utileque duceretur. Ex numero eremitarum deputatus fuit ad reformationem breviarii Alexander Ceva eruditus piissimusque asceta. Verum Simeon generalis addictissimus Johanni a Prato Majori, primum statim eduxit ipsum e carcere, ansamque ei præbuit continuandi correctionem breviarii juxta ritum monachorum Montolivetanorum. Confugerunt eremitæ ad Alexandrum Cevam tamquam a se deputatum, eique injunxerunt, ut se opponeret tentaminibus Majoris. Major e contra cellæ addixit Alexandrum loco carceris. Motus autem a ceteris eremitis Alexander iter Romam versus suscepit, ut exequeretur mandata cardinalis Protectoris, & cum Baronio conferret emendationem breviarii; sed in itinere detentus, & ad eremum reductus, convocato capitulo eremitarum, exclusis tamen ei adhærentibus, damnatus fuit a Majore carceri, eo quod e cella se irrequisito exiisset. Sententia Majoris Johannis-baptistæ paulopost rata habita est a præfato Simeone Perusi-

Ann. Chr. 1595.

no, qui completo generalatu Major evaserat, & ab Arsenio Puppiensi & a Johanne-maria Florentino, & ab Angelo scriba, adducto in medium Alexandro tamquam reo. Postulatus fuit ab eremitis visitator apostolicus, qui turbas sedaret rursus exortas in eremo. Johannes-baptista a Prato voluntate cardinalis protectoris transiit ad eremitas Coronenses, ubi etiam post aliquot annos creatus fuit Major, sed volens ibidem pariter introducere breviarium ritusque Olivetanos, tentavit ad Fullienses vel ad Cartusianos divertere, verum morte præventus finem dedit inquieti animi sui machinationibus. Alexandro Cevæ mutata fuit pœna carceris in privationem vocis activæ & passivæ, perpetuæque clausuræ in Camaldulo, & ne cui deinceps epistolas scriberet. Deputatus est visitator apostolicus cardinalis Fridericus Borromæus archiepiscopus Mediolanensis, qui paucis diebus octava augusti hujus anni visitationem absolvit; verum nimium sollicitus sui regressus ad Mediolanensem ecclesiam, leviter tantum quietem insinuavit & concordiam inter dissidentes; quare pœna Alexandri ad annum fuit protracta. Ceterum Johannes-baptista a Prato post transitum ad Coronenses tentavit ulterius unionem Coronensium cum Camaldulensibus Etruriæ, quam toto studio & nisu impedivit Ferdinandus I. dux magnus Etruriæ, datis literis ad eumdem cardinalem visitatorem, & orans, ne in præjudicium eremi Camaldulensis Etruriæ ageretur de hujusmodi unione noxia privilegiis & quieti sacræ eremi.

XVII. Concordia episcopi Arretini cum eremitis Camald. confirmatur a Clemente VIII.

Alia commissio data fuit prædicto cardinali Borromæo a Romano pontifice Clemente VIII. componendi nimirum acerrimam litem inter Petrum Usimbardum episcopum Arretinum, & inter eremitas Camaldulenses super jure patronatus, & visitationis ecclesiarum eremi, quæ pendebat in congregatione cardinalium, pro negotiis & consultationibus episcoporum & regularium instituta. Quare cardinalis convocato eremitarum capitulo, & habito prius tractatu inter utramque partem dissidentem, proposuit eremitis, ut servaretur bulla Honorii III. quæ episcopo Arretino tribuit dumtaxat jus honorificum in eremum; proposuit vero episcopo, ut se abdicaret ab omnibus juribus prætensis corrigendi, puniendi, reformandi &c. præsentationes, & nominationes vicariorum in eorum ecclesiis pertinerent ad eremitas, examinationes & approbationes ad episcopum. Quam transactionem pacificam anno sequenti sub die XIX. novembris perpetuo confirmavit Clemens VIII.

In capitulo congregationis apud Classem electus fuit hoc anno die XX. aprilis post Simeonem Perusinum in abbatem generalem Garzias ab Ilua monachus ex professione sanctæ Mariæ angelorum de Florentia. Præfuit capitulo Alexander Francischius ordinis Prædicatorum episcopus Foro-liviensis. Communitas Eugubii misit nuncium suum ad patres magistrum Marianum ordinis sancti Francisci pro impetranda permutatione domorum ecclesiæ sanctæ Crucis de Eugubio. Dati sunt Garziæ generali in consortes, seu visitatores generales Cornelius Lucensis & Stephanus Viarus ab Abbatia, anno vero sequenti Desiderius Angelerius Athestinus & Julius Grossius de Gallesio.

XVIII. Idem Pontifex extendit officium S. Romualdi ad ecclesiam universalem.

Romanus pontifex Clemens VIII. sollicitus de extendendo officio sancti Romualdi ad nniversalem ecclesiam, & de referendo ejus nomine in martyrologio Romano, negotium commisit sacrorum Rituum congregationi S. R. E. cardinalium, qui diem mortis sancti Romualdi impeditam officio antiquorum martyrum Gervasii & Protasii reperientes, consuluerunt festum ejusdem Sancti celebrandum septima februarii, quæ fuit translationis ejusdem sancti corporis dies. Quare idem pontifex die IX. julii hujus

jus anni pontificatus sui IV. ad petitionem monachorum Camaldulensium sequentem honorificam sancto parenti nostro bullam edidit.

Clemens *Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Pia mater ecclesia ad hoc Sanctorum cum Christo regnantium memorias a Christianis populis frequentari instituit, ut nos, quos uti filios Deo quotidie parere satagit, tantorum patrum exemplis provocati eorum sectemur fidem, imitemur virtutem, gloriamque paribus vitæ lineamentis aut invenire, aut exquirere studeamus. Ad hæc, ut eorum invocatione sentiamus ipsos, qui in hoc mundo relicti sumus, caritativam curam de nobis gerere, suisque precibus atque interventu apud Deum nos juvare, cumque de propria salute & immarcescibili gloria sunt securi, de nostra multiplici miseria sollicitos existere. In his sane reponendum esse imprimis judicamus gloriosum anachoritam Romualdum, patria, familia, vitæ sanctitate & divinarum rerum contemplatione, ordinisque Camaldulensis fundatione illustrem, cujus tanta fuit in Deo religio & pietas, ut in cælis solummodo ejus conversatio esse videretur ab hominum conspectu & accessu remotissima, Sanctorum vero & Beatorum consuetudine, quorum apparitione & intuitu sæpissime dignatus est, acceptissima; tanta erga proximos caritas, ut oratione & lacrymis suis patrem religioni & cælo acquisierit, multos clarissimos etiam viros, reges & principes suo exemplo ad humiles casas in eremo habitandas, & fulgorem purpuræ cum vili tunica commutandum allexerit; plurimos a corporis & animæ infirmitatibus, ac imminentibus vitæ periculis signo Crucis eripuerit, collapsamque in Italia eremiticam disciplinam restituerit ac mirifice propagaverit. Tanta vero sui humiliatio & contemptus, ut Spiritus-sancti, qui super humiles requiescit, domicilium effectus, sacrarum Scripturarum intelligentiam & prophetiæ donum consequutus sit, & quo magis humilitatem coluit, eo amplius a Deo exaltari meruerit longitudine dierum in terris, immortalitate & Sanctorum gloria in cœlis coronatus. Ut autem tam insignis Dei miles debita ab omnibus veneratione & cultu honoretur, assiduisque precibus invocetur vir dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione est, supplicationibus etiam dilectorum filiorum abbatis generalis & monachorum dicti ordinis Camaldulensis pro præclaro ejusdem ordinis institutore nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium congregationi sacrorum rituum præpositorum, quibus hoc negotium examinandum commisimus, consilio & assensu, ejusdem sancti Romualdi nomen & diem festum in kalendario Romano, quo nunc utimur, die septimo februarii, quo die ejus translatio facta est, adscribendum, ejusque officium a quibuscumque personis ecclesiasticis secularibus & regularibus ubique terrarum existentibus sub ritu duplici de communi Confessorum non Pontificum, ubi proprium deest, præter lectiones secundi nocturni, quæ propriæ assignantur, ab ejusdem congregationis cardinalibus approbatæ, celebrandum esse, auctoritate & tenore præsentium perpetuo decernimus & statuimus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ universis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus & aliarum ecclesiarum prælatis, ut suis quisque ecclesiis, conventibus, ordinibus, militiis, provinciis, civitatibus & diœcesibus præsentes nostras literas sollemniter publicare, ac dicta die officium hujusmodi de sancto Romualdo ritu duplici, tam ipsi, quam ceteri omnes presbyteri & clerici seculares & regulares utriusque sexus, ac aliæ personæ, etiam exemptæ, quibus officium dicendi & psallendi munus quomodocumque injunctum est, celebrare & psallere omnino debeant. Decernentes omnes & singulas personas hujusmodi ad aliam recitationem officii ea die non teneri,*

 sed

Ann. Chr. 1595.

sed debito & obligationi hujusmodi perinde satisfacere, ac si Divinum officium juxta suorum breviariorum præscriptum recitarent: non obstantibus felicis recordationis Pii V. prædecessoris nostri, ac aliis apostolicis, necnon in provincialibus & synodalibus conciliis, etiam super nova Breviarii reformatione editis constitutionibus ac ordinationibus, statutis quoque & consuetudinibus etiam immemorabilibus, quodque dies festus hujusmodi in kalendario Romano descriptus hucusque non sit, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die IX. *julii* M. D. XCV. *pontificatus nostri anno quarto.* *M. Vestrius Barbianus.*

Facultatem fecit idem Romanus pontifex abbati Classensi asportandi ad ecclesiam Ravennæ partem brachii & capitis sancti Romualdi, quæ colebatur in basilica suburbana sancti Apollinaris extra mœnia.

Editæ sunt hoc anno Venetiis apud Matthæum Valentinum constitutiones congregationis eremitarum Montis-coronæ. Secunda earum editio prodiit Romæ anno 1639. apud hæredes Corbelletti, tertia item Romæ anno 1670. apud Philippum de Rubeis. Unam ex his curavit Valentinus Mozzius patritius Maceratensis & eremita Coronensis juxta tradita a senioribus, diligentia multa publici juris factam.

Ann. Chr. 1596.

XIX. Monasterium erigitur pro Camaldulensibus ad S. Mariam in Campanea prope Veronam.

Hoc anno septimo kalendas julii pontificatus sui anno V. Clemens VIII. commisit Petro Stridonio vicario Augustini Valerii S. R. E. cardinalis & episcopi Veronensis, ut quandoquidem Camaldulenses monachi, licet plures ex ipsis ab urbe Verona oriundi eatenus extiterint, & quinquaginta numero tunc temporis viverent, quorum sex ex his abbates, nullum amplius possidebant monasterium ejusdem ordinis in urbe vel diœcesi Veronensi (Gamaldulum enim Veronense unitum fuerat monasterio sancti Michaelis de Muriano) atque proinde suppliciter petebat Garzias ab Ilua abbas generalis, tum rectores & consiliarii urbis Veronensis ferventer optabant Camaldulenses recipi & recipere, tribueret ipsis ecclesiam beatæ Mariæ positam in campanea Veronæ sine cura, quæ erat de jurepatronatus urbis, atque ad cujus servitium deputati fuerant quatuor capellani, qui tamen utpote mercenarii negligenter Divina perficiebant, atque veris existentibus prænarratis concederet ipsis, ut prope ecclesiam monasterium erigerent, assignatis eisdem monachis redditibus ex eleemosynis & subsidiis ceterorum monasteriorum, qui decem numero præter abbatem & inservientes ibidem residerent. Apostolicam commissionem exequutus est episcopalis vicarius die XXIV. decembris ejusdem anni. Pius IV. anno 1562. octava die julii amplissimas indulgentias concesserat huic ecclesiæ in die assumptionis beatæ Virginis, & in dominica quarta Quadragesimæ, quæ adhuc vigent.

XX. Plura historica monumenta.

Romanus pontifex præfatus Clemens VIII. die tertia septembris pontificatus sui anno quinto gravissimam bullam edidit adversus Camaldulenses monachos ambitiosos, qui per mendicatos S.R.E. cardinalium, & principum etiam secularium favores ad ordinis dignitates & gradus assumi curarent, declarans eos inhabiles ad alias prælaturas, ipsisque dignitatibus & gradibus obtentis privatos, & extendens dictas pœnas etiam adversus eos, qui ex uno ad aliud monasterium deputati per capitula vel per superiores, humanos favores exquirerent ad detrectandum obedientiæ jugum.

Prio-

Prioratus sancti Petri de Monte-liscario, qui erat beneficium congregationis, possidebatur a quodam Pompilio Perini sacerdote seculari Senensi, qui etiam jus sibi vindicabat resignandi ipsum ad beneplacitum suæ voluntatis. Litigatum perdiu fuit; tandem nuntius apostolicus in dominio Florentino pronuntiavit beneficium præfatum pertinere ad Camaldulensem congregationem. Quare Camaldulensis generalis ipsum adjunxit monasterio Rosæ Senarum, reservata quadam possessione eidem Pompilio ad vitam ipsius, quæ rediit ad jura ejusdem monasterii anno 1598. emortuali dicti Pompilii.

Eremitis Camalduli Majoris Etruriæ proposuit hoc eodem anno cardinalis Edaurdus Farnesius eremum fundandam in insula Bisuntina lacus Volsiniensis, amotis inde fratribus Socculantibus sancti Francisci; verum nonnullis obortis difficultatibus possessio loci capta non fuit, neque ad eum locum incolendum transiere Camaldulenses eremitæ.

In capitulo Ravennæ celebrato mense majo lecta fuere & recepta decreta Clementis VIII. de Regularibus. Mandatum fuit generali abbati, ut componeret cum cardinale Comense protectore, qui locum pro monasterio fundando in urbe Piperni proposuerat. Idem generalis Garzias Alexandrum Cevam eremitam e Camaldulo discedentem transmisit Taurinum ad regendum monasterium Putei Stratæ, milliario distans ab urbe, quod erat monachorum; simulque *tenore præsentium*, inquit, *facultatem & licentiam tibi impartimur, ut nomine nostræ congregationis agere & tractare de acquirendis & aggregandis novis monasteriis & locis, erectis & erigendis, & redditibus, nostræ congregationi cum quovis valeas & possis*. Ea occasione agere cepit Alexander negotium de fundanda eremo in montibus Taurinensibus simili eremo Camaldulensi Etruriæ, ut videbimus.

Obtinuit hoc anno Fridericus cardinalis Borromæus archiepiscopus Mediolanensis a cardinale Alexandrino sacræ congregationis præfecto literas sub die XXII. januarii, ut monachi Camaldulenses dimitterentur ab ecclesia sancti Viti de Carrubio. Reclamarunt monachi apud Antonium Senecam vicarium archiepiscopalem, congregatio Camaldulensis ipsa se exhibuit alere monachos ex subsidiis aliorum monasteriorum. Verum cum archiepiscopus monachos ad curam animarum destinatos non grate videret, presbyterum secularem deputavit in ea parœcia. Monachi ad sacram congregationem appellarunt, parœciani optima testimonia deposuerunt de probitate monachorum, lis per plures annos protracta fuit, & anno 1605. die prima octobris auditor cameræ apostolicæ pronuntiavit, ne quid in eorum præjudicium moveretur, declarans temerarias, iniquas, illicitas & injustas adinventiones omnes contra monachos suscitatas, ad hoc ut loco pellerentur. Demum cardinalis egit cum abbate generale ordinis, ut monachi cederent ultro ecclesiam sancti Viti, pollicens se alium locum pro eorum habitatione curaturum. Quommodo autem ad ecclesiam sancti Christophori membrum abbatiæ sancti Vincentii in Prato transierint, suo anno.

Ægidius a Granata eremita Coronensis in regno Neapolitano, obiit in Hispania, quo perrexerat de licentia summi pontificis pro dilatanda eremitarum congregatione. *Fuit omni virtute celeberrimus*; neque plura de ipso ad formandum ejus elogium supersunt in monumentis Coronensibus.

XXI. Obitus Augustini Fortunii historici Camald.

SUPREMUM diem clausit hoc anno in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia Augustinus Fortunius Camaldulensis monachus. Paternum maternumque genus longe præclarum, ac illustre eidem Florentiæ contigisse, patremque ipsius ex nobilissima familia de Gondis, fuerunt olim qui asseverarent, Thoma de Minis auctore fere synchrono teste in histo-

Ann. Chr. 1596.

historia ejusdem cœnobii. Illud tamen exploratum est vix in lucem editum ab insueta feraque parentum impietate expositum fuisse in orphanotrophio Florentino, Innocentium vulgo nuncupato, ubi enutritus & liberalibus disciplinis eruditus, Fortunius cognomento appellatus fuit. Hinc egressus, in Pisano collegio integro quinquennio se in literarum studiis exercuit, & Florentiam reversus tabellionem primum, inde causidicum egit, & ad sanctioris vitæ genus vocatus monachum induit in præfato monasterio die quinta-decima junii anni 1558. sub Benedicto Volaterrano priore. Novis ibidem studiis se tradidit tum humanioribus, tum sacris, monasticæ interim disciplinæ observantissimus; adhortatore vero Antonio Pisano supremo ordinis præfecto arduum & intentatum hactenus opus aggressus est conscribendi historiam Camaldulensem, quam etiam complevit, postquam quindecim annos improbo labore, assiduis itineribus, ubique gentium perlustratis veteribus ordinis monumentis insumpsit. Prodiit prima Historiarum Camaldulensium pars in libros tres partita Florentiæ anno 1575. ex bibliotheca Sermartelliana, sub auspiciis Francisci Medicei Etruriæ magni ducis. Post quadriennium autem pars posterior Venetiis ex typographia Guerræa, ipso animadvertente, quod non pauca supererant adhuc historia dignissima, quæ omissa fuerant. Prior chronologica serie procedit multiugi eruditione ornata, primam omnium ordinum religiosorum etiam militarium originem luculenter tradens, eleganter castigateque scripta; altera vero pars confusa atque indigesta uberem profert rerum notitiam, ordinem nullum, multa habet, quæ laudentur, quæ desiderentur, multa. Ceterum summis nihilominus perpetuisque grati animi significationibus repetenda est, atque ad seram usque posteritatem nostram proferenda Fortunii optime de nobis meriti memoria. Ipse enim primus historiæ nostræ parens, rerumque Camaldulensium illustrator, quo sine quicquid religiosa nostra respublica memoria dignum habet, in situ atque in tenebris squaleret. Neque minus quam Volaterrani grati videri debemus, qui Augustinum ob pauca quædam de illorum patria ab ipso scripta, civitate donarunt, ut testatur in chronhistoria Volaterrana Marius Johannellius [a] Augustinianus, quam Pisis in lucem protulit anno 1615. Fuit macro & procero corpore Fortunius, imberbis utpote eunuchus. Scripsit, præter historiam Camaldulensem, *translationem corporis sanctissimi patris Romualdi* Venetiis apud Franciscum Rampazettum 1562. Anno sequenti eam opellam Italicam reddidit, Florentiæ apud Laurentium Torrentinum; *Vitam & miracula sanctorum Christi confessorum Justi & Clementis ad Volaterrarum magistratum cum martyrio sancti Reguli archiepiscopi, & vitam sancti Octaviani confessoris, atque gesta nonnulla & martyrium sancti Romuli Fesularum episcopi* Florentiæ typis Sermartellianis 1568. ibidemque eas Italicas dedit Frosinus Lapinius Florentinus. *Vitam beati Thomæ de Costacciario & hymnum in ejusdem Beati laudes. Chronicon Montis-sancti-Sabini* anno 1583. *Carmina*, Florentiæ ex typographia Mariscottia 1591. In bibliotheca Mediceo-laurentiana [b] extant Augustini monachi Camaldulensis varia carmina Sanctorum imaginibus in conventu sanctæ Mariæ-angelorum inscripta; sed forsitan sunt Augustini a Porticu monachi ejusdem cœnobii tempore Ambrosii generalis, licet & Fortunius carminibus componendis studuerit. *Apologiam contra auctorem Historiæ Romualdinæ Lucam Hispanum, de origine ordinis, visionis scalæ habitæ a Sancto Romualdo & de colore vestis Camaldulensis:* Florentiæ 1592. *Vitas beatorum Silvestri, Jacobi Gerii & Paulæ ordinis Camaldulensis ad Gratiam de Ilua generalem:* 1595. Florentiæ. *Vitam sancti Romualdi a sancto Petro Damiani scriptam*

Itali-

a *Pag.* 159.

b *Class.* VII. *cod.* CXXIII. *num.* 2.

Italice redditam ad Alexandrum Mediceum S. R. E. cardinalem cum notis & translatione in epitomem redacta: Florentiæ 1586. apud Junctas. Easdem notas inseruit Ractius libro suo de vitis Sanctorum Camaldulensium. *Homiliarium juxta veterem Camaldulensium ritum legendum ad Primam. Carmina de Actiaca victoria edita in collectaneis ejusdem argumenti poematibus, cura Petri Berardi Burgensis*: Venetiis apud Guerræos 1572. Augustinus appellatur *clarissimum congregationis Camaldulensis lumen; Latina atque Etrusca lingua æque ornatus, vitæ innocentia, morumque exemplis præstans; inter sui ævi literis insignes viros spectabilis atque præcipuus*; Ejus autem Camaldulensis historia dicitur *Magnum opus eleganter optimo stylo desudatum* a Hieronymo Ghilino in Theatro Literatorum parte II. *Clarum Camaldulensis congregationis lumen eloquentia egregius*; ejus vero historia *polito eloquio exarata* ab Oldoino. Mentionem fecerunt cum laude de Fortunio Ricordatus, Conradus Gesnerus, Johannes cardinalis Bona, Mabillonius, Possevinus, Wion, Maurolycus, Lucas Hispanus, Ractius, Castagnizza, Marius Johannellius in Chronhistoria antiquitatis & nobilitatis Volaterranæ, Labbæus in bibliotheca, Cinellius, Lombardellus, Baronius, Bucellinus, Teisserius, Minardus, Antonius Beffa in historia familiæ Castillioneæ, Pocciantius demum, qui & etiam Teisserius Fortunium in duos dividunt, Augustinum, & monachum Florentinum, Fortunium, & Florentinum monachum.

ANN. CHR. 1596.

Inscriptio in veteri pavimento ecclesiæ sancti Gregorii de Urbe: *D.O.M. Johanni Baron Virdunensi viro ad omnem laudem nato, Nicolao cardinali Senonensi, cujus erat a secretis, Lotharingo, Guisio, Moduano ducibus aliisque principibus Gallis, quibuscum de rebus maximis agebat, ob singularem in Deum pietatem, in rebus agendis æquam fidem & industriam, sermonis eloquentiam, in congressibus & in dicenda sententia gravitatem summopere grato, qui sacræ consistorialis aulæ clericus obiit anno sal.* M.D.XCVI. *pridie kal. octobris annum agens ætatis suæ* XXXVIII. *Jacobus Belgius & Remigius Burlurault amico communi testamenti executores mœrentes posuere.*

ANN. CHR. 1597.

XXII. & Garziæ ab Ilua abb. generalis.

PIISSIME decessit die v. augusti hujus anni Garzias de Franciscis ab Ilua insula Tyrrheni maris abbas generalis Camaldulensis, cum vix biennium in dignitate perseverasset. Sepultus est in suo monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, ubi monachum induerat, sequensque ejus memoriæ apposita epigraphes: *D. Gratiæ ab Ilua abbati generali Camaldulensi, qui cum huic cœnobio compluribus annis variis temporibus abbas præfuisset, & veteri ædificio partem alteram pene tantam adjecisset, magnaque observantia, animi integritate, atque in omnes beneficentia vixisset, septuagenarius hic obiit* M.D.IIIC. *nonis augusti. Simeon Guidottius Florentinus, ut tanti patris filius, acceptique ab eo habitus memor, hunc tumulum ponendum & pavimenti solum in hanc ex humiditate formam erigendum curavit anno Domini* M.DC.X. Memorantur a Francisco Lollio Ravennate in vita beati Guidonis e Monte-marte, edita a Thaddæo Tertio abbate Camaldulense anno 1659. Bononiæ, Garziæ Annales Camaldulenses ab ortu Camaldulensis instituti conscripti, qui ubinam sint, ignorantur; sicut etiam a nobis ignorantur alii Annales elucubrati a Silvestro Mensolini Mutinense abbate Camaldulensi, quos laudat idem Lollius; historia quoque Camaldulensis Nicolai Malherbii monachi sancti Mathiæ de Muriano, cujus specimina in medium profert. Hæc omnia non scimus, nisi ex dicti Lollii testimonio. Post Garziæ obitum in capitulo apud abbatiam Urani congregato electus fuit in abbatem generalem Gherardus de

Ann. Chr. 1597.

de Peregrinis Veronensis; in visitatores autem Baptista Perullius de Fabriano & Julius Grossius Romanus; anno vero sequenti, & 1599. suffectus in visitatorem Lucas Borsa Bagnacaballensis.

XXIII. Collectio aliquot monumentorum.

In eodem capitulo mandatum est novo generali, ut ex domibus, quas monasterium Carcerum possidebat in urbe Patavina, curaret extrui ibidem monasterium, in quo collocarentur monachi studentes; aliud quoque cœnobium in urbe Ferrariensi ædificaretur ex hospitio monachorum Classensium. Statutum est pariter, ut festivitas translationis corporis sancti Romualdi sollemnissime in posterum perageretur a monachis Camaldulensibus. Decretum etiam fuit, quod monachi, qui aliquando prælaturam obtinuissent in aliquo monasterio, semper deinceps appellarentur abbates, neque ad simplicium monachorum statum redirent. Eusebius Brasca ab Albacina, qui in Insubriam monasteria pro congregatione acquisiturus olim missus fuerat, creatus fuit rector sancti Venantii de Albacina, postulatus patribus capituli ab hominibus dicti castri.

Clemens VIII. bulla sua ratam habet donationem factam monachis Camaldulensibus a Ptolomæo Gallio S. R. E. cardinale & eorum protectore palatii & aliquot terrarum prope Pipernum, ad hoc, ut ipsum palatium ad monasterii formam redigerent, ecclesiamque prope ædificarent in honorem sancti Martini episcopi, assignarentque habitationem pro decem monachis, & se obligarent ad annuam Missam, aliamque quotidianam pro anima ipsius cardinalis, & solverent quotannis episcopo diœcesano Terracinæ duo rubla frumenti. Anno 1585. consilium communitatis Piperni eidem cardinali cesserat viam sitam in loco dicto *Carnale*. Perseverarunt monachi Camaldulenses in eo loco aliquot annis, constituta etiam ibidem abbatiali dignitate, donec fulgure percussum monasterium dereliquerunt paulo ante dimidium seculi sequentis.

Die decima-nona aprilis pontificatus anno sexto idem pontifex præcipit Camaldulensibus, ut breve Gregorii XIV. recipiant, quo permittitur extensio numeri prælatorum ex septem ad octo in quolibet professionis monasterio, quod breve Gregorianum recusaverant recipere patres in capitulo anni 1594.

Ann. Chr. 1598.

XXIV. Alia ad hunc annum spectantia.

Michael Leonardellius Cæsenas monachus professus cœnobii Classensis edidit hoc anno orationem supplicem ad Clementem VIII. pro obtinenda consueta propagatione, facultate nimirum induendi novitios in antiquissimo eodem cœnobio. Mantuæ typis Osannæ 1598. De Michaele agit Bernardinus Manzonius in chronologia Cæsenæ part. I. [a] de ipso aliqua proferemus seculo sequenti. Erat ipse præsenti anno abbas sancti Marci de Mantua.

Memoriam facit de Jacoba Salecchia sanctimoniali Faventina parthenonis sancti Maglorii sub hoc anno Romualdus-maria Magnanus sacerdos Faventinus [b] in suis SS. & BB. Faventinorum vitis. Sed nihil, præter nomen & generales notitias, quæ cuicumque piæ sanctimoniali convenire possunt, de Salecchia dicit; laudat Silvanum Ractium & Perottum, ipsamque facit ex nobilissima familia Faventina.

Idem Silvanus Ractius cum esset abbas cœnobii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, translatis in ecclesiam ex capitulo ossibus beati Jacobi monachi, beati Silvestri conversi, & beatæ Paulæ abbatissæ de licentia Alexandri Medicei cardinalis archiepiscopi Florentini, hanc urnæ marmoreæ subtus altare inscriptionem addidit:

a Pag. 113.

b T. I. p. 326.

Silve-

Silvestri hic sunt conversi, monachique Jacobi,
Virginis & Paulæ Ossa beata cole.
Silvanus Ractius hujus monasterii cœnobita poni curavit
Anno Domini M. DIIC.

ANN. CHR. 1598.

Franciscus II. Lauretanus abbas commendatarius Vangaticiæ Franciscum III. nepotem suum in coadjutorem sibi fieri curavit, qui ob patrui obitum abbas commendatarius evasit anno 1602.

Christina de Lotharingia Magna-ducissa Etruriæ cum principissa Maria de Medicis & principissa Theresia Ursina vigore brevis Clementis VIII. ad eremum Camaldulensem se conferunt; verum audita religione loci, quam ingredi mulieribus vetitum eatenus fuerat, pontificio brevi uti renuunt.

Capitulum sive prælatorum dieta habita fuit hoc anno die x. aprilis in monasterio sancti Gregorii de Urbe.

Monasterium sanctæ Crucis de Eugubio divenditum fuit a congregatione, ejusque venditionis pretium assignatum pro redditu monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Pisauro.

ANN. CHR. 1599. XXV. Fundatio eremi in diœcesi Vicetina.

ROMANUS pontifex Clemens VIII. pridie nonas augusti imposuit congregationi Camaldulensi pensionem tercentorum scutorum solvendam quotannis hospitali Sixti de Urbe, a quo fuere hoc anno separati redditus abbatiæ sanctorum Decentii & Germani prope Pisaurum, & beneficiorum sancti Petri in Mazzola, ac sancti Georgii diœcesis Pisaurensis, ut unirentur, sicut uniti fuere, monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Pisauro. Hinc patres in capitulo congregationis apud Carceres coadunati hoc anno instrumentum hujusmodi unionis ratum habuerunt; in quo etiam capitulo indicta est Silvano Ractio abbati reformatio breviarii Camaldulensis, sicut anno sequenti extensa cura ejus correctionis ad plures alios eruditos monachos.

In eremo Camaldulensi habita fuit mense martio visitatio apostolica a Dominico Gimnasio archiepiscopo Sipontino & nuntio pontificio in ditione Florentina, quo etiam tempore post Simeonem Perusinum electus est in Majorem eremi Paulus de Bazzolanis ex Abbatia Pollicinii. Ipsum apostolicum visitatorem tamquam Angelum Domini susceperunt eremitæ, ut in horum epistola ad Clementem VIII. qui mense aprili die XXI. gratulatus est ipsis, hortatusque ambulare cum consensu, & vocationi serio graviterque incumbere, anno pontificatus sui octavo. Iisdem eremitis Camaldulensibus Etruriæ cardinalis Fridericus Borromæus archiepiscopus Mediolanensis assignavit locum in sua diœcesi pro fundanda eremo, cum redditu annuo ducentorum scutorum. Fundatio effectu caruit, licet capitulum eremi oblationem excepisset.

E contra Coronenses eremitæ, qui ad sanctæ Mariæ de Rhua Patavinæ diœcesis degebant, cum optimam de se famam odore virtutum ubique diffunderent, facilius etiam novas eremitarum colonias deducebant. Oblatus eis fuerat anno 1594. locus ad novam sedem anachoretarum stabiliendam in territorio Vicetino a comite Alexandro Porto nobili Vicetiæ patritio. Sed cum negotium in dies protraheretur, visum fuit patribus eremum condere alio in loco, scilicet prope villam Centralis in monte Summano, misso ad fundationem hujus eremi præsenti anno 1599. Alexandro Secchio Cremensi origine, sed propter munus in Veneta cancellaria Veneto, celebri architecto, solerti eremita, viroque eloquente, omnibusque caro, cui e cælo, ut dicebatur, diffluebant eleemosynæ; qui propte-

Ann. Chr. 1599.

rea, multis Vicetinis civibus adjuvantibus, & præsertim Hieronymo Trento nobilissimo ejus urbis viro, novæ eremi ædificationem sollicite complevit. Ecclesia constructa fuit a Francisco Rubino nobili Vicetino in honorem sancti Johannis-baptistæ, adjunctaque ipsi altera sancti Rocchi, quæ a communitate Centralis donata est anno 1604. eremo una cum prædiis, ubi etiam primum eremitæ consederunt & sacra fecerunt, antequam eremus ad perfectionem adduceretur. Prior Rhuensis regimen quoque novæ Vicetinæ eremi tenuit usque ad annum 1606. quo primus localis recentis solitudinis institutus fuit prior Titus Zenus Venetus, qui tamen suppliciter flagitavit absolvi se ab officio, impetrato etiam indulto a Paulo V. ne ad dignitates vitæ suæ tempore suscipiendas a majoribus adigeretur. Alia ecclesia eremo legata post mortem suam a Theodoro Bacchio, acceptata fuit anno 1664. in capitulo Tusculano, quæ sita erat in loco dicto *la Costa*.

Dux Olivæ epistolam hoc anno scripsit iisdem patribus Coronensibus pro fundatione eremi in Polonia.

Die decima martii vicarius episcopi Arretini abbatiam sancti Viriani dictæ diœcesis contulit presbytero seculari in vicariatum perpetuum, remotis presbyteris amovibilibus, sed presbyter anno sequenti dictam abbatiam recepit a monachis Angelorum de Florentia, ad quos spectabat.

In veteri ecclesia sancti Gregorii de Urbe inscriptio. *D.O.M. Johanni-baptistæ Lomatio Mediolanensi presbytero & protonotario apostolico Jacobus-antonius Lomatius fratri amantissimo & sibi posterisque posuit, die* XI. *mensis martii* M. D. XCIX.

Ann. Chr. 1600.

XXVI. Cardin. Salviati egregia monumenta in ecclesia S. Gregorii de Urbe.

Cupiens Hieronymus de Comitibus abbas commendatarius monasterii sancti Gregorii de Urbe, ecclesiastico statu derelicto, matrimonio jungi, abbatia se abdicavit in favorem Antonii-mariæ Salviati cardinalis, quocum sanguine erat conjunctus. Antonius cardinalis, perspecta pietate, & sollicitudine in rebus sacris monachorum Camaldulensium, eorumque impensis factis pro restauratione loci & ecclesiæ, plateam magnam, prout hodie cernitur, ante ecclesiam stravit, sublatis hortis, quæ parvam viam concludebant, qua iter erat ad ecclesiam, scalas similiter ampliavit, & cum antiquum Septizonium, quod prope ecclesiam sancti Gregorii extabat, jussu Sixti V. fuisset eversum, in medio scalarum ecclesiæ ex una parte figens januam, ad memoriam Septizonii conservandam depingi ipsum voluit expresse, & prout integrum jacebat, apposita inscriptione: *Antonius-maria cardinalis Salviatus aream confluenti populo aperuit*. De platea sancti Gregorii a Salviato aperta agit & Octavius Pancirolus in libro: *Tesori nascosti di Roma*. Sacellum quoque construxit ad antiquissimam imaginem beatæ Mariæ in pariete depictam, ante quam sanctus Gregorius orare consueverat, & quæ sæpius illum alloquuta fuerat; Ipsum autem sacellum picturis & lapidibus ornavit cum tabula celeberrimi pictoris Annibalis Carraccii, & cum epigraphe: *Antonius-maria cardinalis Salviatus beatæ Virginis imaginem ante mille annos in paternis ædibus beatum Gregorium alloquutam sacello exornavit anno* M. D. C. Expendit in ipsa capella cardinalis sex millia scutorum, & obtinuit altare privilegiatum ex brevi anni 1601. quinto aprilis anno Clementis VIII. decimo. Multa alia de magnificentia cardinalis Salviati referuntur, & inter cetera, quod centum triginta millia scutorum, præter redditus annuos assignatos pro infirmis, impenderit in hospitali Incurabilium & orphanorum, quod amplis proventibus etiam ditavit, ubi aluntur viginti-quatuor juvenes studentes,

quos

quos custodiæ Camaldulensium monachorum sancti Gregorii deputare volebat, qui tamen gratias egerunt, excusantes, quod id instituti sui non foret, aliaque plura pia opera fecit, alia etiam facere intendebat in eadem sancti Gregorii ecclesia, nisi piissimum cardinalem mors sustulisset die sexta aprilis anni 1602. Quanta humanitate tractaret cardinalis cum monachis Camaldulensibus, cibos cum ipsis sumeret, eosque in omnibus adjuvaret, legitur apud Michaelem Losannam in ms. descriptione monasterii sancti Gregorii.

XXVII. De reliquiis ecclesiæ SS. Justi & Clementis Volaterrarum.

Pone altare majus ecclesiæ abbatiæ Volaterrarum sequens cœlata fuit hoc anno inscriptio: *Hic intra servantur reliquiæ SS. Atineæ, & Græcinianæ passæ in undecima persecutione ecclesiæ sub Diocletiano & Maximiano imperatoribus, & ut creditur sub Marcellino summo pontifice. Latuerunt in ecclesia SS. Justi & Clementis annos circiter 384. inventæ postmodum ibi sub Innocentio III. & translatæ fuerunt ad hanc sancti Salvatoris ecclesiam cum statuto quotidianæ memoriæ. Hæc Samuel Abbas* M. D. C. Recolantur tamen, quæ diximus quoad inventionis tempus ad annum 1140. Ceterum ipse Samuel abbas in recentem capsam conditis corporibus earumdem sanctarum virginum & martyrum, duabus clavibus eam obseravit, licet vetus capsa unica clauderetur, quam Volaterrani abbates tenebant, atque alteram clavem tenendam dedit communitati Volaterranæ, quam tamen præbere instantibus abbatibus ipsa communitas deberet. Verum exinde communitas, licet clavem non denegaverit, quotiescumque nihilominus priores ipsius eam tradebant, manu notarii, ut jurisdictionem ostenderent, instrumentum publicum rogare volebant. Post aliquot annos Thoma Minio abbatiæ gubernatore capita præfatarum Martyrum extrahere cupiente, ut ea includeret in thecas argenteas, communitas clavem negavit, nisi accederet consensus consilii majoris urbis. Permissa fuit consilii advocatio, sed deputati retulerunt urbem nolle assentiri, ut extraherentur sacræ reliquiæ, nisi abbatia sponderet, se eas sollemniter quotannis missuram ad ecclesiam cathedralem cum supplicatione populi die festivo Assumptionis beatæ Mariæ virginis in recognitionis signum. Porro monachi responderunt se jure suo usuros & capsam fracturos, si sponte non transmitteretur clavis; quod etiam fecissent, nisi abbas generalis, qui visitationem monasterii eo tempore peragebat, differendam exequutionem rei post dietam in proximo celebrandam suasisset, seque commissurum novo Volaterrano abbati pollicitus esset capsæ aperitionem, si denegaretur clavis. Hæc narrat peculiari suo scripto idem Thomas Minius, qui regimen monasterii tenebat titulo gubernatoris, & vice abbatis.

XXVIII. Capituli Classensis hujus anni acta.

In capitulo generali congregationis trigesima aprilis adunato in monasterio Classis, post triennium completum Gerardi Peregrinii electus fuit in supremum præsidem Paulus Bazzolanus ex numero eremitarum, oriundus ex Abbatia Pollicinii, vir apprime doctus & sanctus, qui audita sui electione nuntios statim misit, qui abdicationem ipsius a dignitate referrent, sed apostolico brevi Clementis VIII. adactus est subire onus regiminis non sine lacrymis. Præsedit capitulo jussu cardinalis Comensis protectoris Conradus Tartarinus Castellanus Foro-liviensis episcopus; additis Paulo in visitatores Desiderio Angelerio Athestino doctore in utroque jure Patavino, & Johanne-ludovico Pasolino Faventino, suppleto anno 1602. in locum Desiderii defuncti Sebastiano Boccardino Florentino. In eo capitulo Camaldulum Foro-liviense separatum est a monasterio sancti Hippolyti de Faventia, cui olim adjunctum fuerat, & addictum perpetuo alteri sancti Salvatoris de Foro-livio. Abbatiæ sanctæ Mariæ in Balneo adjecta altera

ANN. CHR. 1600.

sanctissimæ Trinitatis Montis-herculis. Alexandro Cevæ eremitæ & monacho copia facta est transmeandi in Pedemontium ad novam fundandam eremum. Camaldulensibus eremitis Etruriæ hoc ipso anno proposita fuit erectio alterius eremi a Philippo III. Hispaniarum rege in suis regnis.

XXIX. Historica plura simul collecta.

COMPLETA est fabrica cellæ sancti Johannis-evangelistæ in eremo Camaldulensi cum insignibus cardinalis Pauli-camilli Sfondrati, alterius quoque cellæ in honorem sanctæ Mariæ-magdalenæ, quam anno præterito ædificari mandaverat cardinalis Eduardus Farnesius.

Decessit frater Justinus a Caltrano eremita Coronensis, ferventissimus in oratione, quam peragens quadam die in ecclesia eremi Rhuensis spiritum Deo reddidit. Ignoratur vero annus obitus alterius eremitæ Rhuensis Alexandri a Rhodigio, qui vivebat circa hæc tempora, & reclusionis perpetuæ leges per annos triginta sustinuit. Refert ad hoc idem tempus Hieronymus Gherardius in monumentis mss. Burgensibus memoriam cujusdam monialis Camaldulensis nomine Sulpitiæ in parthenone sancti Bartholomæi Burgi sancti-Sepulcri, quæ assidua erat orationi, diesque ac noctes insumebat in eo exercitio, ita ut ceteræ moniales frequentius eam objurgarent, quod manualia opera negligeret, & nere ac texere pannos posthaberet. Hæc quadam die ad januam monasterii vocata recepit involucrum panni a quadam incognita persona sibi dono datum, creditumque fuit miraculose ei delatum, probante Deo juge ejus orationis & fiduciæ meritum.

In ecclesia veteri sancti Gregorii de Urbe inscriptionem sepulcralem sibi posuit episcopus Foro-semproniensis his verbis. *D. O. M. Octavius Accorambonus episcopus Foro-semproniensis sibi gentilibusque suis vivus P. anno jubilæi* M. D. C. *ætatis suæ* LI. *Idem episcopus emit huic templo unum locum, ut ajunt, Montis recuperationis non vacabilis, quo ejus sacerdotes singulis secundis feriis celebrent in uno ex altaribus privilegiatis unam Missam defunctorum, & alias novem Missas quolibet anno intra octavam Mortuorum pro vivis & defunctis familiæ Accorambonæ, ut latius in instrumento M. Antonii Bruti notarii hac die* X. *februarii anno jubilæi* M. D. C. Alia inscriptio: *D. O. M. Philippo Rossio Saminiato civi Romano causarum & præsertim criminalium in Urbe diligentissimo integerrimoque defensori & erga pauperes piissimo, qui obiit die* XXIII. *febr.* M. D. C. *anno ætatis suæ* XLIX. *& mense* V.

In regesto præfati Pauli Bazzolani abbatis generalis reperimus literas ipsius patentes datas ex Ravenna die XIX. decembris Julio de Balneo monacho Camaldulensi se conferendi in Gallias, ibidemque pertractandi quædam negotia, quandoquidem rex Christianissimus cupiebat cum ipso monacho colloqui. Nil tamen præterea ad cognitionem nostram venit, quænam essent hujusmodi negotia.


Ecclesia sancti Johannis-baptistæ de Clodia a monachis sancti Mathiæ de Muriano in emphyteusim traditur. Faustinus de Tedeschis Veronensis abbas sanctæ Mariæ-angelorum de Pisauro vendit quamdam possessionem cum domo & ecclesia pene diruta sita in terra Appignani territorii Auximani monialibus sanctæ Claræ terræ Apiri.

ANN. CHR. 1601.

XXX. Fundatio eremi Taurinensis facta ab Alexandro Ceva.

JAMPRIDEM, ab anno scilicet 1596. Alexander Ceva Camaldulensis eremita votum suum de propagando eremitico instituto apud suos Pedemontanos aperuerat Garziæ ab Ilua supremo Camaldulensis ordinis præfecto, qui, ut ejus pio desiderio obsecundaretur, tradiderat ipsi regendum cœnobium sanctæ Mariæ Putei Stratæ prope Augustæ Taurinorum urbem,

cum



Sacra Camaldulensis Eremus a Carolo Em̃anuele I Duce Sabaudiæ in Montibus Taurinensibus erecta ex voto anno 1602.

cum facultate insuper acquirendi & aggregandi congregationi nova loca & monasteria. Camaldulensem ergo eremum deserens Alexander, eremita cœnobitis Taurinensibus præfuit aliquot annis, atque dum eum locum regeret, amorem & æstimationem Caroli Brolii archiepiscopi Taurinensis sibi conciliaverat, quem etiam participem fecerat ejusdem voti, extendendi nimirum in patrias regiones vitam eremiticam, & fundandi solitudines ad instar Camalduli Majoris Etruriæ. Ope archiepiscopi patuit Alexandro aditus ad piissimum ducem Carolum-emmanuelem, qui eum benigne suscipiens non distulit polliceri velle se fore fundatorem eremi, & interea erectionem ipsius promoturum per oratores suos, quos detinebat in curia Romana. Supervenit anno 1598. immanissima pestis in Pedemontio, quo flagelli tempore, copia brevis Clementis VIII. ex Ferraria dati die XVI. augusti anni 1596. & extensi ad eumdem Taurinensem archiepiscopum, utendi nimirum pestis tempore opera etiam regularium ad sacramentorum administrationem, mirum est, quanta proximorum suorum caritate impulsus Alexander una cum Arsenio fratre, relicto monasterio, & se recipiens in domibus parœcialis ecclesiæ sanctorum Simonis & Judæ de Taurino, addixerit se totum operibus pietatis & misericordiæ erga peste infectos, erecto altari super publicam viam, ubi & sacramenta ministrabat, & populo concionabatur, & vivorum indigentiis opem, & suprema funeris officia defunctis præstitit toto eo anno. Sequenti anno 1599. a superioribus suis destinatus fuit Alexander ad regimen Mediolanensis monasterii cœnobitarum sancti Viti in Carrubio, in quo exemplaritate morumque innocentia insignis omnium admirationem & amorem fere per annum promeritus est. Videbatur hæc nova Alexandri destinatio plurimum obesse exequutioni fundationis eremi, quam meditabatur, sed fretus confidentia in Deum, non renuens erga majores obedientiam, epistolam ex Mediolano scripsit ad eumdem archiepiscopum Taurinensem, qua eum precatus est, ut Carolo-emmanueli Sabaudiensi duci, simulque Catharinæ filiæ primogenitæ Philippi II. Hispaniarum regis lectissimæ ducis conjugi, totique urbi Taurinensi insinuaret, quod ad avertendum pestis flagellum nullum aliud superesset remedium, quam emissio voti sollemnis Deo opt. max. fundandi ibidem eremum pro Camaldulensibus solitariis. Consilium Alexandri aperuit archiepiscopus duci die XIX. julii ejusdem anni, binasque ad eumdem ducem superaddidit Alexander, quæ ipsius animum a triennio jam dispositum induxerunt ad publicam emittendam promissionem fundandæ eremi super montes Sopergæ, ut ex epistola liquet, qua die XXIII. julii ipse dux voluntatem suam notam facit eidem eremitæ. Verum plura impedierunt executionem rei eo & sequenti anno; iter Caroli in Gallias ad deprecandam pacem ab Henrico IV. qui invadere volebat marchionatum Saluthiensem, consilium Pauli Bazzolani generalis Camaldulensis, qui fundationem eremi sibi committi postulabat, cardinalis Comensis protectoris præventio adversus Alexandrum, Conradi Tartarini episcopi Foro-liviensis præsidis capituli oppositiones metu ejusdem cardinalis, instigationes eremitarum Camaldulensium Etruriæ, ut non Alexandro, sed capitulo eremi negotium hocce demandaretur; nihilotamen secius brevi tempore omnia superata fuere, & opera oratorum ducis Sabaudiæ in curia Romana tum Alexander nomine totius ordinis procurator, tam Taurini, quam Romæ constitutus est, juxta decretum capituli generalis sub die VII. maji anni 1600. tum impetratum breve Clementis VIII. directum eidem Alexandro die XIV. maji hujus anni 1601. quo fiebat ipsi absoluta potestas fundandi eremum. Reliquum erat, ut statueretur locus. Mons Sopergæ

Ann. Chr. 1601.

gæ visus est Aquilonum inclementiæ expositus ; quare alius inter Taurinum & Pecetum designatus fuit locus, in quo die XXI. julii sequentis anni 1602. jactus fuit primus lapis fundamentalis ab ipso duce ; comitantibus quinque principibus filiis suis & plerisque nobilibus ; in quo lapide legebantur hæc verba: *D. O. M. Deiparæ. Virgini. Mariæ. beatoque. Romualdo. ordinis. Camaldulensis. institutori. eremum. templumque. ædificandum. Clemente. VIII. pont. max. fratre. Mauro. Sacra. faciente. invictissimus. Carolus. Emmanuel. Sabaudiæ. dux. pientissimus. astante. serenis. prole. Philippo. Emmanuele. principe. Pedemontis. Victorio. Amedeo. Emmanuele. Philiberto. Mauritio. & Thoma. Francisco. primarium. lapidem. posuit. in. honorem. sancti. Salvatoris. &. ex. voto. suo. ære. erexit. et. dotavit. Frater. Alexander. ex. marchionibus. Cevæ. ejusdem. ordinis. eremita. ex. apostolico. indulto. fundator. deputatus. summo. studio. sollicitus. ut. opus. absolveretur. promotor. fuit. die.* XXI. *julii.* M. DC. II.

Dum ædificabatur eremus, favore principis unitum fuit ei monasterium Putei Stratæ anno 1604. immo anno sequenti adjecta fuere bona omnia, quæ pertinebant ad sacristiam abbatiæ sancti Solutoris, quam donationem post mortem Clementis VIII. confirmavit die XXIV. maji ejusdem anni ipsius successor Paulus V. qui etiam quarta decembris ad octo annos concessit fructus prioratus sanctæ Mariæ de Bagnolo diœcesis Vercellensis, perpetuo postea addictos. Completum fuit ædificium ecclesiæ eremi anno 1606. ipsaque ecclesia eo anno consecrationis munere ditata XXVIII. octobris ab eodem archiepiscopo Brolio, cum interventu præfati serenissimi ducis & filiorum ipsius, & equitum ordinis sanctissimæ Annuntiatæ ; rogato instrumento publico manu Johannis presbyteri notarii apostolici ; cum constitutione perpetuæ dotis duorum millium quingentorum nummum , & cum voluntate ejusdem ducis ; ut deinceps appellaretur ea ecclesia capella sacri ordinis Annuntiatæ ; & eremitæ Camaldulenses vocarentur capellani & oratores ejus ordinis . Victorius Amedeus I. Caroli-emmanuelis filius insignibus Camaldulensis ordinis addidit anno 1636. torquem dicti equestris ordinis. Super januam eremi prostat sequens inscriptio in marmoreo lapide: *Carolus Emmanuel dux Sabaudiæ invictissimus hanc sacram eremum Camaldulensem anno* 1599. *populis epidemia laborantibus voto acceptissimo erectam, & sollemnem Torquatorum Annuntiatæ Virginis ædem pro avita declaratam dotavit, dedicavit.*

Ceterum in promovenda ædificatione hujus eremi valde profuit opera archiepiscopi Taurinensis Brolii , Germonii postea archiepiscopi Tarantasiensis & tunc negotiorum gestoris ducis apud Romanam sedem , & ceterorum ipsius oratorum . Quoad unionem monasterii cœnobitarum Putei stratæ , eam curavit idem Alexander , agens anno 1603. ut archiepiscopus Taurinensis etiam nomine ducis literas daret ad Ludovicum Pasolinum abbatem generalem congregationis , quatenus ipsum concederet eremitis Pedemontanis, quoadusque perfecta foret ædificatio eremi, exclusis monachis. Verum cum ea res eidem congregationi minime placuisset ; & Alexander jam hospitium in urbe Taurinensi sibi comparasset , iterum monasterium rediit ad curam & habitationem monachorum. Quoad vero prioratum sanctæ Mariæ de Bagnolo is pertinebat ad abbatiam sancti Michaelis de Clusa, in qua, licet commendata , habitabant adhuc septem vel octo monachi, pro quorum suppressione tum apud Sabaudiæ ducem, tum apud apostolicam sedem egit Alexander zelo ductus , quia ii monastica abjecta disciplina monasterium sancti Michaelis deturpabant potius quam illustrarent, & occasionem præbebant scandali haud parum diffitis hæreticorum regionibus.

DUM

ANN. CHR. 1601.

XXXI. Alia proposita eremi ædificatio in Hispania.

Dum in Pedemontio propagines suas extendit eremiticum sancti Romualdi institutum, Balthassar Bruno degens in territorio Hispalensi regni Hispaniarum, locum & possessionem valoris scutorum quinquaginta millium eremo Camaldulensi Etruriæ testamento, vel potius donatione inter vivos legavit, ut in eodem territorio ad instar Camaldulensis eremi construeretur solitarius recessus. Vigore hujus legati approbavit, immo præcepit Romanus pontifex Clemens VIII. ultima martii anni pontificatus sui decimi suo brevi Rodulpho de Valentia eremitæ Camaldulensi, ut una cum sociis Johanne-baptista Mediolanense, Thoma Senense, atque Antonio Florentino ad prædictam eremum fundandam se in Hispaniam conferret, cui brevi accessit comprobatio cardinalis Comensis protectoris, & Johannis-ludovici Pasolini abbatis generalis, consensus quoque consilii regiæ majestatis, & ex Vallis-oleto facultas die XXIV. augusti Dominici Gimnasii nuntii apostolici in regnis Hispaniarum archiepiscopi Sipontini, erigendi ibidem ecclesiam, & eremum instituendi. Fundatio tamen tantis innixa suffragiis causa præproperæ mortis ejusdem Bruni ad effectum deduci nequivit.

XXXII. Tres aliæ eremi in regno Neapolitano erectæ a Coronensibus.

Fortunatioribus auspiciis Coronenses eremitæ novas colonias deduxerunt. Octo milliaribus ab urbe Neapolis distat Turris appellata *del Greco*, ubi olim exsurgebat urbs Herculana appellata. In eo Turris oppido ædificata fuerat ecclesia circa annum 1400. sub invocatione sancti Michaelis archangeli, quæ ad mensam archiepiscopalem ejusdem urbis spectabat, licet oppidani dominium in eam sibi vindicarent. Cum autem obiisset anno præcedenti doctor Cæsar Zafferana nobilis Messanensis, atque ob animi sui devotionem, quam gerebat erga patres Coronenses, hæreditatem suam opimam reliquisset eremo sancti Salvatoris a Prospectu eo pacto, ut ex pecuniis ejusdem hæreditatis fundaretur nova eremitarum habitatio vel Messanæ, vel Panormi, vel saltem in regno Neapolitano, animadvertentes patres in capitulo apud Montem-coronam congregati hoc anno ex locis sibi propositis nullum aptiorem præfata ecclesia sancti Angeli, Ambrosio Hispano eremitæ onus imposuerunt ædificandi ibidem novam eremum, humiliter ecclesiæ donationem efflagitantes ab Alphonso Gesualdo S. R. E. cardinale & archiepiscopo Neapolitano, qui decreto suo sub die prima martii anni sequentis summa benignitate annuit, his appositis conditionibus; ut insignia archiepiscopatus cælarentur super januam ecclesiæ, permisso tamen signo benefactoris in ceteris ædificiis; ut quotannis archiepiscopo offerretur dominica prima maij, qua celebratur festum translationis sancti Januarii, ab eremitis cereus quatuor librarum, qui si duobus annis omitteretur, caderent ipsi possessione loci; pariter ut si aliquando locum sancti Angeli desererent iidem eremitæ, restituerent ecclesiæ Neapolitanæ tam quod ipsis concessum fuerat, quam quod de novo auctum fuisset super territorio dictæ ecclesiæ, & demum ut beneplacitum apostolicum impetrarent. Per aliquot annos canonem cerei solverunt eremitæ; verum cum oppidani Turris appellassent ad sacram congregationem contra archiepiscopum, ac favorabilem sententiam retulissent pro suo patronatu ejusdem ecclesiæ, atque proinde novam sine canone aliquo traditionem eremitis fecissent, prætermiserunt hi solutionem canonis; quare Franciscus Boncompagnus archiepiscopus Neapolitanus, qui post multas lites in juribus suis restitutus fuerat ab eadem sacra congregatione, eremitas Coronenses possessione ecclesiæ decidisse pronuntiavit. Res tamen ita composita fuit, ut refectis omissis solutionibus, de cetero ad eumdem canonem adstringerentur. Hæc novimus ex relatione Johannis

ANN. CHR. 1601.

hannis Advogarii eremitæ, qui addit eamdem eremum sublevatam fuisse ad prioratum anno 1616.

Hoc ipso anno 1601. in eadem Turris eremo decessit Pompejus Fellechia nobilis Nolanus die XXI. julii, & quia eremitarum Coronensium exemplaritate, & amore inductus, inter quos etiam fratrem germanum habebat Seraphinum priorem sanctæ Mariæ Coronatæ, testamentarias tabulas condiderat, quibus hæredem bonorum suorum omnium relinquebat eamdem Coronatæ eremum, cum obligatione ædificandi alteram eremum in territorio urbis suæ Nolanæ; hinc recepta fuit ejus donatio, approbatusque situs construendæ eremi anno sequenti a patribus Coronensibus, constituto in procuratorem eodem Seraphino testatoris fratre. Habito itaque assensu Fabritii Galli Nolani episcopi, ædificata fuit ecclesia in honorem sanctæ Mariæ Angelorum, conditæ fuere cellulæ, præpositusque anno 1603. in primum rectorem idem Seraphinus. In prædio ad hanc eremum spectante ab urbe Nolana milliario distanti locus erat, qui olim appellabatur *in Pincis*, ubi sepulturæ traditus fuerat sanctus Felix presbyter, & martyr Nolanus, sic dictus a tegulis pro cooperiendis domibus, quæ ibidem conficiebantur, & in Neapolitano regno vocabantur *Pinci*. Terra seu oppidum proximum huic prædio vocatur *Cimitinum*, vox facile corrupta ex alia cœmeterii, in quo condita fuerant corpora sanctorum martyrum, & est dissitum tribus milliaribus ab eremo Nolana. Locus erectus est in prioratum anno 1607. consecrata vero ecclesia anno 1654. ab episcopo Sarni, permittente Nolano, ut fusiori calamo narrat præfatus Advogarius in relatione ms. fundationis hujus eremi. Seraphinus autem obiit virtutibus plenus anno 1628. & professus fuerat a die XXV. novembris anni 1584. in eremo Rhuensi.

Adjungimus tertiam eremum conditam partim ex hæreditate prænominati Zafferanæ; partim ex largitione principis Conchæ Matthæi Capuani domini urbis Vici-Æquensis, qui locum etiam tradidit, super quem ædificanda foret eremus, in monte nimirum appellato *Circum Jerusalem*. Oblatio hujus loci excepta fuit a patribus Coronensibus annis 1603. & 1604. sed constructio ecclesiæ & eremi, aliquot in contrarium facientibus difficultatibus, serius adimpleta, & dilata ad aliquot annos. Reperimus ipsam fuisse erectam in prioratum anno 1617. postquam aliquo tempore steterat sub rectoribus. Ecclesia exsurrexit sub invocatione sanctæ Mariæ in Hierusalem.

XXXIII. Capitulum generale in Camaldulo-majori.

VIGESIMA-OCTAVA aprilis mandavit Clemens VIII. ut Major eremi deinceps non eligeretur a capitulo ejusdem eremi, quod ordinaverat in bulla conventionis Clemens VII. anno 1532. sed quolibet triennio statueretur a definitoribus capituli generalis, missis tamen a capitulo eremi nominibus trium vel quatuor postulatorum. Capitulum hoc anno die XIX. maji celebratum est in ipsa eremo Camaldulensi, præside Paulo Bazzolano abbate generali. Concessa fuit ab eo capitulo presbyteris regularibus congregationis Boni-Jesu in urbe Ravenna ecclesia sanctæ Mariæ Montis-calvarii spectans ad abbatiam sancti Salvatoris Forolivii, sita inter terram Solis & oppidum Castri-cari, cum canone annuo solvendo eidem abbatiæ sancti Salvatoris, & cum jure reversionis ad præfatam abbatiam, si ecclesia a dictis presbyteris derelinqueretur. Eorum presbyterorum mentio fit in charta archivi [a] sancti Romualdi de Urbe ad annum 1569. Confirmata fuit hæc donatio anno 1605. Beneficium sancti Benedicti de Citerna in territorio Civitatis-castelli pertinebat hoc tempore ad abbatiam sanctæ Mariæ-angelorum urbis Pisauri. In eodem capitulo

a *Fasc.* 35. 60.

actum

actum fuit de loco exhibito prope Aronam a Friderico Borromæo cardinale archiepiscopo Mediolanensi eremo Camaldulensi Etruriæ, & speciatim Paulo Bazzolano, qui Mediolanum profectus pro ædificanda nova eremo, re infecta, necessariis deficientibus conditionibus, post quinque menses ad propria est reversus.

Ludovicus Taberna Mediolanensis episcopus Laudensis visitator apostolicus legitur præsenti anno eremitarum Montis-coronæ.

XXXIV. Pia mors Octaviani Battaleæ Veneti mon. Camald.

OCTAVIANUS Battalea ex familia patricia Veneta, monachus sancti Michaelis de Muriano jam ab anno 1573. & annumeratus magistris sacræ Theologiæ Patavini collegii anno 1592. ad Deum transiit hoc anno die XXIV. augusti hora duodecima in monasterio sancti Viti de Mediolano, ut per literas statim monitum fecit Alexandrum Cevam alter ipsius commonachus Aurelius Pellicantes. Nobilitatem suam aspectu & vultu indicabat Octavianus, divinas laudes voce tam nitida canebat, ut vox Angeli ab omnibus passim appellaretur; concionator insignis animarum conversiones in primis requirebat; theologiæ moralis & sacræ Scripturæ studiis addictissimus nonnullas etiam biblicas quæstiones reseravit, inter quas quæstionem de una vel de triplici Magdalæna ad Fulgentium Thomasellum Athestinum monachum Carcerum circa annum 1592. Tempore suæ commorationis in Mediolani urbe per decennium familiarissimus & carus in primis fuit Friderico Borromæo cardinali & archiepiscopo, qui in arduis episcopatus negotiis frequenter ipsum consulebat, & ad ejus preces pauperum, egenorum, viduarum & pupillorum causas audiebat, & indigentias sublevabat. Humilitate conspicuus virtutes ceteras, quibus pollebat, occultabat, ita ut in cibis sumendis convivæ non animadverterent ipsum carnes nunquam gustasse, & mira arte oculos præsentium fallebat. Super paleam semper cubavit; verum, quo propinquiorem morti se sensit, nuda tabula pro lecto usus est, bonamque noctis partem orationi dare consuevit. His sancte gestis, feliciter præsenti anno ad Deum migravit, cujus transitu audito cives Mediolanenses frequentes occurrerunt ejus funeri, tantusque fuit populi concursus, ut necesse fuerit corpus illud exanime tribus diebus inhumatum relinquere, vestibus, capillis a devotis piisque personis spoliatum. Perseveravit memoria ejus sanctitatis, etiam postquam Camaldulenses monachi discesserunt Mediolano. Die siquidem XIV. maji anni 1651. ex testimonio parochi ejusdem ecclesiæ sancti Viti presbyteri Francisci Caroli Peregi habetur, quod anno 1624. cum a fundamentis eadem ecclesia fabricata fuit, inventum extitit sepulcrum, in quo inter cetera cadavera repertum est illud Octaviani incorruptum cum capillis & pilis barbæ, & cum vestibus ita candidis, perinde ac recens invectum fuisset in tumulum; id quod testati fuere plures parœciani, qui viventem de facie cognoverant. Marcus-antonius Vergiati parochus sanctæ Mariæ Lamonetæ de Mediolano testatus est anno 1663., se cum puer esset, astitisse funeri monachi Octaviani, & postea corpus ipsius incorruptum vidisse. Johannes-baptista Sitonus medicus Mediolanensis physicus collegiatus deposuit se audivisse a Camillo patre suo, & ab Octavia Speroni matre mira de sanctitate Octaviani, quo etiam utebantur conscientiæ moderatore. Anno 1624. collocatum fuit iterum ejus venerabile corpus intra urnam ante altare majus a cornu evangelii. Vitam ipsius Octaviani conscripsit Michael Losanna monachus noster, qui addit quoque miracula non defuisse ad ejus sepulcrum. Crebra mentio ipsius habetur etiam in epistolis mss. Alexandri Cevæ, & in aliis ad ipsum. Præter dissertationem de una vel triplici Magdalæna, reliquit Octa-

Ann. Chr. 1601.

vianus multas pias epistolas, quæ asservantur in bibliotheca sancti Michaelis, alias ad præfatum Cevam extantes in archivo eremitarum Taurinensium.

Ann. Chr. 1602.

XXXV. Cardinalis Baronius templum S. Gregorii de Urbe restaurat.

SUBLATO cardinale Antonio-maria Salviato abbate commendatario monasterii sancti Gregorii de Urbe dolore omnium monachorum, qui beneficentiam, pietatem & amorem piissimi purpurati experti fuerant, alter eruditione, religione & munificentia haud impar commendatarius abbas a Clemente VIII. substituitur Cæsar Baronius tituli sanctorum Nerei & Achillei presbyter cardinalis. Is in ecclesiastica antiqua historia versatissimus ad vetustas memorias renovandas animum adjecit; antiquum sancti Gregorii privilegium a Gregorio IX. confirmatum pro animabus defunctorum in lapide marmoreo cœlari jussit; veterem capellam sancti Andreæ, quæ ad commendam spectabat, a fundamentis restauravit, renovavit etiam memoriam sanctæ Silviæ matris Magni Gregorii, quæ fere erat obsoleta, & in ejus honorem sacellum erexit, statuamque marmoream dicavit, ejusque reliquias condidit in altare, quod etiam lapidibus pretiosis exornavit. Legitur ad basem statuæ: *Sanctæ Silviæ sancti Gregorii papæ matri Cæsar Baronius S. R. E. presbyter cardinalis posuit.* Triclinium pauperum, in quo sanctus Gregorius eleemosynas pauperibus distribuere solebat, & eos convivio excipere, variis picturis decoravit, volens, ut in festo die sancti Gregorii ad ejus imitationem duodecim pauperibus dapes apponerentur in eodem loco, quibus ipse & monachi inserviebant. Collocavit etiam statuam marmoream pro majore populi veneratione in honorem ejusdem Sancti, subjecta inscriptione: *Sancto Gregorio papæ & ecclesiæ doctori patrono suo Cæsar Baronius tituli sanctorum MM. Nerei & Achillei S. R. E. presbyter cardinalis locorum antiquitate restituta sacram statuam posuit, & populo fideli reverendam proposuit Clemente VIII. pontifice maximo anno* M. DC. II. Sacellum sancti Andreæ nobilibus lapidibus ditavit cum tabula picta a Pomaurantio. Cœmeterium dilatavit, columna porphyretica elata in medio cum epigraphe: *Cœmeterio dilatato Cæsar cardinalis Baronius S. R. E. presbyter cardinalis aperuit anno* M. DC. III. Pluries sub ipso cardinale ecclesiam sancti Gregorii visitavit Clemens VIII. Missamque in ea celebravit, & monachos sua benedictione consolatus est, ore proprio confirmatis veterum prædecessorum pontificum indulgentiis, qui etiam dilargitus est, ut feria VI. Cinerum ecclesiæ sancti Gregorii perpetuo inessent eædem spirituales gratiæ & indulgentiæ, quæ inerant ecclesiæ sanctorum Johannis & Pauli; plenariam pariter indulgentiam concessit visitantibus capellam sanctæ Silviæ die V. novembris. Præcepit etiam cardinalis Baronius, ne pavimentum musivo opere stratum pro sepulcralibus loculis imposterum dimoveretur. Legebatur inter ceteras hujusmodi vetustissima sepulcralis inscriptio: *Suavitatem perpetis regni, terroremque æterni supplicii pensans, unde ego servorum Dei servulus offero vobis beate Andree apostole, beateque Gregori, parvulum munusculum, quod flagitamus Dei clementia vestraque opitulatio, ut in vestro cœnobio dignemini defensare, videlicet calicem & patenam cum gemmis deauratis, alium vero unius libræ, & patena dimidiæ libræ, antiphonariis diurnis & nocturnis boris separatis voluminibus, Missæque paratum cum planeta de paleo, & liber Comite* ...... Benemeritus quoque est idem cardinalis, quod vineam monachis concesserit vili pretio, & quod ad sublevandos cœnobitas, qui ob aerem noxium frequenter infirmabantur, ecclesiam parœcialem sancti Andreæ de Tibure conjunxerit cum monasterio sancti Gregorii, statuta a congregatione Camaldulensi pensione sexaginta scutorum parocho anno 1604. ut

Ann. Chr. 1602.

ut ex brevi Clementis VIII. die XVII. decembris ejusdem anni ad vicarium episcopi Tiburtini, & demum parœcia divisa inter tres alios conterminos parochos. Nec illud silentio est prætereundum, quod tempore cardinalis Baronii adeo invaluit populi devotio erga ecclesiam sancti Gregorii, ut decreverit Urbs quotannis in festivitate sancti Gregorii oblationem calicis argentei cum quatuor intortitiis, ex sequenti statuto: *Ex S. C. decretum est, ut die festivitatis sancti Gregorii de Urbe ordinis Camaldulensis offeratur ejus ecclesiæ calix solitus cum quatuor intortitiis, prout in aliis ecclesiis fieri consuevit, & quod magistratus illius temporis magno comitatu ac decore dictam ecclesiam in dicta die visitare ac præsentare debeat juxta solitum omni meliore modo. Datum in Capitolio die decima maji anni* M. DC. III. Ceteras innovatas memorias a cardinale Baronio in ecclesia sancti Gregorii reservamus ad annum sequentem. Illud memorandum, quod cum cardinalis Baronius possessionem abbatiæ Gregorianæ accipere vellet, ei se opposuerit Fulgentius Athestinus monachus ejusdem cœnobii, instando, ut contentus foret cardinalis ineundæ possessionis capellæ sancti Andreæ commendatæ, non vero ecclesiæ sancti Gregorii, quæ non erat ei commendata. Iratus Baronius amplissimam facultatem impetravit a Romano pontifice Clemente VIII. recipiendi utramque possessionem, immo etiam, quatenus opus esset, ejiciendi monachos Camaldulenses; verum cardinalem placavit Desiderius Angelerius abbas in Urbem statim missus, & destinatus prior ejusdem monasterii, qui humilitate, suavitate verborum, & non emendicatis excusationibus ita flexit ejus animum, ut communiter eo tempore diceretur, Baronium eam in Desiderium concepisse benevolentiam, ut si ad pontificiam tiaram elevaretur, cardinalitia purpura foret ipsum honestaturus. Sed hoc ipso anno meritis plenus, doctrinaque & vitæ integritate conspicuus ad superos transiit Desiderius, morbum tum ex aere vitiato contrahens, tum ab exacta monasticæ observantiæ austeritate consumptus, postquam sanctissimis exemplis justoque regimine gubernaverat plura monasteria, & illud præcipue sanctæ Mariæ ad Carceres, cujus professus erat, & visitatoris officio multoties functus fuerat, ex cujus obitu non vulgarem Baronius animi dolorem concepit. Prudentia itaque & humili demissione abbatis Desiderii propitius redditus erga Camaldulenses cardinalis, iterum regressus est ad pontificem, laudibus extulit abbatis suaves mores, a capitulo autem congregationis in proximo celebrando monachos probatæ virtutis expetiit, qui destinarentur de familia ejusdem monasterii, & deinceps Camaldulenses nullis non benevolentiæ signis sibi devinxit.

XXXVI. Acta capituli ad Carceres.

In capitulo apud Carcerum monasterium exutus est hoc anno inusitato exemplo ab officio Petrus Bazzolanus abbas generalis secundo sui regiminis anno. Irreprehensibilis cum esset in ceteris, imputabatur ipsi nimia indulgentia; non defuit tamen opera cardinalium Comensis protectoris & Estensis, ut denuo restitueretur, sed vir quietis & solitudinis cupidus locum fecit alteri, contentus prioratu sancti Hippolyti de Faventia, quod monasterium eatenus rexerat cum generalitia dignitate, deinde anno sequenti id unum curavit, ut reverteretur ad veterem suam eremum Camaldulensem, vel etiam ad Taurinensem sub ductu Alexandri Cevæ.

Substitutus est in ejus locum Johannes-ludovicus Pasolinus Faventinus, vir acceptissimus cardinalibus Gallio, Castruccio & Paravicino. Visitatores fuere sub Pasolino Julius Guadagni Florentinus, Adeodatus Jacobini Balneensis, Anselmus Venturi Florentinus, Baptista Perulius Fabrianensis, & Maurus abbas Arcus Senarum. Ab eodem capitulo destinati fuere mona-

Ann. Chr. 1602.

chi probatissimi, qui in Urbem se conferrent ad inserviendum monasterio sancti Gregorii. Eidem Ludovico generali hoc anno eclogam, cui titulus Daphnis, dicavit Innocentius Tantardinus Britonoriensis monachus Camaldulensis, quam typis edidit in urbe Tarvisii. Quidam Innocentius a Britonorio professus fuit in monasterio Carcerum anno 1593. octava septembris. De Innocentio iterum ad annum 1619. & 1621. Sub ipso Ludovico generali anno 1605. demandata fuit in omnibus monasteriis recitatio quotidiana Litaniarum beatæ Mariæ Virginis post canonicam horam Primam, cujus recitationis origo profluxit ex monasterio sancti Mathiæ de Muriano sub Adeodato Balneense abbate. In hoc ipso cœnobio, post aliquot annos, Dominico Portesano abbate in primis impellente, introductus est usus canendi *Salve-regina* post Completorium flexis genibus ab omnibus monachis; quod ante præstabant stantes.

Licet vicarius apostolicus anno 1581. decreto suo statuisset, ut in ecclesia sanctorum Tiburtii & Susannæ castri Agnani eligeretur vicarius perpetuus, cum provisione octuaginta scutorum auri solvenda ab abbatia Agnaniense, hoc anno tamen Silvanus Ractius abbas ejusdem monasterii actum publicum conscripsit, & fundamenta sua rationabilia exposuit demonstrantia non vicarium perpetuum, sed monachum cum socio juxta congregationis privilegia debere constitui in rectorem præfatæ ecclesiæ ab abbatia dependentis; ex tabulario sancti Romualdi de Urbe [a].

[a] *Fascic.* I. 30. 42.

Ann. Chr. 1603.

XXXVII. Vetera monumenta templi S. Gregorii, & recentia.

Consecratum fuit hoc anno altare sancti Gregorii ad capellam Salviatorum a Leonardo Abel Melitense episcopo Sidoniæ, ex sequenti inscriptione deposita in capsula plumbea: M. DC. III. *die* XXX. *mensis octobris ego Leonardus Abel episcopus Sidoniensis & in Urbe suffraganeus deputatus consecravi altare hoc in honorem beatæ Virginis Mariæ & sancti Gregorii papæ, & reliquias sancti Spiridionis confessoris, sanctæ Mariæ Ægyptiacæ, sancti Saturnini martyris, sancti Romani martyris, sancti Paulini martyris, sanctæ Theclæ virginis & martyris, sanctæ Christinæ virginis & martyris in eo inclusi; singulis Christi-fidelibus, hodie unum annum, & in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma ecclesiæ consueta concedo.* Idem episcopus XXVI. octobris benedixit cœmeterium. Anno sequenti die quinta novembris sacravit altare sanctæ Silviæ, sicut XXIX. octobris hujus anni 1603. consecravit altare majus ecclesiæ.

Occasione, qua vetera altaria diruebantur senio fatiscentia, ut nova instaurarentur, detecta fuere antiqua plura monumenta. Tertia februarii anni 1603. ad altare beatæ Virginis Mariæ unum ex erectis a sancto Gregorio ad dexteram in ingressu ecclesiæ reperta fuit hæc inscriptio: *Ad honorem D. N. J. C. & B. M. semper V. & B. Michaelis archangeli, & B. Johannis-baptistæ, & Apostolorum Petri & Pauli, & omnium SS. dedicatum est hoc altare per manus domni Johannis Tusculanensis episcopi, in quo reconditæ sunt reliquiæ Quirini episcopi, Eutitii, Tranquillini, Victoris, Chrysanti, Gaudentii episcopi, Anastasii, Lucinæ viduæ, & Ursatii mense madio die undecima anno Domini* M. C. VII. *temporibus domini Paschalis II. papæ anno ejus* VII. *& domni Gregorii hujus monasterii abbatis* VII. *per indictione quartadecima.* Dirutum fuit hoc vetus altare, & denuo sacratum anno 1604. die XXV. octobris ab eodem Abel episcopo. Eadem die tertia februarii anni 1603. detectum fuit altare sancti Pantaleonis, alterum ex consecratis a sancto Gregorio papa. Die sexta februarii dimotum est altare ecclesiæ in honorem sancti Gregorii & sancti patris Benedicti,

dicti, reperta hujusmodi inscriptione: *Hoc altare consecratum fuit in honorem sancti Benedicti abbatis & sancti Gregorii a domino Raynuccio Caralitano, felicis memoriæ Bonifacii papæ VIII. in Urbe vicario generali, & a reverendissimo domino Nicolao episcopo Curtubiensi, qui imposuerunt indulgentias trium annorum, & tot quadragenarum* &c. *anno Domini* M. CCC... *reliquiæ vero sub hoc altari in præfata consecratione positæ hæ sunt; videlicet apostolorum Petri & Pauli, Andreæ atque Jacobi, Stephani protomartyris, Gregorii & Benedicti & aliquæ aliæ reliquiæ, prout in bulla.* Altare hoc, & illud beatæ Virginis, quæ a pariete ecclesiæ quatuor palmis distabant, adjuncta fuere parietibus. Eadem die disjectum fuit altare vulgo appellatum sancti Gregorii, eo quod cœlata in lapide forent gesta ejusdem sancti pontificis, quod tamen dicatum erat sancto Severino monacho, ad lævam aræ majoris, & reperta fuere corpora sanctorum Gordiani & Epimachi martyrum, & sancti Severini monachi. Hæc altaria erecta, consecrata & privilegio donata fuerant ab ipso Magno Gregorio, e quibus pendebant veteres tabellæ loco motæ ab ipso cardinali Baronio, in quibus legebatur: *Istud altare est unum de quatuor altaribus per domnum Gregorium papam consecratis, in quo, qui Missam celebrat, seu celebrare facit, unam animam a pœnis purgatorii liberat.* Exscripsimus ista ex historia ms. Camaldulensi Thomæ Minii, qui præsens tunc erat, & degebat in monasterio sancti Gregorii, quique addit prædicta altaria ex cocto lapide in marmorea fuisse conversa jussu quidem cardinalis Baronii, tamen expensis monachorum Camaldulensium ipsius cœnobii. De hujusmodi restaurationibus & ornamentis hæc habet Guido Pancirolius in libro: *Tesori nascosti di Roma*: „ Cæsar cardinalis Baronius abbatiæ sancti Gregorii de Urbe commendatarius divi Gregorii fontem restauravit, una cum XIV. aris angulorum ecclesiæ. Sub ara autem principe plurimas Sanctorum reliquias collocavit, præter corpora sancti Pantaleonis martyris Nicomediensis & trium sanctorum monachorum Antonii, Merulæ & Johannis. Ad cultum sanctæ Silviæ promovendum rursus ejusdem construxit sacellum, ac super altare candidi marmoris statuam a peritissimo artifice elaboratam juxta prototypon coloribus expressum, quod divus Gregorius ad perpetuum matris suæ sanctissimæ monimentum fieri jusserat. “

XXXVIII. Historica ad ordinem spectantia.

Decessit hoc anno die trigesima januarii Lucas Hispanus ex Barcinone eremita Coronensis, qui secunda februarii anno 1569. professionem emiserat, auctor historiæ Romualdinæ. Obiit etiam ex phthisi ipso probationis anno in hospitio, quod in urbe Perusina habebant Monte-coronenses, Benignus Fuscarenus patritius Venetus vigesimo-primo suæ ætatis anno, cui morienti beatam Virginem Mariam apparuisse tradunt; refertur quoque summo cum gaudio ridentique facie ipsum mortem expectasse. Translatum ejus corpus ad eremum Montis-coronæ repertum fuit rubicundum & decorum, suavissimumque odorem efflans.

Die VII. januarii Clemens VIII. præcipit, ut pecuniæ Quindenniorum, quæ singulo quinto-decimo anno a Camaldulensibus cameræ apostolicæ solvebantur, deinceps solvantur pro rata quolibet anno tempore capituli generalis, ita pariter pecuniæ unius pro centenario, mandans earum collectionem tum generali & visitatoribus, tum procuratori generali conjunctim; quod ad hodiernam diem præstatur tempore capitulorum & dietarum.

In abbatia Ravennæ celebratum fuit hoc anno capitulum generale congregationis sub Ludovico Pasolino abbate generali, in quo editæ fuere plures constitutiones pro reformatione ordinis Camaldulensis, quas insertas

brevi

Ann. Chr. 1603.

brevi suo approbavit & apostolico robore munivit, postquam examinandas dedit Romanæ congregationi Reformationis, Clemens VIII. die nona aprilis, pontificatus sui anno decimo-tertio, hoc est anno sequenti. Typis editæ ipsæ fuere, habentque apud nos vim legis, nonnullis etiam mutatis ex iis, quæ in constitutionibus Camaldulensibus efformatis annis 1568. 1569. & 1570. hactenus viguerant.

Ann. Chr. 1604.

XXXIX. Fundatio eremi Montis-argentini in Polonia.

NICOLAUS Wolski ex illustrissima & nobilissima Polonica familia natus in urbe Podhaicæ provinciæ Podoliæ præsenti anno insignem eremum fundavit pro eremitis Camaldulensibus Montis-coronæ in Monte-argentino. Ipse a pueritia enutritus fuerat una cum archiducibus Austriæ, cum filiis scilicet Maximiliani II. tunc archiducis, postea imperatoris, nempe Rodulpho II. Mathia, Maximiliano, Ernesto, Carolo & Alberto; vacaveratque literis & equestribus ornamentis in urbe Græcii'. Juventæ suæ tempore Germaniam, Belgium, Gallias, Angliam & Italiam peragraverat, & onustus pretioso cumulo doctrinarum, eruditionum, integerrimarum virtutum, ac liberalium disciplinarum, officio functus est pincernæ in aula imperiali Rodulphi II. Expletis sexdecim annis officiorum præstitorum eidem monarchæ, reversus in Poloniam adhibitus fuit in præcipuis negotiis suæ reipublicæ, legationibus ad principes, ad pontificem maximum Clementem VIII. ad imp. Mathiam, ad magnum Etruriæ ducem, & præmii loco ad dignitatem pervenit supremi mareschalli regni Polonici. Præter hos conspicuos honoris gradus pietate & religione semper excelluit, quotidie Sacrum audiebat, quotidie officium B. M. V. recitabat, sua in pauperes erogabat, & demum erectione duorum monasteriorum pro canonicis regularibus, & eremi pro patribus Camaldulensibus magnificentissime constructæ & dotatæ, liberalissimam pietatem suam manifestam fecit; hæc ex oratione funebri recitata in ejus parentalibus a Simeone Staravolscki & Cracoviæ impressa anno 1630. Tradunt aliqui Nicolaum conscientia ductum, eo quod per plures annos percepisset redditus religionis Hierosolymitanæ, licet militiam non fuisset professus, neque religionis Crucem detulisset, cum legatum sui regis ageret apud Clementem VIII. rem hanc notam pontifici fecisse, a quo hortatus fuerit, ut in satisfactionem conderet in patria monasterium pro religiosis observantioribus Italiæ; cum autem Nicolao præ ceteris placuisset eremitarum Camaldulensium Montis-coronæ congregatio, jam tum animo destinasse coloniam ipsorum eremitarum in Poloniam deducere. Quare ante suum regressum in patriam instantissime efflagitavit religiosos aliquot ejus congregationis, pollicens fundationem novæ eremi suis expensis. In Poloniam redux efficaces suas petitiones iteravit, & anno 1603. nobilem virum Paulum Hennichium Hierosolymitanum equitem misit cum suis epistolis, & cum alteris Bernardini Macieiowschi episcopi Cracoviensis ad capitulum generale eremitarum Coronensium, adhibito etiam Andrea Prochciski protonotario apostolico & præposito Cracoviense, residente internuntio pro rege Poloniæ in regno Neapolitano. Die itaque XXVIII. aprilis ejus anni pium votum nobilissimi mareschalli patres capitulares acceptantes, decreverunt in Poloniam mittere Hieronymum Perusinum, eumdem, qui olim fuerat abbas generalis congregationis monachorum Montis-virginis, & tunc erat prior sancti Hieronymi de Pascilupo, ac Petrum visitatorem secundum cum Francisco oblato, ut examinantes regionem, clima & situm loci redirent postea, & referrent ad capitulum generale celebrandum anno sequenti. Statim itaque arripuere iter cum Hennichio eremitæ destinati, & pervenientes

Ann. Chr. 1604.

nientes ad urbem Chremens in Germania obvios habuerunt currus eo transmissos a mareschallo pro ipsis deducendis expensa sua in Poloniam, ubi mense julio applicuerunt maxima ipsius, episcopi, totiusque nationis Polonicæ exultatione, ut ex literis ab utroque tam mareschallo, quam episcopo Cracoviense statim scriptis Rodulpho Majori & visitatoribus congregationis liquet. Quinimmo episcopus certiorem de Camaldulensium adventu illico fecit cardinalem Aldobrandinum, qui episcopo gratulatus est die XXX. augusti. Interea eremitæ, qui in Poloniam venerant, loca & bona assignata pro nova eremo examinaverant, atque ex condicto Italiam repetere parati erant, pro danda oretenus relatione patribus capituli sequentis anni. Cum autem eorum voluntatem regrediendi in Italiam subodorati fuissent mareschallus & episcopus, verentes, ne incœptum opus derelinquerent eremitæ, scribere decreverunt ad cardinalem Comensem ordinis Camaldulensis protectorem, ut ipse eos ab obligatione contracta repetendi Italiam absolveret; id quod præstitit cardinalis die quinta februarii anni 1604. Quare relationem in scriptis ad patres capitulares ex Polonia miserunt eremitæ, asserentes mareschallum duas villas eremo donasse Muichow & Mnichouek; Sebastianum insuper Lubormiski castellanum Voinicensem villam Bielany obtulisse pro situ, supra quem erigenda erat eremus ad radices montis Bielnischa, quibus donationibus subscripserat rex Poloniæ Sigismundus feria quarta Cinerum & die VII. aprilis. Accesserunt literæ ejusdem regis ad præfatos patres in capitulo congregatos datæ ex Cracovia die VIII. mensis aprilis anno Domini M.DC.IIII. regnorum suorum Poloniæ XVII. Sueciæ XI. Non piget referre, qua ratione obtentus fuerit locus a Sebastiano castellano. Pluries mareschallus locum expetierat a castellano, sed homo tenax petitionem respuerat. Uxor castellani eremitis optime affecta consuluit convivium parari, in quo interfuit mareschallus, episcopus Cracoviensis, dux Sabaraviensis, & de industria idem castellanus. Sub finem prandii mareschallus verba fecit de sua nova eremi fundatione, conquerens se locum aptum eremo condendæ non possidere; episcopus & dux sua loca obtulerunt, si idonea reperirentur, quibus gratias egit mareschallus, subdens tamen ea loca jam examinata non apta judicari. His excitamentis motus castellanus locum suum urbanitate quadam exhibuit, quem sibi admodum placere reposuit mareschallus; uxor castellani statim chartam attulit de industria ante paratam & scriptam, ut subscriptione sua firmaret, & sollemni donatione locum præfatum eremitis sive mareschallo traderet castellanus, qui revera subscripsit; mareschallus autem ut castellano ostenderet rem sibi fuisse gratissimam, dono ipsi dedit tot vasa argentea, quanti æstimabantur villa & mons, quæ donaverat, qui proinde locus deinceps vice montis Bielany appellatus fuit mons Argentinus, ex argento, quo fuit obtentus. Scripsit post hæc die X. aprilis mareschallus iisdem patribus capitularibus, locum præterea indicans erelmo construendæ aptum, quem sibi cesserat idem castellanus. Vigesima itaque maji Coronenses patres fundationem acceptantes Hieronymo Perusino rescripsere, ut eremum institueret, tirocinium ibidem fundaret, primusque foret novi loci rector, obtenta tamen prius ab apostolica sede licentia. Alios deinde eremitas in Poloniam transire jusserunt, qui forent primi ejusdem eremi incolæ. Gratias demum habuerunt regi, cui participationem bonorum spiritualium transmiserunt, episcopo quoque Cracoviensi, sed maximas Wolsckio mareschallo insigni eorum benefactori. Confirmatus fuit in rectorem tribus sequentibus annis Hieronymus, Cornelius Mauritius Privernas anno 1608. ad eremum regendam fuit destinatus; anno

1617.

Ann. Chr. 1604.

1617. erectus est locus in prioratum, ita tamen ut non quolibet anno, sed post triennium eremi prior ad capitulum generale in Italiam veniret. Decessit Nicolaus Wolsckius anno 1630. septuagesimo-quinto ætatis suæ, die IX. martii, lætatus, quod se vivente licuerit ei videre perfecta ædificia eremi, eamque certis redditibus dotatam, ecclesiam quoque magnifice extructam, & ornatam suppellectile divite & copiosa, vasisque sacris onustam, dicatam beatæ Mariæ virgini Assumptæ in cœlum. Sepultus fuit in ecclesia eremi paulopost januam majorem sine ullo epitaphio, præter sequens, quod sibi paraverat: *Commissa mea pavesco & ante te erubesco; dum veneris judicare Domine, noli me condemnare*. Eremitæ tamen Poloni post ejus obitum super eamdem ecclesiæ januam effigiem capitis ejus statuerunt modeste ornatam cum hac epigraphe: *D. O. M. Illustrissimi domini Nicolai Wolschi de Podhayco supremi regni Poloniæ mareschalli religione in Deum & regnum, beneficiis immortalibus in sacrum Camaldulensium ordinem herois præstantissimi, cujus liberalitatem heroicam erga domicilium hoc Romualdinum & hæc splendida templa, & ipsa cœli volumina æternum usque loquentur, gratitudinis vero suæ id qualecumque monumentum animis potius quam marmoribus exarandum fundatori suo munificentissimo, posteaquam animo cœlis reddito exuvias terrenas corporis moribundi hic deposuit, Camaldulenses Argentei montis eremicolæ non sine votis & lacrymis calentibus PP. obiit anno Domini* M. DC. XXX. *die* IX. *martii ætatis vero suæ* LXXV. Ex parte vero externa ejusdem ecclesiæ: *Humani generis Redemptori in cultum, in incrementum pietatis, a prima Polonorum conversione ad Christum observantiæ, ne laudatissimum morem a veteribus catholicæ religionis cultoribus sancte receptum, & constanter hactenus a seculis usque modernos retentum, vel Majorum zelus requireret, vel posterum memoria desideraret, Templum hoc nomini beatissimæ Virginis Mariæ assumptæ fundatum, Bernardo Macieiowschi tunc quidem episcopo Cracoviense, postea S. R. E. cardinale & archiepiscopo Gnesnense, locum locique situm religiosæ solitudini convenientem deligente, eodemque primum lapidem in habitaculorum structuram jaciente, Sebastiano Lubomirscki castellano Voinicense donatore Nicolaus Wolscki de Podbayce regni Poloniæ mareschallus patribus instituti divi Romualdi eremitarum ordinis Camaldulensis Montis-coronæ primi auctoris ex Italia in Poloniam a se vocatis, ubi divina commode exercerent anno a Salvatore ex Deipara virgine nato* M. DC. IX. *quarto maji Paulo V. divi Petri apostolorum principis sede potito, Sigismundo III. & Constantia Austriaca Poloniæ, & Sueciæ regibus, Uladislao, Sigismundo, & Johanne-Casimiro principibus, fundum consecrante Francisco Simonetta pontificis maximi ad regem regnumque Poloniæ nuntio, tempore Petri Tylicki episcopi Cracoviensis extrui curavit. Quod sacra tabula sacro ritu cum primo saxo fundatoris manu injecta, muta licet & male contecta superis pariter inferisque testabor, nec aliud nunc ago. Dicatum vero est a rev. domino Thoma Oborski episcopo Laodicense suffraganeo & canonico Cracoviense anno Domini* M. DC. XLII. *die vero* XIV. *mensis septembris anniversaria die assignata Dominica post festum exaltationis sanctæ Crucis*. Pacifice locum possederunt eremitæ usque ad annum 1656. quo totum Poloniæ regnum invasione regis Sueciæ fuit depopulatum. Eo enim tempore prædata & hostiliter etiam invasa fuit eremus a militibus, licet eremitæ aliqua ecclesiæ & domus bona conservata reposuerint in subterraneis specubus, quos habebant sub spatiosis hortis loci. Nihilotamensecius anno sequenti eremitæ hac illacque palantes & dispersi ad domos suas rediere, & restaurarunt damna, quæ illata fuerant ab exercitu Suecorum. Ad faciem

ciem seu prospectum ecclesiæ eremi Argentinensis legitur: *M. Nicolaus Brosius Curelowiensis universitatis Cracoviæ Astrologiæ & Geometriæ ordinarius professor &c. delineavit; & Johannes Alexander Gorcyn Polonus Cracoviæ sculpsit anno 1670.* Distat eremus a Cracovia uno milliario Polonico vel quatuor Italicis. Fundationis hujus eremi ms. relationem habemus Johannis de Azzonibus Advogariis Tarvisini, eremitæ, & pro congregatione visitatoris in Polonia. Ne quid tamen desit ad historiæ hujus eremi perfectionem ex exemplo archivi Montis-coronæ subjungimus epistolam cardinalis Petri Aldobrandini ad Bernardum episcopum Cracoviensem in laudem instituti Camaldulensis invecti in Poloniam.

Per-illustris & Reverendissime Domine. Quod scribit amplitudo vestra de itinere suo ad thermas Bohemicas valetudinis causa instituto, id ego ipse sane saluberrime ac felicissime evenisse cupio. Quod etiam significat de Camaldulensium familia in regno isto hoc ipso tempore recepta, id mihi non exiguum videtur, nec leve instauratæ atque amplificatæ religionis augmentum; Magni namque Romualdi instituta hujusmodi sunt, ut quibus in regionibus floruerint, magnam optimorum exemplorum emittant claritatem, qua collustratæ mentes animique fidelium ad superna majore admodum studio & conatu anhelant, nec vero toto in occidente inventus est quisquam, qui post illa Orientis sydera Paulos, Hilariones, Antonios eremiticæ vitæ documenta luculentius tradiderit. Quo magis nunc exultare animo debemus, cum videamus disciplinam illam ad Aquilonares etiam plagas penetrare. Fovebit itaque, qua hactenus fovit, caritate patres illos amplitudo vestra, meque mutuo amore prosequi suo more perge, & opto eidem amplitudini omnem felicitatem. Romæ XXX. *augusti* M. DC. III.

Amplitudinis vestræ studiosissimus P. cardinalis Aldobrandinus.

Decessit piissimus cardinalis Bernardus anno 1608. cui suprema officia in obitu præstitit supralaudatus Hieronymus Perusinus eremita, ut habet in vita ejusdem archiepiscopi cardinalis Stephanus Demalevicius [a].

a *Pag.* 344.

XL. Monachi Camald. prædicationis gratia in Indiam penetrant.

Hoc ipso anno duo monachi Camaldulenses apostolicæ prædicationis causa Orientem petierunt, ac ad Indiam usque penetrarunt, de quibus hæc habet Honorius Philoponus monachus Seittenstettensis monasterii Austriæ inferioris in libello, cui titulum fecit: *Nova typis transacta navigatio novi orbis Indiæ Occidentalis*, quam vulgavit anno 1620. in folio: „ Anno „ præterea 1604. Clemens VIII. summus pontifex misit auctoritate apo„stolica Orientalem versus Indiam duos religiosissimos monachos sacerdo„tes ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensis. Hi Persiam, „ & his vicinos Indos evangelica prædicatione informarunt. Sed quid pro„fecerint, aut præclare gesserint in regionibus illis, ad meam nondum „ notitiam venit aut in codicibus reperi. Si quis plura novit, his addat „ &c. " Sed addere nil possumus, cum in publicis regestis nostris nullum hujus missionis monumentum fuerit exaratum, vel saltem reperiatur.

XLI. Capituli Classensis acta.

Clemens VIII. pont. max. die secunda januarii pontificatus sui anno XII. capitulum generale congregationis Camaldulensis, quod congregari consueverat eatenus quolibet anno, reduxit ad triennium, ita tamen ut intra triennii tempus Dieta convocaretur, ad quam accederent abbas generalis, duo visitatores, abbates sancti Michaelis de Muriano, Classis, Carcerum, Fabriani, S. Mathiæ, S. Crucis Fontis-avellanæ, sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, & procurator generalis in Urbe; defectu vero vel impotentia alicujus ex his, generalis & visitatores alium prælatum substituerent. Habita itaque fuere hoc anno comitia generalia in abbatia Classis Ravennæ. Præcipua, quæ decreverunt patres, fuere, ut ob pau-

Ann. Chr. 1604.

pertatem dimitteretur locus sancti Viti de Carrubio Mediolani, quem eousque communibus impensis congregatio servaverat. Eremitis Taurinensibus alterum Putei-stratæ monachorum cœnobium concesserunt. Imposuerunt abbati generali, ut tractaret permutationem abbatiæ sanctæ Agathæ Montis-herculis cum prioratu Camalduli prope Bononiam. Abbati Pisaurensi præceperunt, ut collapsam ecclesiam sanctæ Ruffinæ diœcesis Eugubinæ ad monasterium suum spectantem reædificaret, vel novum aliud altare in ecclesia cathedrali Eugubina construeret. Demum cum respublica Veneta institisset apud patres congregationis Camaldulensis, ut vendere vel cedere vellent pro monialibus insulæ sancti Servuli Venetiarum locandis aliquod ipsorum monasterium, Romanusque pontifex negotium hocce commisisset nuncio suo apostolico in Venetiarum ditione, mandaverunt iidem patres abbati generali, ut rem tractaret cum ipso nuncio, & in protectorem hujus tractatus assumpserunt Hermolaum Zane patritium Venetum.

Reliquiæ capitis sancti Maglorii episcopi ex abbatia Uranensi ab abbate Classense Michaele Leonardellio Cæsenate, post sacra peracta depositæ sunt anno 1604. die III. junii in ecclesia parthenonis sancti Maglorii Faventiæ, & collocatæ in argenteo capite, quod pietatis ergo Victoria Rondaninia monialis ejusdem asceterii sumptibus suis fieri curavit.

XLII. De Angelo Evangelistio & de Samuele Clusentinate.

Floruit hoc & sequentibus annis Angelus Evangelistius Florentinus, qui IX. Kalendas septembris hujus anni coram Calixto Athestino abbate sanctæ Mariæ de Carceribus monasticen professus est in eodem monasterio. Is Italica lingua scripsit Passionem Jesu-christi septem stationibus distributam, cum epistola ascetica nuncupatoria ad germanam sororem suam inter sanctimoniales recenter cooptatam in parthenone sancti Maglorii de Faventia, ex quo loco repertus codex pervenit ad manus Petri Canneti abbatis Classensis, qui de eo opere & de auctore hæc proloquitur in bibliotheca ms. scriptorum Camaldulensium: „ Acerba Jesu-Christi pœnarum series septem stationibus distributa tam pie, erudite, eleganterque „ describitur, ut vix aptius quicquam desiderari possit, quod animos ad „ eam recolendam excitet, & ad funestam cruciati & morientis Dei hi„ storiam integre cognoscendam, hic etenim quicquid scriptores plurimi „ de illa tradidere, apposita habet. Hinc facile quisque conjicere potest, „ quam illimis fuerit fons, unde fluenta hujusmodi emanarunt, quam „ dives fodina, unde aurum hoc effossum, quam bona arbor, quæ istos „ protulit fructus &c. "

In monasterio autem sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ vitam suam suam clausit Samuel de Ulivis a Puppio Clusentini agri, qui in eo cœnobio monachus factus anno 1556. philosophicis atque amœnioribus disciplinis rerumque divinarum studiis operam dedit. Ingenium illi acre & profundum, mores autem, consuetudo & convictus in agendo submolesti; stylus etiam in scribendo subobscurus. Abbatiali dignitate honestatus primo, deinde spoliatus, eique mox restitutus varias inter rerum vicissitudines vitam egit. Anno 1590. monasterii Angelorum regimen tenuit. Scripsit vero *I Lionardi Dialoghi delle potenze e parti dell' anima libri sei*, qui ms. in folio extant in bibliotheca ejusdem monasterii; postremus vero, cui *Microcosmo* titulus est, editus fuit Senis typis Bonettorum in quarto anno 1589. Sic appellantur ex nomine Leonardi Battaglinii Pisani abbatis Camaldulensis, cujus hortatu eos scripsit. Composuit Samuel quoque carmina spiritualia variosque rythmos Italicos interspersos dialogis, & in fine adest concio Italica lingua pro lotione pedum in Cœna

Domini,

Domini, & sermo de laudibus sanctæ Catharinæ V. & M. Epistola nuncupatoria Microscomi est ad Ferdinandum Mediceum tertium Magnumducem Etruriæ cum multis tetradecasticis Italicis, & ode præsertim circa visionem sancti Romualdi, & cum epistola ad cardinalem Comensem Ptolomæum Gallium. Regulam insuper sancti] Benedicti a Silvano Ractio in Italicum traductam edendam curavit Florentiæ anno 1574. quam Bernardinæ de Bentivolis abbatissæ sanctæ Christinæ de Bononia dicavit. Agit de Samuele Minius in historia Camaldulensi, & in alia monasterii Angelorum de Florentia mss. Crescimbenius quoque in Vulgari Poesi libro V. tomi IV. pagina 235. Hæc ex eadem ms. bibliotheca abbatis Canneti. Distinguendus est Samuel de Ulivis Casentinas ab alio Samuele itidem Casentinate, qui etiam fuit abbas anno 1600. monasterii Volaterrani sanctorum Justi & Clementis; cujus postremi familia erat de Risalsis.

Ann. Chr. 1604.

Ann. Chr. 1605.

XLIII. Eremitæ Coronenses vocati in Gallias a Peirescio.

UBIQUE postulabantur eremitæ Coronenses ad ædificandas eremos. Hoc anno 1605. recusaverunt fundationem ipsis propositam in provincia Provinciæ inter Massiliam & Aquas-sextias, quia cum distinerentur in Italia ob erectiones, quas inceperant in regno Neapolitano, in ditione Veneta, aliisque in locis, animum intendere non poterant in loca remotiora. Sed de eremo in Galliis ædificanda legenda est epistola Nicolai Claudii domini de Peiresc nobilis Galli & abbatis sanctæ Mariæ de Guistres in Viennensi diœcesi, quam scripsit ad Paulum Gualdum nobilem Vicetinum datam ex Parisiis die IV. septembris hujus anni [a], quæque edita est in collectione epistolarum virorum illustrium procurata Venetiis anno 1744. *Le dirò per conto del negozio Camaldolese, che ora più che mai abbiamo di mestieri del suo favore appresso sua Santità, per ottenere permissione al padre Elia di ricevere monaci, e vestire in Francia, anzi per dispensarlo dall'ubbidienza di Monte-corona, se non c'è altro rimedio, siccome si fece in persona di quel santo padre* (Paolo Giustiniano) *che uscì di Camaldoli per fondare Monte-corona e Rua, e gli altri luoghi. Io proccurerò di ottenere quà lettere dalla regina in questo proposito. E se V. S. potesse operare alcuna cosa costì, mi farà favore grandissimo, che si degni avisarmene.* Petrus Gassendus [b] in vita ejusdem domini de Peiresc de ea fundatione agit iis verbis: *Cum rediisset, agere cepit de instituendo eremitarum Camaldulensium cœnobio in egregia illa solitudine subrupeaque ecclesia, quæ divæ Mariæ de Angelis sacra æqua prope distantia est Massiliam inter & Aquas-sextias. Occasioni fuit, quod Patavii degens eorum institutum valde probavisset, eruditusque inter ipsos religiosus nomine Elias, novitii cujusdam causa, Aquis-sextiis tum versaretur. Peireskius itaque illius conversatione delectatus, ipsum per multos menseis detinuit, in solitudine sustentavit, ac sæpius per complureis dies commoraturus invisit. Procuravit interea, ut civium tam Aquensium, quam Massiliensium decreto id cœnobium postularetur. Licentiam quoque instituendi a Mimetensi domino, in cujus ditione est locus, obtinuit, ac circumvicinum dominium seu fundum pretio acquisivit. Sategit quam enixe potuit per Patavinum episcopum & cardinalem Paravicinum, ut congregationis ejus superiores non Eliam modo illeic loci relinquerent, sed religiosos etiam alios in amplissimam messem destinarent. Rogavit, ut aliquos saltem loco visendo committerent, pecuniamque interea sumptibus faciendis necessariam misit. Et facta quidem plurima spes, sed postremo tamen irriti conatus.* Elias siquidem in Poloniam destinatus est ad eremos condendas; ex Polonia regressus iterum desideratur in Galliis, nil tamen ea etiam occasione agitur. Legantur eædem epistolæ

[a] Pag. 221.

[b] T. V. pag. 227.

Ann. Chr. 1605.

læ paginis 221. 281. 291. 293. Sed de propagatione eremitici instituti in Galliarum regno erit dicendi locus post aliquot annos.

XLIV. Historica, & aliqua de Timotheo Balneensi mon. Camald.

Dux Mantuæ hoc anno visitavit eremum Camaldulensem Etruriæ, & restauravit cellam sancti Pauli, quam anno 1511. construxerat Paulus Justinianus eremita Camaldulensis.

Completo triennio sui regiminis Ludovicus Pasolinus abbas generalis in capitulo Classensi locum fecit Augustino Balneensi ex professione sancti Mathiæ de Muriano, qui electus fuit die octava maji. Ipse vero Pasolinus destinatus procurator generalis ordinis, anno sequenti opera cardinalis Paravicini electus est episcopus Signinus. Visitatores generales fuere sub Augustino Gratianus de Ravenna, Gregorius Vitalius de Foro-livio, & Laurentius Baldus Monsabinas.

Dionysius Simon de Marquemont auditor sacri palatii die IV. julii sententiam tulit contra presbyterum Ludovicum Martini Rontensem, qui ab episcopo Fesulano obtinuerat prioratum sanctæ Margaritæ de Borsellis; ex qua sententia monasterium sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia restitutum fuit in ejus possessionem, quam ab antiquo tempore obtinebat.

Vitas sanctorum Johannis & Benedicti martyrum discipulorum sancti Romualdi typis edidit Florentiæ Thomas Minius, & dicavit Sebastiano Boccardino abbati sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, cujus cœnobii asceta erat Minius.

Timotheus Naufrescus Balneensis abbas Camaldulensis hoc anno Veneto prælo Dominici Imberti ex Hispanico in Italicum idioma traduxit vitam sancti Romualdi editam a Iohanne de Castagniza monacho Hispano ordinis sancti Benedicti, eamque ex sancto Ænea Perusinæ diœcesis nuncupavit die XIX. junii anni antecedentis Ludovico Pasolino abbati generali. Timotheus probe callebat Latinam, Italicam, Polonam, Germanicam & Hispanicam linguas. Ex Hispana præsertim vertit in Italicam tractatum *de Oratione* Ludovici Granatæ ordinis Prædicatorum; *Memoriale de Amore Sancto* ejusdem; *Ducem peccatoris*; *Regulam vitæ Christianæ* ejusdem auctoris; *Examen conscientiæ* Alphonsi de Orosco Augustiniani; *Montem contemplationis*; *Administrationem animarum*; *Sponsalia spiritualia* ejusdem; *De divino amore meditationes centum* Didaci Stellæ ordinis Minorum; Librum cui titulus: *Flos Sanctorum* Alphonsi Villegas, quæ omnia sæpe sæpius recusa fuere ex versione Timothei. Scripsit etiam historiam pontificum & imperatorum. De Timotheo Possevinus in Apparatu sacro Tomo I. Minius aliique. Obiit anno 1619. Timotheus, qui erat professus monasterii sancti Mathiæ de Muriano a die sexta januarii anni 1575.

In capella sanctæ Silviæ prope ecclesiam sancti Gregorii de Urbe inscriptio legitur: *Martiæ Baroniæ viduæ religiosissimæ amitæ suæ Cæsar Baronius presb. card. posuit. Vixit annis* LXXXVII. *Obiit kalendis decembris An. Domini* M.DC.V. *Martia, quæ dicor, tres hostes una subegi: Non obii, ut peterem præmia terna, abii.*

Atilius Amaltheus protonotarius apostolicus, inde archiepiscopus, Opitergii natus, beneficus enuntiatur in monasterium sancti Martini de Opitergio; filius fuit Hieronymi physici civis Opitergini, frater Horatii & Ascanii. In ecclesia ejusdem monasterii extat sepulcrale elogium Hieronymi Amalthei patris his verbis: *Hieronymo Amaltheo in Medicina & Poeta arte clarissimo, uxori & filiis F. C. Vixit annos* LXVII. *Menses* VII. *dies* XII. *anno sal. humanæ* M.D.LXXIIII.

ANN. CHR. 1606.

XLV. Fundatio eremi Tusculanæ.

INITIA statuuntur hoc anno eremi Tusculanensis, Capitulum generale Montis-coronæ in Urbem direxit Alexandrum Secchium Venetum celebrem architectum, qui Vicetinam eremum vix ædificaverat, & imposito ipsi procuratoris generalis in curia Romana officio, ad novam eremum fundandam facultatem fecit sub pontificatu Pauli V. qui post brevem Leonis XI. Clementi VIII. successor datus fuerat anno antecedenti. Promotor hujus fundationis fuit Johannes-angelus Frumenti nobilis Comensis canonicus sanctæ Mariæ-majoris de Urbe, in silva Tusculani vocata Mons-celsus, ubi repertus fuit locus aptissimus constructioni eremi, de jure reverendæ cameræ apostolicæ. Institit Alexander frequentibus supplicibus libellis apud Paulum V. pro concessione ejus loci. Is vero erga Coronenses eremitas benevolus, quorum ad cryptas Massaccii, cum episcopus esset Æsinus, notitiam habuerat, die XXII. decembris hujus anni pro gratia rescripsit. Parvis itaque initiis anno sequenti cellarum constructio incepta, oreque proprio summus pontifex die XIX. maji anni 1607. novæ eremo nomen indidit sancti Romualdi. Vix credi potest, quantum ipse pontifex, totaque familia Burghesia bene meruerint de hac eremo, quam frequenter Paulus V. ipsam adierit & visitaverit, pecuniis quoque adjuverit. Benedictionem impartitus est primæ cellæ erectæ sub titulo Annuntiationis beatæ Virginis Mariæ, simulque benedictionem protulit super prægrandem marmoream crucem, subtus quam sculpta fuit sequens inscriptio: *Paulus V. pont. max. omnibus & singulis eremitis in hac eremo existentibus vere pœnitentibus & confessis, ac sacra communione refectis, qui ante Crucem hic positam pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, easdem indulgentias, quas ipsi, si septem aut novem ejusdem urbis ecclesias personaliter visitarent, consequerentur, concessit anno* M. DC. VIII. *die* XIV. *julii*. Anno 1613. reclusio loci facta fuit die XXV. martii, & perfecta ecclesia, in quam plura translata fuere veneranda antiquitatis monumenta; inter cetera capsa lignea, in quam inclusa fuerat imago sanctæ Mariæ majoris, candelabrum marmoreum ejusdem ecclesiæ sanctæ Mariæ Majoris, aliqua etiam ecclesiæ sancti Petri tempore Constantini M. elaborata, lapideæ imagines sanctorum Petri & Pauli, quæ positæ erant ad sepulcrum Ottonis III. insignia gentilitia Pii IV. Prior eremi hunc super faciem ecclesiæ lapidem posuit: *In honorem sancti Romualdi eremitarum Camaldulensium parentis Paulus quintus pontifex maximus Burghesius struxit, dicavit anno Salutis* M. DC. X. *pontificatus quinto*. Optime quoque merita fuit de Tusculanensibus eremitis Hortensia Sancta-crucia uxor Francisci principis Burghesii fratris majoris summi pontificis ducissa Rignani, quæ præter plura ædificia in eremo constructa, præter pia legata, & copiosam sacrarum reliquiarum donationem, in ecclesia eremi humari voluit die XXVIII. maji anni 1616. Oratorium, in quo condebantur reliquiæ, fœdo incendio conflagravit die XIV. aprilis anni 1638. aliquot tamen ab igne ereptæ sacræ reliquiæ adhuc ibidem coluntur. Marcus-antonius Burghesius Johannis-baptistæ filius & Camillæ Ursinæ institutricis monialium dictarum *Le Turchine* oratorium restauravit & complevit anno 1658. Nomina ceterorum benefactorum, qui ad constructionem cellarum, & eremi opem præstiterunt, hæc recensentur: Cardinales Gonzaga, Justinianus, Camerini, Montis, Paravicinus, Aldobrandinus, Bianchettus, Montaltus: Spinula auditor Cameræ, Cornelius episcopus Patavinus, Cornelius clericus cameræ, Ottembergh episcopus Attrebatensis, Vecchiarellus referendarius, Pignatellus & Gonfalonerius referendarii, dux

Man-

Ann. Chr. 1606.

Mantuæ Ferdinandus Gonzaga, Johannes-baptista Burghesius, Andreas dux Cesius, Michael Perettus princeps Venafri, Johannes-angelus Siticus dux Gallesii, Nicolaus Wolscki mareschallus Poloniæ, pluresque alii. Anno 1660. a cardinale Antonio Barberino consecrata fuit ecclesia, ex sequenti super januam lapide: *Alexandro VII. pontifice maximo Antonius Barberinus S. R. E. cardinalis camerarius episcopus Tusculanus ecclesiam hanc Deo in honorem sancti Romualdi abbatis, ac altare majus, in quo corpus sancti Theodori M. inclusit sollemni ritu, eximia pietate, jejuniis, magno purpuratorum concursu consecravit, sacrasque indulgentias de more concessit die* XII. *junii* M. DC. LX. Nostris temporibus cardinalis Dominicus Passioneus magnificum sibi & amicis, ac familiaribus suis domicilium construxit; verum ne adventantium hospitum frequentia quies eremi turbaretur, & restituerentur insuper eremitis locus & habitationes, quæ cardinali inserviebant, post ejus obitum consultius duxere ii, qui rebus præerant, magnificentiam hujus recessus ad anachoreticam simplicitatem redigere. Sæpius seculo XVII. celebrata fuere in Tusculanensi eremo capitula generalia congregationis Coronensis, aliarumque eremiticarum congregationum temporibus, quibus simul unita erant.

XLVI. Plura monumenta simul collecta.

Consecrata fuit hoc anno 1606. etiam ecclesia eremi Taurinensis die XXVIII. octobris a Carolo Brolio archiepiscopo Taurinense, qui in ara principe reposuit reliquias sanctorum Juliani & Tiburtii MM. & sanctarum Basilicæ & Genesiæ VV. & MM. dicata ecclesia sub vocabulo sanctissimi Salvatoris.

Patres congregationis in capitulo congregati apud Fontem-bonum revocaverunt decretum alienandi monasterium sanctissimæ Trinitatis Montis-herculis commendatario Camalduli-Bononiensis, sed statuerunt potius agendum cum eodem commendatario, an locum hunc postremum vellet congregationi restituere cum obligatione solutionis alicujus pensionis.

[a] Pag. 25.

Ex monumentis Buldronensibus [a] Angelica Romuli monialis sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone die nativitatis beatæ Mariæ Virginis octava septembris canens in choro canticum *Magnificat* conspexit beatam Virginem cum parvulo Jesu intra nubem candidam, & præter consuetum tacita permansit in extasim rapta toto tempore ejus cantici. Post paucos dies febri correpta, manifestata visione duabus monialibus familiaribus suis, sancte decessit die XVII. ejusdem mensis ætatis anno 66.

Defunctus est etiam mense septembri vel octobri Maurus Sabinensis, unus ex iis eremitis, qui jubente Clemente VIII. destinatus fuerat anno 1602. ex eremo Camaldulensi socius Alexandro Cevæ in ædificatione novæ eremi. Ejus obitus omnibus displicuit, ipsique duci Sabaudiæ, cui erat gratissimus, vir enim erat ad gerenda negotia factus, doctrina & prudentia insignis, cuique ab eodem Alexandro commissa fuerat cura pareciæ monasterii Putei-stratæ, quam strenue adimpleverat tempore, quo recedentibus monachis cœnobium illud adjudicatum fuerat eremitis Taurinensibus.

Sebastiano Boccardino abbati Angelorum Florentiæ dicavit, quem collegit Thomas Minius, catalogum Sanctorum & Beatorum Camaldulensium editum Florentiæ hoc anno.

Constantinus Cajetanus abbas Casinensis hoc anno typis Zannetti Romæ edidit tomum primum operum sancti Petri Damiani, secundum anno 1608. tertium anno 1615. quartum typis Caballinis itidem Romæ edidit anno 1641. Paulo V. & Urbano VIII. dicatos, qui omnes postea recusi sunt Parisiis sumptibus Ægidii Tompere anno 1663. Postremo edita fuere opera sancti patris Venetiis anno 1743. copiosiora præcedentibus editionibus.

Cum

ANN. CHR. 1607.

XLVII. Scipioni Burghesio commendatur abbatia S. Gregorii de Urbe.

CUM supremum diem obiisset hoc anno ultima junii Cæsar Baronius abbas commendatarius sancti Gregorii de Urbe, Paulus V. pontifex maximus abbatiam hanc commendavit Scipioni Caffarellio Burghesio nepoti suo S. R. E. tituli sancti Chrysogoni presbytero cardinali. Qui laquearia lapide elaborata & pavimenta marmorea fieri curavit tum sacello sanctæ Silviæ, tum oratorio sancti Gregorii, quod postremum egregiis etiam picturis illustravit Guidi Renii & Petri Dominichini cum epigraphe: *Scipio sancti Chrysogoni presbyter cardinalis Burghesius monasterii commendatarius oratorium a sancto Gregorio extructum fundamentis restitutis servavit, variisque ornamentis illustravit anno* M. DC. VIII. In sacello pariter sanctæ Silviæ paradisi gloriam depingi fecit ab eodem Guido anno sequenti 1609. Porticum quoque, schalas & frontem atrii ecclesiæ magnificentissimo opere construxit, decem & octo millia scutorum Romanorum in his operibus impendens, teste Michaele Losanna Romano oculato teste. Paulus V. ejus patruus solitus erat quotannis ecclesiam sancti Gregorii visitare, & sacrum in ea peragere, atque concessit, ut per octavam omnium defunctorum singula dictæ ecclesiæ altaria privilegio gauderent, & ut ante lucem & post meridiem celebrarentur Missarum sacrificia, eædemque sancti Gregorii ecclesiæ indulgentiæ extenderentur etiam ad ecclesiam subjectam sancti Andreæ, quam in urbe Tiburtina habebant monachi Gregoriani Camaldulenses.

XLVIII. Pauli V. brevia pro Camaldulensibus.

HACTENUS congregatio Camaldulensis dividebatur per monasteria professionum; inconsultis majoribus Michael Leonardellius Cæsenas procurator generalis in Urbe extorsit a Paulo V. breve sub die XXIV. aprilis pontificatus anno secundo, ut abrogata ea divisione congregatio in posterum divideretur per monasteria provinciarum. Res incommoda multa congregationi attulit, atque omnium animos concitavit in Michaelem; quare etiam suspens fuit motus-proprius pontificis, & ipse procurator generalis in capitulo anni 1611. veniam imploravit, quod insciis, quorum intererat, hujusmodi breve implorasset. Emicuit ea occasione patrocinium Venetæ reipublicæ, & Magni-ducis Etruriæ, qui pro abrogando brevi, libertateque servanda & æqualitate in ordine nullum prætermisere officium apud apostolicam sedem. Urbanus autem VIII. post aliquot annos alterum breve emisit, quo Paulini vis enervatur, quia vigore ipsius sistema congregationis confundebatur, neque poterat exequutioni mandari.

Aliud ab eodem pontifice Paulo obtinuit idem procurator generalis; scilicet, ut in numero definitorum patrum in capitulis generalibus accenseretur deinceps etiam prælatus ex professione Avellanensis monasterii, quod, cum ad congregationem pervenisset post latas constitutiones ordinis, eo honore hactenus privatum fuerat. Decrevit itaque pontifex, ut remanente numero sex definitorum prælatorum, numerus conventualium monachorum definitorum ex tribus redigeretur ad duos, & loco tertii ea dignitate & officio fungeretur aliquis ex numero prælatorum ejusdem Avellanensis professionis. Datum Romæ die XI. januarii pontificatus sui anno secundo. Capitulum autem sive dieta coacta fuit hoc anno in monasterio sancti Nicolai de Urbe.

Gregorius XIII. concesserat ecclesiis monachorum & sanctimonialium ordinis Camaldulensis indulgentias diebus Sanctorum Titularium eorum ecclesiarum, & etiam die sancti Romualdi fundatoris. Sed cum ex decreto Clementis VIII. festivitas sancti Romualdi ex die XIX. junii assignata fuisset ad diem VII. februarii, quæ erat dies festa translationis ejus sacri corporis,

Ann. Chr. 1607.

poris Paulus V. die xxix. januarii pontificatus sui anno ii. transtulit indulgentiam ad eamdem diem septimam februarii.

Petrus-paulus Crescentius auditor generalis papæ & cameræ apostolicæ inhibuit die xxiii. octobris, ne episcopus Eugubinus auderet visitare ecclesias non curatas subjectas abbati & monasterio sanctæ Mariæ-angelorum Pisauri. Idipsum prohibuit die xxvii. septembris anni 1613. episcopo Calliensi Johannes-dominicus Spinula auditor generalis cameræ, & utriusque signaturæ referendarius.

Octuaginta & duos annos natus, quorum quadraginta & amplius annis munus protectionis monachorum ordinis Camaldulensis egerat, decessit hoc anno die iii. vel iv. februarii Ptolomæus Gallius Novocomensis S.R.E. cardinalis. Substitutus est in congregationis protectorem cardinalis Octavius Paravicinius Romanus, qui hoc ipso anno per Johannem-ludovicum Pasolinum episcopum Signiensem visitari eremum Camaldulensem mandavit. Coram ipso Pasolino tamquam delegato ejusdem cardinalis celebrata fuit prælatorum congregationis dieta.

Die decima januarii confratres societatis Misericordiæ urbis Interamnæ cupientes inducere monachos Camaldulenses in ecclesiam sancti Johannis-decollati ad decus urbis & civium, & specialiter parœcianorum demolitæ ecclesiæ sancti Nicolai in Platea, petunt facultatem id agendi a communitate urbis. Oblata fuit ea ecclesia anno sequenti die octava februarii Camaldulensibus ab Anastasio Lutii Interamnense priore ecclesiæ & confratriæ, cum obligatione, ut monachi cœnobium prope ecclesiam ædificarent, assentiente Ludovico Ripa episcopo, ac possessionem accepit nomine congregationis Michael Leonardellius procurator generalis. Anno 1610. die secunda junii sub generali Angelo in præsentia gubernatoris Interamnæ & Angeli Stufæ Florentini acceptata iterum fuit eadem ecclesia melioribus conditionibus, quam tamen post breve tempus, hoc est anno 1612. defectu necessariorum proventuum Camaldulenses dimisere.

Angelicus Prati in Etruria natus, olim sacerdos ordinis sancti Dominici, vir literis & concionibus insignis ad Monte-coronenses eremitas transierat anno 1589. quarta junii; post plura suscepta & administrata eremorum regimina Majoris etiam officio strenue functus obiit hoc anno die xxix. novembris, multis post se relictis operibus, quæ adservantur in bibliotheca Coronensi. Etiam in Rhuensi Patavina sub numero 43. extant ipsius sermones *de Virtutibus*, alter quoque ms. codex cui titulus: *Specchio della perfezione Cristiana*, primum editus lingua Germanica, postea Latina, translatus ab Angelico in Italicum idioma.

Alter celebris eremita decessit in eremo Cryptarum Massaccii, ubi prioris munus gerebat, Simeon Collanus patria Capuanus professus Montis-coronæ ab anno 1578. & die xiv. decembris. Cum Rhuensem eremum regeret, prolixam, doctam & elegantem Latinam præfationem dedit ad Augustinum Valerium S. R. E. cardinalem Veronensem episcopum in vitam sancti Ephræm ecclesiæ Edessenæ diaconi, denuo publicæ luci exponens ejus sermones nitida traductione in Latinum versos olim ab Ambrosio Camaldulensi. Editum est Simeonis eremitæ opus cum dicta præfatione in Rhuensi eremo; tenebatur siquidem eo temporis in ea eremo typographia, quam invexerat Riccardus Foro-juliensis eremita, qui professionem emiserat anno 1584. Habetur etiam ejusdem Simeonis expositio in quinque Porphyrii voces anno 1585. asservata in bibliotheca dicta eremi Rhuensis.

CA-

Ann. Chr. 1607.

XLIX. Ecclesia eremi Taurinensis designatur sedes ordinis Sanctissimæ Annuntiatæ.

Carolus-Emmanuel Sabaudiæ dux commutavit hoc anno ditiones Brixiæ & Beugesiæ cum marchionatu Saluthii inter fœdera pacis cum rege Galliarum; loco itaque ecclesiæ Cartusianorum Petræ-castri in dominio Beugesiæ, quæ desinebat esse in sua ditione, substituit die tertia decembris hujus anni ecclesiam sancti Salvatoris eremi Camaldulensis a se fundatæ ob peculiarem cultum, quo reginam cœlorum prosequebantur eremitæ, quos propterea deputavit perpetuos capellanos & oratores ordinis regii sanctissimæ Annuntiatæ. Cartusiam fundaverat, & in ea ordinem equestrem præfatum instituerat circa annum 1362. Amedeus VI. comes Sabaudiæ dictus Viridis, perfecerant autem Amedeus VII. dictus Rubeus ejus filius sub tutela Bonæ Borboniæ ejus matris, & Amedeus VIII. nepos circa annum 1390. Regius hic ordo institutus fuerat in honorem quindecim mysteriorum beatæ Mariæ Virginis. Torques e collo equitum pendens tempore suæ primævæ institutionis ex solis nodiculis constabat, in quibus descriptæ erant quatuor literæ F. E. R. T. nimirum *Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit*, alludentes ad gloriosam defensionem insulæ Rhodi factam a comite Amedeo IV. quare falluntur plures scriptores Pedemontani, qui imaginem vel sancti Mauritii, vel beatæ Virginis Annuntiatæ in torque expressam comminiscuntur, quam beatæ Virginis Annuntiatæ imaginem primum addidit anno 1518. Carolus III. dux. Translatio hujus ordinis ex Cartusianorum in eremitarum Camaldulensium ecclesiam & decretum ducis Caroli-emmanuelis cum statutis & regula equitum extant in archivo ejusdem eremi. Hæ notitiæ leguntur in præfatione ad librum, cui titulus: *Catalogo dei cavalieri dell' ordine del Collare di Savoja detto dell' Annunziata*, confectum a Francisco Capra consiliario Caroli-emmanuelis II. Sabaudiæ ducis. Anno 1636. Victorius Amadeus I. Caroli-emmanuelis I. filius torquem insigne ordinis addidit insigni Camaldulensi. Quare erravit Carolus-joseph Morotius monachus reformatus congregationis sancti Bernardi abbas sanctæ Mariæ de Consolatione Taurini, inde episcopus Saluthiensis, in suo theatro chronologico sancti ordinis Cartusiani, qui putavit eremitas Camaldulenses substitutos fuisse monachis Cartusianis, donec Sabaudiæ duces alteram iisdem Cartusianis ædificarent ecclesiam in ditione Sabaudiensi. Quoad peculiarem eremitarum Camaldulensium devotionem erga beatam Virginem Alexander Ceva eremi Pedemontanæ fundator, anno 1609. statuto capitulari edito eam in patronam eremi declaravit die XXVIII. februarii, statuens etiam, ut post emissionem votorum sollemnium in professione, quilibet eremita hanc orationem subjungeret: *Sancta Maria mater Dei & Virgo ego N. te hodie in Dominam, patronam & advocatam eligo, firmiterque statuo & propono me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum & facturum, aut permissurum, ut a meis subditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obsecro te igitur, suscipe me in servum perpetuum, adsis mihi in actionibus omnibus meis, nec me deseras in hora mortis.*

Monasterium Putei-Stratæ ad tempus concessum iisdem Pedemontanis eremitis, iterum domicilium evasit cœnobitarum, ædificato jam hospitio in urbe Taurinensi ad commodum eorumdem eremitarum. Decessit in ipso hoc anno Mauritius a Barbarano Vicetinus abbas ejusdem loci, quem laudat in epistola ad Augustinum generalem idem Alexander Ceva.

Ptolomæus Gallius Novo-comensis dux Trium-plebium (ducatum hunc pro familia sua in Mediolanensi ditione emerat a Philippo II. Hispaniarum rege cardinalis Ptolomæus Gallius) proposuit congregationi monachorum Camaldulensium locum in urbe Vercellensi pro cœnobio ibidem fun-

Ann. Chr. 1607.

fundando, ut liquet ex epistola præfati Augustini generalis scripta die decima hujus anni ad eumdem Alexandrum Cevam.

Ann. Chr. 1608.

L. Introductio studiorum in monasteriis.

Post Augustinum a Balneo electus fuit in capitulo habito in ædibus monasterii sancti Nicolai de Urbe in abbatem generalem Angelus Honufrius a Sancto-angelo in Vado eremitarum Camaldulensium ex numero. Visitatores fuere Baptista Perulius de Fabriano, Remigius de Barga, Dionysius, & Benedictus Florentinus. Angelus generalis statim totum se addixit congregationis utilitatibus. Inter primas ejus curas fuit introductio studiorum in monasterio sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, cum antea consuevissent monachi studentes addiscendarum literarum causa Romam, Bononiam, Patavium, Perusium adire. Ejus instituta sequentibus pluribus aliis præsulibus invecta fuere studiorum gymnasia in monasteriis sanctæ Mariæ ad Carceres, sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, sancti Romualdi Classis. Emblema studii Avellanensis sub Gregorio Vitalio Foro-liviense, qui hoc tempore erat ejus cœnobii abbas, fuit pullus gallinaceus cum lemmate: *Nisi alatus*, qua etiam occasione Classenses monachi pinus variæ magnitudinis pro emblemate receperunt cum lemmate: *Mox classibus aptæ*. Extat in bibliotheca Classensi oratio ignoti auctoris ad Angelum eremitam generalem Camaldulensem de *commendatione*, *erectione*, *causisque conservationis instituti studii in abbatia sanctæ Crucis Fontis-avellanæ* per eumdem Angelum, cum exhortatoria ad juventutem electam ad incumbendum sapientiæ studiis.

LI. Deperditum monast. S. Viti in Carrubio, oblatum illud S. Christophori.

Paucis post electionem suam diebus Mediolanum Angelus profectus est. Possidebat eo temporis, ut vidimus, congregatio Camaldulensis monasterium sub invocatione sancti Viti in Carrubio. Excepit Angelum benigne & honorifice cardinalis Fridericus Borromæus archiepiscopus Mediolanensis, qui tamen ab eo vel sub ipsis colloquii initiis petiit cessionem dicti monasterii pro conficiendo quodam à se destinato opere, ostendens non convenire congregationi Camaldulensi tale cœnobium nimia paupertate pressum, aliumque commodiorem locum pro majori monachorum alendo numero pollicens. Accesserant etiam cardinalis Octavii Paravicini protectoris literæ, adhortantes, immo præcipientes generali, ut voluntati cardinalis Borromæi morem gerere non posthaberet. Cessit itaque Angelus monasterium sancti Viti archiepiscopo, qui statim ecclesiam tradidit curamque animarum adnexam presbytero seculari, non tamen congregationem & monachos Camaldulenses de alio monasterio providit. Rumor ferebatur, cardinalem Borromæum erga regulares omnes multa non esse benevolentia affectum. Habita notitia hujus cessionis non solum monachi, qui ei ecclesiæ inserviebant, sed etiam omnes noti & parœciani valde tristati sunt, immo senatores Mediolanenses Pavillianus & Vastavillanus, quorum alter tunc erat monasterii sancti Viti conservator, nolebant, ut Camaldulenses loco se dimoverent, quare eorum suasu post decessum generalis aliquantisper ibidem permanserunt; verum ejusdem generalis commonitorio, & præcepto cardinalis Paravicini, & quia etiam archiepiscopus Borromæus carcerem monachis comminatus fuerat, nisi prompte discederent, compulsi sunt locum derelinquere non sine lacrymis eorum, qui Camaldulensem congregationem diligebant, quique efficacibus literis scripserunt patribus dietæ anni sequentis, ut eosdem monachos Mediolanum remitterent, promittentes se de alia ecclesia sancti Christophori extra eamdem portam Ticinensem super ripam navilii eos provisuros. Ecclesia sancti Christophori membrum erat insignis abbatiæ sancti Vincentii

a Pra-

Ann. Chr. 1608.

a Prato, & de utraque fuse agit Johannes-antonius Castellionæus in Antiquitatibus Mediolanensibus sectione I. fasciculo VII. Demandatum est a patribus Dietæ negotium generali & visitatoribus, qui eam ecclesiam acceptarunt, impetrationem prius postulantes a sacra cardinalium congregatione eodem sequenti anno. In hujus itaque ecclesiæ sancti Christophori possessionem inducti sunt Camaldulenses monachi opera præsertim senatoris Panigarolæ anno 1610. licet archiepiscopus Borromæus assensum ægre præstiterit, superatisque aliquot impedimentis ex parte parochi sancti Vincentii, & ministrorum cardinalis Caraffæ, qui abbatiam sancti Vincentii in commendationem obtinebat, maxima & singulari populi & parœcianorum sancti Viti satisfactione, qui Camaldulenses restitutos haud longe ab eorum parœciali ecclesia sunt gavisi. Paucorum tamen annorum curriculo vel in hac postrema ecclesia perseverarunt Camaldulenses compulsi ab abbate generali ordinis hunc etiam locum deserere, eo quod redditus bonaque stabilia deficerent. Anno pariter 1649. institerunt iterum parœciani sancti Viti pro reducendis in ipsum cœnobium monachis Camaldulensibus, sed cum revera proventus essent admodum tenues, visum est patribus non expedire iteratam cœnobitarum missionem.

Communitas quoque Cotiniolæ in diœcesi Faventina præsenti anno 1608. ecclesiam sanctæ Mariæ Gratiarum ejusdem loci obtulit ordini Camaldulensi. Missus Julius Palladius monachus ad gubernium ejus ecclesiæ, quæ confirmata fuit congregationi anno 1613. a Paulo V. die XXIII. julii, & eodem anno literis Scipionis Burghesii S. R. E. cardinalis ad gubernatorem Cotiniolæ eadem communitas integram ecclesiæ bonorum & jurium ipsius possessionem tradidit Camaldulensibus die XXIII. decembris, prædicto Palladio congregationis nomine tenutam recipiente.

Valerianus Mutus Romanus episcopus Civitatis-castelli visitavit eremum Camaldulensem jussu cardinalium Paravicini & Burghesii.

LII. Translatio ossis S. Johannis Laudensis ex Eugubio Laudem.

Hoc anno Ferdinandus Taberna S. R. E. tituli sancti Eusebii presbyter cardinalis & apostolicæ sedis in marchia Piceni legatus donatus fuit ab Andrea Sorbolongo episcopo Eugubino osse brachii sinistri beati Johannis Laudensis episcopi olim Eugubini, quod cardinalis transmisit ad patruum suum episcopum Laudensem Ludovicum Tabernam, qui patriam, unde oriundus erat Johannes, decoravit pretioso thesauro, reponens ad aram majorem suæ cathedralis dictum sacrum os die XVII. martii anni 1613. Ea occasione sequens confecta fuit inscriptio: *D. O. M. Divo Johanni Laudensi ex urbe ad eremum, ab eremo ad Eugubinæ civitatis præsulatum, ac ne propinquum patriæ doleret excidium ad cœlestem patriam evocato. Qui ut olim legati cardinalis præconio dignitatem, & Beati jam cardinalis instituto adeptus est beatitatem, nunc pio Ferdinandi cardinalis Tabernæ jam legati studio restitutæ patriæ post quintum seculum restitutus sub felicissimo antistite Ludovico Taberna Ferdinandi patruo, summam felicitatem insigni sui brachii dono gratulatur sancta Laudensis ecclesia tanto munere decorata, sancto concivi meritas laudes rependere cupiens hoc perpetui cultus exordium persolvit, tanti præsidii pignus excipiens hoc susceptæ propensionis exhibet argumentum.*

LIII. Historica ad monast. S. Michaelis in Burgo Pisarum.

A tergo frontis ecclesiæ sancti Michaelis in Burgo Pisarum subter organa extat marmorea hæc inscriptio. *D. O. M. Antonio Bocca Rainerii filio tribuno militum illustri, ac Jacobo ejus fratri centurioni fortissimo, nec non Rainerio D. Stephani, & Cosmo D. Johannis Hierosolymitani equitibus clarissimis Antonini filiis, serenissimo Cosmo M. Ethruriæ duci primo propter eximiam eorum fidem, prudentiam ac fortitudinem gratissimis in*

Ann. Chr. 1608.

in sepulcro Majorum suorum jamdiu honorifice reconditis in hoc religiosissimo templo ab ipsis antiquitus ornato & facultatibus aucto Josephus & Sigismundus Jurisconsulti pietatis ac memoriæ ergo posuere A. D. M. DC. VIII. Vetustissima icon, quæ ad altare majus in choro visitur, gentilitium horum stemma pluribus in locis præfert, de qua verba facit Grandius dissertatione I. pagina 113. Ceterum latet quid beneficii ab ipsis, & ab ipsa gente *de la Seta*, quæ juribus omnibus Boccæ familiæ successit, acceperit ecclesia sancti Michaelis, cum nullum supersit eorum beneficentiæ monumentum.

Laurentius Pantaleonus Bargensis abbas sancti Michaelis Pisarum in procuratorem elegit monachum suum pro recuperandis bonis Corsicæ & abbatiæ Montis-christi, cujus redditus a congregatione assignati fuerant eidem monasterio. Cum episcopi Corsicæ introissent in possessionem bonorum dictæ abbatiæ, confugium habuit ad summum pontificem, ad cardinalem protectorem ordinis Paravicinum, & ad cardinalem Pinellum protectorem reipublicæ Januensis. Paulus V. summus pontifex mandavit, ut scriberentur literæ episcopis Marianensi, Aleriensi, Sagonensi, Nebbiensi & Adiacensi. Cardinalis autem Pinellus scripsit reipublicæ Januensi, quæ die IV. augusti hujus anni rescripsit, summum pontificem certiorem reddendum de recta intentione civium Januensium pro restituendis congregationi Camaldulensi bonis ejus abbatiæ; se præcepturos gubernatori generali Corsicæ, ut opem & favorem præstet Camaldulensibus. Scimus præterea pontificem concessisse monachis Camaldulensibus breve excommunicationis in omnes, qui occupassent bona abbatiæ Montis-christi, sed episcopos Corsicæ renuisse publicationem ejus brevis in insula fieri, & certum est populos Corsicæ recepisse jamdudum plures libellos emphyteuticos a procuratoribus monachorum Camaldulensium de prædiis bonisque ejus abbatiæ, qui tamen a plurimo tempore canones solvere recusarunt, & quamcumque recognitionem denegarunt.

Ann. Chr. 1609.

LIV. Controversiæ pro abbatia Vangaticiæ ad ordinem recidente.

FAMILIA Lauretana ex Venetis patriciis per annos fere centum hactenus obtinuerat in commendationem Camaldulense monasterium sanctæ Mariæ de Vangaticia nullius dioecesis. Franciscus III. Lauretanus, qui etiam super ea abbatia Camaldulensi congregationi restituenda tractatus miscuerat cum Augustino de Balneo abbate generali, ac die XVIII. decembris anni præteriti Angelo moderno generali scripserat, ut rem perficeret (tota enim rei controversia redacta erat ad ducenta supra mille scuta) invalescente morbo obierat die XXV. ejusdem mensis in urbe Patavina. Quare Angelus generalis Venetiis occasione visitationis existens, nil morandum ratus, una cum visitatoribus, vigore privilegiorum Leonis X. quod decedentibus vel cedentibus commendatariis monasteria devenirent ad jura congregationis Camaldulensis, & providerentur de abbate regulari, ad electionem progressus est abbatis ejus monasterii, Fulgentium Thomasellum Athestinum monasterii Carcerum monachum præficiendo dicto Vangaticiensi monasterio. Allato nuntio vacationis ejus abbatiæ in Urbem, nec visis bullis antecedentibus commendationis, in quibus habebatur clausula: *Dummodo tempore datarum præsentium non sit eidem monasterio beatæ Mariæ de abbate provisum*, Paulus V. Romanus pontifex eam contulit Scipioni Burghesio nepoti suo, qui clam, Venetæ reipublicæ metu, possessionem monasterii accepit per nuntios suos tempore, quo monachi aliis officiis distenti præsentes non erant. Sed rem prosequamur ex historia tunc scribentis Andreæ Mauroceni patritii Veneti, qui [a] libro XVIII. historiæ Venetæ fuse ipsam ob oculos ponit. „ Ceterum, inquit, „ suborta inter pontificem ac rempublicam contentio hoc anno non mi-

a Pag. 416.

„ nimum

„ nimum temporis exhausit. Magni momenti sacerdotium in Rhodiginæ
„ peninsulæ ditione est, opibus, latifundiis, vitibus refertum, id abbatis
„ sanctæ Mariæ Vangadisiæ titulo possidetur, tuncque a Francisco Lau-
„ retano Leonardi filio obtinebatur, qui in juventæ flore cum excessisset,
„ statim ei Paulus Scipionem Burghesium nepotem, inscio, nedum in-
„ consulto Senatu, successorem dedit. Insuetum patribus, atque a veteri
„ consuetudine alienum videbatur, non tantum modica & exilia, sed opi-
„ ma & egregia sacerdotia, quæ plerumque in Venetos a summis ponti-
„ ficibus conferri consueverant, ne exquisita quidem sententia, aliis tri-
„ bui, vix Lauretano defuncto statim Burghesium suffectum fuisse, in eo
„ sacerdotio præsertim, quod pernobile iis in locis habitum, in ditione
„ Veneta multa eaque præclara jura obtinet. Itaque dimovere pontifi-
„ cem, si qua possint, a sententia statuunt; ni id fieri queat, eo tan-
„ dem confugere, ut electum minime (ut moris est) in possessionem,
„ quam temporalem vocant, inducerent. Id, ut ad Pauli aures perveniat,
„ curant; repulsam verito extracto negotio tandem aliquam rationem,
„ qua satis reipublicæ fieret, inveniri posse rati. Pontifex itaque, ne ul-
„ la in parte suæ dignitatis periculum faceret, cunctari Burghesium in pos-
„ sessionem mitti nequaquam flagitare, conqueri, quod Senatus nepotem
„ admittere nollet. An id unquam alicui pontifici pernegatum? hac in re
„ existimationem suam agi arbitrari. Contra Franciscus Contarenus lega-
„ tus senatus nomine: mirum minime videri, si peramplum sacerdotium
„ suorum alicui tribuendum, uti usu receptum sit, senatus curet; omnia
„ pontificis causa se velle & cupere: at qui possit non dolere, quod aliis
„ principibus ultro concessum sit, quod sibi sponte adsciscant, reipublicæ
„ ereptum videre. Interea e divi Benedicti ordine religiosi viri Gamaldu-
„ lenses nuncupati, Leonis X. privilegio innixi, qui septemdecim cœnobia
„ tunc dissipata ac fere eversa religioni denuo subjecerat, & si quæ ad
„ eam pertinuissent, imposterum servitio exempta tribuerat, Fulgentium
„ Athestinum ex agri Patavini oppido ortum Abbatem eligunt; qui sta-
„ tim Rhodigium profectus (neque enim impedimento esse Patres volue-
„ rant) sollemni ritu inauguratus, sacerdotii gubernacula suscepit. Jam-
„ que se causam tueri, Romæ procuratorem designare, nihil non agere,
„ quo priscum jus retinerent ac tuerentur Camaldulenses, statuerant; li-
„ cet vel metu, vel majorum offensione deterritus patrocinium ipsorum su-
„ scipere vellet nemo. Pontifex, ne potius auctoritate ac potentia, quam
„ jure agere videretur, quid in Camaldulensium causa juris sit, consulen-
„ dum ac decernendum Rotæ (est id JC. consilium) mandat. Cuncti
„ nullum in Vangadisiæ sacerdotium Camaldulensibus jus esse statuunt.
„ Tunc ipsius pontificis apud Rempublicam Nuntius Fulgentium a Senatu
„ possessione pelli ac dimitti enixe petit, minas in eum ecclesiastici ful-
„ minis atque interdicti intentat. Patres Fulgentium minime dimittunt;
„ ne quid de Camaldulensium rationibus depereat, ipse imperterritus in
„ suscepto semel munere perseverat. Res extrahitur. Tandem Johannes
„ Mocenicus, qui Francisco Contareno in Romana legatione successerat,
„ Pauli animum permollire, atque ad pacatiora consilia cepit traducere.
„ Itaque per Lanfrancum cardinalem Oratori significat, si Burghesius in
„ possessionem mittatur, statim cui Senatus mallet sacerdotium, æqua ei
„ pensione servata, collaturum. Id nequaquam Senatui probabatur; quod
„ certum ad id tempus non præscriberetur, quod nullæ leges ac condi-
„ tiones adhiberentur; quod cum sacerdotii insignibus ac titulis sibi juris-
„ dictionem reservare Burghesius cogitaret, verendum esset. Nec deerant

„ ex

Ann. Chr. 1609.

„ ex Patribus, qui Camaldulensium jura defendi debere arbitrarentur: Non „ permittendum, ut religiosus ordo Venetis in primis addictus, deque „ Republica optime meritus aliquid detrimenti pateretur; in ejus sinum „ suas omnes rationes posuisse; suis decretis ac actionibus mirifice reipu„ blicæ causam sustentasse, quibus etiam Tridentinum concilium favere vi„ deretur, quo divulsa cœnobia ad pristinos religiosorum ordines tamquam „ postliminio redire cavebatur. Sed contra alii finem huic dissidio, dum „ ex dignitate reipublicæ ac nullius damno fieri possit, imponendum. Quid „ enim aliud Senatum aut petiisse, aut optasse, nisi ut is Sacerdotium ob„ tineret, qui & genere, & virtute inter suos præstaret, qui opulentum „ ac variis juribus refertum moderaretur? Id porro nunc teneri; jam si „ de cœnobiorum ad veteres possessores reditu agatur, neque hoc ad Se„ natum spectare, nec ita recens malum esse, ut cito vel evelli, vel sa„ nari queat. Quoad Camaldulenses adtinet, eorum jura, quatenus fieri „ possit, tutanda esse. In hanc sententiam cum frequens Senatus ivisset, „ jussum Mocenico, libere sacerdotio cuipiam e nostris concesso, annua „ Burghesio pensione reservata, negotium conficiat. Brevi in has leges „ deventum; libere cum spirituali ac temporali, quas vocant, jurisdictio„ nibus Venetus civis abbas renuntietur; quinque aureorum millia Bur„ ghesio annuatim pendantur; nulla in re Camaldulensium juri abrogare„ tur, quominus eo in statu sint, quo primum Lauretano abbate sacer„ dotium obtinente fuissent. Pecunia demum, quæ ad ecclesiæ cultum, „ monachorum victum, Padi aggeres instaurandos sufficiat, seponatur. „ Matthæus Priolus spectatæ virtutis juvenis Antonii equitis ac Marcii „ procuratoris filius a pontifice suffectus est; atque ita implicito multis „ difficultatibus negotio finis impositus, & dignitas reipublicæ servata, „ Camaldulensibus (quantum fieri potuit) consultum." Collata fuit itaque abbatia Vangaticiensis Matthæo filio Antonii Prioli postea Venetorum ducis die XIII. augusti hujus anni, & Fulgentio a principe Leonardo Donato assignatus annuus redditus. Maurus Ruggerius abbas Camaldulensis in memorabilibus sui temporis scribit Angelum generalem cum abbatibus visitatoribus audita morte Lauretani se contulisse ad principem Leonardum Donatum & ad Senatum Venetum, exposuisse mentem concilii Tridentini, ut vacantes abbatiæ providerentur viris regularibus, ipsis insinuantibus principe & senatu facultatem obtinuisse providendi abbatiæ Vangaticiensi electione viri religiosi, factaque electione Romam adeundi pro confirmatione habenda, pollicito reipublicæ Venetæ auxilio in hocce negotio; Angelum proinde generalem elegisse Fulgentium Athestinum. Michael Losanna alter monachus Camaldulensis in historia ms. sui temporis animadvertit summum pontificem Paulum indignatum fuisse Angelo generali, quod potius a Veneto Senatu, quam a Romano pontifice & a cardinale protectore liberam Vangaticiensem abbatiam suscepisset & contulisset, quod eam tradidisset in manibus Fulgentii, qui in causa recentis interdicti cum theologum reipublicæ Venetæ ageret, contra sedem apostolicam steterat & scripserat. Revera Fulgentius sub nomine Capelletti jura reipublicæ tuitus est contra pontificem. Pariter cum Romæ ad sanctum Gregorium degeret Fulgentius anno 1601. se opposuerat cardinali Baronio possessionem ecclesiæ sancti Gregorii adeunti, prætendens, ut sancti Andreæ capellæ tantummodo possessionem acciperet. Quare notus invisusque erat curiæ Romanæ Fulgentius; quapropter addit Losanna objurgatum fuisse Angelum generalem, quod abbatiam non contulerit monachis aliis nobilitate & scientia præditis, qui tunc in congregatione vivebant,

vebant, quorum electio forsitan non displicuisset pontifici, atque ea ratione abbatia in libertatem adscita fuisset, & congregationi Camaldulensi recuperata. Videns autem Angelus generalis electionem suam probatam non fuisse pontifici, Venetum quoque Senatum in aliam ivisse sententiam, ex inopinato Venetiis discessit, copiam faciens Fulgentio defendendi jus suum. Extant in libello inscripto: *Sententiæ præclarissimorum doctorum in causa ecclesiæ & monasterii beatæ Mariæ Vangaticiensis pro sacra fratrum Camaldulensium congregatione* consilia M. Antonii Peregrinii JC. equitis & consultoris serenissimæ reipublicæ, primarii juris interpretis in collegio Patavino, Petri Francisci Bruschi J. V. D. Patavini in foro episcopali advocati, & Protasii Gyni Utinensis J. V. D. & consultoris celeberrimi in urbe Venetiarum. Tertium consilium seu votum nomen fert ejusdem Fulgentii, qui se subscribit: *Ego D. Fulgentius Estensis abbas Camaldulensis & sacri collegii Paduani doctor aggregatus scripsi, & ita me sentire testatus sum &c.* Suos quoque oratores ad Leonardum Donatum Venetorum ducem misere Abbatienses, Lendenarienses, Rhodigini efflagitantes, ne Vangaticiensis abbatia traderetur cardinali & pontificis nepoti, qui non solveret vel decimas, vel impositiones pro aggeribus Padi reaptandis, vel pro ceteris oneribus, sed traderetur potius Camaldulensibus, qui libenter concurrerent ad omnes expensas. Pariter in conquisitione abbatiæ Fulgentius abjuravit, si quid scripsisset contra pontificem pro republica Veneta interdicti tempore. Nullus tamen ex iis omnibus profluxit profectus ad jura Camaldulensium præponenda, electusque fuit Matthæus Priolus Venetus clericus de consensu pontificis abbas Vangaticiensis die XIII. augusti, statuta pensione cardinali Burghesio, & cum pacto solvendi annuam collectam, ut fecerant ceteri commendatarii, abbati generali Camaldulensi, & alendi collegium monachorum (in abbatia, quorum visitatio pertineret ad eumdem abbatem generalem. De hac controversia verba facit & Marcus Battaglinius in Annalibus Sacerdotii & Imperii. Subdit Ruggerius Angelum generalem paulo post retractasse electionem Fulgentii, ne indignationem Romanæ curiæ subiret; Fulgentium autem suo marte jura sua ad tempus defendisse, & demum ab omnibus derelictum se recepisse in monasterium sancti Johannis de Judaica Venetiarum, tamquam abbatem titularem cum honorario Reipublicæ Venetæ salario.

LV. Historia aliquot monasteriorum.

DIETA congregationis Camaldulensis habita fuit hoc anno in monasterio sancti Nicolai de Urbe, in qua receperunt patres oblationem ecclesiæ sancti Christophori ad portam Navilii factam a civibus Mediolanensibus; reassumpserunt quoque tractatum ecclesiæ sancti Johannis-decollati de Interamna, exhibitæ a primoribus ejus urbis; confirmarunt electionem Alexandri Cevæ in Majorem eremi Taurinensis; commiserunt reformationem breviarii Camaldulensis Vitali Zuccolio abbati, & Severo Senesio monacho approbandam a capitulo, & Romam transmittendam ad sacram rituum congregationem.

Ab hæredibus Francisci Capovini donantur abbatiæ sanctæ Mariæ de Carceribus ædes loci sancti Stephani de Atheste, cujus loci possessio ineunda decernitur denuo anno 1615.

Iterum implorant Coronenses eremitæ derelictionem eremi sancti Hieronymi de Pascilupo ob ingentia saxa ex imminenti rupe decidentia, permittitque ipsis locum deserere cardinalis Scipio Burghesius jussu Pauli V. quem tamen melius consulti non deseruerunt, perseverantque incolere eam eremum ad hodiernam diem.

Communitatis Meldulæ precibus, & literis cardinalis Petri Aldobrandini

ANN. CHR. 1609.

ni obtentum est hoc anno a cardinale Octavio Paravicino Camaldulensium protectore, ut familia quinque eremitarum Etruriæ ad inhabitandum monasterium sanctæ Mariæ de Scardavillis mitteretur, quæ subesset eremitis Camalduli-majoris. Monasterium hoc dudum manuale sanctæ Mariæ de Vincareto unitum fuerat cum ceteris Vincaretanæ congregationis anno 1366. ordini Camaldulensi, anno autem 1482. adjunctum eremo. Anno 1485. copulatus cum ipso fuerat prioratus sancti Pauli de Cæsena; demum anno 1513. privilegio Leonis X. adjunctum monasterio sancti Salvatoris de Foro-livio, unita quoque ipsi ecclesia sancti Laurentii ad Aquas-calidas Meldulæ, membrum olim abbatiæ Insulæ Galeatæ. Post missionem eremitarum factam hoc anno decretum est anno 1645. ut in proximo monte Lippone nuncupato ædificaretur eremus, cujus decreti exequutio dilata fuit usque ad annum 1684. quo ex relatione cardinalis Vincentii Ursini episcopi Cæsenatis propositum est, ut per annos duodecim deputaretur œconomus ad reducendum monasterium in forma eremi; idque demum perfectum fuit anno 1733. condita pulcherrima eremo, quæ hodie a duodecim eremitis incolitur.

In eremo Coronatæ die XXIV. maji hujus anni albas vestes Camaldulenses recepit Gismundus Loffredus ex nobilissima familia regni Neapolitani, clara ob principatum Carditi & marchionatum Montis-fortis, qui licet primogeniti jure frueretur, nulla parentum prece dimoveri potuit, ut eremiticam vitam semel arreptam desereret, quinimmo cessionem fecit primogenituræ Mario fratri minori. Accepto Johannis-baptistæ nomine, humilitate, sui despicientia, pœnitentiis, caritate erga proximos maxima excelluit.

Obiit hoc anno Gerardus de Peregrinis Veronensis, qui fuerat olim abbas congregationis Camaldulensis.

LVI.
Fundatio eremi Fanensis.

AD præsentem annum referenda est fundatio eremi Coronensis extra urbem Fani in loco dicto Mons-jovis. Prima ecclesia fundata in urbe Fani a sancto episcopo Apollinare Æmiliæ apostolo fuit ecclesia sancti Salvatoris, sedes episcoporum Fanensium usque ad annum 499. quo episcopus Eusebius alteram ecclesiam fundavit & dicavit sancto Petro *apostolo*, dictam hodie sancti Petri in Episcopio, ad cujus ecclesiæ Fanensis clericos in commune viventes extat sancti Petri Damiani epistola. Translata sede cathedrali in ecclesiam sancti Petri, illa sancti Salvatoris evasit parœcialis, sed præeminebat ceteris. Suberat ea ecclesia abbatiæ Fontis-avellanæ in privilegio Innocentii II. ad annum 1139. cum ceteris nominata. Vide etiam in nostris Annalibus ad annum 1223. Titulo prioratus subinde pluribus fuit commendata, & demum cardinali Gabriellio Fanensi, post cujus mortem transiit ad ejus nepotem Galeatium Gabriellium. Hic anno 1519. die tertia decembris rogante Matthæo Rusticuccio notario Fanensi, approbatione Leonis X. ex brevi diei XVII. septembris ejusdem anni ecclesiam sancti Salvatoris cum annuo canone unius libræ ceræ dedit fratribus Minoribus observantibus sancti Francisci, qui in veteri suo conventu sanctæ Mariæ-novæ extra mœnia Fani habitare ulterius non valentes prope locum dictum *l' Ospitaletto* a militibus devastatum annis præcedentibus, ut legitur in eodem brevi, probante generali consilio Fanensis urbis, & vigore hæreditatis Francisci & Galeotti Marcolini nobilium Fanensium, novum conventum condiderunt in domibus adnexis ecclesiæ sancti Salvatoris, quæ etiam ampliata ejusdem permissione Galeatii consecrata fuit die XXV. aprilis anni 1557. ab episcopo Negusantio sub eodem sancti Salvatoris titulo. Anno 1523. Galeatius assumpto Petri nomine, ut alibi vidimus,

dimus, eremiticum sancti Romualdi sub Paulo Justiniano institutum amplexus fuit, sed prius se abdicavit a possessis beneficiis in manibus Clementis VIII. qui eodem anno ipsa beneficia ad vitam dicti Galeatii tunc Petri Fanensis, & alterius eremitæ ab ipso nominandi etiam in articulo mortis, & postea in perpetuum univit congregationi Camaldulensi Montis-coronæ, supplente Paulo III. die tertia novembris anni 1534. Clementis VII. morte præventi intentioni. Quare ab eo tempore Coronenses introjerant in possessionem ecclesiæ & prioratus sancti Salvatoris de Fano, & in jus deputandi capellanum ad curam animarum ad nutum amovibilem, quam semper exercuit sacerdos secularis, nunc vero exercetur a fratre Minorita observante electo a priore eremi Fani conventione sequuta anno 1760.

ANN. CHR. 1609.

Repetitis instantiis urbis Fanensis, & piorum virorum Coronensibus eremitis addictorum præcedenti anno 1608. a capitulo generali Montis-coronæ decretum fuit, ut ex redditibus bonorum prioratus ejusdem sancti Salvatoris fundaretur eremus in territorio vel comitatu præfatæ urbis, sicut etiam consensu & auctoritate accedente Thomæ Lapii episcopi Fanensis, & communitatis ejusdem urbis, quæ se adstrinxit per decem annos ad contributionem aliquot summarum tritici, ædificationi datum fuit initium hoc anno in amœnissimo colle ad prospectum urbis & maris, a quibus distat duobus milliaribus cum dimidio, appellato Mons-jovis, & empto sufficienti situ, ad quam incolendam destinata est familia quindecim eremitarum, quæ stationem ibidem posuit anno 1627. Ædificia eremi, & præsertim ecclesiæ anno 1741. minabantur ruinam, eo quod constructa essent in solo cœnoso; quapropter petitis debitis facultatibus a sacra congregatione familia ad tempus redacta est ad quatuor eremitas, & redditus assignati fuere constructioni novæ ecclesiæ, quæ pulcherrima evasit, ita etiam cetera ædificia reparata, & fere de novo refecta, ac eremus cincta muro, & demum familia duodecim eremitarum restituta anno 1761. Silentio prætereunda non est beneficentia & liberalitas nobilis familiæ Gabrielliæ erga congregationem Coronensem, & præsertim erga eremum Fani. Præter enim beneficia, quæ olim possidebat Galeatius Gabriellius, Petrus & Ludovicus fratres Galeatii die septima augusti anni 1528. instrumento rogato a Camillo Gabuccino notario Fani donarunt ecclesiæ sancti Salvatoris aliam ecclesiam in urbe dictam sanctæ Mariæ *del Riposo*, & communiter *de Piattelletti*, cum aliquot domubus adnexis, quæ modo pro hospitio eremitarum deserviunt. Ludovicus in suo postremo testamento, quod scripsit duodecima julii anni 1530. manu Petri Avvedutoli a Carroceto eidem ecclesiæ reliquit varia legata, & corpus suum sepeliri ibidem jussit. Anno 1610. Alexander Gabriellius eremita factus Coronensis, & nomen assumens Mauri, eremo donavit hæreditatem suam, ex qua ædificata fuit domus pro valetudinariis, cella solitaria, & empti plures libri pro bibliotheca.

ANN. CHR. 1610.

LVII. Camaldulenses liberi declarati a contributione pro seminariis.

PETRUS Aldobrandinus cardinalis tituli sanctorum Johannis & Pauli, ac camerarius S. R. E. anno quinto pontificatus Pauli V. die quinta aprilis decreto suo sustulit litem, quæ per quadraginta & amplius annos viguerat inter monasterium sancti Parisii de Tarvisio, & inter episcopos ejusdem urbis, declarans eas moniales immunes esse a quacumque impositione pro constructione seminarii Tarvisini, & addens pœnam quingentorum aureorum cameræ apostolicæ applicandorum omnibus iis, qui super hujusmodi seminarii causa molestias iisdem deinceps afferrent. Georgius si-

ANN. CHR. 1610.

quidem Cornelius episcopus volens jam ab anno 1566. juxta concilii Tridentini scita seminarium condere in urbe Tarvisina, taxam distribuerat regularibus omnibus, & etiam monasteriis sanctimonialium, comprehenderatque illud sancti Parisii. Anno 1568. denuntiavit abbatissæ solutionem pro anno præsenti & præteritis. Inter varias abbatissæ excusationes excurrere aliquot anni; donec Pius V. anno 1571. imponens congregationi Camaldulensi taxam decem & octo millium scutorum pro continuando bello Venetorum contra Turcas, eam reddebat exemptam a contributionibus ceterarum impositionum etiam pro novis seminariis erigendis. Non acquievit episcopus, ita ut necesse fuerit, ut anno 1579. die XXII. julii Albertus Bolognettus episcopus Massæ & legatus apostolicus in dominio Venetorum episcopo Tarvisino scriberet, ne divexare pergeret moniales jam exemptas. Idem præstitit Alexander Glorierius clericus cameræ apostolicæ referendarius utriusque signaturæ, & specialiter deputatus a Gregorio XIII. judex commissarius in appellatione monialium, qui proinde irritavit, nullaque pronuntiavit, quæ fecerant episcopus ejusque procuratores contra moniales, ope etiam Roberti Tani auditoris nuntii apostolici Venetiis residentis. Hoc proinde anno vexationi omnimodæ finis impositus.

LVIII. Derelicta ecclesia SS. Vincentii & Anastasii de Ravenna.

DECRETO patrum dietæ celebratæ in monasterio sancti Nicolai de Urbe, tempore ejusdem cardinalis Aldobrandini, qui etiam erat archiepiscopus Ravennas, derelicta fuit a monachis Classensibus ecclesia ejusdem urbis sub titulo sanctorum Vincentii & Anastasii, cujus collatio eatenus spectaverat ad abbatiam Classensem, retento dumtaxat jure ejusdem abbatiæ, si tempore aliquo detegerentur bona ad eamdem ecclesiam pertinentia. Ab iisdem patribus præcipitur unio ecclesiæ sanctæ Mariæ Gratiarum de Cotiniola cum aliquo Romandiolæ monasterio; sed anno sequenti copulatur cum monasterio sancti Mathiæ de Muriano Venetiarum.

LIX. Editio vitarum SS. Polonorum Camaldulensium.

AUCTORITATE Bernardi Macieiowski S. R. E. cardinalis & archiepiscopi Gnesnensis facta sub anno 1606. cui præcesserat anno 1602. Romæ revisio & approbatio fratris Johannis-mariæ Vercellensis magistri sacri palatii, & anno 1604. Cracoviæ confirmatio Claudii Rangonii comitis episcopi Rhegiensis & legati apostolici ad Sigismundum III. Poloniæ regem, cum permissione Andreæ Schonei S. Th. & J. V. D. *rectoris studii generalis universitatis Cracoviensis*, editæ fuerunt hoc anno in eadem Cracoviæ urbe typis Basilii SKalski vitæ gesta & miracula sanctorum quinque fratrum Polonorum eremitarum Casimiriensium ordinis sancti Romualdi abbatis Camaldulensis, Johannis, Benedicti, Matthæi, Isaaci, Christini martyrum, simulque & aliorum sociorum eorum Athanasii, Laurentii, Barnabæ, Andreæ Zuirardi, Benedicti Zuirardi & Justi confessoris, ac Bogumili archiepiscopi Gnesnensis ex variis auctoribus, diversisque fragmentis collecta a Martino Baronio Jaroslaviense clerico, quas Martino SziszKAWSKI episcopo Plocensi & senatori regni Poloniæ, ac Stanislao SiecinSKI episcopo Premisliensi pariterque senatori dicavit. Amicus erat Baronius Thomæ Minii monachi sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia; quocum literarium commercium tenebat.

Jacobus Mignanellus episcopus Grossetanus supplicem libellum exhibuit Romano pontifici Paulo V. pro resignanda congregationi Camaldulensi abbatia sibi commendata sancti Salvatoris de Berardinga, cujus preces tamen effectum sortitæ non fuere, nam a Gregorio XV. Pauli successore Jacobo successor datus est Johannes Tolosanus; ex archivo sancti Romualdi de Urbe [a].

[a] *Fascic.* XXIV. 43. 45.

DE-

ANN. CHR. 1611.

LX. Scipio Burghesius card. eligitur protector Camaldulensium.

DECESSIT hoc anno die III. februarii Octavius Paravicinus S.R.E. cardinalis tituli sancti Alexii, & protector ordinis Camaldulensis. Scribit Losanna in sua historia, quod „ habito de obitu hujus principis „ nuntio, & parentalibus ei celebratis, Romam pro novo protectore im- „ petrando Angelus generalis accurrit, & qui cum cardinale Odoardo Far- „ nesio familiaritate multa erat conjunctus, hunc in protectorem exqui- „ rere designat, congregationis quidem utilitatem respiciens; nam Odoar- „ dus, ut omnes ejus majores, congregationem Camaldulensem semper „ veneratus erat, immo suum favorem votumque suum benigne in con- „ gregationibus cardinalium patribus Camaldulensibus semper præstitit, ac „ propensiore voluntate videbatur protectionem hanc ambire. Verum hu- „ manitas summi pontificis Pauli V. diligentiam & curam generalis præoc- „ cupavit, nam, antequam generalis Romam perveniret, protectionis mu- „ nus contulit Scipioni Burghesio tituli sancti Chrysogoni cardinali nepo- „ ti suo, illique paterna caritate congregationem Camaldulensem com- „ mendavit. Accedentem pro osculandis vestigiis beatissimus pater Ange- „ lum sic alloquutus est: Cur pater generalis Odoardum cardinalem Far- „ nesium in protectorem congregationis cupiebas? Cur Scipionem cardina- „ lem Burghesium nepotem nostrum rejiciebas? Generalis noluit pontifici „ veritatem cælare, sed pro excusatione attulit, se de tanto favore pro- „ tectionis nepotis indignum existimasse, congregationem quoque existi- „ mare non mereri tantam pontificis benignitatem; verum quandoque ipse „ pontifex ea dignatione uti voluisset, summas ei gratias habere, con- „ gregationemque sub umbra tanti protectoris tutam quiescere. Addidit „ pontifex: Scias volo generalis, quod & si congregationi Camaldulensi „ protectorem Scipionem Burghesium cardinalem nepotem nostrum tribui- „ mus, tamen nos ipsi congregationis necessitatibus consulere, & officium „ protectoris exercere volumus. Hæc tantæ comitatis verba a pontifice „ prolata non sine lacrymis præ gaudio a generali excepta sunt, promit- „ tente se & congregationem sanctitatis suæ & familiæ Burghesiæ in suis „ orationibus semper memoriam habituros. Alia præterea amoris paterni „ verba miscuit pontifex cum generali, qui lætus completis officiis cum „ novo protectore cardinale Roma discessit. “

LXI. Capitulum generale Classense.

INDICTUM siquidem fuerat capitulum generale Ravennæ celebrandum hoc anno ob electionem novi præsidis; sed antequam ad eum locum se reciperet, in mandatis habuit Angelus ab apostolica sede, agente & instante in primis Alexandro Ceva, consentiente etiam Sabaudiæ duce, visitandi eremum novam Taurinensem, ad quam a sui fundatione nullus præcedentium generalium accesserat. Accessit ergo Angelus omnibus urbanitatis & reverentiæ signis exceptus; quo etiam tempore declaratum fuit ipsam eremum spectare tamquam membrum ad Camaldulensem ordinem, & ad correctionem abbatis generalis, ipsamque constituere congregationem eremiticam Pedemontanam instituti sancti Romualdi, filiamque esse eremi Camaldulensis Etruriæ.

Post aprilem mensem, quo instituta fuit hæc visitatio, redux in Æmiliam Angelus generalis, qui triennium sui regiminis complebat, parabat se ad celebrandum capitulum generale congregationis, in quo etiam sperabat omnia pro libitu acturum, quandoquidem recenti cardinalis nepotis Burghesii gratia præfidebat. Verum perveniens ad monasterium Classis, novam adinvenit rerum faciem, immo corda ceterorum præsulum valde ab ipso esse aliena percepit; capitulo quoque destinatum fuisse præsidem ex dele-

Ann. Chr. 1611.

delegatione apostolica Pauli V. cardinalem Bonifacium Cajetanum Æmiliæ provinciæ tunc de latere legatum, dum e contra arbitrabatur sine ullo præside dispositionem totius capituli in manu sua futuram. Quare vocatis nonnullis prælatis, quibus magis fidebat, simul cum ipsis Patavium concessit, & capituli locum dereliquit. Prælati, qui remanserant, inito inter se consilio, cum præsentia ejusdem cardinalis legati ad electionem novi generalis devenerunt, postulantes Aloysium Gorium a Bagnacaballo professum monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, & reliquas dignitates distribuerunt, Leonardum Corradinum de abbatia Pollicinii, & Gregorium Vitalium de Foro-livio eligentes in visitatores, assignatis monasteriis ceteris prælatis, qui Angeli consiliis non adhæserant. Dubitatum est, an hæc electio novi generalis valida esset nec ne. Romam controversia defertur ad cardinalem Burghesium, qui vocatis, qui interesse debebant, & auditis partibus, electionem novi generalis juridicam & validam judicavit, compulso Angelo cedere insigniis generalatus, sicut reapse cessit die VI. julii in manibus ejusdem cardinalis, qui ei tamen exhibuit ecclesiam episcopalem, quam summa moderatione animi repudiavit Angelus, cupidus redeundi ad eremi Camaldulensis quietem. Ibi nihilominus, cum multa polleret auctoritate, hortatus est eremitas, ut separationem eremi a monachorum congregatione expostularent & curarent; quod alibi factum videbimus. Sed narrationem capituli Classensis ex itinerario ipsius Aloysii electi generalis audiamus.

„ Statim igitur atque ex summa sanctissimi domini nostri Pauli papæ „ V. benignitate ob mortem cardinalis Paravicini congregatio nostra Camaldulensis fuit sub illustrissimi & reverendissimi cardinalis Burghesii „ patrocinio atque protectione constituta, rev. domnus Angelus eremita „ antecessor noster Romam accessit, parvoque negotio ab illustrissimo protectore prædicto impetravit, ut generale capitulum, quod ex definitorum anteactæ dietæ determinatione erat celebrandum, Ravennæ in cœnobio Classense congregaretur, firmiter sibi persuadens omnia ad ejus „ votum successura, si capituli prædicti liberum sustinuisset imperium. „ Longe tamen ab ejus sententia rei eventus dissensit, nam licet protraxisset ultra consuetum tempus ad mensem comitia, ut omnes clare agnoscerent absolutum congregationis gubernium in ejus positum esse voluntate, die nona nihilominus mensis junii Ravennam perveniens, ubi jam „ omnes prælati ceterique vocales convenerant, statim sibi fuit denuntiatum illustrissimo & reverendissimo cardinali Cajetano Æmiliæ legato a „ summo pontifice fuisse commissum, ut in eo generali capitulo præsidentis munere fungeretur; quo percepto nuncio cujusnam voluntatis illustrissimus prædictus foret, anxius studuit explorare; eapropter die XI. „ iterum atque iterum, & tertio ipsum adiit, deque definitorum electione cum eo prolixius agens pro posse curabat, ut ad majorem partem „ definitores penes ejus sententiam eligerentur; quod quidem nullo pacto „ assequi posse, ac ob eam causam, eum, quem sibi decreverat, successorem relinquere non valere perspiciens, spe præconcepta omnino frustratus ad quorumdam suorum familiarium consilium confugiens, sequenti nocte insalutato hospite fugam arripuit, quem prosecuti sunt D. „ Benedictus Brunius Florentinus visitator, D. Augustinus Caballus ejus „ cancellarius, D. Patritius Athestinus abbas Carcerum, D. Vitalis Patavinus abbas sancti Johannis de Judaica, D. Julianus de Rinforzato „ abbas sanctæ Luciæ di Vicentia, & D. Laurentius de Barga abbas sancto-

„ ctorum Justi & Clementis de Volaterris cum D. Angelo de Massa ejus „ conventuali, & in ipsius cellæ ostio præceptum infrascripti tenoris af- „ fixum reliquit, videlicet: “

ANN. CHR. 1611.

Noi don Angelo eremita generale Camaldolese a voi molto rev. abbati e conventuali di nostro ordine congregati nel monastero di Classe di Ravenna facciamo sapere, come vedendo stare oppressa la nostra congregazione non solo oltre ogni dovere, ma per quanto stimiamo contro la volontà di Nostro Signore, che con la sua benignissima voce ci ha detto volere, che la nostra congregazione sia libera e non oppressa, ed anco contro la volontà dell' illustrissimo protettore, che pur non solo in voce, ma anco con le lettere ci ha confermato il medesimo; ci siamo risoluti con altri prelati di ricorrere a' piedi di N. S. per informarlo dell' oppressione, e di quanto nelle nostre visitazioni abbiamo trovato, e dalla sua benignissima e giustissima voce ricevere quei comandamenti, che più li parerà di darci. Intanto li comandiamo in virtù di santa obbedienza, che ritornino ai loro monasterj per reggerli e governarli col timore di Dio, aspettando quivi, quanto si degnerà Sua Santità di comandare.

Dato questo di XII. *giugno* 1611. *dal monastero nostro di Classe di Ravenna.*

Io D. Angelo eremita generale Camaldolense.

„ Quod quidem præceptum mane ad illustrissimum legatum præsidentem „ patres detulerunt, qui præfatorum omnium cognita fuga statim locum- „ tenentem in civilibus ad monasterium Classis festinare præcepit, eique „ in mandatis dedit, ut convocato capitulo Breve in amplissimam formam „ a Sanctissimo Domino Nostro ei transmisso, patribus promulgato, im- „ primis eis indiceret, ne ullus & eorum quilibet sub quovis prætextu ac „ quæsito colore e monasterio Classense & civitate Ravennæ pedem re- „ ferre auderet, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ, ac aliis „ arbitrio dominationis suæ illustrissimæ pœnis infligendis, ac insuper ut „ nonobstante generalis absentia comitia nihilominus prosequerentur. Qui- „ bus omnibus a locum-tenente præfato diligenter peractis, ipsemet illu- „ strissimus præsidens post prandium ad monasterium prædictum devenit, „ prolixiorique habita oratione de turbulentissimis conditionibus, quibus „ eo usque miserrima congregatio nostra substrata fuerat, ut jam lapis „ offensionis & petra scandali omnibus facta pene videretur, mandavit, „ ut definitores juxta congregationis instituta per occulta suffragia crea- „ rentur, voluit tamen, ne in eorum electione ulla prorsus intercederet „ fraus, ut singulorum recepta vota in pollubrum coram omnibus proji- „ cerentur, sicque definitoribus constitutis, tam ceteris negotiis, quæ erant „ gerenda, rite terminatis, ad officiorum & regiminum distributionem de- „ finitores præfati die XV. devenerunt, ac proinde de more pluribus ab- „ batibus propositis, & appellatis communi consensione nos ad generalatus „ inexpectatum gradum primum & ante omnia promoverunt, ceterisque „ deinde guberniis prælatis, qui aderant, distributis, abbates, qui se in „ fugam conjecerant, ab administratione ac regimine, sic annuente illu- „ strissimo præsidente prædicto, absolutos pronuntiaverunt & declarave- „ runt. “

LXII. Petrus Camporeus vice-protector Camaldul.

QUOAD Scipionem Burghesium ordinis Camaldulensis declaratum protectorem, sciendum est, ipsum initiis suæ protectionis Petro Camporeo Cremonensi, qui tunc erat archi-hospitalis sancti Spiritus in Saxia commendator, exequutioni tradenda præcipua negotia principum & regum populi Christiani commisisse, quo etiam utebatur secretario principali domus & familiæ

suæ,

ANN. CHR. 1611.

suæ, atque inter cetera cariora negotia demandasse illi sollicitudinem & expeditionem rerum Camaldulensium. Quod certe admodum profuit congregationi nostræ, nam summa caritate negotia ordinis amplexus est, & diligentissime in iis conficiendis voluntatem cardinalis perspectam habens se adhibuit. Mirum dictu, quod Camporeus archi-hospitalis talem curam gereret, ut parens potius quam commendator pauperum & indigentium haberetur, in principum negotiis tam exacte se custodierit, vir ceteroquin sexagenarius, ut nulli displicentiam attulerit, omnium in se amorem provocaverit, & tamen quotidie ad aures erat pontificis & cardinalis nepotis. Hinc cognita ipsius virtute, laboribus & meritis mense septembri anni 1616. cardinalitio galero titulo sancti Thomæ in Parione insignitus est summa lætitia principum, populi Romani, & Camaldulensium. Crevit cum dignitate ejus affectus erga congregationem, & homo labori assuetus, licet ætate gravis, a cura tunc solum archi-hospitalis exemptus, multis cardinalium congregationibus, & præcipue præpositæ negotiis episcoporum & regularium adjunctus fuit. Quare anno 1619. qui vice-protector eatenus fuerat, a Scipione cardinale, consentiente patruo pontifice, protectionem liberam & absolutam recepit Camaldulensis ordinis. Post Pauli V. obitum consensu fere omnium purpuratorum patrum postulatus fuit ad supremum ecclesiæ regimen, sed sorte cadente super alium, paulo post a Gregorio XV. Cremonensis episcopus est electus, servans semper, licet absens, Camaldulensium protectionem, substituensque alios cardinales Romæ præsentes, qui vice sua fungerentur in protectione ordinis Camaldulensis negotiorumque ipsius.

Paulus V. decima-nona martii abbatibus congregationis Montis-Virginis privilegia abbatum Camaldulensium extendit diplomate, quod reperitur apud Margarinium [a]. Idem die VI. octobris pontificatus sui anno VII. facultatem facit majori Montis-coronæ ejusque successoribus permittendi suis eremitis, qui ferre non valerent austeritates eremorum, transitum ad alios ordines approbatos mitiores, hanc gratiam indulgens interventu Scipionis Burghesii nepotis & cardinalis protectoris ordinis Camaldulensis.

[a] *Bullar. Casin. P. I. pag. 423.*

Teste Senesio in historia Vangaticiensi hoc anno die X. aprilis coronata fuit in platea majori Abbatiæ imago beatæ Virginis *Mariæ* de Vangaticia a fratre Francisco Veneto ordinis fratrum Minorum Cappuccinorum, & ea occasione cœlata est eadem imago. Die octava Paschatis Resurrectionis quotannis celebratur festum ejusdem coronationis, cum affluentia finitimorum populorum.

Simeonem de Parracciis Perusinum, qui fuit ordinis generalis ex numero eremitarum, hoc anno defunctum laudat Alexander Ceva in epistola ad Angelum ex-generalem.

LXIII. Obitus Silvani Ractii abb. Camald.

QUARTA-DECIMA octobris hujus anni decessit etiam in monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, cujus erat alumnus, Silvanus Ractius Marradiensis, male a Possevino & Teisserio Radius Manardus appellatus, abbas Camaldulensis, octuagesimum-quartum ætatis annum agens. Natus anno salutis 1527. Benedicto Varchio præceptore Florentiæ plurimum in Etruscæ linguæ cultu profecit, adeout Wion aliique Ractium Ciceroni exaggerata laude comparare non dubitaverint. Secularis adhuc comœdias aliquot & tragœdias scripsit: *La Cecca* editam Florentiæ anno 1543. & subinde posterioribus annis. In editione anni 1602. turpiter deformata inscribitur: *la Zecca*, sicut etiam informem magis retulit Wion: *La Cieca*. *La Balia*, quam *Braham* idem Wion, & *La Brancha* Minius vocant: *La Gostanza* editam anno 1595. ab equite Leonardo Salviato.

La

La Gismonda anno 1569. *Il Tancredi* dicatam a Pomponio Torello duci Urbinati. Relicto Hieronymi, quod in seculo gerebat, nomine, factus postea monachus melioribus sanctioribusque studiis intentus scripsit: *Dell' economia Cristiana e Civile. Raccolta di orazioni a Cristo, e alla beatissima Madre Maria*: anno 1556. ut testatur ipse post quinquaginta annos, annis 1607. 1608. ad comitissam Riccardam de Minerbettis, affirmans communi adeo plausu has preces exceptas, ut vix reperiri posset, cui præ manibus libellus ille non foret. *Miracoli della gloriosa Vergine Maria*: anno 1576. quod opus Latinum reddidit Hercules Vincemala JC. Mediolanensis anno 1579. cujus hæc sunt verba: *Ne ulla in re laberer in hisce libellis scribendis, & superiorum hortatu, & ultro ipse prorsus historiam sequutus sum Silvani Ractii monachi Camaldulensis, singularis pietatis & eruditionis viri, a quo miracula Etrusce scripta, & e sacris literis excerpta superioribus approbantibus anno 1576. in lucem emissa sunt*. In alia nuncupatoria epistola ejusdem Vincemalæ ad sanctum Carolum Borromæum hæc differit de eodem Ractii libello: *Occurrit ergo aureus ac divinus liber, in quo eo anno purissimæ Dei parentis miracula a Silvano Ractio monacho Camaldulensi Etrusce scripta erant. Nihil, ita mihi Deus propitius sit, opportunum magis offerri poterat. Illum avidissime & mirifica animi attentione lectitabam; illinc flores suavissimum odorem afflantes decupebam; illinc eos capiebam fructus, quorum tanta erat suavitas, ut exquisitissimos mellis liquores jucundissimo animi sensu tractari viderentur*. Iterum editus fuit liber Ractii annis 1588. 1608. 1622. *Damone pastore di Pratolino. Ecloga della santa vita e morte della regina Giovanna d' Austria gran duchessa di Toscana*: 1578. *a Laudomia Stuffi monaca di Boldrone. Vite di quattro Uomini illustri, Farinata degli Uberti, Duca d' Atene, Salvestro Medici e Cosimo Medici il più vecchio*: Florentiæ 1580. *Vite di cinque Uomini illustri*: ibidem 1602. 1610. Eædem cum superioribus, adjecta vita Francisci Valorii, editæ ab Anselmo de Venturis monacho Camaldulensi, & avunculo suo Rodulpho de Bardis senatori Florentino inscriptæ & editæ Florentiæ apud Junctas anno 1602. *Vita overo azioni della contessa Matelda a don Giovanni de Medici*: Florentiæ 1587. *Vita di Benedetto Varchi*: ibidem 1590. *Vita della gloriosa Vergine Maria*: Florentiæ 1599. iterum 1618. 1625. *Vita di san Giovanni-battista*: Florentiæ 1590. & 1603. *Corona del Signore in forma di orazioni*: ibidem 1591. *Vite delle donne illustri per santità*, opus in tomos sex partitum; primus anno 1595. dicatus Virginiæ Mediceæ Estensi. *Vite de Santi e Beati dell' ordine di Camaldoli*: Florentiæ 1600. *Letanie di nostra Signora. Vite de Santi e Beati di Toscana* partes duæ: ibidem 1601. *Vita del beato Michele romito Camaldolese*: Florentiæ 1604. *Quadragesimale overo meditazioni per ciascun giorno di Quaresima, conformi all' evangelio*: ibidem 1607. & 1608. tomis duobus. *Vita di Cristo nostro Signore. Trattato della misericordia. Vita di santo Antonino arcivescovo di Firenze. Vita di Castruccio Castracani*: extant mss. in bibliotheca sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. *Vite di Corso Donati; di Uguccione della Fagiuola; del cardinale Antonio-maria Salviati. Vita di S. Filippo Neri ad Alessandro del Caccia vescovo di Pistoja. Vita di Pietro Soderini ultimo gonfaloniere di Firenze*. Extant ibidem mss. sed postrema regia pene forma edita Patavii typis Seminarii. *Vite degli imperatori sino a Carlo quinto. Annali ecclesiastici Fiorentini*: Opus digestum ordine, auctumque a Thoma de Minis, ibidem ms. *Trattato delle Virtù. Descrizione del sagro eremo di Camaldoli*, Lucidariæ de Bocchis abbatissæ sanctæ Christinæ de Bononia dicata:

Ann. Chr. 1611.

cata. *Epistola de libris bibliothecæ Angelorum Florentiæ e puerorum manibus eripiendis:* Præfigitur cuidam breviario Camaldulensi ms. in bibliotheca Vaticana. *Carmina Etrusco metro ac rythmo plurima*, ex quibus aliqua leguntur inter Ractium & Varchium invicem ab utroque missa in quodam libro ms. bibliothecæ Angelorum, & unum in volumine rythmorum Lauræ Ammanatæ celebris poetriæ.

Quæ sequuntur, a Silvano ex Latina in Etruscam linguam sunt eleganter politeque conversa: *Evangelistario di Marco Marulo Spalatense*: Florentiæ 1571. & Venetiis 1580. *Vita e regola del santissimo padre nostro Benedetto con annotazioni*: Florentiæ 1593. *Regole della vita eremitica:* ibidem 1575. *Historia della passione di Gesù Cristo scritta da Giovanni Fero*: ibidem 1573. ad Victoriam Farnesiam a Ruvere ducissam Urbini. Liber hic, ut & omnes alii a Fero scripti, supremis Fidei Romanis Quæsitoribus jubentibus vetitum est, ne legantur. Obiit Ferus inter Germanos concionator Moguntiæ anno 1554. Dominicus Sotus sententias verbaque nonnulla, quod minus catholice sonarent, carpsit, pro quo tamen Michael Medina apologiam protulit. E Latino item in Etruscum sermonem transtulit Ractius *Summam cardinalis Vio Cajetani*. *Annalium ecclesiasticorum Cæsaris cardinalis Baronii tomum primum*, ipso auctore cardinale annuente & versionem probante. Latinitate autem donavit: *In regulam sancti Benedicti declarationes & constitutiones Camaldulenses*: Florentiæ 1572. recusas anno 1649. Venetiis. Scripsit majori ex parte *Le Vite di Pittori*: Florentiæ 1568. opus tribus tomis distinctum, quod sub nomine equitis Georgii Vasarii circumfertur, ut testantur Minius, Wion, Bucellinus, Possevinus, Oldoinus, Teisserius, Antonius Campus. Correxit castigavitque Ractius *La disciplina spirituale di fra Domenico Cavalca dell' ordine de' Predicatori*. Expolivit etiam tomum primum *vitarum Sanctorum ordinis Prædicatorum* a Seraphino Ractio fratre germano ejus ordinis asceta scriptarum. Alienis etiam lucubrationibus edendis operam suam contulit, emisitque in lucem *Il primo libro delle orazioni del cavalier Leonardo Salviati*: Florentiæ 1575. nuncupatoria præfixa ad Antonium-mariam Salviatum pontificium ad Galliarum regem nuntium, qui & idem postea cardinalis. *Rosario della gloriosissima vergine Maria*: opus versibus ligatum, fratris sui germani adnotationibus prosaicis ornatum cum nuncupatoriis Silvani literis ad Margaritam de Guadagnis, & Faustinam de Poggiis sanctimoniales Camaldulenses in asceterio Buldronis: Florentiæ 1583. *Cinquanta sermoni di fra Serafino Razzi* cum epistola ad Stephanum de Saxolo eremitam Camaldulensem. Edidit quoque *secundam partem vitarum Sanctorum ordinis Prædicatorum* ejusdem fratris sui cum præfixa epistola ad moniales sanctæ Christinæ de Bononia, ubi totus est in vita beatæ Luciæ Bononiensis. Atque hæc recensentur Ractii opera, qui etiam de Angelica domo sua optime fuit meritus, quod & picturis statuisque marmoreis eam adornavit, quod doctrinæ fama, operum editione, ac morum probitate, procerum & Clementis VIII. Romani pontificis præcipue, atque eruditorum suæ ætatis hominum, inter quos Leonardum Salviatum equitem amicum maxime coluit, amorem sibi conciliavit. Primus fuit ejusdem Angelici monasterii abbas, quo ampliori titulo, abrogato illo prioris, honestata cum aliis monasteriis fuit a Sixto V. præfectura ejusdem cœnobii. Duo tamen vitio vertuntur Ractio, quod acriori studio in literas incumbens, & in scribendo assiduus, omnium devitaret consuetudinem, argutiis alioquin & salibus, dum loqueretur, ad mordacitatem usque frequentissimus; alterum, quod liberalis nimium codices plures a priscis celeberrimi asceterii sui alumnis gra-

graphice scriptos, minioque ornatos amicis suis dilargitus fuerit, cum multa jactura historiæ nostræ, & præsertim ejusdem monasterii, cum plerique eorum studio & marte exarati nostrorum monasticas vigilias continerent. Ceterum ut *vitæ probitate & doctrina conspicuus*, *singularis pietatis & eruditionis vir clarissimus*, *& Clementi VIII. carissimus*, *benemeritus de Romana ecclesia antistes* laudatur a Wione, Bucellino, Minio, Hippolyto Maraccio, Oldoino, Hieronymo Rubeo, Johanne-baptista Ricciolio, Vincemala & a Petro Adriano Vanden Broeke Belga in epistolis; qui postremus hæc de Ractio subdit: *Præsumitne vanissimus homo plus in Scripturis sacris, aut sanctionibus pontificum scire, quam sciverit Silvanus?* Evangelista Marcellinus Minorita lectiones suas in psalmum quinquagesimum Ractio dicavit, testatus se eam lucubrationem ejus hortatu scripsisse. De Ractio præterea cum laude meminere præceptor Varchius in Herculano & in carminibus, Ricordatus Calzolarius [a], Laura Battiferra Ammanata de Urbino, quæ etiam in laudem Silvani carmen composuit, quod extat prima parte historiæ monasticæ ejusdem Ricordati, Maurolycus, Petrus-angelus Bargeus in carminibus, Cinellius, Leo Allatius in Dramaturgia, & demum Leonardus Salviatus in oratione funebri de Benedicto Varchio, qui & Silvano septimam suam orationem dicavit, Hannibal Carus volumine II. epistolarum familiarium, Farullius, plerique alii. Magnanus [b] in vitis Sanctorum & Beatorum Faventinorum Ractium laudat ex pietate, solitudine, & affectu erga Christi passionem & erga sanctissimam Deiparam, adeoque locum dat ei in suo opere. Ad tempus ipsum reperimus secessisse in eremum Camaldulensem, & solitariæ vitæ nomen dedisse, anno nimirum 1572. quod usuveniebat eo seculo, ut plures ex cœnobiali Camaldulensi conversatione transirent ad eremiticam, & plures eremitæ ad cœnobiticam.

a *Pag.* 465.

b *T. II. pag.* 75.

ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEPTUAGESIMUS-QUINTUS.

Ab anno CHRISTI M. DC. XII.

ANN. CHR. 1612.

I. Sanctissimus obitus Alexandri Cevæ eremitæ Taurinensis.

AD DEUM feliciter transiit hoc anno die sexta octobris nocte præcedente sabbatum Alexander Ceva eremita Camaldulensis & fundator eremi Taurinensis septuagesimo-secundo ætatis suæ anno, eremiticæ autem conversationis quadragesimo-secundo. Diem hunc desideraverat, ac prænuntiaverat pius vir, nam cum medici timerent, ne nocte quartæ feriæ vi morbi succumberet, respondit ipse: „Qui Mariam „colunt, protrahunt discessum vitæ ad diem sabbati." Obiit autem in hospitio eremi, quod erat in urbe Taurinensi, visitatus a medicis, quos Carolus-emmanuel dux Sabaudiæ ad ejus curandam valetudinem miserat, qui etiam audito ejus mortis nuncio, gravissimum verbis & signis dolorem declaravit, Sanctum decessisse exclamans, ac statim pictori imperavit, ut ejus imaginem in ducali palatio custodiendam coloribus exprimeret. Præcepit pariter, licet libentius corpus ipsius Taurini detinere maluisset, ut funus ad eremum magnifica pompa deducerent tum monachi Camaldulenses Putei-stratæ, tum religiosi de Redemptione captivorum, tum alii Galli eremitæ, qui eo temporis Taurini degebant, tum equites aulæ suæ cum intortitiis accensis, præter Taurinenses eremitas tanti patris filios, depositumque fuit sacrum cadaver ante altare majus eremi sub lampade, quæ pendebat. Idem dux, quoties deinceps venit ad eremum, visitabat ejus sepulcrum, seque & ditionem suam ipsi commendabat, sed crevit honor & æstimatio ad ipsius tumulum, cum anno 1627. ampliata ecclesia, & reserato loculo, capsa quidem marcida, & vestimenta putida reperta sunt, sed corpus sancti eremitæ integrum & candidum; quare in aliam capsam cypressinam depositum est. Immo triginta annis post ejus mortem iterum incorruptum repertum fuit a Valeriano Castilione abbate Casinense, ut idem scripta epigraphe testatum fecit.

In tanto pretio habebatur Alexander, dum viveret, ab eodem duce, ut præterquamquod suum sibi in conscientiæ moderatorem destinaverat, quod



Ex tabula adservata in Sac Taurinensi Eremo

quod officium duodecennio gessit, semper pallium ipsius deoscularetur, dum ad se accederet, ipsoque uteretur in consiliis rerum maximi momenti, nullasque ejus preces respueret, quas pius vir pro pauperibus vel oppressis, vel indigentibus porrigebat. Ejus hortatu, præter conditam eremum, plures abusus de medio sustulit, concordiam & unionem animorum multorum nobilium suæ ditionis obtinuit. Insinuationibus docti & sancti viri invigilabat dux super administratione justitiæ, super officiorum distributione & rectitudine, semelque in hebdomada audientiam dabat, præsertim pauperibus. Supplices libellos indigentium remittebat ad eumdem Alexandrum. Debita, quæ tempore bellorum contraxerat, dissolvit, frænum posuit hæreticis, catholicos viros fidelesque villas divertit ab heterodoxorum erroribus, zelantes concionatores destinavit ad conversionem eorumdem hæreticorum, causas carceribus addictorum examinari fecit, eleemosynas plures erogavit, quarum erat Alexander distributor; uno verbo quidquid hortabatur, & proponebat sanctus vir, impigre exequebatur piissimus dux. Exempla principis sequebantur ceteri ejus ditionis nobiles viri, & ex epistolis, quæ servantur, colligitur, quanta æstimatione Alexandrum prosequerentur oratores ducis ad curiam Romanam, comes Scalgiæ de Veruva, comes Polongheræ, comes Wische, cum quibus negotia vel publica, vel privata tractabat. Inter ecclesiasticos viros amicitiam coluit literarumque commercium habuit cum Carolo-antonio Puteo archiepiscopo Pisano, cum archiepiscopo Taurinense Carolo Brolio, cum Marco-antonio Visia episcopo Vercellensi, Juvenale Ancina episcopo Saluthiense, Carolo Argenterio Monte-regalensi, Francisco Rasino Niciensi, Petro de Leone Fossanensi, Cæsare Ferrerio Eporediensi, Francisco Salesio Gebennensi, Philiberto Milliotto episcopo sancti Johannis de Mauriana, translato postea ad archiepiscopatum Taurinensem, Johanne-ludovico Pallavicino Ceva altero episcopo Niciensi, Thoma Pobel episcopo sancti Pauli, Octavio Accorambono episcopo Foro-semproniensi, Sorbolongo referendario pontificis, sed potissimum cum Anastasio Germonio doctissimo canonista, qui Romæ agebat res ducis Sabaudiæ, postea archiepiscopo Tarantasiensi, præter cardinales Comensem, Paravicinum, & Scipionem Burghesium & in primis Camillum Burghesium, quem jam tum amore & honore prosequebatur, cum vicarium ageret episcopi Arretini, ipsumque protectorem habuit, dum esset auditor generalis cameræ in causa eremi Camaldulensis contra episcopum Arretinum Usimbardum, maximum autem adjutorem cum esset cardinalis, assumptum autem ad pontificatum sub nomine Pauli V. beneficum patronum, cui literas gratulatorias dedit secunda septembris anni 1605. atque ab eo retulit plura privilegia & gratias. Johannem-matthæum quoque Ancina oratorii presbyterum Juvenalis episcopi fratrem familiarem Alexander habuit; Angelus a Sancto-angelo in Vado Camaldulensis congregationis summus præfectus humillimi filii subscriptione utebatur, dum Alexandro scriberet. Peregrinus Barcinonensis eremita Camaldulensis in quadam attestatione hæc de Alexandro Ceva proloquitur: *Alexander vir timens Deum, eremi fundator, Christi imitator, pœnitentiæ forma, humilitatis amator, virtutum gestator, patientiæ exemplum.* Sed insigne testimonium pietatis, prudentiæ & sanctitatis Alexandri datum est ex Taurino die xv. novembris anni 1653. a Mauritio Sabaudiæ principe & S. R. E. cardinale Caroli-emmanuelis filio, sigillo suo munitum, in quo plura ex iis, quæ attulimus, & mox afferimus, membranacea pagina de ipso enarrantur. Sprevit sanctus eremita episcopatus Saluthii, Fossani & Eporediæ, & archiepiscopatum Tarantasiensem, cui unitus est vicariatus patriarchæ

 Hie-

Ann. Chr. 1612.

Hierosolymitani, quinimmo ipsum archiepiscopatum pro Germonio a duce Carolo-emmanuele impetravit. Plurimæ referuntur prædictiones, etiam proximi sui obitus, morborum curationes, gratiæ aliaque ostenta, quibus tum viventem, tum defunctum famulum suum illustrare dignatus est Deus, quæ brevitatis gratia omittimus, iisque relinquimus describenda, qui omni ex parte completam historiam & vitam ejusdem sancti viri posteris tradere voluerint, cujus epistolas & illustriora facta duobus spissis voluminibus comprehensa in bibliotheca nostra asservamus, scripta & collecta a venerabilibus patribus eremitis Taurinensibus sancti viri asseclis & imitatoribus, sed præcipue pio & improbo studio a domno Apollinari Chiompio a Sancto-stephano Belbi, qui doctrina & pietate inter ipsos excellit, pluriesque Majoris dignitatem ad præsentem annum 1763. summa cum laude obtinuit. Ita etiam omittimus testimonia ferventissimæ orationis, doni lacrymarum, & frequentium extasum, quas sanctus eremita patiebatur, dicta quoque ipsius memorabilia, & gesta memorabiliora, virtutes heroicas, carnis macerationes ceteraque hujusmodi exercitia, quæ ingens distinctumque volumen exigerent.

Successit Alexandro in regimine eremi Taurinensis die XVIII. octobris usque ad annum 1614. Gregorius Cartarius Urbevetanus unus ex iis eremitis, quos vi brevis Clementis VIII. a Camaldulensi Etruriæ solitudine ad novam eremum pius fundator evocaverat; facultatem enim ipsi fecerat Romanus pontifex educendi quinque vel sex eremitas e Camaldulo, quorum duos eligeret cardinalis Comensis protector. Mirum est, quot sancti eremitæ prodierint ex eremo Taurinensi sub ductu & exemplo tum viventis, tum defuncti sancti fundatoris. Quæ præcipue in ipsis laude digna sunt, notari merentur assidua in Deum elevatio, exactissima regularum & constitutionum observatio, irremissa jejunia, sanguinolentæ carnis macerationes, maxima animi devotio erga sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, Dominicam passionem, & beatissimam Virginem Mariam tum in sacerdotibus, tum in laicis, tum in oblatis; plures propterea ex ipsis extremum diem clauserunt vel die Sabbati, vel aliqua Virginis sollemnitate. De quodam Andrea facto eremita tempore sancti fundatoris legitur, quod triginta annis, quibus vixit in eremo, ne una quidem nocte defuerit ad matutinas preces, quæ media nocte recitabantur. Sed de claris sanctisque ascetis hujus loci fusius suis propriis annis.

Annis 1617. 1622. 1623. examinati fuere in forma juridica plures testes, qui deposuerunt, quæ sciebant de vita & moribus Alexandri. Sexta-decima decembris anni 1614. de miraculo Alexandri meritis patrato mentionem facit Philibertus episcopus Maurianensis. Cetera prodigia, quæ ad ejus sepulcrum Deus operabatur, ad se mitti postulat Thomas Minius, ut ea in publicum edat, scribens Majori ejus eremi die XXII. januarii anni 1615. Elegerunt pariter eremitæ anno 1622. Matthæum a Curtemilia, aliumque eremitam socium, qui curias adirent Taurini, Albæ, Montis-regalis, Fossani, Curtismiliæ, Garessii & Cevæ, ibidemque colligerent seriem monumentorum omnium, scriptorum, & rerum ad ipsum spectantium. Advocatus Fighiera, qui familiariter noverat sanctum virum, notitias vitæ ipsius scripsit. Res eo processerat, ut anno 1636. idem Gregorius Cartarius eremita scripserit ad Paulum alterum eremitam Taurinensem gratissimos sibi fuisse nuntios de negotio beatificationis patris Alexandri. Iterum anno 1646. Valerianus Castillionus abbas Casinensis compendium scripsit vitæ ipsius, aliique subinde symbolas suas addiderunt, & ut vidimus superius, ad annum 1653. res majus incrementum acceperat, quæ ad per-

fectio-

fectionem adducetur, cum Deo placuerit servum suum illustriorem reddere. Addimus hic loci aliquot elogia, quorum illud primum sit, quod legitur secunda parte libri: *Corona Reale di Savoja* [a]: „ Ascanius ex dominis Lisii & Garessii dictus Alexander in religione monachorum Camaldulensium, post Majoris officium expletum, primaque officia in religione exercita, consiliarius & confessarius ducis Caroli-emmanuelis, impetravit ab ipso donationem eremi Taurinensis, & a sancta sede apostolica prima indulta & privilegia ad ejus eremi favorem. Quo tempore etiam inchoavit ædificationem eremi Bellimontis supra Buscam. Demum ad meliorem vitam transiens anno 1612. in ecclesia eremi corpus ejus conditum fuit, quod adhuc integrum visitur, famam relinquens optimum se fuisse Dei famulum. “ Alterum elogium Alexandri ejusque alumnorum legitur in Atlante Pedemontano sub titulo Peccetti his verbis: „ Qua itur Taurinorum Augustam, hujusce oppidi maxime ornat fines celebris illa Camaldulensium monachorum divi Romualdi abbatis institutum sectantium, ab immortalis memoriæ Carolo-emmanuele Allobrogum duce ejus nominis primo fundata eremus, elegantissimo vivsenda templo, cujus decorem auget capella equitum Sabaudici ordinis, uniformibus in morem veterum ascetarum cellis, amœnissimis hortis, nemoribus, ac, quod caput est, viri Dei domni Alexandri a Ceva sacerdotis Camaldulensis, ejusdem olim ducis conscientiæ moderatoris, virtutumque fama illustris ossibus venerabilis. Ibi vero procul a mundi illecebris hominumque consortio alumni religiosi jejuniis ac orationi intenti vitam ducunt Angelicam potiusquam humanam. “ Tertium demum ex vita venerabilis Juvenalis Ancina congregationis Oratorii episcopi Saluthiensis scripta a patre Francisco Cambiano Rufiense clerico regulari, qui de Alexandro Ceva hæc memoriæ prodidit [b]. „ Juvenalis duci Carolo-emmanueli physicum spiritualem Alexandrum Cevam ex sanctissima familia Camaldulensi assignavit, qui vitam solitariam & vere angelicam gerebat, exemplis extraordinariæ pietatis in eremo Taurinensi. Hic sanctus vir candidus veste & animo erat sine ulla macula & imperfectione, cujus corpus pluribus annis post mortem a me visum & palpatum est, ex sepultura extractum & depositum intra capsam super terram, incorruptum omni ex parte, nam sanctus pater corpus suum exsiccaverat & extenuaverat pœnitentiis & jejuniis, dum vixerat, ut mortuus eamdem siccitatem in corpore retineret, vermium generationi impervio. Præterea visuntur ad ipsius tumulum tabellæ votivæ testimonium proferentes gratiarum, quas plerique ejus intercessione retulerunt, qui semper habitus fuit tamquam sanctissimi spiritus religiosus vir. “ Alexandro viventi Johannes-antonius Perottus Carmelita dicavit librum, cui titulus: *Lampas accensa*, qui fœtus erat alterius Carmelitæ Hieronymi Gratiani.

a *Pag.* 309.

b *Lib. III. cap.* 32.

II. Mors Francisci Pifferi monachi.

HOC ipso anno decessit Franciscus Pifferius a Monte-sancti-Sabini monachus ex professione sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, & qui fuerat Matheseos professor in Academia Senensi. Auctor est libri: *Breve discorso sopra i misterj della Corona del Signore alla serenissima madama Cristina gran duchessa di Toscana; in Siena* 1602. tractatum ediderat diffusiorem ante 20. annos, quem, postulante Johanne-ludovico Pasolino, brevitate donaverat super idem argumentum; hunc tamen adaugere meditabatur in alio libro cui titulum facere volebat: *Esercizio spirituale* &c. *Sfera di Giovanni Sacrobosco tradotta e dichiarata al serenissimo Cosmo Medici gran principe di Toscana con nuove aggiunte*; Senis 1604. *Monicometro*

ANN. CHR. 1612.

tro instrumento per misurar con la vista stando fermo ad Franciscum II. ducem Urbinatem; Senis 1595. *Storia della liberazione di Trajano*; Senis 1595. dicata Usimbardo Usimbardio primo episcopo Collensi. Traductio est, & magis aucta narratio hujus operis, quod confecit Alphonsus Ciacconius. *Opera Euclidis in patrium idioma Etruscum conversa* mss. asservantur in bibliotheca Mediceo-palatina. In alia Alexandri Zilioli Veneta, cujus indicem publici juris fecit Thomasinius in bibliotheca Veneta mss. [a] extabat: *Architettura militare di D. Francesco Pifferi Camaldolese* in folio. De Piffero agunt Minius in utraque historia, Bibliotheca Aprosiana, Fortunius in chronico Montis-sancti-Sabini, Oldoinus in Atheneo Florentino. Ferunt Alexandrum VII, ex nobili Ghisiorum gente Senensi, cum adolescens esset, Senisque vitam traduceret, quadam die una cum fratre suo ad Franciscum Pifferium tunc in Senensi universali lycæo sacræ Theologiæ explicandæ operam dantem, & in Rosæ monasterio commorantem a pædagogo ductum fuisse; & Franciscum, cum eumdem adolescentem inspexisset, statim ad pædagogum conversum dixisse: „ Mone parentem, ut hujus nati sedulam curam habeat, cum futurus sit magnus sacerdos. " Hoc vaticinium vivæ vocis oraculo Alexander ipse VII. confirmavit, cum electus fuit pontifex, illud narrans Odoardo Baranardo procuratori generali nostro in Curia, & inquisivit, an adhuc in vivis ageret Pifferius. Præter Theologicam disciplinam, quam auditoribus legit in Urbe Senensi per decem annos, ut de se fatetur in nuncupatoria epistola ad Christinam M. ducissam Etruriæ, etiam Mathematicas facultates tradidit in Pisana universitate Pifferius, qui fuerat pariter collegio Florentino theologorum laurea jam donatus.

[a] Pag. 100.

III. Visitatio SS. reliquiarum in abbatia Volaterrana.

CHRISTINA a Lotharingia vidua Magni-ducis Ferdinandi, & Maria Magdalena Austriæ uxor M. ducis Etruriæ Cosimi II. venerunt hoc anno Volaterras, & die XII. septembris visitarunt ecclesiam sancti Justi, ut venerarentur corpora sanctorum Dulcissimi, & Carissimi & Crescentii, quæ ibidem asservabantur. Aperta fuit capsa nucea a Thoma Minio monacho sub abbate Eutitio Galgano Senense, sed reperta fuere ossa confusa inter se, tanta tamen, ut ossa trium fere corporum exæquarent, & ossa trium capitum. In dicta capsa asservabatur lamina plumbea, quæ exprimebat postremam translationem factam anno 1580. ab episcopo Volaterrano Guido Serguidio, immo recondita erat etiam alia ipsorum Sanctorum memoria membranacea deposita a Justo Bonvicinio abbate anno 1490. Repertum quoque fuit corpus beati Jacobi monachi Certaldensis in capsa lapidea subtus capsam nuceam sanctorum Dulcissimi & Carissimi. Ea occasione translatæ fuere omnes præfatæ reliquiæ serico vestitæ in capsam plumbeam, & in eodem loco reconditæ.

In capitulo generali hujus anni decretum est, ut de cetero monachi omnes ad chorum addicti appellarentur domni, deleta veteri consuetudine, qua minores professione, vel sacerdotio nondum insigniti a majoribus vocabantur fratres.

Augustinus a Balneo olim generalis congregationis decessit hoc anno, cum abbas esset sancti Mathiæ de Muriano loci suæ professionis.

ANN. CHR. 1613.

IV. Abbatia S. Crucis de Saxo-ferrato data Camaldulensibus.

ABBATIÆ sanctæ Crucis de Saxo-ferrato, olim dictæ Comitum Triputii, qui fuerant ipsius fundatores, sitæ in finibus dioecesum Camerini & Nuceriæ ad radices montis juxta fluvium Sentinum & prope oppidum Saxi-ferrati, varias vices exposuimus in his Annalibus. Regularem in ea abbatia vitam duxerunt monachi sub regularibus abbatibus,

nunc

nunc Avellanensibus, nunc Camaldulensibus, nunc ordinis dumtaxat sancti Benedicti, sive peculiaris congregationis, cum priscis temporibus quodlibet monasterium sancti Benedicti regulam profitens congregationem constitueret monachorum. Anno 1448. commendata fuit abbatia a Nicolao V. Pandulpho de Attis. Successit Pandulpho anno 1453. Andreas de Pilis Fanensis clericus cameræ. Inde ex numero monachorum, & quidem Camaldulensium, ut fertur, anno 1477. Petrus Oliva Saxo-ferratensis suffectus fuit abbas. Iterum sub Innocentio VIII. anno 1484. in commendationem rediit, collato monasterio a pontifice cardinali Recinetensi tituli sancti Chrysogoni usque ad annum 1515. Abbas post ipsum fuit Dominicus de Cupis a Monte-falcone, dictus postea cardinalis Tranensis, quique obiit anno 1553. Sed interea Saporitus de Saporitis Saxo-ferratensis Clementis VII. cubicularius & pincerna anno 1524. abbatiis donatur Sitriæ, sancti Æmiliani de Conjunctulis, sanctæ Crucis de Saxoferrato. Post Saporitum Johannes-nicolaus & Valentinus Scrignetti abbatiam obtinuere, inde cardinalis Crispus, postea cardinalis Bonellus dictus Alexandrinus, qui anno 1578. eam dimisit cardinali Commendono. Loco moti fuere eo anno Camaldulenses monachi, qui a commendatariis alebantur, & introducti sacerdotes seculares ad ecclesiæ & subjectarum cultum præstandum. Cardinalis Commendonus progressu temporis in favorem Gratiani, episcopi Ameliensis commendationem reliquit, demum Gratianus eam cessit cardinali Scipioni Caffarellio Burghesio. Burghesius itaque anno præterito monachos Camaldulenses revocavit ad servitium ejus abbatiæ, & a patruo Paulo V. nono kalendas februarii pontificatus anno octavo, idest anno præsenti obtinuit translationis bullam, qua summus pontifex commisit episcopo Camerinensi, & generali auditori Cameræ, & magistro Aloysio Gallo utriusque signaturæ referendario introductionem & defensionem ordinis Camaldulensis ejusque monasterii.

Titulus ecclesiæ est festum inventionis sanctæ Crucis die tertia maji, ac die post octavam festum celebratur dedicationis ejusdem templi. Die dicta III. maji indulgentia & remissio plenaria obtinetur a visitantibus dictam ecclesiam, quam relaxavit die IV. junii anni 1578. Gregorius XIII. ad instantiam cardinalis Commendoni. Feriis sextis martii itidem indulgentia acquiritur, sed deperditum est breve. Præter bullam Innocentii III. quam attulimus tomo V. colunna 32. qua monasterium, bona & ecclesiæ recipiuntur sub apostolicæ sedis protectione, privilegia ejus monasterii confirmata & ampliata fuere anno 1524. die XIII. januarii, instante Saporito Saxoferratensi abbate commendatario, qui erat dapifer Clementis VII. Tempore cardinalis Tranensis monachi Saxo-ferratenses, licet veste alba & cuculla uterentur domi & in actionibus sacris, extra domum cappam ex nigro & fulvo colore mixtam deferebant, ut se distinguerent a monachis Avellanensibus, qui pallio coloris cærulei utebantur. Plura diximus de beatis Gherardo & Alberto monachis sanctissimis Saxo-ferratensibus; de hoc postremo illud addimus ipsum familiarissimum fuisse beati Ugi sive Ugonis monachi congregationis sancti Silvestri, & quotiescumque hi duo beati viri colloqui simul volebant, licet monasterium unius distaret ab illo alterius per dimidium milliarii, prostrabant se humi in ipsorum cellulis, & alter ad alterum verba dabat & referebat. Sepultus jacet beatus Albertus sub altare, quod est privilegiatum pro defunctis. Excepit itaque hoc anno Aloysius Gorius abbas generalis Camaldulensis abbatiæ Saxo-ferratensis donationem, primumque in eo loco abbatem statuit Petrum-victorium Herculanium a Longiano diœcesis Ariminensis.

Cum

ANN. CHR. 1613.

V.

Petri Vaccæ eremitæ Taurinensis, olim canonici, vita, & pius decessus.

Cum frequens Saluthium veniret Alexander Ceva ad curanda eremi suæ Taurinensis negotia, tum etiam ad sanctum ejus urbis episcopum visendum Juvenalem Ancinam, plures sanctitatis ipsius novæque eremiticæ vitæ studio incitati se illi obtulerunt ad id institutum capessendum, inter quos præcipuus nominatur Jacobus Vacca cathedralis ecclesiæ canonicus, qui natus anno 1582. & ad canonicatum in patria promotus anno 1606. spernens illustris suæ familiæ commoda, & ecclesiæ dignitates, sanctum fundatorem sequutus anno 1610. ipsoque anno fuit admissus, Petri nomine assumpto, & sequenti professione emissa, in eremum Taurinensem. Tribus annis in sancto proposito supervixit, sed qua animi humilitate, quibus carnis macerationibus, qua orationis frequentia, obedientiæ, suique abnegationis irremissa sedulitate, Deus scit, videruntque & admirati sunt ceteri eremitæ, qui ipsum speculum bonitatis sanctorumque normam exemplorum vocabant & suspiciebant, & observantiæ eremiticæ zelantissimum cultorem appellabant. Post mortem venerabilis fundatoris magister novitiorum factus, & constitutionum eremiticarum conservator, utrumque munus sollicita attentione implevit, anno autem præsenti Romam destinatus ad agenda aliquot congregationis negotia, reversus ex itinere, auctis infirmitatibus suis, nocte præcedente festo sanctorum Innocentium, quod hoc anno occurrebat die sabbati, sancte decessit triginta duos annos natus, cum summo ceterorum eremitarum luctu, utpote qui in Petro suscitatum suum sanctum fundatorem animo conceperant, qui novellæ propaginis foret alter parens. Exemplum Jacobi canonici imitati fuere alii duo Saluthienses canonici, quorum unus sacerdos Antonius Regis valetudine mala obstante ad seculum rediit, alter diaconus Benedictus Martina Modesti nomine assumpto post plures annos nimirum 1641. XXI. aprilis pie in Domino obdormivit in eremo Fani.

Quandoquidem vero a religiosissimo & doctissimo viro domno Apollinari Chiompio eremita, & sæpius repetitis vicibus dictæ congregationis Taurinensis Majore, qui omnes archivi suarum eremorum forulos excussit, ac monumenta memorabilia collegit, aliquot venerabilium eremitarum Pedemontanorum accepimus his diebus elogia, in Latinum sermonem conversa ab altero itidem piissimo & singulari eremita domno Basilio Nicolis Taurinense, qui dignitatem Majoris obivit annis 1756. 1757. & 1758. gratum ipsis ceterisque aliarum congregationum eremitis, universo quinimmo ordini Camaldulensi, & viris omnibus piis facturos speramus, si ea, quæ nec numero nimia sunt, nec utilitate carent, his Annalibus inseramus, verbis ipsis eorumdem collectoris & traductoris. Primum itaque elogium sive monumentum sit supralaudati Petri. *Petrus Vacca ex antiquioribus simul & celeberrimis Saluthiarum patritiis adolescens, & in sacro tantummodo diaconatus ordine constitutus, socius honoris a canonicis cathedralis illius civitatis adlectus, ad presbyteratum adveniente tempore, & eximio pietatis ac doctrinæ suffragante merito conscendit; præbendatu quippe non ad commodius laxiusque vivendum abutebatur, quia potius generis claritatem, adeptique gradus ecclesiastici fulgorem virtutum & scientiæ decore ornandum esse probe arbitratus, seque velut aureum candelabrum inter collegas, & ad urbis populique illustrationem positum considerans, lucerna lucens & ardens factus, quos bonorum operum exemplo præibat, quos apta instructione, prudentique directione ad optimam frugem excitabat. Tenera pro tunc adhuc erat instituti eremitici Camaldulensis in Pedemontana ditione insitio, ante paulo decennium, videlicet sub magnificis auspiciis & augusta munificentia invictissimi & piissimi Sabaudiæ ducis Caroli Emmanuelis I. per ven. patrem*

trem domnum Alexandrum ex marchionibus Cevæ suæ celsitudinis confessarium, expirante seculo decimo-sexto, super Taurinos colles invecta. Huic novo instituti propagatori cum altero ven. servo Dei Juvenali Ancina Salutbiensi episcopo conjunctissima intercedebat familiaritas, sive ob tractatum, jam iis annis habitum pro fundatione eremi beatæ Mariæ Belli-montis ad Buscam, ab eadem urbe non dissitam, ac intra fines diœceseos Fossani, laudatus ubi præsul ad convivendum congregationi primum Oratorii nomen dederat; sive ob proximitatem patriæ, quia e Monte-regali erat antistes, non longe a Ceva; seu potius propter sanctitatis uniformitatem. Ut igitur ven. pater episcopum quandoque adibat, a canonico Jacobo Vacca (namque ita in seculo vocabatur Petrus noster) visus pluries & auditus fuerat, cujus venerando aspectu, sermonisque unctione, dum signanter de mundi contemptu, de solitudinis pretio, de relatione proxima e cella ad cœlum, de necessaria omnibus pœnitentia & similibus melliflua verba faceret, totus illectus sacerdos bonus, sub tanti ducis vexillo se inscribere statuit in corde suo. Ne vero leviter nimis quid agere videretur & inconsulte, luminum patrem propriis aliorumque supplicationibus enixe adiit, quemque a confessionibus habebat, consuluit, ac se non una tantum vice ad sacram transtulit Taurinensem eremum, ubi per aliquot dies commorans, universum vitæ genus perscrutatus est, factoque duriora expertus, donec Spiritus-sancti succrescente dono, indubiam Dei voluntatem sequens, ac postulator aperte factus, a ven. patre amplexus est, atque ex primioribus alumnis fuit, quem in recenter concluso horto sator ille, tamquam magnæ spei virgultum complantavit, fovit, putavit, rigavitque; Deus autem brevi maximum incrementum dedit. Non defuerat serpens callidus propositum ejus illusoriis artibus, malignisque versutiis lacessere, quæ relinquebat magnificans, quæque per diametrum opposita tentabat arripere, aggravans, ut alliceret illis, his terreret, sed gratia favente divina, ille hostis antiquus victus est ab eo, qui ad præcludendam sibi omnem honestæ reversionis viam, canonicatum extemplo abdicare decreverat, nisi prudens, discretusque magister sub novitiatus initio id fieri probibuisset, quem postea solemni professione instante, germano fratri clericali militiæ jam adscito resignavit. Tot cœlestibus moralibusque Petrus præsidiis munitus, fortisque athleta, fidei armatura instructus, reliquarum theologicarum virtutum, quarum heroicum gradum attigisse non est vanum conjicere, in regulari palæstra proludens, ubi una strenui laboris hora diei otiosæ prævalet, ac remissius portati ponderis diei & æstus æquipollet; se novissima hora vocatum agnoscens, aut forte contractum vitæ suæ cursum futurum fore præscius, temporis modicitatem fervore compensandam animadvertit, ut consumandus in brevi impleret tempora multa. Bellum passionibus & affectibus indicens, illis contraire non destitit, donec omnino profligaret, & quia caro externique sensus cupiditatibus famulari, easque petulcas facere consuescunt, cum ratione & gratia pepigit fœdus ad unam pœnalitatibus omnibus enervandam, alteros quolibet castigationis genere coercendos, non illicita sola & periculosa, sed & quæ indifferentia dicimus, iis denegando, atque in necessariis cautissima parcitate utendo. Voluntatem in Dei lege habens, nihil dulcius illi erat, quam respicere in mandatis Domini; eremiticis ea propter sanctionibus cito edoctus, sic ipsas adamussim implevit, ut neque in minimo visus sit aut scitus eas præteriisse, silentii præcipue conditiones exactissime servans. Votis solemnibus emissis, voluntatis vires ad opus exeruit robustiores, ut fieret virtute completior. Trifariam primum substantialemque professionis essentiam ad apicem tenuit: spiritu pauperrimus & actu in quibuslibet rebus: mente & corpore castissimus; ac ad

 nutum,

Ann. Chr. 1613.

nutum, præsumptaque ipsa rationabiliter superiorum desideria, opere, judicio & voluntate incunctanter obtemperans & subjectus. Cumque humilitas peculiaris sit obedientibus, nec una sine altera ad perfectionem ducat, in verbis, in actibus, in tota persona vere corde humilis fuit; nunquam de re quaque sua, sive ad generis nobilitatem, sive ad eruditionis sapientiæque culmen, quod possidebat, pertinente, sermonem texere auditus, aut loquentes non patienter sustinere inventus; immo e converso si quæ ad sui dedecus vergerent, propriæve despicientiæ accommoda obviarent, in iis jucundabatur, vel etiam studiose emendicabat, exempli causa, correptiones, mulctasque indebitas, viliora munia & sordidiora. Orationis potissimo præsidio hæc dona roborabat, augebatque omni die, tam fructuosæ exercitationi cunctum sibi vacans tempus donans, tametsi lacte non semper & melle via hæc cælica ei manaret, nec plueret sibi dulciter manna in deserto, sed spinis persæpe scatentem, absinthioque refertam experiretur; nihilotamensecius speciosissima sterilis ista Rachel ei erat & amabilis, & cara. Neque cardinales moralesque virtutes desiderabantur in hoc devoto sacerdote; prudens nimirum in simplicitate recta, universim justus absque excessu, constanter suaviterque fortis, temperans erat in omnibus. Potissima religione tum res sacras in genere, tum specialiter Dei vivi templum fide, spe, caritate plenus prosequebatur, cultuque summo erat ad juge Missæ sacrificium & celebrando, & inserviendo, & adsistendo, panemque de cœlo nobis præstitum omne delectamentum in se habentem & omnis saporis suavitatem comedebat esuriens, & in tabernaculo admirabili latentem assidue venerabatur, salutiferæ reparationis humanæ mysteria, Virginem Matrem dignissimam, tutelarem angelum, advocatos & protectores suos impenso cultu invocabat. Ad singulariora, quæ non defuisse arbitrandum est, non præstat descendere in hoc subjecto; arduum quippe opus aggreditur, qui solitarii gesta enarrare, & ab angustiorum parietum ambitu recondita merita enucleare contendit. Tale nobis negotium facessendum veniret, mira eremitæ nostri luci dare conantibus, quæ cella silentiumque celavit, utpote interiori animi culturæ principaliter dedito, cujusque pariter ævi defuerunt collectores. Hæc, Petrique hujus modestia in oculendo pretiosiora, ne thesaurum publice portans in mortali via, ab operum bonorum latronibus deprædaretur, profunde in vilitatis propriæ limo fodiens abscondit, quove fuit in Dei conspectu locuples, pauperiores nos in referendo sinit. Tria tamen suppetunt attingenda, quibus & astruuntur supra relata, & non leve præteritorum desumitur argumentum. Hæc facta sunt ei, quia justificationes Domini exquisivit, requirendo invenit, habitasque retinuit. Unum quod ven. patri domno Alexandro carissimus, ac ob piæ conversationis, morumque sanctimoniam acceptissimus, quem pro speculo, exemplari & forma aliis præferebat eremitis. Alterum, quo & primum firmatur, est, in tanta hunc fuisse, & apud ceteros patres æstimatione, ut vix piissima vita functo anno M. DC. XII. *ven. Dei famulo subalpinæ congregationis satore, Petrus noster expleta recenter per votorum emissionem probatione, communibus suffragiis canonica super & regularia jura dispensatus, ad hanc partem pro novitiorum magisterio eidem præceptori suo est suffectus, atque in Constitutionum conservatorem adlectus; munus quod in illius eremiticæ plantationis exordiis ad sartas tectas instituti leges tenendas digniori tribuendum erat. Sitque tertium, quod annum in tanti momenti officiis, universorum collaudatione ac fructu, necdum expleverat, cum maximi ponderis negotiis apud sanctam apostolicam sedem novo illi cœtui emergentibus, in Petro tam apta in agendis dexteritas, perities & fælicitas ingenii, probitatis ac prudentiæ talis cumulus inventus est, ut Romam dirigeretur; quæ progressio mora-*

moratio & reversio quatuor circiter menses absumpsit. Verumtamen quia imbecillæ valetudinis erat, nonnullaque incommoda patientissime quidem fortiterque tulerat, urentioris tempestatis, almæque Urbis æstus, necnon itineris labore fractus Taurinum redux ægrotans decubuit, unde ad eremi sacræ valetudinarium pro curatione translatus nulla medicorum arte, nulloque sumptu non parcito, ut assolet, suadetque Regula, diligentiisque non intermissis, potuit convalescere. Per quadrimestre itaque & supra variis languoribus affectus, lenteque tabescens, eximio tolerantiæ nisu, infirmorum curæ præpositis integra submissione, spiritualium actuum jaculatione, familiæ totius pia ædificatione hujus Job paulatim spiritus attenuabatur, & debilitate ad ultra respirandum super terram suspiriorum & agili subtilitate, ut expeditior volaret ad quiescendum in Domini sui amoris nido, diesque abbreviabantur, deficiebat, quod sentiens extrema flagitavit sacramenta, iisque devotione sibi comparata receptis desiderium sui & luctum apud omnes relinquens, tempus cum æternitate commutavit, intrante festo sanctorum Infantium XXVIII. decembris die sabbati ad innocentiæ ipsius ac religiosi martyrii, addictique erga Deiparam famulatus præmium, anno M.DC.XIII. menses quinque supra triennium conversationis eremiticæ solummodo numerans, trigesimo vero secundo ætatis nondum expleto. Cælo maturus, fratribus autem suis, adolente vix fundatione, cito nimis ereptus plangebatur; ast Deus opt. max. ne uno avulso deficeret alter, quibusdam ingentis expectationis arbusculis, bonis fructibus breviter abundantibus, agri eorum jacturam reparavit, quas inter duo item Salutbiensis cathedralis canonici, sacerdos hic unus Ascanius Regis dictus, diaconus alter Benedictus Martina nomine, concivis, sodalisque virtutum fama, pretiosæque mortis fragrantia illecti, ejusdem locum in eremo implere sunt aggressi, quem & obtinuerunt. Sed quemadmodum coangustatum stratum ambos capere nequit, itaut alter decidat, imparem se viribus ad instituti arctitudinem inveniens presbyter Ascanius, patriam præbendamque repetiit. Benedictus autem perseverantiæ benedictione desuper impetrata, Modestusque in vestium immutatione vocatus, seipsum fulgidis virtutibus ornavit, congregationi compluribus dignitatibus inserviit, quibus apud Deum & homines commendabilis XLVIII. annum agens mortuus tumulatusque est in Fanensi Umbriæ eremo XXI. aprilis M.DC.XLI. quibus temporibus Etrusca, Monte-coronensis & Pedemontana congregationes una simul regebantur gubernio.

VI. Ecclesia eremi Taurinensis sacris reliquiis decoratur.

CUM perfecta fuisset ecclesia eremi Taurinensis, & divinis jam frequentaretur mysteriis, nil antiquius habuit sanctus ejus fundator Alexander Ceva, quam ut ipsam sacris decoraret reliquiis ad ornamentum & præsidium. Quare sciens ecclesiam abbatiæ sancti Justi de Susa canonicorum Lateranensium possidere plurimas Sanctorum reliquias, tum per se, tum per Sabaudiæ ducem a præposito loci instantissime aliquam ipsarum partem expetiit; verum diutius ab urbe absente duce, & paulo post morte sancti viri intercedente, ejus petitio effectu suo fuit frustrata. Post ejus obitum itaque eremitæ Taurinenses postulationes suas repetentes Paulum Perettum Ciriensem eremitam cum referendario ducis Bernardino Barutellio mense octobri hujus anni Susam destinarunt cum epistola ducis ad præpositum abbatiæ sancti Justi, & cum alia Petri-francisci Costa episcopi Savonensis & nuntii apostolici, qua fiebat Paulo copia sacras reliquias extrahendi, atque obtinuerunt vertebram spinæ dorsi sancti Justi, & portionem coxæ sancti Mauri discipuli sancti patris Benedicti, & parvum os cruris sancti Hugonis archiepiscopi Lugdunensis. Rursus cum ipsis eremitis innotuisset permulta lipsana Sanctorum delitescere penes monachos Cistercienses ab-

ANN. CHR. 1613.

batiæ Novaliciensis a Susa milliario distantis, ad idem sancti Petri Novaliciense monasterium præfatos eremitam & referendarium miserunt cum literis Sabaudiensis ducis, & Thomæ Provanæ protonotarii apostolici & commendatarii ejus abbatiæ, & inde reportarunt os ex vertebris colli sancti Oldradi abbatis dicti monasterii. Subinde ecclesia eremi Taurinensis aliis insignibus Sanctorum reliquiis ex fidelium largitione & ex Urbe fuit insignita, ut dicemus post biennium.

In dieta monachorum Camaldulensium habita hoc anno in ædibus sancti Nicolai vel sancti Antonini in Forbitoribus de Urbe communi consensu acceptatus fuit usus breviarii monastici universalis correcti a Pio V, & Missalis communis, posthabitis antiquis breviario & Missali, quibus ad eam diem usi fuerant Camaldulenses tum monachi, tum eremitæ.

ANN. CHR. 1614. VII. Fundatio eremi Bellimontanæ in Pedemontio.

JAM vivente egregio fundatore primæ eremi Pedemontanæ Camaldulensis Alexandro Ceva, ea cogitatio ipsum ceterosque eremitas incesserat, ut in alia loca ditionis Sabaudiensis ducis eremiticum institutum diffunderent & propagarent. Hinc ipse Alexander ea de causa plura itinera susceperat, tum ad urbem Cunei, tum ad Cervascam alteram urbem, ubi etiam a populo ipsi oblata fuerat vetus ecclesia dicata sancto martyri Mauritio; tum ad alias Clarasci, & Eporediæ urbes, tum demum super altissimos montes Tendæ in comitatu Niciensi. Verum cum ubique, & quidem insuperabiles objicerentur difficultates, demum habitatores oppidi Buscæ, & præsertim pius civis Franciscus Castillionus fundationem proposuerant solitariam in loco appellato Bellimonte, qui ad marchionatum pertinebat principis Carignani Amadei in diœcesi Fossani. Hic locus ad radices erat Cottiarum alpium, quo ad maritimas alpes vergunt, inter Savilianum ad ortum, Cuneum ad meridiem, Saluthium ad septemtrionem, jugaque ipsa ad occasum. Ibidem exsurgebat ecclesia beatæ Virgini Mariæ sacra, membrum asceterii sacrarum virginum ordinis sancti Dominici urbis Albensis, quod sub invocatione sanctæ Mariæ-magdalenæ erexerat ante duo secula beata Margarita Sabaudiensis Montis ferrati marchionissa, monialis in eo loco facta anno 1418. in quo sancte vixit atque obiit. Ope igitur regnantis ducis Caroli-emmanuelis primi patroni eremitarum Pedemontanorum, singulari propensione civium & populi Buscæ conclusa fuerat fundatio anno 1611. consentiente Alexandro. Sed ut initia rerum plures pariunt difficultates, multaque necessario in antecessum erant expedienda, hoc tantummodo anno 1614. ex majori eremo transmissi sunt pro nova eremo stabilienda, prædiisque vel emendis, vel dono recipiendis Onuphrius Vercellensis & Joseph a Reano eremitæ cum Andrea converso. Alterum ulterius profluxit triennium, post quod dumtaxat confectus fuit libellus venditionis & emptionis inter sanctimoniales & eremitas Taurinenses, qui etiam in eadem Bellimontana eremo servatur. Hujus acquisitionis mentionem facit Augustinus ab Ecclesia episcopus Saluthiensis in sua Pedemontii relatione; Hiacynthus autem Baresianus meminit loci Bellimontis in vita ejusdem beatæ Margaritæ Sabaudiensis. Mirum, quantis signis post eremitarum adventum effulserit imago beatæ Virginis in eorum ecclesia asservata, quantaque portenta ostenderit & beneficia præstiterit ad ejus simulachrum orantibus; testes sunt innumeræ tabellæ votivæ appensæ, & pinguia legata ei ecclesiæ relicta. Juvit etiam mirum in modum sanctitas fratris Johannis Chiotassi, qui custos cum esset sub eremitico habitu ejus imaginis, advenientibus Camaldulensibus eremitis, eorum vestem assumpsit titulo oblati. Accessit donatio facta eremitis a principe Carignani

ni & Buscæ marchione Thoma; accesserunt largitiones aliorum piorum virorum, quibus eremus locupletata est cum constructione novæ ecclesiæ, quæ consecrata fuit in honorem nativitatis beatæ Mariæ Virginis. Ædificia tamen ecclesiæ & eremi sensim perfecta fuere, locusque etiam aliquanto tempore derelictus, sed demum secunda hæc fuit Taurinensium patrum congregationis Pedemontanæ propagatio.

Ann. Chr. 1614.

Insinuatione ejusdem Sabaudiensis ducis Johannes-antonius Provana capitaneus Carmaniolæ dono dedit præfatæ eremo Taurinensi die XXII. maji duas sacrarum reliquiarum capsulas, in quarum prima servabatur os costæ sancti Barnabæ apostoli, & portio carnis ejusdem Sancti, in secunda aliorum Sanctorum veneranda fragmenta, quæ die prima septembris decentissime reposita fuere in sacrario eremi, publicæ fidelium venerationi exponenda. Ita etiam ab episcopo Fossani Thoma Biolatto canonico regulari Lateranense episcopo titulari Paphi, ex commissione nobilissimi equitis comitis Johannis-baptistæ Balbi domini Cervere, studiosissimi patris Alexandri Cevæ, transmissus fuit ad Taurinensem eremum baculus pastoralis, qui a ducentis & amplius annis servabatur in domibus ejusdem comitis. Baculus est ex ære argentato, curvitas vero baculi ex aurichalco, venerandamque profert antiquitatem, voluitque donator, ut monimentum hujus oblationis exararetur in Annalibus dictæ eremi ad perpetuam rei memoriam; ipsoque utuntur ad hodiernam diem in publicis pontificalibus functionibus Majores eremi Taurinensis.

VIII. Capitulum generale in abbatia Classis.

Capitulum generale monachorum Camaldulensium congregatum est hoc anno in abbatia Classis, & deponente triennalem generalatus dignitatem Aloysio Gorio abbate, hortatu cardinalis Scipionis Burghesii protectoris, qui Romanum pontificem patruum suum pro dispensatione exquisivit, electus fuit die XXX. aprilis in supremum congregationis præsidem Ægidius Marraccinus Romanus, licet quadragesimum ætatis annum non attingeret; fuerat tamen Ægidius abbas sanctæ Mariæ Angelorum Pisauri, & eatenus officium strenue gesserat procuratoris generalis in Urbe. Dati fuere in ejus consortium visitatores generales Zacharias Castellanus Tarvisinus, Patritius Gobbius Athestinus, Andreas Boncius Pyranus, Desiderius Arrigonius Mantuanus, Sebastianus Avus junior Fabrianensis, & Aurelius Pellicantes Veronensis hoc & sequentibus sui regiminis annis.

Jussu ejusdem cardinalis Burghesii Antonius Riccius episcopus Arretinus visitationem apostolicam exequutus est in eremo Camaldulensi Etruriæ.

Inscriptio in veteri sancti Gregorii de Urbe ecclesia. *D. O. M. Portiæ Drachiæ Sanctacruciæ Romanæ, matronæ lectissimæ, integerrimæ, piæ, in pauperes liberalissimæ, cujus prudentia spectata domi, probata viro fides, nota propinquis alienisque affabilitas justas promerita lacrymas & monumentum est. Tarquinius Sanctacrucius conjux Patricæ marchio, qui cum ea annos* VIII. *menses ac dies* IV. *concordissime vixit, lugens dolensque cum mœstitudine posuit. Obiit* XIII. *kalendas martii anno fundatæ salutis* M. DC. XIV. *ætatis suæ circiter* LIIII.

Ann. Chr. 1615.

IX. De eremitis Camaldul. ad portam Angelicam Urbis.

Extat epistola scripta hoc anno a Francisco Cennino auditore cardinalis Burghesii, & episcopo Amerino ex Quirinali palatio ad Petrum Camporeum commendatorem hospitalis sancti Spiritus in Saxia & Camaldulensis congregationis vice-protectorem, quatenus committat Majori eremi Pedemontanæ, ut relinquat hospitium eremitarum ad portam Angelicam Urbis, ac se conferat ad hospitium sancti Leonardi in via Lungaria trans Tyberim, ubi erat eremitarum Coronensium sedes, ibidem-

ANN. CHR. 1615.

demque tractet jussu cardinalis Burghesii pro duce Sabaudiæ. Major Pedemontanus erat Paulus Ciriensis, qui in Urbem a capitulo Taurinensi eremitarum destinatus fuerat anno præterito, ut ageret pro unione perpetua beneficii Bagnoli cum eremo Taurinensi; quod tamen effectu caruit. Agebatur etiam his annis de unione vel de discissione unionis eremitarum Camaldulensium a monachorum congregatione. Eremitæ portæ Angelicæ Urbis fundati fuerant in ecclesia sanctæ Mariæ Gratiarum a quodam oblato Camaldulensi ad excipiendos hospites & peregrinos, qui postea insteterunt, ut in societatem venirent cum ceteris eremitis Camaldulensibus approbatis.

Quoad sacrarum reliquiarum acquisitionem factam hoc anno eidem eremo Taurinensi habemus in monumentis archivi dictæ eremi eumdem Paulum Ciriensem Majorem cum esset in Urbe, dono accepisse a cardinale Burghesio os sancti Saturnini martyris, aliud sancti Timothei discipuli sancti Pauli, aliud sancti Eugenii papæ & martyris, ab abbate autem sanctæ Praxedis Horatio Morando os unius ex XL. martyribus, os sancti Ananiæ apostolorum discipuli, os sanctæ Constantiæ filiæ Constantini imperatoris, aliud cranii sanctæ Catharinæ V. & M. aliud sancti Mauri abbatis, sancti Nicolai episcopi, sancti Ciriaci, sancti Ephræm monachi; ex cœmeterio autem sancti Sebastiani extraxisse ossa sancti Agapiti, sancti Fabiani martyris, sancti Sebastiani, sancti Antonii, sancti Maximi martyris, aliasque sacras reliquias recognitas a Johanne Garzia Millino cardinale & summi pontificis in Urbe vicario, ita ex aliis Urbis sacris locis, ita ut mense augusto redierit in eremum onustus sacris divitiis, ecclesiamque decoraverit, ut ex notula inde confecta, & in sacrario adservata elucet. Illud tamen fatendum, majorem ipsarum reliquiarum partem carere publicis & obsignatis approbationum literis, quas vel obtinere nequivit Paulus Major, vel impetrare prætermisit.

Iidem Taurinenses eremitæ hoc anno participationis bonorum spiritualium congregationis ipsorum literas dederunt Raynerio Zeno legato reipublicæ Venetæ in Sabaudiensi curia in signum gratitudinis ob beneficia, quæ receperant ab eodem Veneto patritio Camaldulensium omnium amantissimo.

X. Jus abbatum Classensium congregandi synodum in ditione Ravennianæ.

ABBATES Classenses sancti Apollinaris Ravennæ jus habebant congregandi synodum in castris ditionis Ravennianæ, quod ad hæc usque tempora servarunt. Extat notula in Urbem missa anno 1591. occasione litis contra abbatiam motæ ab episcopis Fanense & Foro-semproniense, in qua leguntur hujusmodi synodorum celebrationes: „ Anno 1564. synodus in Monterolo. Anno 1575. synodus ad Sanctum-vitum congregata a Sebastiano „ Fabrianense abbate sanctæ Crucis Fontis-avellanæ. Anno 1583. synodus „ ad Fractas a Mauritio Faventino abbate Classense. Anno 1586. synodus ad Fractas ab Horatio Stancro vicario Ravignanæ. Anno 1588. synodus ad Fractas a Julio Romano abbate Avellanense. Anno 1590. synodus ad Sanctum-vitum ab eodem Julio. Anno 1590. visitatio facta a „ Philippo Faventino abbate titulari sancti Michaelis Arretii cum actis „ judiciariis synodi, auctoritate habita ab abbate Avellanense “ Avellanensibus abbatibus uti proximioribus ei ditioni committebant abbates Classenses celebrationem synodorum. Etiam sub hoc anno in archivo Classensi extant decreta synodalia Ravennianæ jurisdictionis facta de mandato Petri-victorii Herculanii a Longiano, qui fuit abbas Classensis ab hoc ad annum 1617. quæ pariter fuere typis impressa. Cum tamen abbatibus Classensibus controverteretur a supralaudatis episcopis hæc auctoritas, ut litibus parcerent, exinde abbates in opinionem venerunt cedendi hanc ditionem ipsis episcopis, ut fusius dicemus ad annum 1633.

In

ANN. CHR. 1615.

In capitulo seu dieta congregatorum patrum monachorum apud cœnobium Carcerum die XVI. maji decreta fuit observatio festivitatis sancti Parisii monachi olim Camaldulensis; indicta quoque est sollemni ritu celebranda festivitas sacrarum reliquiarum, quæ extabant in ecclesiis ordinis, assignata pro ipsarum cultu prima die non impedita post festum sanctorum Angelorum custodum, quæ hodie celebratur trigesima octobris.

ANN. CHR. 1616.

XI. Dissociatio eremitarum & monachorum Camaldulensium.

VIDIMUS Angelum olim generalem congregationis Camaldulensis ad quietem eremi redeuntem consilio suo induxisse eremitas Camalduli-majoris Etruriæ ad separationem tentandam a monachis Camaldulensibus; id vel egerit, quia indignatus a congregatione recessit anno 1611., vel etiam, quia experientia sibi constaret unionem hujusmodi esse dissidiorum frequentium causam. Consuluerunt eremitæ Horatium Sinibaldum celebrem eo tempore jurisperitum, qui dissociationem hujusmodi approbavit. Crevit anno 1612. voluntas discindendi unionem, quia ex tribus, quos capitulum eremi proposuerat, & postulaverat dari sibi a capitulo monachorum Dietæ Romanæ in Majorem, nullus receptus fuerat; quare necesse fuit, ut anno 1615. ipse pontifex Paulus V. motu suo Majorem eremi deputaret. Ravennam itaque eremitas ad monachorum capitulum, Romam vero procuratores destinarunt, plures visitationes apostolicas pro quiete acquirenda receperunt; demum hoc anno unionem penitus fregerunt, Majoremque sibi sine dependentia a capitulo congregationis statuerunt; idque obtinuerunt probari auctoritate Hieronymi a Castro-ferreto ordinis fratrum Minorum Capuccinorum, qui die XVII. novembris anni præteriti pontificatus Pauli V. undecimo a Romano pontifice mandatum acceperat visitandi auctoritate apostolica eremum Camaldulensem, corrigendi abusus, pristinam observantiam inducendi, decreta statuendi, & Majorem ac officiales eligendi. Accessit mense januario hujus anni Hieronymus ad eremum, pluries audivit eremitarum querelas, qui causabantur decreta concordiæ anni 1532. minime observata fuisse a congregatione monachorum, demum auctoritate, qua pollebat, dissolutam declaravit omnimodam eremitarum Camalduli cum monachis communicationem, prohibuit, ne de cetero ageretur de reunione, idque pœnis cavit gravissimis, centum & tribus annis postquam sub Leone X. fundata fuerat congregatio dicta sacræ eremi, & sancti Michaelis de Muriano, & octuaginta & quatuor annis, postquam sub uno capite nunc eremita, nunc monacho iterum firmata fuerat sub Clemente VII. concordia. Displicuit pluribus tum eremitis, tum monachis hæc separatio, actumque fuit ex utraque parte pro conciliandis animis, & post decennium sub Urbano VIII. rursus fœdera unionis eremitæ & monachi inierunt, ut ad annum 1626. videbimus. In tabulario sancti Romualdi de Urbe extant duodecim Hieronymi a Castro-ferreto epistolæ scriptæ Paulo V. & Petro Camporeo vice-protectori Camaldulensium ea de causa.

Occasione suæ visitationis idem Hieronymus Cortonense monasterium in eremum erexit, a priore, cellerario, duobus choralibus monachis, converso & commisso habitandam; superiorem quoque & familiam in monasterio Scardavillæ prope Meldulam deputavit, convertens ipsum in eremum, in qua habitarunt eremitæ usque ad annum 1732., quo sub Crucifixi invocatione surrexit altera eremus quadrante milliaris dissita ab ecclesia sanctæ Mariæ, quæ fuit primus locus mansionis eremitarum. Missæ tamen celebratio perseverat diebus Dominicis & festivis in ipsa ecclesia sanctæ Mariæ, cujus imago miraculis coruscat ad populorum devotionem. Ut

vero

Ann. Chr. 1616.

vero aliquam daret eremitarum Camaldulensium Etrusco cœtui formam, congregationem ipsorum dissociatam a congregatione monachorum constituit ex quatuor locis, ex sacra eremo nimirum, ex Camaldulo-majori, ex Cortonensi, & ex Scardavillana eremo, quæ appellari deberet congregatio eremitarum Etruriæ, sive sacræ eremi.

XII. Declaratio Sacr. Congr. circa officii B. V. M. recitationem.

In capitulo monachorum approbata primum fuit præfata separatio ab eremitis. Abbatia Montis-cornarii unita est monasterio sancti Nicolai Burgi-sancti-Sepulcri. Annuendum non esse decreverunt patres petitionibus monachorum congregationis Vallis-umbrosæ, qui pluribus vicibus expetierant a congregatione Camaldulensi ædes & ecclesiam sancti Michaelis de Arretio. Demum receperunt declarationem sacræ congregationis Rituum, quæ rescripsit monachos Camaldulenses teneri ad recitationem officii parvi beatæ Mariæ virginis sequenti decreto, quod etiam editum fuit typis in urbe Florentia.

Declaratio sacræ congregationis Rituum de quotidie recitando officio parvo B. Mariæ Virginis a monachis Camaldulensibus.

Cum monachi Camaldulenses Breviarium novissime emendatum & approbatum, & omnibus congregationibus monachorum, quæ militant sub regula sancti Benedicti, concessum a Ss. domino nostro receperint, & acceptaverint, inter eosdem Camaldulenses ortum fuit dubium: An scilicet post hujusmodi Breviarii receptionem & acceptationem teneantur ipsi Camaldulenses, prout antea tenebantur ex constitutionibus, sub pœna peccati mortalis, quotidie recitare officium parvum beatæ Mariæ virginis, cum ex indulto concesso a Sanctissimo Domino nostro monachis, qui dictum Breviarium Benedictinum receperunt & acceptaverunt, aliqui ex dictis monachis Camaldulensibus putaverint a dicta obligatione recitandi quotidie officium parvum beatæ Mariæ virginis sub pœna peccati mortalis esse exemptos. Proposito hujusmodi dubio in congregatione sacrorum Rituum, & visis & auditis rationibus hinc inde pro affirmativa & negativa parte allegatis, & audita relatione illustrissimi & reverendissimi domini cardinalis Bellarminii, cui hæc causa commissa fuerat, eadem sacra Rituum congregatio respondit: Ex constitutionibus suæ regulæ sub pœna peccati mortalis teneri monachos Camaldulenses ad recitandum quotidie officium parvum beatæ Mariæ virginis, etiam post receptionem & acceptationem Breviarii Benedictini, prout tenebantur, antequam dictum Breviarium recepissent & acceptassent, & ita censuit & declaravit: Die XII. *martii* 1616.

Franciscus Maria card. a Monte.

J. P. Mucantius Secretarius Congr.

Congregatio autem Concilii decrevit hoc ipso anno monasterium sancti Hippolyti de Faventia exemptum esse a visitatione episcopali quoad parœciam existentem in ecclesia dicti monasterii, eo quod sedes sit abbatis generalis Camaldulensis. Hinc etiam post biennium eadem congregatio suis literis vetavit vicario ejusdem episcopi Faventini visitationem prædictæ ecclesiæ.

Matthæus Priolus electus hoc anno S. R. E. cardinalis coadjutorem assumpsit in abbatia Vangaticiensi Augustinum Priolum germanum fratrem suum episcopum Bergomensem, filium æque Antonii, qui postea dux fuit Venetiarum. Successit Augustinus Matthæo in libera abbatiæ administratione anno 1624. qui fuit emortualis præfati cardinalis.

XIII. De Petro Passo Ravennate monacho Camaldulensi.

Petrus Passus Ravennas monachus Camaldulensis, Joseph in seculo dictus, sub quo nomine pleraque edidit, nempe: *Difetti donneschi*; *Lo stato maritale*; *La fucina mostruosa di sordidezze di Uomini*; *Discorso di*

ben

ben parlare; edidit hoc anno aliud opus inscriptum : *Discorso academico sopra quattro versi del sonetto del Petrarca* : *Quest' anima gentil , che si diparte*; typis Vincentii Somaschi, de quo tractatu hæc habet Grescimbenius libro II. Vulgaris Poesis: *D. Giuseppe Passi da Ravenna monaco Camaldolese, al secolo Pietro , fece un discorso sopra quattro versi del sonetto* &c. ubi invertit Crescimbenius nomen baptismatis & religiosæ professionis Passi. Ante biennium Venetiis ediderat: *Discorso della Magia naturale* , & dicaverat Hieronymo Buccio abbati sanctæ Catharinæ de Cremona. Typis etiam paravit, addiditque suas prævias literas duobus, quæ sequuntur, Zuccolii nostri operibus, quæ ita a Passo præparata & recto ordine digesta & aucta reperiuntur mss. in bibliotheca nostra sancti Michaelis: *Discorsi sopra le 50. conclusioni del Tasso. Discorsi sopra le conclusioni di Girolamo Vida Giustinopolitano*. Habitum monasticum induit Passus in monasterio sancti Michaelis sub Cypriano Modanesio abbate. Vix tyrocinium inchoavit, quod acri morbo correptus, jubente Augustino a Balneo abbate generali translatus est ad monasterium Avellanense, ubi nondum professus biennio Moralem theologiam legit. Inde Faventiam ad monasterium sancti Hippolyti destinatus pluribus annis substitit, demum rediit ad monasterium sancti Michaelis, quo in loco, suadente Severo Senesio, Magiæ librum in lucem exposuit. Hæc de se in præfatione ejusdem libri edisserit Passus, nominatque Bartholomæum Garzonium Bagnacaballensem, qui cum fratre Thoma promiserat editionem libri: *Serraglio de stupori del Mondo*. Academicis Recuperatis Patavii, Informibus Ravennæ, ac Philoponis Faventiæ adscriptus fuit Passus, appellatus vir eruditus & humanioribus literis ornatus a Hieronymo Fabrio in monumentis sacris Ravennæ, parte prima pagina 329.

ANN. CHR. 1616.

ANN. CHR. 1617.

XIV. Acta capitularia.

TERTIA maji hujus anni electus est in abbatem generalem congregationis Camaldulensis pius senex Baptista de Perulis Fabrianensis ex professione sanctæ Mariæ ad Carceres , cujus loci optime meritus fuerat tum ob pietatem, tum ob impensas plurimas etiam de suo ære factas in ædificiis & ornamentis ejus monasterii. Additi sunt ei in visitatores Aurelius Pellicantes Veronensis, & Frigdianus Malusardus Bagnacaballensis. Capitulum generale ea occasione coactum est in abbatia Classis , & in ipso inter cetera patres præceperunt , ut quolibet anno die XVI. julii celebraretur sub ritu duplici officium sanctorum Andreæ & Benedicti Confessorum ordinis nostri, & discipulorum sancti patris Romualdi . Dieta vero anno sequenti in eadem abbatia Classensi, anno autem 1619. habita fuit in abbatia sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia; Romæ vero in sancto Nicolao capitulum generale anno 1620. Postulavit in hoc postremo congressu cardinalis Camporeus protector a Baptista generali, an congregatio cedere vellet jura, quæ habebat super abbatia Vangaticiensi, cujus abbas commendatarius Matthæus Priolus cardinalis cederet aliud monasterium congregationi Camaldulensi extra ditionem Venetam. Humiliter respondit generalis de hacce permutatione facienda non cum congregatione Camaldulensi, sed cum republica Veneta habendum esse tractatum.

XV. Reliquiæ S. Theobaldi in Vangaticiæ abbatia decentius conditæ.

CUM eodem Matthæo cardinale Philippus Recanatus civis Abbatiensis egit hoc anno, ut decentius transferrentur reliquiæ sancti Theobaldi in ecclesia Vangaticiensi inculte quiescentes , & a Francisco Mocenico abbatis vicario generali obtinuit, ut ipsarum fieret recognitio, quod & præstitum est. Cum autem altare divo Theobaldo sacrum imaginem tantummodo ejus Sancti ex terra coctili exhiberet, & a lateribus pictæ essent imagines sanctorum Benedicti & Romualdi cum cucullis & pluvialibus, decrevit idem

Ann. Chr. 1617.

Philippus altare ex polito marmore construere cum sequenti inscriptione: *Ut divi Theobaldi reliquiæ dignius haberentur, Philippus Recanatus, fratresque Johannes & Recanatus in formam augustiorem erexere, & familiæ tutelari antiquo, optimo, sanctissimo D. Anno* M. DC. XIIX. hoc est sequenti anno, licet morte intercedente Philippi ejusque fratrum altare perfectum non fuerit, nisi anno 1626. a Jacobo Philippi filio, eoque anno in urnam marmoream novam conditæ ipsius Sancti reliquiæ sollemni celebritate.

Obiit inter monachos Montis-oliveti cœnobii sanctæ Mariæ in Organo Veronensis urbis Franciscus Castellius Veronensis, qui ut hominum devitaret commercia, aliquo tempore inter eremitas Rhuenses conversatus, regressus fuerat ad suum pristinum Olivetanorum institutum, in quo devotissime & sanctissime ad Deum transiit hoc anno; ex Bucellino, qui in Benedicto Redivivo [a] laudat Secundum Lancellottum.

[a] Pag. 188.

Ad divi Gregorii de Urbe inscriptio hujusmodi prostat: *Anno* M. DC. VII. *Henricus Ludovicus Castaneus de la Rochepozay episcopus Pictavensis unaquaque in orbem seculorum recurrente feria tertia pro sua cum excesserit, parentisque Ludovici Castanei Rochepozæ & aliarum ditionum toparchæ, atque Henrici III. Francorum regis apud Gregorium XIII. P. M. oratoris anima ex lege census collocati æternum sacrum in hoc sacrario persolvi conficique demandavit.*

Ann. Chr. 1618.

XVI. De Archangelo Spina eremita, & de eremis Januensibus.

ARCHANGELUS Spina congregationis Montis-coronæ eremita Neapolitanus nobilissimo genere ortus, professus in eremo beatæ Virginis Mariæ Coronatæ diœcesis Beneventanæ ab anno 1600. die XXX. novembris, bis prioratus munere perfunctus in sua congregatione transiit ad alteram Taurinensem, & hoc anno 1618. generalibus habitis comitiis, Januam a superioribus missus, novæ eremi instituendæ causa, ibidem eodem anno fato cessit die quinta novembris. Scripsit *Rime spirituali*: Neapoli apud Johannem-dominicum Roncagliolo 1616. quæ sane elegantissima carmina emissa fuere in lucem a Hieronymo Satriano ex comitibus Casalduni clerico regulari episcopo Vici Æquensis auctoris affine, jussu Scipionis cardinalis Burghesii Camaldulensium protectoris, cui etiam Spinæ poemata nuncupavit. Laudatur Spina a Federico Meninno in Poetica, cui titulus: *Ritratto del Sonetto e della Canzone*; ab Hectore Pignatello in *Carminibus*, ejusque meminere Ludovicus Jacobus a Sancto-carolo in bibliotheca pontificia, Hippolytus Maraccius in bibliotheca Mariana, Nicolaus Toppus in bibliotheca Neapolitana. In epistola Josephi eremitæ Majoris Taurinensis scripta die XVIII. julii hujus anni ex Janua Majori & visitatoribus Montis-coronæ legitur: „ Carolum ducem Sabaudiæ gratissi„ me Archangelum recepisse in eremum Taurinensem; cardinalem autem „ Sabaudiensem summa voluptate ejus carmina legisse; Johannem-vincen„ tium Imperialem præfectum triremium Januensium & filium viventis du„ cis cum pluribus aliis patritiis viris ipsum Archangelum invitasse ad „ erectionem eremi in urbe Januensi; atque de congregatione in congre„ gationem transitum fecisse pium & doctum eremitam tum dimittente „ capitulo generali Coronense, tum etiam permittente cardinale Campo„ reo ordinis protectore. " Vix tamen Januam pervenit, cum, ut diximus, immaturam mortem oppetiit, & sepultus est in ecclesia patrum Capuccinorum sancti Barnabæ Januæ, cum nondum obtinuissent eremitæ Taurinenses locum sanctæ Theclæ, quam anno dumtaxat sequenti Januenses & præsertim Bartholomæus Mainerus donarunt eisdem eremitis ad eremum ibidem fundandam. Ecclesia sanctæ Theclæ erat adnexa & membrum vicinæ

cinæ canonicæ sancti Martini in Bisagno, appellatæ etiam in Albario, quæ canonica redacta postea fuit ad simplicem archipresbyteratum. Simon Buccanigra celebris dux Januensium anno 1369. acquisierat possessionem ecclesiæ sanctæ Theclæ, quæ tunc cum obligatione canonis solvendi canonicæ sancti Martini transierat ad seculares. Johannes-baptista Gibo Buccænigræ familiæ hæres Augustinianos advocavit anno 1549. qui ecclesiam coluerunt, parvumque conventum prope ipsam ædificarunt, perstiteruntque usque ad annum 1590. Transiit inde ecclesia ad jus præfati Maineri, & anno sequenti 1619. ad possessionem ineundam missus est ex eremo Taurinensi Placidus a Clarasco eremita, licet eo & sequentibus annis ratione bellorum Ianuenses inter & Pedemontanos parvis initiis creverit Januensis eremus, & ægre invenirent eremitæ Taurinenses, quos sufficerent ad regimen ejusdem eremi, neque forent suspecti Januensibus, consilio etiam cardinalis viceprotectoris Dominici Rivarolæ Januensis, ita ut demum coacti fuerint eam cedere eremitis Camaldulensibus Etruriæ. Iisdem Taurinensibus patribus ab Ambrosio Pavesio proposita fuit alia fundatio prope urbem Savonam ad ecclesiam sanctæ Mariæ-angelorum; verum hæc post biennium repudiata est, tum ut nimis proxima urbi Savonensi contra institutum eremorum, tum ne damnum aliquod ex eo ædificio proveniret obsidionis tempore eidem urbi. Tertia demum exhibita fuit fundatio a familia Januensi nobilissima Auria, quæ offerebat abbatiam sancti Fructuosi distantem a Janua decem & septem milliaria, quæ pro hospitio inserviret, & super montem construeretur eremus. Revera missi sunt ex Taurino sacerdotes eremitæ ad officia persolvenda divina in ecclesia sancti Fructuosi; verum hi territi ob Turcarum frequentes excursiones, locum dereliquerunt, & iterum se receperunt ad locum Oreginam dictum, ubi primum stationem posuerant, quem etiam post aliquod tempus deseruerunt, infecto remanente negotio eremi supra montem ædificandæ.

XVII. De eremo Silvæ-majoris in Pedemontio.

MAJORI fundamento ipsi Taurinenses eremitæ se extenderunt in Pedemontio. Apud Silvam-majorem, sive Clarasci urbem Alexandro Cevæ proposita fuerat jam ab anno 1611. eremus in finibus ejus loci erigenda. Hoc anno dumtaxat, ex benevolorum largitionibus, incepta fuit ædificatio parvæ ecclesiæ, cui inservire ceperunt eremitæ, & licet ad plures annos perfectio eremi dilata fuerit, hodie tamen colonia ibidem inhabitat Taurinensium eremitarum, qua propagata est eorum congregatio; fuitque tertia ex Pedemontanis eremis.

Tractatus habebantur his temporibus pro unienda congregatione eremitarum Etruriæ cum altera Monte-coronensium, a qua unione abhorrere videbantur eremitæ Etrusci. Magnus itaque dux Etruriæ scripsit hoc anno Guicciardinio suo oratori in Urbe, ut se totis viribus opponeret hujusmodi unioni. Extant literæ Magni-ducis in tabulario sancti Romualdi de Urbe [a].

[a] *Fasc.* 47. 21

Cum Gregorius Urbevetanus unus ex eremitis, quos vi brevis Clementis VIII. Alexander Ceva ex Camaldulo Etruriæ extraxerat ad fundationem Taurinensem peragendam, Major quidem esset congregationis Pedemontanæ, sed dignitati nuncium remisisset, ut ad suam pristinam Etruriæ solitudinem conferret, in capitulo eorumdem eremitarum, adsistente Mauritio cardinale Sabaudiense, & Petro-francisco Costa nuntio apostolico electus fuit in Majorem Joseph a Reano. Gregorius autem ad Taurinensem eremum iterum rediit anno 1622. & tempore suæ commorationis cum in pictura excelleret, plura reliquit ingenii sui monumenta, donec circa annum

 1633.

Ann. Chr. 1618.

1633. ad Coronenses transiens, apud ipsos post aliquot annos supremum diem obiit.

Consecrata fuit hoc anno ecclesia monialium sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone ab archiepiscopo Florentino Alexandro Martio-Mediceo.

Ann. Chr. 1619.

XVIII. Fundatio eremi S. Benedicti facta a Coronensibus prope Bononiam.

EVANGELISTA Carbonesius canonicus sancti Petri de Urbe utriusque Signaturæ referendarius, & prius inquisitor generalis & delegatus apostolicus a Paulo V. in insulam Melitam, Marcus-antonius ejus frater, & Bonifacius nepos nobiles viri Bononienses donaverunt hoc anno sub die tertia junii eremitis Coronensibus, & singillatim Alexandro Secchio Veneto eremitæ varias terræ potiones sitas in communi castri Brittorum in monte Magnanino Rontani in parœcia Casulæ-Caninæ territorii Bononiensis prope flumen Zenam, ut ibidem fundaretur pro eorum incolatu eremus. Cum Marcus-antonius ab uxore gravida filium masculum suscipere magnopere cuperet, Salvatori Baronio Anconitano eremitæ pollicitus est se nomen Romualdi filio nascituro impositurum, ut revera contigit die XXI. februarii anni 1620. Annis sequentibus ejus uxor quatuor feminas edidit, quare iterum Deo vovit, nomen Marini magistri Romualdi se daturum, si alterum masculum filium obtineret, quem obtinuit anno 1626. die XXIX. martii. Primus ad fontem baptismalem susceptus est a marchione Ludovico Fachinetto, alter a Ciro Marescottio; ex archivo ipsorum comitum de Carbonesiis. Supradicta donatio excepta fuit anno sequenti die XII. maji in capitulo generali Montis-coronæ. Anno vero 1621. admota manus ædificationi eremi, opeque aliorum benefactorum fuit ad perfectionem redacta, sub invocatione sancti Benedicti. Resederunt ibidem eremitæ Coronenses usque ad annum 1640. Verum cum prospicerent ædificia tum eremi, tum ecclesiæ minari ruinam, eo quod constructa fuissent super terram mobilem, & insuper fundamenta non amplius consistere ob vicinas saxorum excavationes factas a familia Carbonesia, communi decreto & consilio firmarunt deserendum esse locum, & eremum ad alium stabiliorem situm transplantandam. Id factum fuit anno 1654. empto alio fundo in communi Ceretoli, permittente novam ædificationem capitulo Coronense anno sequenti die XIX. aprilis, & urgente præsertim comite Odoardo Pepulo, qui die XVIII. junii facultatem obtinuit a sacra congregatione, quæ deputavit ad visitationem novi loci, & ad fundamenta jacienda archiepiscopum Bononiensem, vel delegatum ab eo. Primum itaque lapidem posuit anno sequenti die XIV. novembris comes Carolus Bentivolus archidiaconus, ex mandato Hieronymi Boncompagni archiepiscopi Bononiensis. Discesserunt patres a veteri eremo die octava septembris anni 1662. & primitus in cella ad formam ecclesiæ redacta Divina fecere. Anno 1676. vigesima maji jecit fundamenta novæ ecclesiæ Joseph Musottus; perfectio tamen ipsius ad nostra usque tempora protracta, & jubente Benedicto XIV. ecclesia nova consecrata fuit die XXVII. augusti anni 1741. sub titulo ejusdem sancti Benedicti a Johanne-baptista Scarsellio episcopo Menniti suffraganeo archiepiscopatus Bononiensis; cetera vero ædificia majorem in partem ad umbilicum redacta sunt, partim de die in diem perficiuntur, efformantque pulcherrimam eremum.

XIX. Collectio plurium monumentorum historicorum.

IN dieta prælatorum congregata Faventiæ ad monasterium sanctorum Hippolyti & Laurentii facta fuit facultas Thomæ Minio edendi vitas sancti Bogumili archiepiscopi Gnesnensis, & sancti Casimiri regis Poloniæ. Bonaventura Æsinus abbas sanctæ Catharinæ de Cremona typis Hieronymi

mi & Pauli Baleonii Venetiis edidit opusculum sub titulo: *Pronostico o sia breve discorso intorno alla cometa nuovamente apparsa nel mese di dicembre* 1618.

Ann. Chr. 1619.

Obiit hoc anno Timotheus Naufrescus Balneensis abbas Camaldulensis ex professione sancti Mathiæ de Muriano, cujus operum catalogum attulimus ad annum 1605.

Justus Venetus monachus sancti Michaelis de Muriano existens in monasterio sancti Gregorii de Urbe dono acceperat anno 1611. die VI. julii a Johanne-baptista Cavagna Novariensi ordinis sancti Francisci corpus sancti Claudii cum nonnullis aliorum Sanctorum reliquiis, ad hoc ut alicui pio & sacro loco concederetur ad augendam fidelium devotionem. Hoc itaque anno die XXIX. septembris prædictum sancti Claudii corpus ab eodem Justo monacho donatum fuit monasterio sancti Michaelis de Muriano, in cujus translationis die Vitalis Zuccolius abbas ejusdem cœnobii homiliam Latinam ad monachos & ad populum habuit. Arbitratus est abbas corpus ejusdem sancti Claudii esse illius illustris martyris Claudii, Commentariensis dicti, quare in oratione gesta hujus celebravit, ac sequentem inscriptionem ad urnam apposuit. *Corpus sancti martyris Claudii Commentariensis anno Domini* CCC. L. *passi* VII. *julii cum pluribus reliquiis aliorum Sanctorum huc ex urbe Roma translatum & positum anno* M. DC. XIX. *die* XXIX. *septembris*. Hinc cœnobitæ sancti Michaelis die VII. julii ejus sancti martyris festum celebrant. Inter præfatas reliquias recensentur caput unius ex Innocentibus martyribus, & pars maxima corporis sanctæ Bassæ virginis & martyris, cujus festum peragunt die XI. augusti. Ceterum sacrum sancti Claudii corpus cum ceteris reliquiis extractum fuit a præfato fratre Cavagna ex cœmeterio Callisti die IV. maji anni 1611. cum signo martyrii & palmæ impressæ in sepulcro; idque peregit tamquam procurator nobilis mulieris Catharinæ de Moncata marchionissæ Aitonæ, & uxoris oratoris regis Hispaniarum ad Apostolicam sedem, quæ die XXI. aprilis anni 1607. breve obtinuerat a Romano pontifice Paulo V. extrahendi sacras reliquias de consensu præsidentium, & de licentia Vicarii Urbis, easque donandi ecclesiis & piis locis. Accedunt testimonia Antonii Morzera ordinis Minorum confessarii ejusdem oratricis, Antonii Angeli Averzani ministri & vicarii generalis ejusdem ordinis, aliorumque fidem facientium eas, multasque alias reliquias extractas fuisse ab eodem fratre Cavagna ex præfato cœmeterio. Præter superiores ab eodem accepit idem Justus monachus alias plures Sanctorum reliquias, quarum catalogum habemus sub anno 1612. conscriptum, & testibus firmatum, quæ in thecis argenteis conditæ recoluntur in ecclesia sancti Michaelis, ex donatione ejusdem monachi.

Ann. Chr. 1620.

XX. Obitus Peregrini Palaù eremitæ Camaldulensis.

PEREGRINUS Palaù Barcinonensis, qui in sacra Camaldulensi Etruriæ eremo solitarium institutum amplexus fuerat anno 1558. octava maji una cum Ambrosio Moncata, Urgellensi postea episcopo, post annum vero 1580. quadraginta annorum spatio reclusus in cella Præsentationis B. M. V. vixerat, valde longævus, utpote ætatem habens octuagintaduorum annorum, diem extremum clausit octava decembris hujus anni, cum ea sanctimoniæ fama, ut in libro *Professionum* ejusdem eremi ad ipsius nomen scriptum legatur: *Apud nos omnes Beatus*. Depositum fuit primo ejus venerandum corpus in cella Papæ, totoque tempore, quo ibidem jacuit, antequam in capitulo, ut consuetum est, terræ demandaretur, quædam avis super ipsum quiescens, neque momento relinquens, suaves cantus

Ann. Chr. 1620.

tus edidit. Post triennium, postulante Cosmo Minerbetto Florentino episcopo Cortonense, qui præses erat capituli Camaldulensis ejus anni, exhumatum est ejus cadaver, integrumque repertum etiam in vestibus; immo portionem vestis ipsius applicavit moniali cuidam infirmæ a medicis desperatæ idem episcopus, quæ statim sanitatem recepit. Hanc igitur memoriam in *Actuum capitularium* libro episcopus inscribi rogavit, quod actum est, ut sequitur: *F. Peregrinus Hispanus Barcinonensis eremita, qui cum Deo summa pietate & religione quinquaginta-duos annos in hac sacra eremo serviisset, & per quadraginta e cubiculo nunquam egrediens cœlestium bonorum contemplationi vacasset, sexto idus decembris* 1620. *ætatis suæ* 82. *e communi anachoritarum sarcophago effossum & integrum repertum, testatum est justorum animas in inferno non derelinqui, & sancta non corrumpi*; 1623. Eo igitur anno pone altare majus conditum est; sed in fœdo incendio anni 1693. cum ceteris venerabilium eremitarum corporibus ibidem repositis, concrematum in favillas evolavit. Ex superiori monumento emendanda est relatio domni Ægidii Gherardini eremitæ, qui vitam ipsius Peregrini breviter descripsit, cujus etiam defunctioni fuit præsens, ubi asserit sanctum eremitam decessisse anno 1623. octava decembris 84. annos natum, reclusionis quadragesimo-secundo. Cum enim Minerbettus capitulo eremi præsederit ipso anno 1623. triginta mensibus post Peregrini mortem, perspicuum est hanc ad hunc annum 1620. esse statuendam. Anno 1576. perfectionis majoris gratia exiit Camaldulo Peregrinus cum altero eremita Ambrosio de Moncata, ut asperrimum institutum profiterentur fratrum Capuccinorum, magna tunc maxime pietate florentium, sed post breve tempus ad pristinam eremum pedes retraxere. Iterum exire compulsus obedientia majorum anno 1580. ut socius foret itineris in Hispaniam dicti Ambrosii Moncatæ electi in episcopum Urgellitanum, licet patriæ & amicorum visendorum refugeret occasionem, Januensi in urbe substitit infirmitate detentus, ex qua convalescens ad dilectam suam Camaldulensem solitudinem reversus est, in qua eo ipso anno reclusionem in cella flagitans, ad mortem usque quadraginta annorum spatio raroque exemplo perstitit. Nunquam consensit promoveri ad dignitatem sacerdotalem, quare diaconus obiit. Talem vero semper de se humillimus eremita abjectissimam opinionem habuit & retinuit, ut infelicissimum se terræ peccatorem judicaret; quare si aliquando cogeretur ad aliquam epistolam scribendam, tali subscriptione utebatur: *Reclusus idiota peccator nequissimus*. Ceterum abhorrebat ab epistolis scribendis, renuebat amicitias virorum illustrium, neque unquam flecti potuit ad responsionem dandam literis cardinalis archiepiscopi Mediolanensis Friderici Borromæi, qui ut in sanctitatis semita proficeret, requisierat a Peregrino, quatenus scriptis suis illum dirigeret in via majoris perfectionis, quæ Deo grata, sibique utilis foret. Quapropter Ludovico Romanini Cæsenati alteri piissimo eremitæ & confessario suo urgenti, ut cardinali responsum daret, rescripsit Peregrinus, ut pro se suppleret, satisfaceretque ipse petitionibus cardinalis. Brevem Peregrini ad Romaninum epistolam subjicimus: *Pax christi. Miror dilecte pater, quod talia a me petas. Nova ista tua petitio est. Puto non me cognoscis, nam si cognosceres, quomodo rem talem a peccatore recluso ac imperito peteres? Sane me talem esse profiteor, qui aliquid fructuose dicere neque possem, si vellem, neque vellem, si possem. Pietati admodum amica est simplicitas, discreta humilitas est virtutum auriga, & perseverantia discretionis est filia. Perseveranti dabitur manna, & torpenti relinquetur multa miseria. Verumtamen, ne tuam petitionem, & cardinalis Borromæi, qui similia a me petit, præteriisse*

teriisse vel contempsisse potius videar, ecce scribo ad te hæc pauca verba. Tu carissime responde, & supple pro me, quia mihi non incumbit ex officio. M. DC. X. *Reclusus idiota peccator nequissimus.* Neque solum post epistolas, sed post quodlibet scriptum suum *Idiotæ* nomen apponebat. Meditationibus in passionem Dominicam titulum fecit: *Contemplationes Idiotæ de passione Domini.* Librum hunc, præter alios preces & orationes jaculatorias continentes, edidit, qui ms. lingua Latina superfuit in bibliotheca eremi usque ad annum 1695. quo conflagravit puteus Q. in quo recondebantur hæc aliorumque eremitarum opuscula. Hæ tamen meditationes fere ad unguem erutæ erant ex explicatione Ludovici Blosii super passione Dominica.

ANN. CHR. 1620.

Inserviebat Peregrino pius conversus nomine Franciscus Mediolanensis, qui etiam erat eremi janitor. De hoc legitur, quod triginta annis super nudas tabulas cubaverit, & quod passionis Dominicæ devotissimus nunquam vel ab operando, vel a meditando, vel a legendo otiosus destiterit. Hic moriens ætate centum & quatuordecim annorum pronuntiavit se recta in paradisum convolare. Post mortem salutem donavit duobus sacerdotibus, qui ejus apud Deum intercessionibus se commendaverant.

XXI. Et Bernardini Milano eremitæ Taurinensis.

ALTER Pedemontanus eremita in eremo Bellimontis ad Deum transiit hoc anno, vigesima-tertia novembris, Bernardinus Milano a Placentia. Hic primum eremita sine aliqua regula ad portam Angelicam Urbis, cujus officium cum sociis erat receptio hospitum, Urbe relicta Taurinum se contulit, professionemque emisit prima januarii anni 1615. Destinatus ad novam eremum Bellimontis, post breve temporis spatium pleuritide correptus, & Buscam delatus, eo quod habitationes pro eremitis nondum ædificatæ essent in Bellomonte, lecto jacens orationem Dominicam & Salutationem Angelicam valida semper voce pronuntiavit per viginti-quatuor horas ante obitum. Suavi fragrantia perfundebatur ejus cellula, in qua jacebat, ita ut populus omnis ad eam conflueret, cadaver ipsum nitidum totum suavem odorem efflabat. Terræ mandatum est in ecclesia sancti Francisci ordinis Minorum ejusdem loci, & eadem odoris suavitas perseveravit usque ad conditum cadaver. Post octo dies tumulus denuo fuit reseratus, ut ad sepulcrum eremi corpus deferretur, neque signa aliqua putrefactionis apparuerunt, immo renovata fuit pristina fragrantia cum nova adstantium admiratione. Subjicimus fusius ipsius elogium:

Frater Bernardinus de Milanis Placentinus, parentibus pietate claris, adolescens ad sacra Apostolorum limina peregrinatione instituta Dei servitio anhelans, Romæ in eremitarum sanctæ Mariæ Gratiarum ad portam Angelicam communitate, advenarum xenodochium habente, adsciscì curavit & obtinuit, Benedictus ibi pro Julio-cæsare, qui vocabatur in seculo, nuncupatus ex genitoris sui nomine, qui certe benedictionem in filio est consecutus. Quo caritatis officio in evangelio ita commendato, & ad æternam retributionem adipiscendam sic congruo, attente, diligenter, pie ac omnino laudabiliter aliquandiu exercito, secum cogitare cœpit supernæ vocationi, qua integre sacrandi se Deo adigebatur, non plane satisfecisse, nec voluntatis propriæ libertatem totam abdicasse, activæ tantum vitæ vacando, solam Martham, non, cui unice tendebat, Mariæ optimam partem elegisse; sanctus etenim ille xenodochorum cœtus sub dependentia quidem statuti sibi superioris vivit, ast nec ullis adstringitur votis, nec debitum contrahit stabilitatis, cuilibet subjecto recedendi facultate remanente. Dum hæc Benedictus cœlesti urgente gratia mente revolveret, contigit, ut a patribus Camaldulensibus pro eremorum suarum generali procuratione Romæ degentibus, & ad portæ

ANN. CHR. 1620.

portæ Angelicæ misericordem domum urbanitatis aut religiosi solatii causa quandoque adventantibus audiret recenter solitarii eorum instituti coloniam super Taurinorum colles insedisse, aptosve alumnos ad implendam propagandamve lætanter excipi, & quale vivendi genus id esset. Nec decidit ei verbum, sed hoc e superis per homines immissum sibi lumen fore, ad flagrantem suam vitæ interioris explendam sitim fontem indigitando animadvertens, sanctumve Spiritum tarda nescire molimina memor, cum præpositi venia Roma discedens, ad sacræ Taurinensis eremi superiorum pedes, devorato solicite itinere, convolavit, omnique rei exposita ratione, præviis consuetis conditionibus, diligentique antehabita probatione, conversos inter adnumeratus est, nomine iterum in Bernardinum commutato kalendis januarii M. DC. XV. Piissimi viri, ministrique optimi complexum hoc adhuc proludente se adeptos senserunt patres; ipseque magis, & Deo & ordini se debitorem dum fatebatur, satis utrisque facere pro viribus intendebat, tum interius ad unum, tum ad alium exterius, eodem tamen spiritu semper animatus. Nulla sui status occupatione fatigatus corpore cunctis præsto erat, nec distenta rerum agendarum vicissitudine laborans aut distractus, mentem continue quidem orationi deditam, non sensus reficiebat. Sollemnibus desiderio & merito expetitis votis eximio cordis fervore ac patenti reverentia emissis, & regula ac constitutionibus memoriæ mandatis ad obitum usque sine labe cuncta servavit. Ministeriis assignatus a patribus, mox valetudinario inserviens, omni caritatis nisu, immo & obsequio ægrotis die noctuque aderat; mox januæ domus custos factus adsistentia, urbanitate, patientia, mansuetudine, misericordia, prudentia, & domesticis ac exteris acceptissimus, admirabile fuit exemplar; in utroque munere actu comprobans fidei, spei & caritatis objectibus indesinenter se moveri & impelli, sicut in omnibus sibi demandatis. Humilis ejus obedientiæ laus prodiit luculentius, cum Buscam ad vix exordientem B. Mariæ Belli-montis eremum est missus, ubi nedum communitati religiosæ administrandum, sed & multigenis adlaborantibus fabris erat invigilandum; licet enim Bernardinus e domo, quæ plures numerat officiorum coadjutores, ad aliam, quo consodalibus paucis vel pene altero fratre, succrescentia inerant negotia, transitum facturus, ereptam sibi majoris quietis & otii ad orationis sacræque lectionis optatum studium propositumve spiritu vacandi scopum secundum hominem ingemisceret, generose attamen affectum subdens & proterens, sicuti scriptum est, vir obediens loquetur victorias, nec verbum, nec nutum ad vim meritumve obedientiæ debilitandum dedit, sed illico æquo animo serenaque facie obtemperans, si unde discessit, deficientiæ tanti ex eo subsidii quoddam fastidium remansit, lætanter exceptus est, quo transiit. Inibi perfectione pari conversabatur, quia virtutes justum sequuntur ubique, sicut & impios vitia comitantur; quando non multo post extrema gaudii super ipsius adventum luctus occupavit, Bernardino jam completa justitiæ corona donando. Pleuritide siquidem repentina impetitus graviter elanguit bonus frater, quem cautissime patres Buscam deferri curarunt, tum quia arcta nimium tunc erat in eremo pro bene habendo infirmo habitatio, quæ tugurium potius dicenda, tum ut propioribus medicis ac remediis probabilior esset dilecto salus ægro. Sed incassum, recrudescente quotidie morbo tota spes artis evanuit. Certior igitur factus pius conversus ultimam sibi mortalis vitæ diem celeriter advenire, lætus pulsantem judicem sustinuit, ac de sua spe plusquam de operatione securus, & de gloria retributionis hilarescens, illi confestim aperire voluisset, nisi prius per sacra ecclesiæ in maximo luctamine munimina esset confortandus, hæc requirendo, prout humili fecit instantia. Nec mora, in qua periculum privationis dari pote-

poterat, qui tantas præberent suppetias, prompti adfuere, ipseque totius propemodum anteactæ vitæ præmissa exomologesi, Dominum & Salvatorem suum sub ecclesiasticis speciebus intento cordis affectu, ore quoque tenus explicito interiori jam dilabentis ab extra domus hospitio suscepit, ab eodem in æterna tabernacula recipiendus, sanctoque cum morte colluctantium oleo inunctus, gratiarum actionis, contritionis, resignatæ oblationis, aliosve tempori accommodos actus, theologicarum signanter virtutum ad vigintiquatuor horarum spatium edens ac repetens, agonem suum Deo, beatæ Mariæ, cœlestibusque a se impensius veneratis commendabat. His expletis velut memor expiraturum in crucem Dominum Jesum-christum ad Patrem voce magna exclamasse, ultima Bernardini, quamvis anhelitum præ lateris acuta punctione, ægre traheret, verba fuere orationem Dominicam, salutationemque Angelicam sic alte ingeminando proferre, ut e contermina loci via prætereuntes audirent, & accurrentes, lectuli religiosis circumsepti ex adverso stantes, compuncti ac pectora sua percutientes dicerent: Vere servus Dei est iste. Hic autem ad repetitum versiculum: Et ne nos inducas in tentationem, *sensibus repente destitutus fuit. Agonizante vero silente, raro portento loqutus est Deus ad manifestandum universim, quantus iste Christi bonus odor foret, quamve gratum offerret moriendo sacrificium. Nec anilem fabellam narramus, tanta siquidem se per cubiculum sparsit fragrantia quædam cœlica, ut adstantes recrearet, dulcique olfactu exhilararet. Per oppidum frequenti populo claraque gente refertum, fama extemplo volante, talium in odorem unguentorum certatim quisque cucurrit dicens: eamus ad Sanctum visendum. Veritatem simul & novitatem rei per se quilibet expertus, quamdam Paradisi prægustationem arrhamque viro Dei datam existimabat. Frater noster interea hora Itala* XX. *nona kalendarum decembrium* M. DC. XX. *tranquillo velut somno animam factori suo remisit, annum apud Camaldulenses nondum sextum, ætatis* XL. *explens. Nec obitu cum ejus præternaturalis illa cessavit suaveolentia, quippe quæ non spiritui, qui discesserat, sed corpori, quod supererat, concessa usque ad humationem postridie factam duratura, & ultra, ut dicemus; quin etiam exanimis caro plurimis spectantibus, reflorescens colore in facie vivacior, insuetaque vultus venustate apparuit ornata. Arduum ad eremum alpibus finitimam conscensum nix pro tunc occupaverat, nec decore satis atque complete funebris comitatus incedere valebat, nec Deo hominibusque dilecti animæ exuvias privatim transferre conveniens fuisset. Rogantibus igitur obnixe fratribus Minoribus de Franciscana observantia perantiquum insignem conventum (qui eisdem Recessus vulgo* Ritiro *a supra tricennario modo est) extra, sed prope oppidum habentibus, ut iis concederetur honorem sepulturæ fratri Bernardino præbere, patres nostri studiosis precibus morem gerendum esse duxerunt: Quapropter vespere postero, convocato clero & populo, diversorum personarum ordinum cum nobilium, tum localium, tum plebejorum constituta processione, fragrans cadaver levavere fratres Observantes, suppositis a quatuor ipsorum optatæ sarcinæ humeris, & ad propriam ecclesiam portarunt, exequiisque omnibus ecclesiastico ritu cum spiritus exultatione plusquam mœrore persolutis, congruo loco terræ mandaverunt, fragrantia tamdiu durante, ac via temploque de ea redolente, quamdiu aptatus lapis clausit sepulcrum. Ab his ad pœnitendum Belli-montis eremitas tam spectabili se thesauro privasse non multum moræ intercessit; & insuper a congregationis Majore commoniti faciliter nimis & inconsiderate propter allata obstacula petentibus cessisse, sollicitiores facti, Minoritas Observantes proxinus adiere super crediti redditione pignoris humaniter interpellantes, qui quod nullo jure se fuisse usos, sed precarie*

Ann. Chr. 1620.

rie impetrasse non obliti, æstimabile repetentibus depositum restituere minime detrectarunt. Quibuscumque itaque ad opus, quæ forent dispositis, undecima ab humatione die, reserato tumulo nonnibil consueti nedum horroris, rigiditatis, putorisque, aut putrefactionis tam ultra quatriduanum cadaver ostendit, quinimmo pulchrum, flexibile, omninoque in carne & vestibus inventum est incorruptum coram accurrentibus devotionis causa innumeris spectatoribus, prædictionis Davidicæ non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, *complemento testimonium perbibentibus; eodemque gratissimo simul odore templum totum imbuente jucunde fruentibus. Qua pro hiemali tempestate, stratoque desudantium labore itinere licuit religiosa pompa, ferventioribus comitantibus, facta est hæc translatio nonis decembris, recuperatumque amati fratris corpus in veteri oratorio a patribus in eremi fundatione invento, & in quo, dum nova erigebatur præsens amplior ecclesia ad officium Missasque celebrandas conveniebant, devotissime conditum fuit. Bernardini exemplum plures imitati fuere ex domo portæ Angelicæ de Urbe, ac in eremo Taurinensi Camaldulensem vitam professi, inter quos Johannes-baptista de Leonardis Anconitanus, eidem domui aliquando præfectus, & domni Hilarionis assumpto nomine refulsit.*

XXII. Et Thomæ Minii monachi.

Obiit etiam hoc anno die octava novembris in monasterio sancti Michaelis de Burgo Pisarum, ubi cellerarii officium gerebat, Thomas Melioris de Minis Florentinus monachus Camaldulensis sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, de Camaldulensi familia optime meritus, utpore qui res nostras mire illustravit pluribus libris, quorum præcipui adhuc inter unius bibliothecæ Angelorum angustias latitant; nimirum: *Historiarum ordinis Camaldulensis libri* IX. magno volumine Italice exarati; *Historia Italica monasterii Angelorum Florentiæ. Catalogus Sanctorum ac Beatorum ordinis Camaldulensis* editus est Florentiæ apud Volcmanum Timan anno 1606. in 4. *Descriptio eremi Camaldulensis. Catalogus eorum insignium monachorum Camaldulensium, qui super diversas scientias scripserunt*; ms. in bibliotheca nostra sancti Michaelis de Muriano. *Vitæ SS. Johannis, Benedicti, Christini, Isaac & Matthæi Martyrum Camaldulensium* editæ anno 1603. iterumque anno 1605. Florentiæ. *Vitæ SS. Andreæ Zoerardi & Benedicti ordinis Camaldulensis*. Hoc anno 1620. Venetiis apud Modestum Junctam de Modestis in lucem emisit *Vitas beati Bogumili archiepiscopi Gnesnensis ordinis Camaldulensis, & piissimi Casimiri Poloniæ regis sancti Romualdi discipuli*. Vitam vero beati Johannis-eremitæ generalis Camaldulensis S. R. E. cardinalis episcopi Ostiensis ad Angelum Honuphrium generalem Camaldulensem protulit Florentiæ typis Ludovici Timan anno 1610. *Annales ecclesiastici Florentini lingua Italica*: opus a Silvano Ractio quidem inceptum, a Thoma vero auctum & ordine donatum ms. extat in bibliotheca Angelorum tributum Thomæ velut auctori ab Eugenio Gamurrino tomo II. de familiis Etruscis & Umbris, atque ab Oldoino in Atheneo Florentino. Farullius [a] in theatro historico eremi Camaldulensis memorat eruditum librum apologeticum nobilitatis Florentinæ, cujus auctor est Paulus Minius avus Thomæ.

[a] *Pag.* 169.

XXIII. Et Baptistæ Perullii ac Aloysii Gorii generalium Camaldulensium.

Decessere quoque Sebastianus Humanius Fabrianensis abbas, in Musica disciplina editis etiam libris excellens, Eutitius Galganus Senensis illustris doctrina & pietate prælatus, Aloysius Gorius Bagnacaballensis, & Baptista Perullius a Fabriano, qui ambo fuere hoc anno abbates generales congregationis. Scilicet in capitulo generali habito in monasterio sancti Nicolai de Urbe, cui ex apostolica Pauli V. deputatione præfuit cardinalis Camporeus protector, completo triennio decedens magistratu Perullius

lius ad regimen monasterii Uranensis fuit destinatus, locumque fecit die XIII. maji Aloysio Gorio, qui secunda vice abbas generalis ordinis est electus, sed eodem tamen anno vitam cum morte commutavit die XIV. novembris. Perullius similiter in bona senectute paucos post dies occubuit. Quare iterum congregati patres in abbatia Classis suffecerunt ad regimen universale congregationis Aurelium Pellicantem Veronensem, priorem tunc sancti Gregorii de Urbe, ex professione sancti Michaelis de Muriano die sexta decembris. Reliquit Perullius tractatum theologicum, in quo ex rebus creatis in cognitionem inducit veri Dei, qui extat ms. in bibliotheca sancti Michaelis. Gorius autem reliquit acta sui generalatus scripta & collecta a Jacobo Turricellio Faventino monacho, qui etiam funebri oratione ipsi parentavit. Laudantur Gorius & Perullius in epistolis a Benedicto Puccio, & postremus præsertim ob animi mansuetudinem. Visitatores hujus anni & sequentium cum Aurelio fuere Zacharias Castellanus Tarvisinus, & Desiderius Bardellonus alias Arrigonius ex urbe Mantuana. Obtinuit hac occasione Ægidius Marraccinus breve a Paulo V. ut procurator generalis interesset etiam his extraordinariis congressibus, qui ob mortem generalis cogebantur.

XXIV. De Guillielmi Cantarelli abbatis operibus.

GUILLIELMUS Cantarellus Ravennas, abbas, theologus & professus monasterii sanctæ Mariæ de Carceribus edidit hoc anno Venetiis typis Sessæ opus in materia de auxiliis divinæ gratiæ, quæ tunc valde disceptabatur, sub hoc titulo: *Jesu-christi mirabilium, ac imbecillitatis humanæ naturæ dispartita paraphrasis super diversas quæstiones*. Ediderat anno 1611. itidem Venetiis apud Bernardum Junctam & Johannem-baptistam Ciottum: *Variarum quæstionum in decem præcepta decalogi facilem resolutionem, ad hominem circa mores & Christianæ fidei mysteria præcipua instituendum*, quam dicaverat cardinali Scipioni Burghesio, una cum explicatione vigesimi capitis Exodi. Extant ipsius Guillielmi *de Virtutibus & donis Spiritus-sancti* ms. codex, & alter *de vita activa & contemplativa, & de vitiis oppositis*: Quæ duo apud Petrum Cantarellum sanctæ Agnetis Ravennæ parochum auctoris nepotem se vidisse testatur Hieronymus Faber. Obiit senex admodum Guillielmus anno 1634.

Visitata fuit mense julio eremus Taurinensis ab Isidoro Pentorio episcopo Astense ex commissione cardinalis Camporei protectoris, petitione ipsorum eremitarum, qui ab anno dumtaxat 1611. sollemniter visitati fuerant ab Angelo generali Camaldulensi, sed propter dissociationem monachorum ab eremitis abbas generalis Camaldulensis suspenderat visitationes. Porro episcopus omnia reperiit pietatem, decorem & ædificationem redolentia. Plura tamen decreta confecit, quorum aliqua approbata a cardinale protectore, aliqua vero non admissa, ne novitates inducerentur in antiquis constitutionibus & consuetudinibus eremitarum Camaldulensium.

XXV. Miracula B. Luciæ de Stiphonte.

MULTIS beata Lucia a Stiphonte miraculis claruit, quæ ex monialium sanctæ Christinæ incuria scripta non fuere. Hæc duo per ea tempora accidisse testis est Maurus Ruggerius ab Abbatia Pollicinii, qui conscientiam moderabatur earumdem monialium sanctæ Christinæ, apud quarum extra urbem sancti Andreæ de Ozano ecclesiam quiescebat corpus ejusdem beatæ Luciæ. „ Filius Liviæ Raynaldæ in discrimine vitæ adductus pri-„ stinæ sanitati restituitur, voto facto ab ejus matre, consilio monacho-„ rum nostrorum sancti Damiani de Bononia. Pluribus retro annis infir-„ mum absque ulla spe evadendi in lectulo detinebat religiosum quemdam „ conventus sancti Dominici Bononiæ morbus mortalis. Hunc quidam ejus „ ordinis amicus invisit, qui fortuito miraculum compedum in terra in-

ANN. CHR. 1620.

„ fidelium factum legerat, amicumque ægrotum impulit, ut votum erga beatam Luciam pro salute recipienda conciperet; eo igitur devote „ emisso convaluit, lectuloque surrexit. “

Johannes Theupulus patriarcha Venetiarum obtulerat Camaldulensibus eremitis abbatiam sancti Cypriani de Muriano adjudicatam mensæ suæ patriarchali, pro ædificanda ibidem eremo, idque voce pollicitus fuerat non confecto donationis instrumento. Generalis Carmelitarum excalceatorum eodem tempore intentus erat ad erectionem conventus sui ordinis in urbe Venetiarum; quare colloquio habito cum visitatoribus Camaldulensibus, expetitaque facultate a Petro Camporeo S. R. E. cardinale Camaldulensium protectore, egit, ut eremitæ Camaldulenses cederent Carmelitis abbatiam sancti Cypriani, ipsi vero secederent in insulam sancti Servuli, loco abbatiæ sancti Cypriani a patriarcha exhibitam; quod promptissime Camaldulenses fecere, renuntiantes introitibus abbatiæ locoque commodiori, ut eligerent locum magis solitarium, & eremitico instituto aptiorem, qualis erat insula sancti Servuli ab hominum consortio & frequentia remota. Extant literæ originales generalis Carmelitarum, cardinalis Camporei, & visitatorum Camaldulensium in archivo Rhuensi.

Paulus V. undecim congregationibus sex decimas imposuit pro subsidio imperatoris Ferdinandi in bello, quod susceperat contra hæreticos.

ANN. CHR. 1621.

XXVI. Ædificatio eremi Silvæ-aureæ sive Rithuanensis in Polonia.

JAM ab anno 1610. Gabriel Tenczyin palatinus Lublini, & comes Tenczyin ex familia illustrissima & nobilissima regni Poloniæ, admirans monasticam disciplinam, arctissimam solitudinem, & integerrimam vitam eremitarum Camaldulensium Montis-argentini, exemplo etiam & adhortationibus impulsus Nicolai Wolscki fundatoris primæ eremi in Polonia, divina movente gratia meditatus fuerat secundam eremum in Polonia condere pro domicilio & propagatione ejusdem ordinis Camaldulensis. Scripserat propterea ad patres capituli generalis Coronensis ejus anni, immo obtinuerat etiam commendatitias literas ejusdem WOLSCKI, offerens locum in ducatu Masoviæ. Verum cum iis annis congregatio Coronensis intenta esset pluribus fundationibus in Italia, enixe rogavit pium Polonum benefactorem, ut aliquantisper novæ eremi fundationem differret. Anno itaque 1617. iterum palatinus Gabriel, immo eremitæ Poloni Montis-argentini scripsere ad capitulares patres, qui ne viderentur in longum trahere vota illustris Palatini, demandaverunt duobus eremitis Montis-argentini, ut examinarent loca oblata, super quæ ædificanda erat eremus. Cum plura respuissent minus apta, idoneum situm reperere duobus milliaribus distantem ab arce Rythuany, quæ spectabat ad eumdem Palatinum, qui obtulit etiam villam sitam intra densissimam silvam, appellatam Silvamnigram, a Cracovia itinere duorum dierum dissitam. Accessit donationi etiam ipsius Palatini frater nomine Johannes, amboque literas dedere ad Coronenses die XIV. julii ejusdem anni, qui XVI. augusti assensum præbuere, dantes in mandatis, ut possessio nomine congregationis caperetur. Paucis interjectis annis obiit comes palatinus Gabriel frustratus pio suo desiderio, quod tamen enixissime commendavit fratri Johanni, qui postea fuit Cracoviæ palatinus. Hic tam nomine fratris, quam suo fundationem aggressus est tanto zelo, ut pietatem fratris superaverit. Aliis idcirco literis hoc anno 1621. promotum fuit negotium, confirmataque est fundationis exequutio, adjectæque sunt tres villæ in dotem eremi. Obtenta licentia ab episcopo Cracoviense Martino SISZKOWSKI, stipulatoque instrumento cum comite Johanne post biennium anno nimirum 1623. missus

est

est primus eremi novæ rector Silvanus Bosellus Venetus. Ædificata fuit ecclesia in honorem Annuntiationis beatæ Virginis Mariæ, primum lapidem ponente Palatino cum filiis suis, totaque decorata picturis celebris eremitæ Coronensis Venantii Itali. Fidem superat, quot vasa aurea & argentea, calices, planetas & ornamenta donaverit dilectæ suæ ecclesiæ Johannes. Inter cetera recensenda est pixis de purissimo auro, in qua quadraginta carbunculos & quatuor smaragdos fixit cum adamante, qui quadraginta mille florenos Polonicos æstimabatur, itaut jure merito donator voluerit, ut deinceps locus pro Silva-nigra appellaretur Silva-aurea. In sacrario visitur crux super membranam cum effigie Crucifixi solis literis exarata, per quas totum psalterium describitur. Postpositis negotiis aulæ ipse fundator cum filiis suis semper vacabat ædificio eremi & ecclesiæ, primumque lapidem sollemnissimo ritu posuit. Oravit ea occasione elegantissimis verbis mareschallus Wolscki in honorem Dei, palatini Johannis, & Camaldulensis religionis. Cum arderet siti filius comitis, & potum sumpsisset in nova ecclesia, quæ ædificabatur, pater eum duriuscule increpavit, quod in rudi licet ædificio, quod erat Deo dicatum, potum sumere non erubuisset. Dicebat idem palatinus eremitis: „ Gaudeo vos „ laboribus, jejuniis, asperitate vitæ conteri, sed ecclesiam vestram volo „ ornatissimam, ditissimam, ac auream ædificare vellem ad majorem Dei „ cultum. “ Obiit piissimus fundator anno 1637. ætatis 56. & tumulatus jacet in ea ecclesia, in cujus sepulcri lapide marmoreo legitur: *Dum adhuc ordirer, succidit me.* Monimentum autem ei erectum est hujusmodi: *Johannes magnus in Tenczyin & sacri Romani imperii comes, palatinus Cracoviensis, Plocensis, Radozicensis, Zarnovieciensis, Cermnensis capitaneus, ultimus virorum de Tenczyin, quam una cum vivis fratribus voveram, Gabriele Palatino Lublinensi, & Andrea Castellano Belzensi comitibus in Tenczyin, in hanc superstes numini æterno, magnæque matri Mariæ & Divis omnibus ædem & aram doque dedicoque, Urbano VIII. Romanæ ecclesiæ, Sigismundo III. regni Poloniæ P.R.S.S. Anno salutis* M.DC.XXIV. *Kalendis maji.* Cum successisset in hæreditatem familiæ Tenczyin Lucas Opalinscki mareschallus regni, repetiit anno 1643. ab eremitis adamantem, quem eis donaverat palatinus Johannes, asserens id donum esse regis Galliarum, quod a familia alienari nequiret. In eadem eremo tumulatus fuit anno 1704. Stanislaus Opalinscki capitaneus Neocorcinensis cum sequenti memoria: *D.O.M. Ad hoc saxum allisa Opolensciæ domus navi magnum Argonautam Stanislaum Bnin in Tenczyin Opalinscki capitaneum Neocorcinensem in mare mortuum præcipitavit prodiga funerum Parca, ne in gentes merces, id est nomen & gloria tristi subsint naufragio, pretiosior Hermo, Tago, Gange, Pactolo, Srzeniara extulit fructus gentilitios, juvante luctu, lacrymis, suspiriis, & cura Elisabethæ Lubomirscik, Adami Sieniauscki Palatini Belzensis supremi exercituum regni ducis nuptæ, hic vero tumulati ex sorore neptis, nec in hoc litore morabitur te hospes litera, claritudinem majorum, præstantiam morum, fugam oblatorum honorum. Parum in frequenti virtutum concursu Deus non exprimit. Incapax est loculus, qui tegit cineres, & oculus, qui legit merita, ut omnia in Annalibus posteritatis & æternitatis connotata comprehendat. Ergo vale viator, pro memorato archithalasso solve naulum, ut Maria portus beatæ æternitatis & Deus faveant hic deposito. Obiit anno Domini* M.DCC.IV. *die secunda mensis junii ætatis suæ* LVII. Hæc maxima ex parte eruta sunt ex relatione fusa hujus eremi Rythuanensis exarata a Johanne Advogario eremita, & ex aliis relationibus posterioribus patrum eremitarum Polonorum.

OBIIT

ANN. CHR. 1621.

XXVII. Obitus Benedicti Puccii monachi Camaldulensis.

OBIIT hoc anno Benedictus Puccius monachus Camaldulensis die secunda julii in monasterio sancti Martini de Opitergio, ubi postremis suis diebus morabatur, purioris fortasse aeris spirandi gratia, ut liquet ex libris hujus loci. Quandoquidem vero paucis nota sunt ejus vita & opera, non injucundum erit hic simul colligere, quæ de Puccio scimus, vel quæ ipse de se scripta reliquit. Romanus patria, Cosmus in seculo vocabatur, a secretis fuit cardinalis Aloysii Estensis, quocum familiariter vivens quotannis, temporibus præsertim hebdomadæ sanctæ, cum ipso secedebat in aliquod monasterium, ut in illud sancti Bartholi, cum erant Ferrariæ, & in abbatiam Calensem decem & octo leucis distantem ab urbe Parisiorum, cum erant in Galliis. Parisiis degebat tempore obitus Caroli IX. ex qua urbe in Italiam una cum equite Antonio-maria Zerbinato ipsum destinavit cardinalis obviam Henrico III. qui ex Polonia Gallias repetebat. In Gallias regrediens Puccius vitæ periculum ex improviso ventorum turbine subiit. Rediit postea in Italiam ad Romanam urbem, ex qua Mediolanum profectus est alloquuturus cardinalem Carolum Borromæum propter pensionem super quamdam abbatiam, & conferens cum ipso discrimen, quod evaserat, hortatorem habuit, ut religioni alicui observanti se adiiceret. Redux in Galliarum regnum, visa mutatione Julii Coccapanis, qui ex auditore cardinalis societatem Jesu ingressus fuerat, audita morte avunculi sui rectoris sanctæ Mariæ Cryptæ Pintæ in Urbe, cum esset in abbatia Calensi in solitario recessu, & tempus Quadragesimæ invitaret, pias doloris & compunctionis lacrymas descripsit septem spiritualibus cantibus, & habito cardinalis assensu, cui decem & octo annis inservierat, in Italiam reversus est, & habitum monasticum induit in monasterio sancti Michaelis de Muriano, in quo decanus cum esset præsenti anno, cantus hos in publicam lucem emisit typis Baretii Baretii cum aliis carminibus tum Latinis, tum Italicis. Sexaginta annos natus, & viginti sex in monachorum congregatione commoratus, cupiebat anno 1604. ad eremitas Taurinenses transire, ut liquet ex ejus epistola ad Alexandrum Cevam data die decima junii ejusdem anni. Ætas sexaginta annorum, quam sibi tribuit, late est explicanda; natus enim anno 1540. sexaginta quatuor annos complebat anno 1604. Seculo autem tergum vertit circa annum 1578. octuaginta & unius annorum curriculo emenso ex testimonio inferius adducendo decessit præsenti anno 1621. Puccii opera, quæ partim lucem viderunt, partim mss. asservantur, sunt sequentia: *Dialogo della perfezione cristiana dedicato a monsignor Octavio Abbiosi vescovo di Pistoja*: Ravennæ 1604. Cum Abbioso Ravennate Puccius Venetiis familiaritatem inierat. Erat Abbiosus consiliarius majestatis regis catholici, factus inde Pistorii episcopus & commendatarius abbas abbatiæ nostræ de Silva-munda. In iis dialogis elogium texit Puccius cardinalis Estensis, quocum se vixisse asserit decem & octo annis, & congregationem Camaldulensem magnam jacturam fecisse obitu dicti cardinalis affirmat. Interlocutores dialogorum sunt Johannes-ludovicus Pasolinus generalis ordinis Camaldulensis, magister, discipulus, pauper mendicus. *De Religione vitæque monasticæ perfectione ad Augustinum de Balneo abbatem generalem, ceterosque Camaldulenses cum nuncupatoria ad Simeonem Perusinum sacræ eremi Majorem*: Venetiis 1607. *Giardino de fiori spirituali, overo compendio delle croniche de frati Minori*: Venetiis 1608. Hoc opus commemorat in Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis edita Hamburgi anno 1734. Johannes-albertus Fabricius [a]. *Nuova idea di lettere usate nella segretaria de' Principi libri IV.* Venetiis 1621. Editio sexta præcedentibus longe auctior & emendatior,

[a] Lib. VI, pag. 577.

datior. Primo loco apologiam sui facit Puccius, eo quod se inscio Johannes-baptista Ciottus Perusinus primum hocce opus typis ediderit. Ait se senio confectum, Romæ natum, annorum octuaginta plus uno degere in monasterio sancti Michaelis de Muriano, ut ubi, Deo dante, gratiæ spiritum renatus acceperat, ibi quoque spiritum vitæ redderet. Succedunt varii generis epistolæ, quibus interseruntur *Apologia pro domo Austriaca*; sermo *de Phœnice* ad cardinalem protectorem Camporeum; *oratio in obitu cardinalis Estensis*. Secundus liber complectitur sermonem *de indole & de charactere secretarii*, variaque genera epistolarum, tractatum *Ortographiæ*, excursum *de vera Amicitia*. Tertius liber continet dumtaxat epistolas. Quartus epistolas & collectionem sententiarum ex Tito-livio, Tacito, Thucidide, Jovio aliisque scriptoribus. *Genealogiam* quoque consarcinavit familiæ Frangipaniæ Romanæ antiquissimæ ex Aniciorum, Leonum, Pierleonum gente, ex qua etiam Michaelia Veneta domus defluit: Venetiis 1621. *Nova additamenta ad vocabularium ecclesiasticum Johannis-bernardi Fortis*: Venetiis apud Jacobum Sarsinam 1623. in qua editione adest etiam Puccii *tractatus de gemmis & earum natura*. *Lettere spirituali*: opus ineditum. *Preparazione dell' anima alla divina grazia di D. Benedetto Veneziano ampliata da D. Benedetto Pucci*: Venetiis 1606. Paraverat adnotationes in Tacitum, quas non edidit. Quoad epistolas prima editio spectat ad annum 1608. quo eas dicavit Octavio Tassonio Ferrariensi commendatori sancti Spiritus in Saxia de Urbe, & comiti. Super vera & ficta amicitia scripsit ad Honuphrium & Paulum Camporeos nepotes cardinalis Petri Camporei ex disciplina Benedicti Manzuoli episcopi Rhegiensis. Quoad lacrymas pœnitentiales silentio non est premendum plagium in earum editione Puccium commisisse, quippe quæ fœtus sunt Germani Vecchii monachi Camaldulensis, ut vidimus ad annum 1574. Ceterum Puccius *clarus humaniorum literarum cultor*, *non minus Latine quam Italice doctus & elegans*, aliisque egregiis encomiis effertur a Hieronymo Ghilino in theatro Literatorum parte prima. De illo etiam Philippus Labbæus in Bibliotheca bibliothecarum, Antonius Teisserius in Catalogo auctorum, Oldoinus in Atheneo Ligustico, Prosper Mandosius Bibliothecæ Romanæ tomo primo centuria V. Cionaccius in historia beatæ Humilianæ de Cerchis, aliique.

XXVIII. Et Pauli Bazzolani eremitæ.

REFERT sub hoc anno Severus Senesius [a] obitum etiam Petri Bazzolani piissimi eremitæ Camaldulensis Abbatiensis J. V. D. qui ex vicario episcoporum in solitudinem Camalduli secedens, Majoris, & postea etiam generalatus dignitatem in congregatione monachorum & eremitarum obtinuerat anno 1600. Septuaginta & octo annos natus decessit die tertia octobris, præsagus ante aliquot menses proximæ suæ mortis; nam post matutinam synaxim qualibet die in chorum rediens palmam in manu gerens, & altera candelam benedictam accensam, orabat Dominum, ut ad se advocaret absque fratrum molestia, & sine silentii jactura; die itaque sancto Hieronymo sacra, cujus nomen in seculo gerebat, apoplexia correptus, post tres dies animam creatori reddidit, vir piissimus, orationibus semper intentus, abstinentiis & carnis macerationibus addictissimus. Adeo tenaci memoria pollebat, ut capita integra sacrorum bibliorum, vel doctorum ecclesiæ recitaret. Tractatum legalem edidit Cæsenæ, quem Florentinis typis ampliatum & denuo impressum dicavit Paulo V. Florentiæ etiam apud Bartholomæum Sermartellium edidit: *Theorema gestorum Thamar nurus Judæ ad laudem beatissimæ virginis Mariæ, quæ duxit ortum de tribu Juda*: anno 1617. Probat Paulus in hoc libello via legali

[a] *Pag.* 102.

filios

Ann. Chr. 1621.

filios Thamar fuisse legitimos. Hoc eleganti elogio honestatur Paulus ab Hippolyto Marraccio in Bibliotheca Mariana: *Vir præter exactam in utroque jure cognitionem, divinarum Scripturarum peritia ac religiosarum virtutum merito admodum insignis*. Dignum est, quod hic referatur etiam pulcherrimum Antonii Carnesechii Florentini anagramma in ipso libro Pauli impressum: *Paulus eremita Camaldulensis J. V. D. Tu luci divæ Mariæ laudes psalmas*. De eodem Paulo ex nostris præter Senesium mentionem facit Minius in Catalogo generalium.

XXIX. Historica monumenta collecta.

Eremum Camaldulensem visitavit hoc anno Ranutius Farnesius dux Parmæ & Placentiæ, ac contribuit pro ædificatione cellæ sanctorum Johannis & Pauli pecuniarum summam.

Cum Augustinus Caballus Pontremulensis abbas sancti Michaelis de Burgo Pisarum novam capellam ædificasset in sua ecclesia, & alteram clausisset, in qua jacebat in marmorea capsa corpus beati Dominici Vernagalli, egit cum vicario generali capituli Pisani sede vacante, & cum canonicis, ut sibi liceret ad recens extructum altare transferre idem sacrum corpus. Facultate obtenta post revisionem factam a duobus canonicis Troncia & Basichi, ac post instrumentum rogatum a cancellario capituli canonicorum, deposito etiam corpore ex marmorea capsa in cypressinam, orta est controversia inter abbatem & canonicos; hi siquidem sacrum corpus deferre de loco in locum volebant, quibus se opposuit abbas, qui præterea coactus est supplicem libellum offerre sacræ congregationi concilii pro impetranda translationis facultate. Die, qua translatio peragenda erat, multa mirabilia ad sancti viri tumulum patrata sunt; quæ omnia propterea congessit abbas, ut ab eadem sacra congregatione copia sibi fieret transferendi idem sacrum corpus repertum eo tempore integrum.

Gregorius XV. qui electus fuerat hoc anno Romanus pontifex post obitum Pauli V. revocavit privilegium, quod regulares habebant, & Camaldulenses a Johanne XXII. eligendi & tenendi conservatores jurium & bonorum suorum monasteriorum, qui tamen apud Camaldulenses eremitas perseverarunt eo & sequentibus annis ad normam modificativam dictæ constitutionis. De Gregorio XV. refertur, quod licet mala valetudine esset affectus, non postponebat frequenter adire ecclesiam sancti Gregorii de Urbe, ibique sacrum facere, ac Camaldulenses monachos benigne visere.

Innocentius Tantardinus Britonoriensis monachus Camaldulensis hoc anno edidit spiritualia carmina in laudem beatæ virginis Mariæ de Lacu ejusdem Britonoriensis diœcesis, quæ collegit & Cæsenæ in lucem protulit Oratius Tedeschi a Massa Lombarda, ea dicans Petro Victorio Herculanio abbati sanctæ Mariæ de Urano, ubi etiam adest historia celebris iconis Deiparæ, a Lacu nuncupatæ, breviter ibidem descripta. Laudes ejusdem Virginis Bononiæ etiam ediderat Innocentius ante biennium, & de Morte Christi poema heroicum Florentiæ.

Petrus Camporeus S. R. E. cardinalis ordinis Camaldulensis protector destinatur a Gregorio XV. ad cathedralem Cremonensem ecclesiam, quam usque ad annum 1643. nonagenarius rexit. Non dereliquit tamen ordinis protectionem, sed cum ob episcopatum præsens Romæ esse non posset, viceprotectorem constituit Dominicum Rivarolam Januensem alterum S.R.E. cardinalem. Petro eunti ad ecclesiam suam frequentes Camaldulenses prælati occurrerunt, qua transiturus erat, signaque dedere tum eorum mœstitiæ pro ejus recessu ab Urbe, tum æstimationis & obsequii, quos blande consolatus est beneficentissimus cardinalis, pollicens etiam absens protectionem suam.

QUAN-

ANN. CHR. 1621.

QUANDOQUIDEM in his Annalibus pluries mentionem fecimus familiæ Priolæ ex patriciis Venetis antiquissimæ & beneficentissimæ erga monasterium sancti Michaelis de Muriano, in cujus ecclesia sacellum etiam obtinet, & frequenter memoratæ in epistolis Petri Delphini, non abs re hic loci subjicimus majorum hujus familiæ sepulcralia monumenta hoc anno primum apposita eorum memoriæ. *Petro Priolo senatori clarissimo & divi Marci ecclesiæ procuratori integerrimo filii pientissimi P. B. M. Posuere.* Obiit is ex epistola [a] Petri Delphini anno 1493.

Sebastiano Priolo juris utriusque doctori, literis Græcis, Hebraicis, Chaldaicis eruditissimo, sapientia, eloquentia facundissimo, Nicosiæ regni Cypri archiepiscopo integerrimo Petri procuratoris filio annorum XLII. *obiit die* II. *octobris* M. D. II. *Hieronymus Priolus nepos patruo reverendissimo posuit*. Sebastianum tunc protonotarium apostolicum memorat idem Delphinus epistola ad ipsum scripta.

Aloysio & Johanni Priolis fratribus Petri divi Marci procuratoris filiis, quorum alter anno salutis M. D. XXIX. *procuratoriam dignitatem adeptus, semel & iterum inter principatus petitus est candidatos. Alter post multos magistratus innocentissime gestos anno Domini* M. D. XXXIII. *consiliarius renuntiatus, Rempublicam diu quassatam opibus ambo operaque & consilio firmarunt, Franciscoque ex Laurentio fratre eorum nepoti, atavo senatori probitate, pietateque conspicuo anno Christi* M. D. XL. *ætatis suæ* LXIII. *defuncto. Hieronymi primus, secundus, tertius, Petrusque Prioli fratres & nepotes P.* M. DC. XXI.

Laurentio de Priolis senatori consumatissimo in republica forisque amplissimis honoribus functo Petri procuratoris filio annorum LXXII. *obiit die* XXIII. *septembris* M. D. XVIII. *Paulæ Barbadico Hieronymi procuratoris sancti Marci Patriæ Patris filiæ, matronæ integerrimæ annorum* LXXIII. *Obiit die* XVIII. *Hieronymus primus eorum filius parentibus meritissimis posuit.*

Constantino Priolo Francisci filio, avo senatori omnibus numeris absoluto, Vicetina præfectura, Bergomensi Cremensique præturis integerrime perfuncto anno salutis M. D. LVIII. *& ætatis* XLVI. *mortuo. Franciscoque Constantini filio patri, senatori amplissimis innumeris magistratibus, præfecturis & legationibus obitis domi forisque, & difficillimis reipublicæ temporibus patriæ charissimo, ingenio, virtute, fide, justitia, facundia & constantia claro anno a partu Virginis* M. DC. XX. *ætatis suæ* LXIV. *vita functo Hieronymi primus, secundus, tertius, Petrusque Prioli fratres, filii & nepotes M. P.* M. DC. XXI.

Ad aliam Priolam familiam spectat sequens monumentum, quod existit in eadem ecclesia: *Monumentum a nobilissimo ac integerrimo viro Veneto Dominico Priolo II. generosi Jacobi, ex vico sancti Severi sibi & posteris suis conditum.* M. D. I. Postremo ad alteram familiam pertinet, quod sequitur: *Petrus Priolus Benedicti filius habitator sanctæ Sophiæ sibi suisque posteris P.* M. D. XI. Hic pater est Andreæ nominati cum patre in epistolis Delphini [b], & Eusebii monachi sancti Michaelis, inde episcopi Veglensis.

a *Lib. XII. ep.* 18.

b *Lib. IX. ep.* 94. *& Lib. X. ep.* 27.

ANN. CHR. 1622.

XXXI. Proditoria occisio Angeli a S. Angelo in Vado eremitæ.

PRÆSENTI anno sub die undecima septembris cum ad matutinas preces recitandas e cellula eremi Camaldulensis egrederetur, & ad ecclesiam pergeret Angelus de Honuphriis a Sancto-angelo in Vado eremita, & tunc Major eremi, quod officium quatuor vicibus gesserat, & semel illud abbatis generalis, a sacrilegis violenta morte interemptus fuit. Im-

Ann. Chr. 1622.

pium facinus tribuitur Friderico-ubaldo principi filio unico Francisci-mariæ a Ruvere postremi ducis Urbinatis, & domini ejusdem urbis Sancti-angeli, qui Fridericus insidiatus fuerat honestati neptis dicti Angeli Majoris, hic vero ut neptem subtraheret a tentaminibus ejus principis, eam traduxerat in quoddam monasterium Arretinum. Ferunt aliqui barbarum paricidium per se peregisse impium principem, alii opera ministrorum suorum. Nuntio apostolico in dominio Florentino tantum scelus statim delatum est, sed incassum quæsiti occultæ cædis auctores, multique innocentes examinati & torti. Demum ipse pater Urbini dux duci magno Etruriæ Ferdinando II. rem detexit, filius vero ipsius subitanea & funesta morte post annum interiit. De hac sacrilega cæde mentionem facit Michael Losanna monachus Camaldulensis in sua historia ms. aliamque causam adducit: „ Dum adhuc, inquit, præ manibus regulam sancti pa„ tris Benedicti haberem, necnon ad constitutiones Camaldulenses, quas „ profiteri cupiebam, attenderem (hoc enim anno Michael ex Urbe patria sua se receperat ad cœnobium sanctæ Crucis Fontis-avellanæ pro induendo habitu Camaldulensi) infaustus nuntius per literas allatus est. „ Nuntiaverunt literæ ex Etruria, quod Angelus a Sancto-angelo in Va„ do eremita, qui fuit generalis totius congregationis, & tunc sacræ ere„ mi erat Major, a quibusdam filiis iniquitatis aggressus, atque in capi„ te semel & iterum percussus interiit. Suspicati sunt nonnulli, quod „ cum defunctus eremita subditus esset serenissimi Urbini ducis, ac idem „ serenissimus monita & consilia patris non parvifaceret, idem non solum „ timore Domini excitatus, sed etiam ob amorem erga suum principem „ motus, eidem domino suo literas miserit, commonentes illum de prin„ cipe filio, & quod esset sua pietate indignum, ut filius tam degenera„ ret a patris gravitate, & tanta libertate Deum & subditos offenderet. „ His & similibus permotus dux principem filium vocat, acriter corri„ pit, & ultra minatur. Sed malus princeps pejor factus, de eremitæ „ literis certioratus, odio ardens in eum, homicidium, ut ajunt, impera„ vit. Quæ res, si se ita habet, non erit mirum, si mors principis non „ paulopost sequuta sit, & quod pejus est, instantanea fuerit, & sine ec„ clesiæ adjutoriis. " In bibliotheca [a] eremi Camaldulensis extant: *Stanze volgari in lode di D. Angiolo Onofri di S. Angiolo ucciso*; in quibus auctor Angelum martyrem facit. Ceterum præfatus Losanna laudat Angelum, quod comitate & gratia non vulgari esset donatus, ut facile omnium sibi amorem conciliaret, atque æstimatione valeret non dumtaxat apud ducem Urbini, sed & apud duces Etruriæ, Sabaudiæ & Parmæ; cum illo Sabaudiæ, opera Alexandri Cevæ, tractatum habuit de ineundo matrimonio ejus filii cum filia ducis Etruriæ, quam propositionem dux Sabaudiæ non rejecit, sed respondit se velle prius alium expedire tractatum cum sorore regis Galliarum Christina, qui etiam exitum feliciorem habuit, desponsata Christina cum Victorio-amadeo filio Caroli-emmanuelis ducis. Gratus etiam & acceptus fuit Angelus patribus reipublicæ Venetæ, & cardinalibus fere omnibus temporis sui. Professus fuerat in eremo Camaldulensi die nona junii anni 1583. Adversatus est mordicus Alexandro Cevæ, sed ita demum cum illo se conciliavit, ut licet generalis non alio quam filii titulo se subscriberet in epistolis ad ipsum ætate & professione majorem frequentissime datis.

[a] Num. 33.

XXXII. Pia mors Johannis Chiotassi oblati Pedemontani.

Alter, sed meliori sorte decessit hoc anno eremita in solitudine Pedemontana Belli-montis Johannes Chiotassus vel Galliottus Buscæ oriundus nonagesimo ætatis suæ anno. Hic habitu pœnitentiæ indutus pluribus annis

nis ante adventum eremitarum Taurinensium Deo conjunctus custos erat ecclesiæ beatæ Mariæ Belli-montis, de qua diximus ad annum 1614. Advenientes proinde eremitæ moti sanctitate vitæ Johannis in eorum cœtum ipsum admiserunt, & ob grandem ætatem sub habitu oblati receperunt. Qui tanto beneficio gratus se totum addixit ipsorum servitio, & insuper cultui imaginis beatæ Mariæ. Ad eum populi, ad eum pueri confluebant, & innocentia ejus capti illi jugiter adhærebant. Tanta erat ipsius simplicitas, ut quamdam Virginis statuam adigeret ad gratias curationum perpetrandas, minitans etiam se eam derelicturum, nisi preces suas exaudiret, vel certe aeris inclementiæ expositurum. Aliquando aquam in vinum convertit; frequentibus apparitionibus ipsius beatæ Virginis fuit dignus. Lupo sibi obviam facto inter densissimam nivem imperavit, ut recederet, sibique viam præberet. Per octo annos Camaldulensem habitum gestavit, post quos ea ipsa die, qua Missæ inservivit, & vespere, quo pulsavit campanam pro Ave maria, XVII. septembris expiravit. Sequitur elogium ipsius, fœtus nostrorum eremitarum Taurinensium, fusiore calamo descriptum.

Frater Johannes de Chiotassis a Busca, alio agnomine Calliotus, commissus noster, non genere, sed ingenito animi candore nobilis, pieque educatus, vir simplex & rectus, ac timens Deum, recedensque a malo omni tempore, ad bonum quoque non mediocriter applicuit; domesticis ad victitandum negotiolis intendens, christianisve exercitiis vacans, corruptione seculi atque periculo pro ingenii sui modulo serius consideratis, deserta petere decrevit, ut liberius Deo inserviret, loquentemque ad cor suum absque distractione, mundive a strepitu remotus audiret, labore manuum & in parvo ad olera excolenda horto, & ad quæstum in necessitatibus extendendo victurus, nondum tamen, quo hæc fierent, selegerat. Fidelem devotumque hunc famulum expectabat beata semper virgo Maria sub ligneo simulacro in vetusta Belli-montis ædicula permanente sacellario expers, solaque gratiarum signorumve redundantia celebris, quæ facillime a filio suo puero Jesu in effigie inter ulnas gestato, qui corpore grandior factus voluit parvulos venire ad se, Johannem jam ad meliora conversum ac docilitate parvificatum, inspiratione peculiari pro æditimo suo vocari obtinuit. Interiori nempe motu actus ivit, delicias invenit suas, & constanter tenuit. Optimis videlicet religiosis moribus præditus, Tertiariorum sancti Francisci, ut mos est, tunica contectus ad carnem, augustissimam universi reginam tenera & fiduciæ plena devotione colens ab hanc sublimitatem pervenit, quam multi sapientes ac seculi prudentes non assequuntur. Post pensas voce preces, quæ meditationem aut præibant, aut sequebantur, aut ipsam ingerebant, laborabat manibus, ne unquam eum diabolus otiosum reperiret. Præcipua tamen occupatio corporalis erat, & in eadem dilectæ dominæ suæ domuncula verrenda, repolienda, concinnanda, venientibus aperienda, quam & festorum primo vespere juxta solemnitatum qualitatem ornatius pro paupertate sua parabat. Non mirum ea propter, si liberalior fiebat quotidie ipsa domina sua in stipendiis erga pium diligentem servum, donis potioribus augens usque ad raram dignationem, ut se repetitis apparitionibus ei conspiciendam præberet, cum eoque sermocinaretur, prout fama est pervulgatum. Quæ autem forent gratiosa hæc atque utilia colloquia, quas petitiones vicissim responsaque miscerent, quæve perfectionis instructiva præcepta scientiæ cælestis magistra humili discipulo daret, ignoratur. Non latet quidem, quam potens opere ac sermone apud ipsam fuerit Johannes, nam ad quaslibet cum pro se, tum pro aliis postulationes, in quibus nec fatigabatur, & a quibus nonnisi post obtentas desistebat, divinæ gratiæ matrem opitulatricem habuit, & si

ANN. CHR. 1622.

& si quando non audiri videretur, innocenti simplicitate sua custoditam veneratamque statuam illius exponere sub dio minabatur, quod & facto aliquando complevit, seorsum e capella noctu reponens, donec pro ejusdem benignitate, quam pro sua reverentia flagitata impetraret. Nunc pluviam in siccitate, nunc illa nimium ingruente serenitatem aeris implorabat, nunc ægros, & afflictos & tentatos commendabat. Quod item descensus ad frugiferam supradicti frequentioris oppidi planitiem Euri, Aquilonisque vehementiis expositus, & ad alios circumstantes pagos nec facilior, nec ad subsidia utilis propter alpium propinquitatem copiosis nivibus in hieme vallatus sit, non raro sibi deficiebat annona, quæ præter naturæ ordinem immissa est ei, aut crevit in repositorio. In eremi Camaldulensis illa plantatione, cui sanctæ Mariæ seu nostræ dominæ Belli-montis nomenclatura remansit a memorato veteri sacello, circumquaque jam tum celebrato, postea collapso & decentiori subinde forma extra religiosæ domus ambitum nova molitione excitato, idemve simulacrum continente, a patribus Johannes inventus est ædituus & custos, pœnitentiæ in longæva canitie saccum gestans, eidemve curæ juste relictus, tametsi oratorio illo provisionaliter ad sacra celebranda, officiaque divina persolvenda uterentur. Ob virtutum mox ipsius, diuturnæve mansionis meritum senio propemodum confectus, at spiritu vegetus, Oblati expetito habitu donatur, quem perfectissima sui status observantia, multisve sanctis supererogationis operibus decore ornavit, ostendens cui spirituali palestræ agonotheticam operam primitus dedisset. Superna imposterum adhuc gratia, donisque gratuitis tam locuples apparuit, ut cum jam ibidem Camaldulenses consederent, brumali tempore victu communitati deficiente, dum per angustum callem alta nive medium strenuus Oblatus Buscam commeatum quæstaturus fessa membra baculo sustentans iret, ecce obviam sibi, ubi neuter alterum declinare poterat, fit ingens lupus, quem simplex fideque roboratus ille rogavit dicens: Abscede frater, meque iter sine reliquum perficere; *quod audiens & quasi ratione præditum ferox animal intelligens, famis rabidæque indolis oblitum se per immensam nivium congeriem e latere proripiens, viam Dei famulo concessit obtemperando. Aquam etiam alia necessitatis urgentia in vinum abunde convertisse narratur, ac mirabilia nonnulla patrasse, quæ nec spernenda, nec scripta invia forte solitudo contexit, sicut familiares pretiosasque cum cœlitibus collocutiones mutuas, internasque virtutes, utique silentio potissimum commendatas. Enixe flagitaverat, ut obsequuta Domina sua, propria ad decrepitam urgente servitute, digniorem aliquem famulum sibi successorem adscisceret, aut quo meliori eidem videretur medio, debitum augeret cultum. Adventantibus igitur ibi novæ coloniæ Romualdinæ satoribus, quorum eremiticus ordo beatissimæ virgini Mariæ specialiter addicitur, singularique fruitur patrocinio, horum sibi placita conversatione perspecta, seque religioso eorum cœtui adnumeratum gaudens, cum evangelico illo sene postalabat in pace, secundum sibi factum verbum a Domino dimitti, Dei etenim salutare se oculis suis vidisse in illa fundatione arbitrabatur, paratum ante faciem omnium viciniæ populorum; patresque tamquam lumen esse ad revelationem gentium seculi amore obcæcatarum, & gloriam plebis Israel seu videntium Deum. Plane in tali consortio, quod juxta cor suum erat, spiritu jucundabatur, verumtamen & a vinculis carnis dissolvi, ac esse cum Christo, Matreque ipsius virgine cupiebat, incolatum suum in mortali exilio sic prolongatum lamentans. Quid hic diutius immoror? dicebant sua desideria: Quis mihi det, ut te fratrem Jesum sugentem ubera matris meæ inveniam hinc foris, & deosculer te, heramque meam, quæ me dignanter ut filium*

tulit

tulit & fovit, visu, qui non caligat, aspiciam? Audita de cœlo fuit suspirantis animæ deprecatio. In oblati Camaldulensis tunica probisve operibus Johannes ad octennium circiter in senectute bona supervixit, defunctus nempe nonagenarius die sabbati Deiparæ sacra, septima vero decima septembris anni M.DC.XXII. *senio, non morbo confectus, postquam conventuali Missæ, ut solebat, adstitisset, signumve communitati Angelicæ salutationis, quod onus sibi destinaverat, ipse dedisset. Divulgata obitus notitia sub vespere, accurrerunt postridie plurimi funeri Sancti, ut ajebant, interesse solliciti, devote manus pedesque cadaveris animæ beatitudinem probabilem spirantis exosculantes, usquedum in oratorio antiquo suo humi conditus fuit. Venerabilis autem nomen publica tunc ei voce attributum hodieque perdurat.*

ANN. CHR. 1622.

XXXIII. Et Paschalis Ciconiæ episcopi Arbensis.

Ex cœnobitarum Camaldulensium genere mortem oppetiit Paschalis Ciconia Venetus ex monacho & abbate Carcerum episcopus Arbensis. „ Nondum, inquit Losanna in suis Memorabilibus, probationis annum „ expleveram, cum literæ redditæ fuerunt Paschalem Ciconiam nobilem „ Venetum episcopum Arbensem filium serenissimi ducis Venetiarum Pa„schalis Ciconiæ e vita discessisse. Hic præfuit monachus titulo abbatis „ monasterio sanctæ Mariæ a Carceribus, & ex abbate a Clemente VIII. „ in memoriam ejus patris creatus episcopus Arbensis in Dalmatia, am„plioribus promissis dignitatibus, quas obtinuisset, si in literis magis ver„satus fuisset. In episcopatu tamen laudabiliter se gessit, redditus ipsius „ auxit, ecclesiamque sacris vestibus ditavit, domum episcopalem amplia„vit, sed quod dignius laude fuit, ovibus suis veri & optimi parentis, „ & pastoris exempla præbens in bona senectute quievit. “ Hæc Losanna, qui in pluribus fallitur. Paschalis Venetus erat ex familia Padavinia, professus in abbatia Carcerum anno 1566. die XXIX. augusti; anno 1587. regebat ipsum Carcerum monasterium, & anno sequenti assumptus est a Sixto V. prece Paschalis Ciconiæ Venetiarum ducis ad Arbensem episcopatum. Adoptavit Paschalis grati animi ergo nomen familiæ Ciconiæ, cum dux Paschalis nunquam uxorem duxerit, aut filios genuerit. Reliquum narrationis Losannæ cum veritate concordat. Quod etiam confirmatur ex historia ms. monasterii Carcerum scripta a Romualdo Blanco monacho, qui hæc habet: „ Anno 1588. in comitiis generalibus habitis Ravennæ „ in monasterio Classensi confirmatur Paschalis ad abbatiam Carcerum, „ quo anno in gratiam serenissimi Paschalis Ciconiæ reipublicæ Venetæ „ ducis per sanctissimum D. N. Sixtum papam V. ad episcopalem cathe„dram assumptus paulopost Arbensis episcopus declaratur, quare Petrus „ Camaldulensis generalis una cum visitatoribus, ut prædicto Sanctissimo „ D. N. rem gratam facerent, ad preces cujusdam consanguinei infrascri„pti patris, qui tunc de familia antedicti pontificis erat, elegerunt ad „ abbatiam Carcerum Philippum Piscinum Faventinum professum mona„sterii sancti Mathiæ de Muriano. “

XXXIV. Collectio historica monumentorum.

Eremitis portæ Angelicæ Urbis, quos fundaverat, ut ajunt, oblatus Camaldulensis, mandatum fuit, ut unionem expeterent cum eremitis Camaldulensibus Etruriæ; sed unio effectum non habuit; ipsorum aliqui transierunt ad eremitas Taurinenses, vel etiam transierant ante hunc annum.

Ab anno 1529. libri eremi Camaldulensis servabantur in cubiculo super sacrarium. Faustus Sabæus custos Vaticanæ bibliothecæ eremitas hortatus est ad bibliothecæ fabricam anno 1549. sed præsenti dumtaxat anno constructæ fuere duæ mansiones ad usum librorum, contiguæ cellæ ducis Parmæ, inde ædificata est ampla & insignis bibliotheca, in qua studio & labore eremitarum, & præsertim ultimis temporibus Eduardi Baron-

Ann. Chr. 1622.

roncinii celebris collectoris chartarum, codicum & antiquorum monumentorum ejusdem sacri loci, dispositi sunt optimo ordine tum mss. tum editi libri, cum locupletissimis indicibus.

Gregorius XV. pœnam excommunicationis latæ sententiæ protulit in deferentes arma in ecclesiis eremitarum Montis-coronæ diebus festivis, quibus licitum est mulieribus eas ingredi; die secunda septembris.

Legitur sub hoc anno Silvestrum Brunacchium Florentinum monachum sanctæ Mariæ-angelorum Florentiæ Logicam legisse in Academia Pisana. De ipso mentio perdurat in actis ejus Academiæ usque ad annum 1628. ex monumentis vero præfati monasterii liquet insuper celebrem ipsum fuisse verbi Dei concionatorem.

Inscriptio sepulcralis in ecclesia sancti Michaelis de Muriano, in qua extant patriciæ familiæ Venetæ Delphinæ monumenta: *Johanni Delphino Venetæ Romulidumque urbis splendore rutilanti, cujus virtus vixit, memoria vivit, gloria vivet; Hic ad regem Poloniæ designatus orator, ad reges Hispaniæ & Galliæ, pluries ad Cæsarem, ad Clementem VIII. præradianti nomine legationibus optime functus, divi Marci procurator assumptus, Vicetiæ episcopatui præficitur, & ab eodem pontifice maximo inter purpurati collegii cardinales adscribitur. Omnes ita laudes omnium tulit, ut ipsius sapientiæ fulgori nitidissimo sese Galliæ rex regnumque credere non trepidarit. Obiit in patria longe majora adornans* M.DC.XXII. *ætatis suæ* LXXVII. *Nicolaus Delphinus nepos & hæres patruo amplissimo atque optime de se merito P. C.*

Ann. Chr. 1623.

XXXV. Urbani VIII. indulgentiæ concessæ eremitis Camaldul.

URBANUS VIII. qui assumptus fuit ad regimen ecclesiæ universalis post mortem Gregorii XV. sexta augusti hujus anni, die XXIII. decembris pontificatus anno primo concedit eremitis Camaldulensibus, ut recitatione psalmi XIX. *Exaudiat te Dominus* cum orationibus pro Romano pontifice & pro sancta matre ecclesia, vel qui legere ignoraverint, recitatione trina orationis Dominicæ & salutationis Angelicæ, ac simul pro unione & pace inter principes Christianos ac fidei catholicæ exaltatione oraverint, eas omnes indulgentias ac peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si quadragesimæ vel aliorum anni dierum temporibus ecclesias & loca tam in alma Urbe, quam extra eam, in quibus stationes sunt indictæ, visitarent, providens scilicet eorum quieti, & ne exitu ab eremo eorum corda divagarentur. Similem concesserat eisdem eremitis Clemens VII. anno 1527.

XXXVI. Decreta in dieta Classis,

IN dieta celebrata in monasterio Classis bona abbatiæ insulæ Montis-christi uniuntur monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. Hæc eadem bona postea anno 1643. unita fuere monasterio sancti Michaelis in Burgo Pisarum tamquam loco commodiori. Delecti sunt quoque in eodem congressu aliqui abbates, qui constitutiones novas pro cœtu Camaldulensium conderent. Victorino Totinio pariter Monsabinati monacho sanctæ Mariæ-angelorum Florentiæ impositum onus conscribendi sive continuandi historiam Camaldulensem a tempore, quo desiit Fortunius, idipsum ei confirmatum est anno 1626. additis ei in socios laboris Severo Senesio ab Abbatia Pollicinii, Augustino Melosio Romano, & Gabriele Giupponio Veneto, qui ex provinciis Venetiarum, Æmiliæ & Umbriæ notitias eidem Victorino subministrarent pertinentes ad monasteria earum provinciarum.

Obiit hoc anno Adeodatus Jacobini Balneensis abbas Camaldulensis. Habemus martyrium sanctæ Cæciliæ virginis & martyris octonis Italicis

rythmis

rythmis ab ipso scriptum, sicut etiam narrationem synodi dioecesanæ abbatiæ sanctæ Mariæ in Balneo, quam cum esset abbas ejusdem loci coegit. De Adeodato agit Fortunius parte II. libro IV. capite XXXI. ut proinde ad extremam senectutem devenerit. Adnotavit Senesius in mss. animadversionibus ad Lignum Vitæ Wionis [a] hæc verba : *Sanctus Ubertus eremita apud Balneum sanctæ Mariæ, & ibi in capella ejus nomini dicata, nunc in altare majori corpus ejus conditum est a R. P. D. Deodato Balnense abbate.* Vitam sanctæ Cæciliæ traduxit Adeodatus, & versibus illustravit anno 1575. eamque dicavit sorori Cæciliæ Gucciæ moniali sancti Maglorii Faventiæ. Codex chartaceus in 4. existit in bibliotheca Classensi.

ANN. CHR. 1623.

a Pag. 45.

Ad annum 1618. mentionem fecimus eremi & parvæ ecclesiæ in Silva-majori prope urbem Clarasci. Cum cives hoc anno locum designassent, ubi fundanda erat eremus, capitulum eremitarum Taurinensium misit Placidum a Clarasco eremitam, qui possessionem acciperet. Distat eremus ab urbe Clarasci tribus milliaribus in dioecesi Astensi, & quatuor ab urbe Fossani. Titulus ecclesiæ hujus eremi est nativitas beatæ Mariæ Virginis, cujus imago multa præstat beneficia fidelibus populis devotionis ergo adeuntibus.

ANN. CHR. 1624.

XXXVII. Obitus Flaminiæ Bombaciæ monialis Bononiensis.

NON sine sanctitatis opinione ad sponsum suum evolavit hoc anno die XXVIII. septembris ætatis suæ anno LXII. Flaminia Bombacia Bononiensis abbatissa sanctæ Christinæ de Fundatia ejusdem urbis, femina præterea Latine docta, quæ scripsit sermones de Eucharistia, aliosque sacri argumenti. Nata anno 1563. ex Bononiensi Bombacia familia ad sacrum fontem levata fuerat a Pompejo Ludovisio patre Romani pontificis Gregorii XV. Facta sanctimonialis in parthenone sanctæ Christinæ jugiter se exercuit in diurna nocturnaque oratione, somnum autem semper carpsit super nudas tabulas; ciliciis & flagellis carnem domavit, caritate, humilitate, patientia fuit conspicua. Cum quadam die aer turbatus esset, ter pedes movit intratura cellam suam, terque fuit repulsa, ac se retraxit in cubiculum cujusdam sororis suæ, quo tempore icta fulmine cella ipsius manifesta apparuit protectio & assistentia sancti Angeli sui custodis. Bis creata fuit in abbatissam, & narratur tempore sui regiminis aliquando venisse ad ipsam Angelum Gozzadinium archiepiscopum Nyssenum & suffraganeum cardinalis archiepiscopi Ludovici de Ludovisiis, & ad ejus pedes abbatissam se prostrasse pro petenda benedictione, sed & ipsum archiepiscopum posuisse genu pro obtinenda benedictione super se abbatissæ, quam sanctam gratissimamque Deo judicabat; ad multum temporis invicem utrumque certasse, & demum vicisse Flaminiam, super quam benedictionem effudit archiepiscopus. Curavit annis sui regiminis translationem corporis beatæ Luciæ ab ecclesia sancti Andreæ de Ozano ad suam sanctæ Christinæ, quam morte præventa perficere nequivit. Prædixit turbulentias sui parthenonis, prævidit & prænuntiavit quoque mortem suam, & Camillæ sorori successionem in abbatissatu. Ejus obitum luxerunt ceteræ moniales, luxerunt pauperes. Scripsit ejus vitam in epistola ad Gasparem Bombacium Maurus Ruggierius Abbatiensis monachus Camaldulensis, qui ei fuerat a confessionibus, addiditque versus Latinos in ejus laudem, tribuens ipsi, sed abusive, titulum Beatæ. De Flaminia agunt etiam idem Gaspar Bombacius parte secunda de Bononiensibus sanctimonia claris, Antonius Masinus [b] in Bononia perlustrata, Johannes-petrus Crescentius in compendio familiarum illustrium [c], & fuse post alios Prosper cardinalis Lambertinus, inde Benedictus XIV., in suo insigni

b Pagg. 311. & 468.

c Pag. 347.

Ann. Chr. 1624.

gni opere de Canonizatione Sanctorum. Innocentius Tantardinus Britonoriensis monachus Camaldulensis appellatur magister Bombaciæ in directione ipsius spiritus.

XXXVIII. Et Adriani Buccii abbatis Fabrianensis.

EODEM anno in monasterio sancti Blasii de Fabriano occubuit Adrianus Buccius Fabrianensis abbas. Præclara sunt, quæ de ejus potissimum pietate in pauperes narrantur, præsertim anno 1620. quo magna fuit tritici caritas; non enim panem dumtaxat, sed & pecunias pauperibus distribuendas præcepit, itaut ex ejus sinu omnes loci pauperes penderent. Alteri inopi, cum non haberet, quid tribueret, proprium pallium, quo in hyeme utebatur, donavit. Turba pauperum associatus semper per oppidum incedebat, vocabaturque jure merito eorum pater. Recto feliciter, immo utiliter quatuor annis monasterio sancti Blasii, quod etiam fabricis ampliavit, & cujus ecclesiam vasis argenteis locupletavit, Dei zelo & proximorum caritate clarus animam Deo reddidit mense decembri hujus anni, optima exempla innocentiæ & vitæ integritatis relinquens. Morte ipsius divulgata illacrymati sunt omnes urbis pauperes. Abbatiali dignitate decoratus fuerat anno 1618. destinatus ad Mediolanensis sancti Viti, vel sancti Christophori monasterii regimen. Per mortem autem Sebastiani Humanii Fabrianensis translatus fuit ad prælaturam monasterii sancti Blasii de Fabriano anno 1620.

XXXIX. Et Fulgentii Thomaselli Atheftini abbatis.

TERTIUS decessit mense octobri in monasterio sancti Johannis de Judaica, ubi erat abbas titularis, Fulgentius Thomasellus Athestinus. Vota Deo voverat anno 1583. XXX. novembris in monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres sub Desiderio Angelerio abbate. Anno 1609. electus fuerat abbas Vangaticiensis, juraque sua & congregationis pluribus scriptis defendit, sed loco cedere compulsus, se receperat in cœnobium sancti Johannis de Judaica cnm annuo Reipublicæ Venetæ stipendio. Multa sunt, quæ typis edidit, vel scripsit, quorum operum syllabum hic subjungimus: *De duplici homine ad Petrum Bagnolum Balneo-caballensem ordinis Camaldulensis abbatem generalem*: Patavii apud Laurentium Pasquatum 1591. *De natura originalis peccati, ac pœna in illo morientes ex Dei justitia concomitante, ad Cæsarem Benedictum Pisaurensium pontificem*. Patavii apud Johannem Speronem 1599. *De mare Venetorum increpatoria epistola ad Laurentium Motinum Romanum J. V. D. pridie kalendas octobris 1619. Ad cardinalem Camporeum vita sancti Mamantis e Græco traducta ab Aurispa, e tenebris erepta a Fulgentio Athestino. Apparatus Johannis de Turrecremata S. R. E. cardinalis ad bullam unionis inter Græcorum scholam & Latinam restauratus, & contra errores Græcorum. De auctoritate Romani pontificis. De quinque vocibus ac Peribermenia. Lectiones in primam partem sancti Thomæ. Gnomologiarium juridicum, sive sententiarum diversarum collectio. Aliud legale; Aliud item legale tomis IV. Aliud philosophicum & theologicum. Materiæ per quadragesimam tractabiles*. Inter ceteras collectiones extat in bibliotheca nostra sancti Michaelis: *Gnomologia plurimorum eorumque sanctissimorum doctorum ad usum exercitationemque Fulgentii Estensis monachi Camaldulensis ordinis completa die* XIV. *februarii anni* 1595. *Pisauri principe vivente & regnante Francisco-maria Urbini duce*. Varia præterea sunt, in quibus se exercuit Fulgentius: *Quomodo serpentes a magis in virgas conversi sint? De Sanguine Domini, an fuerit assumptus in resurrectione? De agno paschali De baptismo. De Magdalena ad Octavianum Battaleam epistolæ philologicæ. Dialogus de Christi divinitate & de diaboli tentatione ad Desiderium Angelerium abbatem. De restitutione. De præcedentia monachos inter & canonicos. Tractatus theologici de mona-*

stici

stici status antiquitate & eminentia. De vestitu sacerdotum ac pontificis veteris legis, quam Romæ composuit anno 1579. *Sacræ Scripturæ sanctorumque patrum sententiæ, quæ ad virtutes capessendas & debellanda vitia opportunæ videntur;* in iis capitula sunt *de conversione, de gustu spirituali, de studio sacræ Scripturæ, viæ sex ad cœlum evolandi post mortem, de oratione, de tentationibus earumque remediis. De arte dicendi præcepta* 1575. *Animæ rationalis peripatetica disquisitio ad V. Cl. Antonium Capello, quæ juvenis,* inquit, *scripsi semel in via illius, dum in gymnasio Patavino studerem, in gratiam clarissimæ dominationis tuæ iterum videre, tibi etiam condonare decrevi. De animæ immortalitate. Epistolæ duæ circa ejus electionem in abbatem Vangaticiensem ad Angelum eremitam generalem vigesima februarii anni* 1609. *De reformando statu religioso. Disceptatio super bullam Clementis VIII. contra Ambitiosos ad Baptistam Fabrianensem abbatem generalem ex Venetiis apud sanctum Johannem-baptistam Judaicæ quinto kalendas februarii* M. DC. XX. *De mare Venetorum epistolæ duæ ad Laurentium Mottinum Romanum J. V. D. Venetiis pridie kalendas octobris* M. DC. XIX. Hugo Grotius Leidæ publicaverat anno 1618. dissertationem: *Mare liberum* & anno 1619. *De dominio maris Adriatici.* Auditor fuit Fulgentius Francisci Piccolominei lectoris Patavini, cujus philosophicas & theologicas doctrinas exscripsit, posterisque servavit reconditas in biliotheca sancti Michaelis. Dicitur, quod contra breve Pauli V. scripserit pro republica Venetorum sub nomine *Capelletti*. Distinguendus est tamen noster Fulgentius Thomasellus a Fulgentio Micantio ordinis Servorum beatæ Mariæ, qui fuit unus ex septem theologis reipublicæ Venetæ contra breve interdicti ejusdem Pauli V. Plura quoque Fulgentii nostri translata fuere in archivum Venetæ Reipublicæ. Literarium commercium servavit cum Johanne-baptista Leone Siculo medico, cum Stephano Viario, Severo Senesio, Theophilo Sartorio, Francisco Venusto, Vitale Zuccolio, Mauritio a Barbarano, Cornelio, & cum Constantino Rumono abbatibus & monachis nostris, ad quos carmina, epistolas & disquisitiones dedit. Initio libri de Natura peccati originalis leguntur aliquot carmina Latina Pauli Balneensis monachi. Fulgentio Evangelista Deuchinus typographus anno 1620. dicavit sacrum dramma *de martyrio sancti Venantii*, auctore Andrea Perbenedicto Camerte episcopo Venusino, quod antea anno 1617. apud Franciscum Giojosi Camerini editum fuerat. De Fulgentio præterea Milcettus in catalogo virorum illustrium Camaldulensium meminit, & Antonius Riccius Brixiensis hoc disticho cecinit in ejus libellum de Homine:

Totus ubique tui fulgescit luce libelli
Hic homo, Fulgenti, quam bene nomen habes.

Ann. Chr. 1624.

Ann. Chr. 1625.

XL. Monachi Camaldulenses expetiti in Germaniam a Ferdinando II. imp.

ELECTUS est hoc anno die XXVII. aprilis in abbatem generalem ordinis secunda vice Ægidius Marraccinus Romanus; in visitatorem autem Gregorius Vitalius de Foro-livio, & Octavius Mangonius de Viterbio, ac obeunte Gregorio Andreas Boncius Apiranus, jussu Urbani VIII. protracto capitulo generali, quod habendum erat anno antecedenti, in hunc annum, sub præsentia cardinalis Rivarolæ, quem præsidem capituli constituerat idem pontifex in monasterio sancti Nicolai de Urbe. Tempore regiminis Ægidii Ferdinandus II. imperator flagrans devotione erga sanctum parentem nostrum Romualdum, concupivit monachos observantes ordinis Camaldulensis habere in regnis ditionis suæ, quibus quinque monasteria incolenda tradidisset. Misso itaque in Urbem episcopo tum pro quibusdam aliis, tum pro hocce negotio tractando episcopus Ægidio genera-

Ann. Chr. 1625.

li piam voluntatem Cæsaris patefecit. Promisit post gratias actas generalis se ipsius votis obsecundaturum, petita commoditate temporis, reperiitque prælatos duos, & aliquos etiam monachos sacræ expeditioni promptos, paratosque ad se conferendum in Germaniam. Sed dum res maturius agitur, obstitit distantia locorum, longitudo itineris, & privatio monachorum aptiorum, qui ex Italia discedere debebant; quare in irritum cessit hujusmodi destinatio. Damnarunt plures generalis teporem in hocce negotio; verum ab exitu fuit postea laudatus. Nam non longe post hæretici contra Cæsarem arma moventes devastarunt & incenderunt monasteria illa, aliaque insuper, ex quibus egredi compulsi monachi nigri ordinis sancti Benedicti in Romanam urbem se receperunt, ut victum & alimenta sibi procurarent, quibus humanitate & pietate sua providit Franciscus cardinalis Barberinus ex bonis sibi commendatæ ecclesiæ sancti Sebastiani prope campum boarium Urbis, quibus etiam, ut commodius valerent vitam transigere, subministrabantur eleemosynæ Missarum in ecclesia sancti Gregorii. Narrabant porro ii monachi extorres, quanta mala ab hæreticis perpessi fuerant, & quantam bonorum jacturam fecerant. Facile itaque parcendum est generali Camaldulensi, quod prævidens hujusmodi mala segnior fuerit in traducendis monachis in Germaniam, contra quos utpote extraneos infestiores fuissent iidem hæretici. Rem narrat Michael Losanna, qui vidit & alloquutus est monachos nigros expulsos. Sed quos ex ordine monachorum prohibitus est recipere Camaldulenses Ferdinandus II. imperator, recepit post paucos annos ex ordine eremitarum, ut videbimus.

XLI. Inventa corpora SS. Germani & Decentii prope Pisaurum.

Thaddæus Tertius nobilis Pisaurensis electus hoc anno abbas sanctæ Mariæ-angelorum de Pisauro, obliteratam dolens memoriam sanctorum Germani & Decentii patronorum urbis Pisauri, quorum corpora quiescebant in suburbana ecclesia monasterii eorum nomini dicati, quod olim Classensi abbatiæ, nunc suo Pisaurensi monasterio fuerat adnexum, inter primas sui regiminis sollicitudines, non contemnendam putavit inquisitionem eorum corporum, quæ feliciter etiam post multam adhibitam diligentiam invenit condita in quadam capsula lignea. Colloquio habito cum episcopo Pisaurensi, familiariter ostendit illi capsulam, membranaceamque paginam adjunctam, quæ fidem faciebat ipsas esse reliquias præfatorum sanctorum martyrum. Verum, quia paginæ characteres ob temporis diuturnitatem vix percipi poterant, eam Romam misit ad antiquitatis sacræ studiosos, qui certum id esse monumentum existentiæ eorum sacrorum corporum pronuntiarunt. Quare ad diem præstitutam sollemni apparatu eædem reliquiæ devotioni populorum fuere expositæ, restauratum ea occasione templum ab abbate, qui confessionis locum luminibus continuo adhibitis præcepit exinde honorari. Ipsa vero die decantata est pontificalis Missa, & publica facta supplicatio in eorum honorem, tota civitate confluente.

Ecclesia sanctæ Mariæ Gratiarum de Cotiniola, unita olim cœnobio sancti Mathiæ de Muriano, adjecta fuit tamquam membrum principaliori monasterio sanctorum Laurentii & Hippolyti de Faventia.

Tiburtini in pleno consilio decernunt duo intortitia quotannis die festo sancti Romualdi deferenda ad ecclesiam monachorum Camaldulensium sancti Andreæ subjectam monasterio sancti Gregorii de Urbe, gratitudinis gratia, quod sanctus Romualdus sub Ottone III. eorum urbem liberasset ab obsidione. Extant acta sub die XXIII. februarii die dominico indictione VIII. sedente Urbano VIII. anno II.

XLII. Variæ vices abbatiæ Vangaticiensis.

Obierat anno præcedenti Matthæus Priolus S.R.E. cardinalis & abbas

ANN. CHR. 1625.

abbas commendatarius monasterii Vangaticiensis, sub quo monachi Camaldulenses non solum multorum jurium fecerunt jacturam, sed etiam a ministris cardinalis plura perpessi erant molestiarum incommoda. Consuetas visitationes, quas suorum monachorum faciebant generales, respuit abbas commendatarius; aditum quinimmo ecclesiæ & monasterii prohibuit Aloysio Gorio generali anno 1612. processusque ea occasione factus diu Romæ, Venetiisque ad judices fuit exhibitus; repudiavit aliquot monachos a generali ad inserviendum ei ecclesiæ destinatos, familiamque Camaldulensem suo marte disponere voluit, licet id potius ministris ipsius, quam ipsi sit imputandum. Dicebat tamen cardinalis, quod ex quo consequutus fuerat ipsam abbatiam, malæ valetudini & etiam animi ægritudinibus obnoxius fuerat; mente captum quinimmo decessisse asserit in historia sui temporis Losanna. Moriens reliquit abbatiæ Vangaticiensi planetas omnes, sacrasque vestes varii coloris, quæ ipsi fuerant viventi ad usum; sed eas hominibus societatis adservandas, non monachis tradidit. Non minores fuere monachorum vexationes, quas sustinuerunt sub Augustino episcopo Bergomensi ejus fratre, qui successit in commendatione abbatiæ; ipsorum aliqui loco decedere compulsi, alii, qui supererant, de victu & vestitu non providebantur, quare frequentes erant querelæ monachos inter & ministros commendatarii. Hoc anno Marcus Zenus electus episcopus Torcellanus sequester intercessit ambas inter partes, ac requisivit ab Aurelio abbate sancti Michaelis de Muriano tamquam a vicario abbatis generalis, ut manu notarii instrumentum conficeret cessionis jurium ipsius generalis, ita ut de cetero monachi subjicerentur visitationibus & reformationibus dumtaxat abbatis commendatarii; quod tamen infracte negavit Aurelius abbas; quare jussu generalis alii substituti fuere, destinatique de familia ejus monasterii monachi. Qua ratione provisum fuerit monachorum Vangaticiensium indigentiis, videbimus anno 1630.

ANN. CHR. 1626. XLIII. Iterata unio eremitarum & monachorum Camaldul.

QUANDOQUIDEM displicuerat multis tam ex ordine eremitarum, quam ex ordine monachorum Camaldulensium separatio unius congregationis ab altera, quæ contigerat ante decennium, plures his sequentibus annis habebantur mutui tractatus, ut jure postliminii donaretur pristina unio, & sicut animi numquam fuerant dissociati, ita etiam externa appareret ejusdem unionis species. Dieta monachorum 1621. apud monasterium Carcerum unionem iterum postulavit, altera anni 1623. in abbatia Classis deputaverat Ægidium Marraccinum tunc procuratorem generalem, hoc vero anno generalem, & Desiderium Arrigonium, tunc visitatorem, qui Ægidio in eo officio apud Romanam curiam successit, ut cum eremitarum procuratoribus colloquerentur; Capitulum autem eremitarum destinavit hoc anno die XXVII. januarii Antonium de Florentia Majorem, & Felicem de Partina eremitam in procuratores ex eorum nomine, qui agerent cum procuratoribus monachorum; quare conveniens utraque pars die XXVI. martii pontificatus Urbani VIII. tertio anno in monasterium sanctorum Nicolai & Antonini de Urbe, ad articulos hujus unionis processit, ita ut de cetero utraque congregatio monachorum & eremitarum unum corpus conficeret sub uno capite, nempe sub abbate generali Camaldulensium, cui cum visitatoribus liceret ad eremum accedere, corrigere, statuere & decernere, quæ ad eremi utilitatem expedirent tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Utrisque tam eremitis, quam monachis pateret aditus & reciprocus transitus vel ad monasteria, vel ad eremos. Major eremi statim post generalem locum haberet in omnibus

Ann. Chr. 1626.

nibus congressibus. Electioni ipsius adesse possent tam generalis, quam visitatores. Eremitæ renuntiarent cuicumque privilegio jurique, quod ad obtinendum generalatum haberent, aliosque mutua concordia articulos confecerunt, quos integre insertos bullæ suæ roboravit apostolico munimine die XXX. aprilis Romanus pontifex Urbanus VIII. Plures tamen eremitæ reclamarunt contra novum unionis breve, & Placidum Sfondratum eremitam Romam miserunt suum procuratorem, qui nobilitate sanguinis fretus causa fuit, ut iterum in perpetuum eremitæ a monachis separarentur, & infirmaretur pontificia approbatio. Placidus, antea Franciscus, frater erat cardinalis Pauli Sfondrati.

XLIV. Initia congregationis Gallicanæ eremitarum Camaldul.

Venerat anno præterito ex Galliis ad congregationem eremitarum Taurinensium Bonifacius Antonii a Lugduno sacerdos, qui induebat habitum eremiticum sancti Romualdi, ac die XXI. novembris retento nomine in eam congregationem admissus fuerat. Memoria eremitarum Gallorum fit etiam in vita Alexandri Cevæ fundatoris Taurinensium, cujus funeri interfuerunt. Sed prima origo Gallicanæ congregationis eremitarum sancti Romualdi est referenda ad hunc annum, quo die XV. februarii Benedictus a Sancto-lupo Major Taurinensis in Gallias eumdem Bonifacium denuo transmisit ad hoc, ut obtento beneplacito regis Christianissimi, & media auctoritate antistitum Gallorum stabiliret idem eremiticum institutum in eo amplissimo regno, in quo prima jecerat fundamenta cum Petro Urseolo & cum Johanne Gradonico sanctus pater Romualdus. Ivit Bonifacius, & plures eremos excitavit, ut fusius dicemus anno 1635. Interim subjungimus plenum missionis ipsius mandatum factum a Benedicto de Sancto-lupo, ex quo in cognitionem venimus Pedemontanam congregationem, unam ex filiis Camaldulensis Etruscæ, vel ipsis suis primordiis matrem fuisse alterius Gallicanæ congregationis eremiticæ:

Nos D. Benedictus a Sancto-Lupo major sacræ eremi Taurinensis ordinis Camaldulensis Rev. in Christo patri domno Bonifacio Lugdunensi nostræ congregationis sacerdoti.

Cum sic divina disponente gratia, magna sit nobis exorta spes introducendi & stabiliendi in florentissimo & piissimo Galliarum regno perantiquum & sacrosanctum nostri ordinis Camaldulensis institutum sub regula sancti Benedicti abbatis, a sexcentis & eo amplius annis a multis summis pontificibus approbatum, confirmatum, eorumque, ac variis imperatorum, regum & principum privilegiis decoratum, ad hoc ut præfatum regnum deinceps habeat apud Deum Opt. Max. novos & sinceræ fidei oratores, qui assidue pro ejus conservatione & amplitudine preces fundere non desinant, & eorum imitatione multi spretis hujus seculi vanitatibus ad hujus sacræ religionis solitudinem sese recipientes, tandemque bonorum operum plenitudine referti, post transactum vitæ cursum, immortalitatis gloriam consequantur. Idcirco tibi P. D. Bonifacio supradicto, de consensu nostri capituli super hoc negotio congregati, committimus, ut omni, qua poteris, diligentia studioque, beneplacitum christianissimi regis ad tale opus necessarium in primis obtinere studeas, atque adhibita etiam Illustrissimorum & Reverendissimorum antistitum auctoritate simul & patrocinio, quibus plurimum in Domino confidimus, tam insignis religionis fundamenta in eodem amplissimo regno, in quo alias vitam agens SS. P. N. Romualdus præfati ordinis institutor non parvum animarum fructum est consequutus, jacias in nomine Domini atque stabilias. Ad quod tibi concedimus, quatenus nobilium & aliorum fidelium pias elargitiones, eleemosynarumque munera, opportuna auxilia, devotos favores recipere & acceptare religionis nomine possis ac valeas. Dantes tibi insu-

insuper de consensu dicti nostri capituli omnem, necessariamque auctoritatem ac potestatem, eoque majorem, quo exquiri, desiderarive possit. Promittentes nos & præfatum capitulum gratum, validum, firmumque habituros quidquid per te super his gestum, negotiatum, tractatumque fuerit, & si ea sint, ad quæ tractanda seu negotianda major auctoritas, speciale mandatum, vel alia juris necessaria forent. In quorum fidem his nostro jussu confectis manu propria subscripsimus, easque sigillo nostro & cancellarii capituli syngrapha muniri mandavimus. Datum in sacra eremo Taurinensi die XV. *februarii* M. DC. XXVI.

ANN. CHR. 1626.

D. Benedictus Major.

D. Mauritius a Taurino cancellarius.

XLV. Urbani VIII. brevia pro Camaldulensibus.

ROMANUS pontifex Urbanus VIII. die nona decembris pontificatus sui anno IV. brevi suo decrevit, ut omnes redditus monasterii sanctorum Nicolai & Antonini de Urbe unirentur redditibus monasterii sancti Gregorii ejusdem Urbis, & quod qui esset procurator generalis ordinis in curia, & residebat in eodem cœnobio, esset imposterum prior etiam cœnobii sancti Gregorii; sed cum id in damnum potius verteret hujus secundi monasterii, eo quod procurator ordinis ob causas & negotia intendere choro divinisque officiis nequiret, supplicem congregatio Camaldulensis libellum obtulit, ut abrogaretur breve. Commisit itaque summus pontifex cognitionem rei congregationi S. R. E. cardinalium præpositæ consultationibus & negotiis episcoporum & regularium, qui statuerunt res in pristinum statum revocandas, ac redditus utriusque monasterii separandos, ut erant antea, ac duplicem prælatum eligendum, unum, qui officium procuratoris generalis obiret in monasterio sancti Nicolai, alium, qui regeret monasterium sancti Gregorii, prout liquet ex alio brevi ejusdem pontificis emanato, post aliquot tamen dumtaxat annos, scilicet die XXIII. octobris anni 1638.

XLVI. Acta dietæ hujus anni, aliaque memorabilia.

HOC ipso anno & die voluit, ut Missæ, quæ in ecclesia sancti Gregorii celebrari ob multiplicitatem nequirent vel a monachis, vel a sacerdotibus conductis, possent celebrari in aliis monasteriis congregationis, ac altaria, ad quæ Missæ offerrentur, forent privilegiata, iisdemque indulgentiis ditarentur, quibus ditabantur ecclesiæ sancti Gregorii altaria. Pariter, ut Missæ, quæ adimpletæ non fuerant annis præcedentibus, supplerentur duobus anniversariis singulis mensibus perpetuis temporibus. Sed eleemosynæ a Kalendis novembris anni 1625. usque ad præsentem diem pro Missis celebrandis erogatæ nullatenus comprehenderetur in præsenti reductione, sed eis integre satisfieret; alias præsentes literæ nullæ essent. Indultum hocce a pontifice obtinuit Frigdianus Malusardus abbas sancti Gregorii, qui etiam creditur auctor fuisse eidem Romano pontifici, ut bullam *de Celebratione Missarum* ederet universalem toti ecclesiæ.

IN dieta patrum Camaldulensium in monasterio sancti Nicolai de Urbe factum fuit mandatum aliquibus abbatibus, ut apud Classem convenirent ad determinandum negotium novarum constitutionum conficiendarum. Præceperunt pariter, ut ab omnibus deinceps in officiis sacris servaretur ceremoniale nuper compositum a Victorino Totinio monacho Camaldulensi. Cogitatio insuper subiit patres de renuntiando monasterio Putei-stratæ apud Taurinum, quod tamen retentum adhuc est usui congregationis. Edendum demum decreverunt Urbanianum suprarelatum breve unionis eremitarum & monachorum Camaldulensium.

Vigesima septembris sancte decessit in eremo Coronatæ frater Sixtus Januensis conversus, qui professionem emiserat die XXV. junii anni 1585.

cujus

Ann. Chr. 1626.

cujus breve elogium in serie eremitarum piorum Coronensium his verbis effertur: *Vir singularis pietate & dono prævidendi futura illustris*. Similiter in eremo Tusculana obiit Alexius Venetus ex nobili familia Barrotia vel Basilia, qui post susceptam peregrinationem ad sanctum Jacobum de Galitia, eremum Rhuensem ingressus est anno 1608. mutato nomine Aloysii in Alexium. Vir fuit ad gerenda negotia factus, hilarique semper fronte decorus, officiis visitatoris & procuratoris generalis functus. Tractatum edidit *de singularissima obedientiæ virtute* dicatum Francisco Vicetino eremitæ anno 1617. & asservatum in bibliotheca Rhuensi.

Ecclesia sanctissimi Salvatoris in eremo Taurinensi angusto situ ædificata a suo fundatore Alexandro Ceva ampliatur hoc anno, & magis spatiosa perficitur & in altum protenditur, modulum & formam præbente regio architecto Mauritio Valperga, Carolo autem Emmanuele duce Sabaudiæ expensam subeunte in novis ædificiis. Ea occasione incorruptum repertum fuit corpus ejus venerabilis fundatoris, quod in aliam capsam depositum est reverenter.

Curante Jacobo Recanato Philippi filio perfectum fuit altare novum marmoribus ornatum pro aptandis reliquiis sancti Theobaldi in ecclesia Vangaticiensi sub Augustino Priolo commendatario. Sacra translatio facta est a Theodoro Georgio monacho Casinense & episcopo Arbense, cui id onus imposuit Priolus die septima junii, cujus translationis integrum instrumentum inseruimus his Annalibus tomo II. [a] ubi vitam ceteraque ad eam pertinentia sancti Theobaldi illustravimus.

a Pag. 392.

Ann. Chr. 1627.

XLVII. Fusa descriptio constructionis eremi Viennensis.

Nicolaus Wolscki Poloniæ mareschallus, & fundator ibidem eremi Montis-argentini, jure merito appellari potest cooperator, insignisque mediator alterius fundationis eremi prope Viennensem urbem in Austria, cujus primordia ad hunc annum referuntur. Cum scilicet eremitæ Coronenses Itali, qui ad eremos Poloniæ mittebantur, plures subirent labores & incommoda, antequam longum iter peragerent, consultum fore putarunt, si construeretur eremus, quæ medio itinere inter Italiam & Poloniam eremitas susciperet. De ea itaque re verba fecerunt eidem mareschallo, ipsi persuadentes, quantum detrimenti afferret ordini sancti Romualdi noviter invecti in Poloniam defectus commercii cum eremitis Italis. Proinde Nicolaus, cui perspecta erat pietas & religio imperatoris Ferdinandi II. quocum familiariter vixerat, usus est opera duorum amicorum suorum, qui erant in aula ejusdem imperatoris, & consiliariorum officio fungebantur, nimirum Mathiæ Arnoldini, & Athanasii Geoygerii comitis Dalmatæ, ipsis scribens, ut apud eumdem imperatorem promoverent hujusmodi negotium, erectionem nempe eremi in ditione sua. Consiliarii exemplarissimum institutum eremitarum Camaldulensium ob imperatoris oculos posuerunt, propagationem ipsorum in Poloniam attulerunt, subjecerunt ejus conspectui modulos & typos eremorum, quas incolebant (opera erant ea eremitæ Venantii Itali) & Ferdinandi animum inclinarunt, ut eosdem eremitas conveheret in amplissimam suam ditionem; quare Diodoro Lucensi hoc anno ex Polonia venienti ad capitulum generale ordinis imperator pollicitus est eremi fundationem, dans etiam eidem literas ad dictum capitulum deferendas, quibus postulabat aliquot Coronensium eremitarum ad se missionem. Patres capitulares habitis gratiis commisere Ægidio Flandro eremitæ visitatori, & Jordano Patavino priori Montis-argentini, ut ad præsentiam se conferrent imperatoris. Qui mandata capituli adimplentes ad ejus præsentiam se contulerunt; ipse vero

ro eos cum præfatis consiliariis direxit ad requirendum opportunum locum, super quo fundari posset eremus. Elegerunt duo eremitæ locum seu montem dictum Schweinsberg, ut ad patres capitulares notum fecere die decima julii, spectantem ad canonicos urbis Claustro-neoburgensis. Interea iidem consiliarii operam dabant pro adinveniendis annuis certis redditibus ad eremitarum substentationem. Fisco iis diebus in urbe Coloniensi addicta fuerant bona duorum fratrum nobilium, sed rebellium familiæ Struncheda ad summam XXIV. millium nummorum (Talari) argenti, qui erant XXXVI. mille Floreni Germanici; egerunt itaque consiliarii, ut ea summa adjiceretur speciali rescripto imperatoris eidem fundationi. Ægidius eremita graviter decumbens in Polonia ad imperatorem regredi nequivit, sed redivit Silvanus Bosellus Venetus, ex Polonia in Italiam vocatus ad subeundum onus magistri novitiorum in eremo Rhuensi, qui, consulente mareschallo Wolsckio, alloquutus est prædictos duos consiliarios; hi etiam volebant, ut Silvanus moram figeret in Vienna ad perficiendum hocce negotium. Excusavit Silvanus, se obedientia adstringi ad discessum. Quare venit Patavium, ibidemque reperiit Majorem & visitatores ordinis, quibus totam rem aperuit. Ipsi autem ei præceperunt die nona novembris, ut denuo se in Austriam reciperet ad negotium tractandum cum imperatore. Rediit Silvanus cum sociis sibi datis Constantio, Melchiore Tridentino, & Bartholomæo Chiuppano Vicetino oblato, moratusque est in monasterio Soten a Gertraimo Falbio abbate & a monachis Benedictinis coloris nigri hospitio receptus. Deinde in Bohemiam, ubi erat imperator, transiit, a quo simulque ab imperatrice benigne susceptus est, ac retulit ab ipsis donationem superius dicti montis, spondente imperatore se permutationem facturum cum canonicis regularibus Claustro-neoburgensibus, & cum eorum præposito Andrea Mormillo, ad quos pertinebat. Hæc permutatio sequuta est anno sequenti, nimirum 1628. & die secunda aprilis capta fuit possessio loci, permittentibus nuntio apostolico, & die XXVIII. aprilis ordinario loci Leopoldo II. episcopo Pataviense & Argentinensi archiduce Austriæ, & Burgundiæ duce, in cujus diœcesi situs erat mons. Altam crucem in ecclesia proxima monti plantavit Silvanus, quam etiam ad locum, ubi fundanda erat eremus, portavit ipse cum socio Constantio, sed a populi multitudine, quæ confluxit, crux in plura frusta discerpta asportata est ut res sacrata. Ea occasione concionem ad populum habuit abbas Sotensis, qui omnem operam suam eremitis præstitit, nec defuere favores canonicorum & præpositi sancti Leopoldi Claustro-neoburgensium, qui una cum monachis sacræ ceremoniæ adstitere. Sequutum est Ferdinandi imperatoris privilegium cum donatione montis datum Viennæ Austriæ die tertia julii, regni Romanorum nono, Ungariæ undecimo, Bohemiæ duodecimo. Varia erat multorum opinio, ubinam condenda foret eremus, an in summitate montis, an inferius? Prævaluit opinio Silvani, ut conderetur in parte media collis, ne nimis exposita foret ventis, simulque ut remotior esset a populorum concursu. Interea omni industria usus est Silvanus, ut bonorum fisco adjudicatorum pecuniam recuperaret, quod feliciter complevit facta compositione minoris summæ cum iis, qui mulctati fuerant, quapropter Coloniam venit, in qua urbe judicandi erant. Adjuvit ipsum Ferdinandus dux electoralis Bavariæ, qui etiam dono illi dedit reliquias SS. Ursulæ & sociarum condendas in ecclesia novæ eremi. Postea Ferdinandus imperator significavit Silvano se velle interesse impositioni primi lapidis ecclesiæ construendæ. Die itaque sancto Laurentio sacra decima augusti anni 1629. sollemnissima pompa imperator se transtulit

Ann. Chr. 1627

stulit

Ann. Chr. 1627.

ſtulit in montem una cum imperatrice Eleonora Gonzaga, cum filio Ferdinando III. Hungariæ rege & Bohemiæ, cum Leopoldo archiduce Auſtriæ, cum duabus archiduciſſis, & cum frequenti comitatu principum. Ibidem apoſtolicus nuntius Johannes-baptiſta Pallotta ſacramentum altaris manu gerens eccleſiaſticas deprecationes & ceremonias ſuper primum lapidem pronuntiavit, deinde imperator a Silvano eremita adjutus eumdem lapidem deportavit in paratam fundamentorum foveam, & inſtrumento murario calce eum oblinivit. Laudavit ſanctam ejus humilitatem idem nuntius apoſtolicus, eique apprecatus eſt ad conſolationem populorum quinquaginta adhuc imperii annos. Subridens imperator reſpondit: „ non cu„ pio tanto annorum numero differri mihi fruitionem Dei. " Subtus lapidem depoſitum fuit numiſma aureum cum hac inſcriptione: *Chriſto Jeſu imperatori æterno, Deiparæ Virgini imperatrici cœlorum, ſancto Joſeph Virginis Mariæ ſponſo & Dei nutricio, ſanctis Benedicto & Romualdo, eorumque ſancto Camaldulenſi ordini;* ex alia vero numiſmatis facie inſcriptum erat: *Ferdinandus II. imperator, Eleonora Gonzaga imperatrix, Ferdinandus III. Hungariæ & Bohemiæ rex, Leopoldus archidux Ferdinandi filii omnes pia mente dedicarunt anno Domini* M. DC. XXIX. *die* X. *auguſti.* Simili ritu imperatrix primum lapidem poſuit ſub eccleſia valetudinarii, & ad exemplum imperatoris deſcendens in foveam calce lapidem linivit. Ita in fundamentis domus pro hoſpitibus peregit Ferdinandus III. rex. Poſt benedictionem primorum lapidum pontificalem Miſſam cantavit idem nuntius apoſtolicus. Aſſederunt deinde menſis paratis imperator & imperatrix, & ad menſam parumper diſſitam eremitæ, quos illi ſalutabant poculis, & reficiebant dapibus menſæ propriæ. Deinde familiariter cum ipſis colloquentes eorum cellulas viſitarunt, requieſcentes etiam aliquantiſper ſuper eorum ſtrata palearum. Ceteri principes polliciti ſunt ſe expenſas ſubituros pro condendis aliis cellulis; imperator autem mille Florenos in eleemoſynam tribuit; voluit pariter, ut mons relicta prima Schweinsbergh nomenclatura deinceps appellaretur Joſeph-bergh. Bona duorum nobilium Colonienſium fiſco adjudicata expenſa fuerunt a Silvano in emptionem nobilis & inſignis dominii caſtri Prinzendorff anno 1630. die XIII. januarii, aſſenſum præbente imperatore, eremitæ autem per miniſtros ſuos juriſdictionem obtinent civilem & criminalem tum in dictum caſtrum, tum in villas Mauſtrinch & Ebeſtorf proximas; jus quoque præſentandi parochum in eccleſia Hauskirchem. Aliis ſimiliter oblatis pecuniis emerunt villam Obſeverini, quæ tamen affatim deſtructa fuit tempore obſidionis urbis Viennenſis anno 1683. Anno 1636. erecta fuit eremus Joſeph-bergenſis in prioratum, primuſque tali officio functus eſt eremita Profdocimus Murianenſis. Deſcribit eremum hanc, totamque hiſtoriam ſua ms. relatione Johannes Advogarius eremita, qui fuit prior ejuſdem loci anno 1681. qui etiam, perſuadente eo temporis abbate canonicorum regularium ſancti Leopoldi urbis Clauſtro-neoburgenſis, novæ eccleſiæ ædificationi initium dedit ad typum, qui factus fuerat tempore Ferdinandi II. imperatoris. Die prima ſeptembris ejuſdem anni 1681. ad eam eremum acceſſit Leopoldus I. imperator cum imperatrice, & cum duce ac duciſſa Neoburgi patre & matre imperatricis, ſacrumque ibi audivit, & mille Florenos dono dedit, ſuaviſſima clementia priorem & eremitas alloquutus, & ſuis hortatibus ad conſtructionem eccleſiæ ſtimulos ipſis addens. Sed bellum anni 1683. non ſolum prohibuit ædificiorum proſequutionem, ſed etiam graviſſimam cladem [illegible] ædificiis jam perfe[illegible] [illegible]mitæ ea incurſione coacti fuere locum deſerere, ad quem tamen [illegible]ere ſtatim poſt libe-

liberationem urbis, operamque omnem deinceps dedere restaurationi ipsius, & majoribus incrementis, ut suo loco dicemus.

Addimus hic loci brevem montis sancti Joseph, & proximi de Kalenberg notitiam a P. D. Basilio du Vergio piissimo & doctissimo eremita nostro Viennensi concinnatam, cui etiam debemus ceteras notitias eremorum Germanarum & Hungararum, quibus locupletantur hi nostri Annales.

Piissimus & augustissimus cæsar Ferdinandus II. pro condenda & erigenda eremo Camaldulensium congregationis Montis-coronæ elegit & attribuit montem vulgo Schwinsberg, modo montem sancti Joseph, uno & medio milliario a civitate metropolitana Vienna dissitum, & monti Cesio, nunc Kalenberg, olim sancti Leopoldi marchionis Austriæ sedi, contiguum, de quo monte Kalenberg, ut brevis fiat mentio, dignum est & justum; hic namque Austriæ marchio sanctus Leopoldus, postquam Mellicium ad ripam Danubii fortissimum castrum, & suum suorumque prædecessorum stabilem residentiæ locum, & per viginti-duos annos inhabitatum reliquit, se ad hunc montem Kalenberg transtulit anno Christi I101. *quem sancta sua, suæ conjugis beatæ Agnetis conversatione & morte piissima celebrem reddidit, qui tamen mons post ejus obitum, & sacro cadavere Claustro-neoburgum, insignem divi Augustini canonicam ab eo fundatam, translato, temporum injuriis & bellorum incommoditatibus per plura secula desertus, sensimque dirutus mansit, donec Leopoldus I. Romanorum imperator virtute voti sui Deo & sancto Leopoldo facti, illum anno Christi* M. DC. LXXXIII. *e ruderibus resuscitavit, ecclesiam in honorem B. V. Mariæ, & patroni nominis sui divi Leopoldi ædificavit, & ad perpetuum utriusque cultum ac memoriam perennandam conservandamque dictæ ecclesiæ sacerdotem, qui quotidie Sacrum ad aras diceret, largo beneficio dotatum substituit. Carolus vero VI. imp. Leopoldi filius non minori zelo hanc ipsam sancti Leopoldi capellam anno Domini* M. DCC. XXX. *largis sumptibus multo splendidiorem fecit, super cujus portam marmoreo lapidi aureis literis inscriptum legitur:* Hæc ecclesia sancti Leopoldi Austriæ marchionis & patroni honoribus sacra, ejusdem olim principis aulæ contigua turri, & antiquitate temporum & Turcarum impietate diruta, munifica dein pietate Leopoldi I. & Caroli VI. patris & filii impp. restaurata & ampliata M. DCC. XXX. *Quem pium zelum serenissima domus Austriaca etiamnum prosequitur, adeout non modo duo sacerdotes seculares ibidem munifice fundati maneant, verum etiam a fundationis eremi origine statim omni hebdomada ex eremo sacerdos eremita ad Missam dicendam ter transire ordinatus sit & obligatus, quod annua sat pingui pensione compensatur.*

Sequitur exacta ecclesiæ, & eremi descriptio cum constructione cellarum, & insignium ipsarum fundatorum.

Est ecclesia ad nostrarum eremorum formam versus orientem posita, itaut sacerdos celebrans in altari majori, post quod speciosus est chorus pro LII. *personis tabulatus ex ligno nuceo per totum, facie orientem respiciat, post tergum seu retro habeat occidentem. Sunt in eadem ecclesia quatuor capellæ, a sinistris capitulum, cujus altare B. V. Mariæ sacrum, a dextris gratiosa & speciosa sacristia, & in illa capella sancto Angelo custodi nuncupata; inferius ad ingressum majoris ecclesiæ portæ est a dextris capella S. P. N. Romualdi, a sinistris capella sancti Leopoldi Austriæ marchionis; in ecclesiæ protractu ab eodem introitu ecclesiæ est altare sanctæ Crucis a sinistris, e regione a dextris altare sancti Sebastiani M. de cujus cultu, & per eum tempore pestis obtento beneficio inter alias hujus eremi notitias mentionem fecimus. Procedendo in ecclesia ex parte sinistra, ubi est altare san-*

Ann. Chr. 1627.

ctæ Crucis, stat mox extra chori portulam altare Nativitati Christi dedicatum, e regione æque immediate ante alteram chori portulam altare Christi in Jordano a sancto Johanne baptizati. Sicque habentur summarie altaria undecim, nam tam in capella sancti Romualdi, quam sancti Leopoldi lateralia duo altariola pro celebratione Missarum erecta sunt.

Præterea foris cellas solitarias sunt circa ecclesiam duo ædificiorum tractus, sicut videri potest in delineata Viennensi eremo [a], *versus Aquilonem stat contiguum ad murum primæ solitariæ cellæ refectorium non contemnendum, mox adhæret refectorio culina, penes quam pro fratribus ministris quatuor cellulæ; tandem iste tractus versus silvam concluditur cum pistrino, torculari & subtus magna cella vinaria. Supra ab extra ipsam culinam apparet muro applicatus lapis, in quo legitur:* Wilhelmus archi-dux Austriæ Ferdinandi II. cæsaris filius, Ferdinandi III. frater, pius in eremitas Camaldulenses. Anno Domini CIↃ. IↃC. XXXIX. *Ex altera parte ecclesiæ versus meridiem & civitatem Viennensem habetur in æquali spatio tractus alter, cujus initium est infirmaria seu valetudinarium, ubi extat honestum altare, in quo effigies Christi Domini ex Cruce levati. Sunt quatuor pro infirmis cellæ cum belle instructa apotheca, in qua frater chirurgus habitat. Foris est itidem in muro applicitus lapis cum hac inscriptione:* Deo Maximo Æterno. Eleonora Gonzaga Ferdinandi II. semper augusti augusta. CIↃ. DC. XXXII. *Post infirmariam contigua est foresteria habens majusculum cubiculum pro comestione, cum duabus cellulis ad dormiendum pro eremitis advenis. Hoc hospitium eremitarum sequuntur pro exteris tria magna cubicula, in quorum medio aula serenissima prandet, qui totus tractus infirmariæ & foresteriæ sub uno eodemque tecto habetur.*

Quoad cellas notandum solitarias, quod ab erectione statim eremi cellæ solitariæ ædificatæ fuerint numero viginti, ab unoquoque descripto tractu decem, & spatium, quod intercurrit, occupat ex toto in medio hortus, ex lateribus habens frugiferas arbores, in medio areolas pro herbis. Istæ viginti omnes a variis successive benefactoribus extructæ fuerunt, quorum insignia aut stemma gentilitium in frontespiciis depicta habebantur. Fuere autem rabie, & furore Turcæ destructæ in obsidione civitatis Viennensis præter duas, itaut insignibus deletis genuina fundatorum nomina nesciantur, cum & instrumenta literaria quoque a potiori perierint. Duarum istarum memoratarum, quæ manserunt, cellarum & earumdem elogia sequentur inferius ordine cum reliquis, quæ post stragem Turcicam denuo renovatæ sunt, & quidem ex parte versus meridiem seu Viennam sunt quinque, quarum I. ex munificentia N. N. insigne prorsus non apparet. Ejus oratorium est B. V. Mariæ in cælum assumptæ. II. a comite ab Harrach. Oratorium B. V. Mariæ Jesulum in sinu gestantis. III. ab excellentissimo principe, ut inscriptio in lapide supra portulam hortuli exhibet: D. O. M. Has ædes ab excellentissimo parente funditus erectas, & Turcarum rabie destructas restaurari curavit illustrissimus dominus Carolus S. R. J. eques a Waldstein, dominus in Strebitz, Swican, Lautschin, Enizca, eques aurei velleris S. Cæs. M. a consiliis intimus & supremus camerarius. A. D. M. DC. XCII. *Oratorium est B. V. Mariæ visitantis Elisabeth. IV. a comite de Wartenberg. Oratorium sancti Jo. Baptistæ. V. a principe de Lichtenstein. Oratorium sancti Johannis-evangelistæ; sed anno 1747. ex toto reparata, adjecto gratioso & sumptuoso oratorio in honorem ejusdem Sancti ab illustriss. domino Josepho-benedicto de Franz celsissimi aulæ regiminis secretario. E regione harum quinque cellarum, quas inter est ambitus, & quidem I. a N. N. oratorium sancti Joh. Nepomuceni mart. II. a quodam perillustri Thomasinio; Oratorium San-*

[a] T. V. pag. 1.

Ann. Chr. 1627.

sanctissimi Rosarii . III. a N. N. oratorium Montis-oliveti . IV. a comite de Starneberg ; oratorium sanctæ Crucis . V. a marchione Teoriani ; oratorium Boni-pastoris . Ex altera parte horti versus Aquilonem est cella I. a principe Maximiliano de Lichtenstein, uti tenor sequentis fundationalis lapidi vivo incisæ exhibet: Nos Maximilianus Dei gratia S. R. I. princeps a Lichtenstein & Nicolspurg, dux Oppaviæ, & Carnoviæ S. C. M. consiliarius & colonellus; & nos Catharina Dei gratia S R. I. principissa a Lichtenstein & Nicolspurg, ductrix Oppaviæ & Carnoviæ, nata domina a Boskoviz & Tschernachor gratissimum Deo obsequium nos præstaturos fideliter arbitrantes, si ex beneficiis nobis licet immeritis ab eodem datore bonorum misericorditer collatis aliquid pro gloria ejusdem divinæ majestatis animo insumamus parato. Idcirco erga Deum ipsum & S. P. Romualdum propensius inclinati propriis expensis, cum in eremo sancti Joseph prope Viennam RR. PP. Camaldulensium non pridem solitariam de more domunculam & sacellum ejusdem sancti Romualdi excitassemus, ad aliquam ulteriorem fundationem animum nostrum & mentem apposuimus. Hinc ad perpetuam substentationem unius patris, & uti desideramus, novitiorum magistri, Florenorum Rhenensium tria millia prædictis rev. patribus numerari curavimus, prout de facto enumerata existunt (*quietantia patris domni Silvani pro tempore superioris apud nos in archivo domus nostræ reservata*) eosdem ad prædictam summam super bonis stabilibus fundandam obligantes, itaut ex fructibus perpetuo percipiendis prædictus pater ibi commoraturus alatur, in ævumque nutriatur & sustentetur, quem enixe rogatum volumus, quatenus jugiter pro salute animarum nostrarum apud Deum omnipotentem preces effundat, & memoriam religiose faciat. In quorum fidem hasce propriæ manus subscriptione & sigillo muniri mandavimus. Signatum in arce nostra Rabenspurg prima maji anno M. DC. XXXVI. *II. cella ab N. N. Oratorium sanctæ Mariæ Magdalenæ . III. a principe Wademan & Guidone Starnberg ; oratorium B. V. Mariæ Immaculatæ. IV. e ruderibus excitata, & a fundamentis erecta cum omni religiosa supellectili gratiose ornata, cujus oratorium sancto Georgio M. dedicatum ab illstris. domino Josepho-benedicto de Franz supralaudato anno Domini* M. DCC. LV. *Quinta ab eodem præfato domino de Franz per omnia quartæ cellæ simillima, sed oratorium sancto Bonaventuræ nuncupatum anno Domini* M. DCC. LVII. *E regione istarum cellarum quinque aliæ . Prima erecta a principe Ferdinando Schwartzenberg & comite Eggenberg; oratorium sanctissimi patris nostri Benedicti . II. a principe Leopoldo Dietrichstein; oratorium sancti Leopoldi Austriæ marchionis. III. a N.N. oratorium fugæ sancti Joseph cum Jesu & Maria in Ægyptum . IV. a N.N. oratorium sanctæ Agnetis V. & M. Quinta a principe Josepho Schwartzenberg e ruderibus integre erecta ; oratorium sancti Joseph Jesu nutritii anno Domini* M. DCC. XXVIII.

XLVIII. Mortuo Rivarola protector ordinis card. Petrus Valerius.

Obiit die quarta januarii hujus anni Dominicus Rivarola Januensis S.R.E. cardinalis, acceptissimus Romanis pontificibus Paulo V. & Urbano VIII. ac vice-protector Camaldulensis ordinis. Ægidius Marraccinius abbas generalis literas dedit ad cardinalem Camporeum episcopum Cremonensem, qui protectionis supremæ munus obtinebat ; is vero cardinalem Petrum Valerium Venetum tituli sancti Marci in comprotectorem congregationi assignavit. Extat Urbanianum breve datum XXIV. aprilis hujus anni facultatem faciens Petro Valerio cardinali comprotectori visitandi singula loca & monasteria tam monachorum, quam eremitarum Camaldulensium. Sub hoc cardinale dieta Romæ celebrata est cum mul-

Ann. Chr. 1627.

ta ejusdem congregationis utilitate, sed quia aliis negotiis distentus, vel quia in Urbe morari amplius ei non licuit, paucis mensibus in officio perseveravit, & vacante ecclesia Patavina, ab Urbano VIII. cura ejus ecclesiæ ipsi fuit demandata. Rogato igitur iterum cardinale Camporeo, alius comprotector electus est Lælius Biscia Romanus cardinalis sanctorum Viti & Modesti.

XLIX. Asceterium S. Christinæ de Bononia subtrahitur a congregatione Camald.

Sub Valerio cardinale comprotectore contigit jactura facta a congregatione insignis parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia, quod per quingentos & amplius annos partim eremo Camaldulensi, partim congregationi monachorum immediate subjectum fuerat. Origo hujus jacturæ tribuitur factioni & ambitioni trium monialium, sed verius potentiæ vel impotentiæ cardinalis Ludovici Ludovisii nepotis Romani pontificis Gregorii XV. archiepiscopi Bononiensis, & cardinalis Roberti Ubaldinii Bononiæ legati. Prostant ineditæ plures narrationes deperditionis hujus monasterii, & sincerissima inter ceteras historia Mauri Ruggerii Abbatiensis abbatis Camaldulensis, qui annis elapsis confessarii munere functus fuerat apud eas moniales. Sed ne in circumstantiis plurimum immoremur, offenderat animum cardinalis Ludovisii, quod pontificalia in ecclesia ejus monasterii exercerentur ab abbate generali occasione vestitionis novitiarum, vel consecrationis monialium ex antiquissima consuetudine & ex privilegiis pontificiis, licet id fieret sub præfecto ceremoniarum metropolitanæ ecclesiæ. Visitatum sæpius fuit ipsius mandato his postremis annis monasterium ab ejus suffraganeis episcopis Gozzadino & Bovio, & jussu sacræ congregationis a cardinale legato Ubaldinio, annis nimirum 1622. & 1626. & vel malevolarum monialium confessione nil scandali, nil mali repertum est. Sed cardinalis Ludovisius ereptum omnino volebat monasterium a congregatione Camaldulensi, ut sibi penitus subderetur. Suadebant Ægidio Marraccinio abbati generali tum comprotector cardinalis Valerius, tum Prosper Fagnanus a secretis congregationis episcoporum & regularium, ut sponte monasterium cedere vellet cardinali, ne invitus id facere cogeretur, quare etiam in brevi pontificio Urbani VIII. de quo mox dicimus, ajebant se curaturos inseri, quod renuntiante generali Camaldulense monasterium sanctæ Christinæ translatum fuerit ad curam archiepiscopi Bononiensis. Id tamen facere constanter renuit abbas generalis. Trigesima aprilis hujus anni idem Fagnanus ex mandato congregationis cardinali Ubaldinio gratulatus est, *quod ex visitatione ab ipso suscepta ejus monasterii innotuerit rectum regimen, & observatio florens, & disciplina regularis in parthenone, ac diffusus sit bonus odor, quem spirabat locus ille puritatis & bonitatis, de qua re moniales admonitas volebat sacra congregatio* (verba ipsa referimus literarum Fagnani.) Faverat eatenus cardinalis alter comprotector Rivarola monialibus, ne earum quies turbaretur; sed morte præventus statim ac Romam rediit initio hujus anni, spes omnis monialium delusa, quæ in alio comprotectore Valerio non invenerunt eamdem animi fortitudinem, ut seipsum opponeret potentiæ cardinalis Ludovisii, qui postremus nil amplius immorandum arbitratus ab Urbano VIII. die secunda junii impetravit breve, per quod post speciosum titulum removendi grave hoc onus a Camaldulensibus, pontifex monasterium sanctæ Christinæ subtraxit a cura monachorum, & subjecit immediatæ jurisdictioni archiepiscopi Bononiensis perpetuis futuris temporibus. Post breve hujusmodi omnia Bononiæ vi & impetu gesta sunt; suffraganeus Bovius apparitoribus & satellitibus stipatus possessionem ecclesiæ & monasterii recepit, januam principalem calce & lapidibus obduxit, fame

fame & rerum egestate moniales obsedit pluribus mensibus, Missis & sacramentis ecclesiæ privavit, ac custodes milites multo tempore adhibuit ad fores monasterii, jussuque cardinalis interdixit monialibus, ne de cetero uterentur opera confessariorum regularium, multoque minus Camaldulensium, sed adhiberent confessarios ex presbyteris secularibus. Ad multum temporis sanctimoniales brevi reluctatæ sunt, & aliqua ex iis, potiusquam secularem presbyterum admitteret in mortis discrimine inconfessa decessit; aliæ signo campanæ populum cientes ipsum ad commiserationem impulerunt, quod ex nobilissimis Bononiæ familiis progenitæ, nullo earum demerito præcedente, ita dehonestarentur, & pejus quam captivæ detinerentur. Fuit, quæ Crucifixum in dextera habens patheticam concionem ad populum habuit. Ira majori incensus cardinalis Ludovisius impetravit a sacra congregatione, ut cardinalis Spada legatus Bononiæ iteratam visitationem susciperet ejus monasterii, qui tamen munus detrectavit. Quare ad extrema deveniens die prima martii anni 1629. excommunicationis fulmen minitatus est, nisi intra quindecim dies pontificio brevi obtemperarent. Tam gravi metu perculsæ & prostratæ demum cesserunt moniales coactæ & invitæ, ad breve tempus obtinuerunt confessarios ex ordine regularium, inde vero presbyteris secularibus confiteri peccata sua sunt adstrictæ. Tres factiosæ moniales in alia monasteria detrusæ fuerunt, quarum una male interiit; aliæ duæ, sed una potissimum ad bonam frugem reversa in optimo statu decessit. Proditum est memoriæ cardinalem Ludovisium jam prope morientem anno 1632. advocasse ad se abbatem sancti Damiani Bononiæ ex ordine Camaldulensi, sed hoc moram trahente & aliquantisper differente se ad ipsum conferre, intermortuum fuisse archiepiscopum, antequam abbas ad ejus alloquium accederet.

L. Obitus Gregorii Vitalii abbatis Avellanensis.

MAXIMO etiam ejusdem congregationis detrimento obiit hoc anno die XIV. augusti Gregorius Vitalius Foro-liviensis, abbas & visitator Camaldulensis sexagesimo-sexto suæ ætatis anno, qui viginti annis rexerat monasteria sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, sancti Blasii de Fabriano ac sancti Gregorii de Urbe, aut functus fuerat officio visitatoris in congregatione; vir primæ observantiæ, misericordia in pauperes, abstinentia ciborum, & frequentatione divinorum mysteriorum, temporibus licet suarum infirmitatum, mirabilis. Memoriæ tradiderat constitutiones omnes variarum congregationum ordinis sancti Benedicti, scientiam sacrarum Scripturarum, sacræ Theologiæ & mathematicarum disciplinarum, quas Venetiis in monasterio sancti Michaelis de Muriano, antequam esset abbas, docuit, probe callebat. Metro confecit *pastorale opus*, quod dicavit cardinali protectori Octavio Paravicino. De ipso Gregorio prolixum elogium texuit Michael Losanna monachus Avellanensis ejus discipulus, qui inter cetera narrat sub Gregorio abbate in monasterio Fontis-avellanæ convixisse duos senes monachos, quorum alter nonaginta, alter centum & sexdecim ætatis annos habebant, quos summa caritate & diligentia abbas tractabat, & ne aliqua pietatis officia illis deessent, ipse per se curabat. Quadragesimas duas exactissimo jejunio quotannis percurrebat, licet mala valetudine, & raucitate afficeretur, nulla nocte deerat ad matutinas preces, quamvis anteacta die ob monasterii negotia itineris & laborum incommodis pressus fuisset. Qualibet die Dominica regulam sancti Benedicti monachis explanabat, culpasque ipsorum suavi correctione excipiebat. Tempore caritatis extremæque rerum penuriæ, annis nimirum 1621. 1622. 1623. nullum pauperem abire sinebat, qui præter

cibum

ANN. CHR. 1627.

cibum & potum pecuniæ eleemosyna non sublevaretur. Ad multum temporis consuetam suam victus portionem divisit cum pauperrima familia, contentus ipse interim dimidiata alia portione. Licet esset prælatus monasterii, famulum non admittebat, sed ipse sibi quidquid indigebat, propriis manibus serviebat. Quamvis ob sterilitatem terræ & eleemosynarum copiam parvi essent monasteriorum redditus, Deus tamen ejus regiminis temporibus sua benedictione adstitit, ut & argenteis vasis, & sacris vestibus & picturis monasteria & ecclesias ditaverit, & prædia ipsorum meliora effecerit: Academiam & juniorum monachorum scholas in monasterio invexit. Quotidie se exercebat in lectione sacrarum Scripturarum & sanctorum Patrum. Nullus proinde obitum tanti patris non deflevit, qui congregationis Camaldulensis erat nobilissimum ornamentum. Gregorium laudat & Benedictus Puccius in suis epistolis.

LI. Alia ad historiam hujus anni.

DECESSIT hoc ipso anno Leonardus Zane patricius Venetus professus monasterii Carcerum & abbas sancti Marci de Mantua, cui cum multa pompa die XVI. aprilis parentatum est, ejusque exequiis interfuit serenissimus Mantuæ dux Carolus Gonzaga. Relationem funeris composuit Raymundus Michaelius monachus cum laudibus defuncti, dicavitque Leonardi matri Catharinæ Priolæ Zane, & ediderunt Mantuæ typographi Osannæ. Michael Losanna laudat in Leonardo, præter nobilitatem familiæ, animi candorem, & sanctitatem ex ejus præclaris virtutibus redundantem, literarum quoque scientiam, ob quas dotes non monachorum dumtaxat, sed nobilium Venetorum & familiæ Gonzagæ urbis Mantuanæ dominæ amorem sibi conciliaverat, non vulgarem autem dolorem in ejus immaturo obitu.

Demum sancto fine quievit in eremo sancti Salvatoris de Fano Franciscus Barbadicus patritius Venetus & eremita Coronensis, Danielis nomine in seculo appellatus, crediturque patruus fuisse beati Gregorii cardinalis; professus fuerat in eremo Montis-coronæ anno 1602. Singulare exemplum dedit patientiæ in sua ultima infirmitate, quæ eum ex vivis rapuit die prima octobris. Hoc eodem anno in Camaldulo-majori Etruriæ professionem emisit Rodulphus Brixiensis, qui ibidem defunctus est, sed quo anno latet, reliquitque expositionem eruditam ms. super psalmum *Miserere*.

Visitationem ejusdem eremi Camaldulensis suscepit Hilarion Rancatus abbas sanctæ Crucis in Hierusalem jussu Urbani VIII. quam absolvit die tertia februarii anni sequentis.

Carolus Emmanuel Sabaudiensis dux die XIII. martii edicto suo vetavit, ne in finibus & circuitu eremi sancti Salvatoris prope Taurinum fierent animalium venationes. Reperimus etiam sub hoc anno congregationem monachorum Camaldulensium aliquot jura & bona in regno Corsicæ subjecta reipublicæ Januensi ad se pertinentia de jure abbatiæ Montis-christi fategisse renuntiare congregationi eremitarum Taurinensium pro eorum nova eremo sanctæ Theclæ Januensis urbis. Id constat etiam ex alia charta procurationis factæ a capitulo eorumdem eremitarum Michaeli-angelo Marcellio Romano eremitæ Taurinensi. Anno vero sequenti iidem eremitæ requisierunt ab eadem monachorum congregatione ipsam abbatiam Montis-christi, quæ negotium hocce conficiendum imposuit abbati generali; nil tamen actum novimus, & eadem abbatia partim Florentino Angelorum, partim Pisano sancti Michaelis monasteriis fuit addicta, quorum postremo ad hodiernam diem subjicitur.

BA-

ANN. CHR. 1628.

LII. Translatio reliquiarum abbatiæ Volaterranæ SS. Justi & Clementis.

BASILICA sancti Justi urbis Volaterrarum ab antiquissimo tempore ædificata fuerat in loco parum dissito ab urbe, sicut etiam altera sancti Clementis ecclesia, ad quam postremam progressu temporis monasterium exsurrexit sub titulo sancti Salvatoris, ubi degebant Camaldulenses monachi, custodes instituti etiam ecclesiæ alterius sancti Justi. Ingens vorago, appellata *il Botro* efformata tum ab aquis defluentibus, tum a pluvialibus, remota olim aliquantisper ab ecclesia sancti Justi, seculorum edacitate viam sibi fecerat proxime ad ipsam, atque domos, vineas, terrasque absorbuerat, semitamque, quæ ducebat ad schalas templi, omnino ademerat, ita ut vacillare jam inciperent etiam fundamenta ejusdem ecclesiæ, quæ tamen utpote constructa ex lapidibus quadratis triginta septem annorum spatio firma permanserat, munita præsertim angulo ipsius, validius adhærente monti. Demum anno 1627. primis diebus octobris, post decantatas vesperas, facies ecclesiæ pedetentim excavata ab aquis prociderat in voraginem. Urbs Volaterrana metuens totius basilicæ ruinam statim accurrit ad requirendas & transferendas sacras reliquias in ea ecclesia adservatas; restiterunt abbas Benedictus Brunus & monachi, demum accedente Bernardo Inghiramio episcopo urbis conclusum est, ut sacræ reliquiæ ad altare sancti Sebastiani reconditæ recognoscerentur in sacrario, includerentur in duabus capsulis nuceis, & sub altare sanctissimi Crucifixi in dicta ecclesia deponerentur, superaddita crate ferrea, & claves capsularum consignarentur abbati monasterii. Corpus beati Jacobi Certaldensis cum ossibus aliorum Sanctorum relictum fuit in urna marmorea, & repositum retro altare; idque actum summa concordia episcopi, cleri, monachorum, operariorum ecclesiæ, & populi, ibidemque perstiterunt per totum mensem junium hujus anni 1628. accedentibus quotidie fidelibus populis tum urbis, tum comitatus ad ipsarum reliquiarum venerationem; præsertim quia episcopus deputaverat eamdem ecclesiam sancti Justi visitandam ad jubilæi indulgentiam acquirendam, & quia etiam prospectus templi novo firmiore pariete reparatus fuerat. Cum vero nil propterea innovandum suspicarentur monachi, in mentem venit communitati urbis & capitulo canonicorum construendi novam ecclesiam sub invocatione ejusdem sancti Justi intra urbem, eo consilio, ut transferrentur sacræ reliquiæ in ipsam, non admonitis monachis, & jam parabantur ad constructionem novæ ecclesiæ lapides & columnæ ex maceriis veteris semidirutæ ecclesiæ. Obtinuerat siquidem communitas a sacra congregatione literas ad episcopum, qui ipsius congregationis cardinales ea super re informaret; qui retulit reliquias in veteri ecclesia esse in manifestum ruinæ discrimen, transferendasque statim in proximam ecclesiam suburbanam monialium sancti Marci loco depositi. Literæ sacræ congregationis datæ sunt die sexta maji hujus anni; qua facultate obtenta episcopus, canonici, communitas die sabbati prima julii transtulerunt superiores duas capsulas reconditas anno præcedenti in ecclesia sancti Justi ad altare Crucifixi, cum reliquiis sancti Clementis, sanctorum Dulcissimi, Carissimi, & Crescentii, & eas deposuerunt sub ara principe ecclesiæ sancti Marci, rogato instrumento ad hoc, ut ibidem asservarentur, neque interea aliquis jurisdictionem super ipsas reliquias sibi vindicaret, quæ intelligeretur esse illorum, ad quos eatenus pertinuerat. Sex diebus antequam exequerentur translationem, duo canonici deputati a capitulo una cum operariis sancti Justi notam fecerunt abbati facultatem ab Urbe obtentam. Abbas & monachi comparuerunt ante episcopum protestaturi contra novitatem hujus translationis. Episcopus protestationem non recepit;

quare

ANN. CHR. 1628.

quare monachi appellarunt ad Sanctissimum, eorumque appellatio admissa fuit; non retardata tamen exequutione translationis. Rationes querelarum abbatis & monachorum erant, quod ipsis inconsultis literæ sacræ congregationis extortæ fuissent, falsumque expositum, cum in eo discrimine casus ecclesia vetus sancti Justi non reperiretur, multoque minus altare, sub quo, ipso episcopo decernente, anno præcedenti reliquiæ conditæ fuerant. Siluerant pariter canonici in expositione ad sacram congregationem, abbatem & monachos ab immemorabili per plura secula fuisse custodes earum sacrarum reliquiarum; abbatem similiter esse primum inter operarios, sine cujus interventu deputati urbis ceteri operarii agere nequirent juxta veteres firmatas conventiones. Pariter si periculum casus ecclesiæ sancti Justi immineret, eas collocandas potius fore in alia ecclesia ipsorum monachorum sub titulo sancti Salvatoris, quæ proximior erat, quam illa sancti Marci, ut præceperat sacra congregatio transferendas ad proximiorem ecclesiam. Nil tamen obtentum, & annorum progressu ædificata fuit in urbe Volaterrana ecclesia nova sancti Justi. Communitas obtulit monachis sancti Salvatoris servitium ejus ecclesiæ, a quo tamen monachi se excusarunt, ne cogerentur festivis diebus extra monasterii claustra discurrere, & ex suburbio ad urbis frequentiam se conferre.

LIII. Monumenta historica.

DECEDENTE magistratu Ægidio Marracinio, & supremam congregationis dignitatem detrectante Desiderio Arrigonio Mantuano, electus fuit secunda vice in abbatem generalem Aurelius Pellicantes Veronensis die XXVIII. aprilis in capitulo generali ad sanctum Nicolaum de Urbe, assumptis in visitatores Petro-victorio Herculanio de Longiano, & Gregorio Cicolinio Pisauriensi; Desiderio autem impositum officium procuratoris generalis in curia Romana. Præfuit capitulo cardinalis Biscia vice-protector, cui Urbanus VIII. apostolicam commissionem suo brevi dedit.

Hilarion Rancatus destinatus anno præcedenti visitator apostolicus eremi Camaldulensis ab Urbano VIII. & a cardinale Francisco Barberino eam feliciter absolvit die III. februarii hujus anni.

Spectat ad hunc annum donatio montis Schweinsberg facta die III. julii a Ferdinando II. imperatore eremo sancti Joseph & Silvano eremitæ, quam habuimus ex collectaneis viri cl. Johannis-georgii de Schwandner Austriaci Stadelkirchensis JCti Viennensis.

Meminit Toppus in bibliotheca Scriptorum Neapolitanorum Seraphini Fellechiæ Nolani eremitæ Coronensis, non tamen prodit, quid literis consignaverit. Legum peritia excelluit, nec ei defuerunt elegantiora studia. Ex juris doctore eremita factus in eremo Rhuensi anno 1584. sanctitatem vitæ literis adjunxit, atque hoc anno ad cœlestem patriam evolavit. Eremi Nolanæ, cujus fundator fuerat ejus germanus frater Prosper, aliquo tempore fuit rector.

Die quinta augusti, jussu Urbani VIII. sublata fuit imago Vultus sancti, similis illi, quæ Romæ colitur, existens in ecclesia parthenonis sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone, quam donaverat Octaviæ sorori suæ sanctimoniali Petrus Stroctius. Idem præcepit fieri dictus pontifex in omnibus locis, ubi asservabantur eæ imagines, opera cardinalis Antonii Barberini fratris sui, publicata ubique earum imaginum prohibitione, & præcipue illarum, quas expresserat idem Stroctius.

Sacra Romana congregatio decernit prohibitas non esse Missas triginta, dictas sancti Gregorii, & non interpolato ordine triginta successive diebus celebratas ad altare dicti Sancti in Urbe, de quibus Missis ipse mentionem facit in Dialogorum libro IV. capite 55. ubi historiam narrat

Justi

Justi monachi ea continuata celebratione a pœnis purgatorii liberati, sed prohibitas alias novæ institutionis, & abusive dictas sancti Gregorii, ad quas proinde decretum pertinet.

ANN. CHR. 1628.

ANN. CHR. 1629.

LIV. Ædificatur ecclesia S. Romualdi Ravennæ.

CUM ecclesia sancti Bartholomæi de Ravenna, quam incolebant monachi Camaldulenses ex sancti Apollinaris in Classe extra Ravennam monasterio seculo præcedenti intra urbem translati, redderetur nimis angusta, Ægidius Marraccinius abbas Classensis novam ecclesiam ampliorem construere hoc anno est aggressus, primumque lapidem in ea posuit Octavius Cursinus archiepiscopus Tarsensis Æmiliæ præsidens cum hac inscriptione. *Octavius Cursinus archiepiscopus Tarsensis ac Æmiliæ præses lapidem hujus templi imposuit die secunda maji Ægidio Romano abbate anno Domini* M. DC. XXIX. Ecclesia absoluta fuit anno 1633. cum alta turri contigua, exornatum templum variis picturis, altare majus ex lapidibus constructum, pavimentum similiter marmoribus variis insertum, & amplus pro monachorum officiis persolvendis chorus constitutus, ac die VII. februarii ejus anni Missa sollemniter decantata, & divina officia persoluta fuere. Apposita est altera inscriptio super majorem ecclesiæ januam: *D.O.M. D. Romualdo Ravennati Camaldulensium institutori, jacto primo lapide ab Octavio Cursino archiepiscopo Tarsensi R.C.A. decano, Æmiliæ præside monachi Classenses templum hoc grati animi ergo parenti optimo D. D. D. anno Domini* M. DC. XXX. Templum consecratum est ab Aloysio Capponio cardinale Ravennate archiepiscopo anno 1637. dicato majori altari sancto Æmiliæ patrono, & primo Ravennati pontifici Apollinari, cum epigraphe: *Kalendis maji* M. DC. XXXVII. *templum hoc divo Romualdo, altare majus divo Apollinari martyri sollemni ritu consecravit Aloysius cardinalis Capponius archiepiscopus.*

LV. Ecclesia S. Gregorii de Urbe una ex VII. tempore pestis.

PESTE hoc anno grassante, ægre poterant fideles piique viri Urbis Romanæ extra urbem exire ad indulgentias obtinendas in visitatione septem ecclesiarum. Ne itaque hac devotione privarentur, Urbanus VIII. constituit, ut ecclesia sancti Gregorii foret una ex septem, & substitueretur ecclesiæ sancti Pauli extra muros. Ad perennandam memoriam appositus fuit lapis: *Urbani VIII. P.O.M. sempiternæ ac faustissimæ memoriæ, quod sævientis per plurimas Italiæ partes contagii periculo ecclesiam hanc divo sacram Gregorio felici quondam pro hac Urbe viriati cœli labe contacta apud Deum, cælestisque militiæ principem advocato sancti Pauli uni ex septem ecclesiis substituerit, monachi Camaldulenses devoti argumentum animi posuere anno* M. DC. XXX.

LVI. Decedit Ludovicus Pasolinus ep. Signiensis.

MIGRAVIT e vita Johannes-ludovicus Pasolinus Bagnacaballensis vel Faventinus, episcopus autem Signiensis. Is monasticam vitam professus fuerat in cœnobio sancti Johannis-baptistæ de Faventia pro monasterio Classensi, vir in divinis humanioribusque literis versatissimus, musicæ etiam disciplinæ peritissimus, & in negotiis persolvendis expeditissimus. Creatus abbas generalis congregationis anno 1601. in capitulo generali plures constitutiones pro bono regimine ordinis edidit, a Clemente VIII. confirmatas apostolica auctoritate. Paulo V. Scipioni nepoti Burghesio, cardinalibus Paravicino, Vincentioque Lenio fuit acceptissimus, & in arduis negotiis literis, consiliis & opere sæpius ab ipsis adhibitus. Procuratorem generalem agens in curia officium non absolvit, factus episcopus Signinus, longeque majores dignitates obtinuisset, sed sua ecclesia contentus meliores non ambivit; quam senex tamen factus cum pensione renuntiavit. Post quam abdicationem cardinalis Lenius episcopus Ferra-

Ann. Chr. 1629.

riensis in coadjutorem & suffraganeum suum adhibuit in ea ecclesia, ubi etiam sibi omnium civium amorem conciliavit. Defuncto Lenio anno 1627. eligitur episcopus Ferrariensis Laurentius Magalottus cardinalis, a quo coactus fuit licet senio confectus in officio perseverare; tanta erat fides cardinalis in prudentiam Pasolini. Finem suum adesse sentiens ad patriam redivit, in qua annum fere transegit, ubi mortem oppetiens sepultus est in ecclesia parœciali sancti Salvatoris Faventiæ, pone altare majus, abjecto lapide humidoque in loco, die quinta aprilis, ætatis annorum 72. multis etiam sanctitatis signis editis. De Pasolino agit Magnanus. Senesius autem, qui tunc vivebat, defunctum ipsum facit mense februario anni sequentis, sed præponenda prima sententia, adoptata etiam ab Ughellio, quæ conformis est adnotationi sequenti factæ ab ipso parocho sancti Salvatoris, in cujus ecclesia humatum fuit Pasolini cadaver. *Anno Domini 1629. die quinta aprilis Reverendissimus dominus Johannes Ludovicus Pasolinus episcopus Signinus, ætatis suæ anno 72. mortuus est, prius ab uno reverendo patre sancti Francisci confessus sua peccata, sanctissimo Eucharistiæ sacramento refectus, oleoque sancto unctus, cujus anima D.O.M. commendata. Sepultus fuit in hac parœciali ecclesia in sepulcro, quod est in sacello ante altare majus die sequenti hora 22.*

Hic fuit abbas generalis ordinis Camaldulensis, & suffraganeus Ferrariæ. Professus est religionem in monasterio sancti Johannis-baptistæ Faventiæ.

Agathangelus Spinula Januensis Carmelita excalceatus commissione apostolica visitavit hoc anno eremum Camaldulensem, pluraque decreta tulit pro quiete bonoque ordine sacri loci.

Ann. Chr. 1630.

LVII. Obitus Benedicti a Sancto-lupo eremitæ Taurinensis.

Obiit hoc anno die xviii. augusti Benedictus a Sancto-lupo eremita Taurinensis. Natus in Sancto-lupo diœcesis Vesontionis in comitatu Burgundiæ, Ivonis nomen in baptismo assequutus, Theobaldi filius, eremiticum habitum suscepit die prima januarii anni 1614. Sacerdos factus, antequam compleret quinque a professione annos, qui requirebantur a constitutionibus, fuit tum magister novitiorum, tum conservator constitutionum, deinde rexit novam eremum sanctæ Theclæ Januensis urbis, prior demum & Major est electus eremi & congregationis Taurinensis, ac prior Belli-montis. Cum in hac postrema eremo degeret hoc anno pestis Pedemontium invasit. Relicta itaque sua solitudine, exemplo beati institutoris Alexandri Cevæ, dum lue infectis sacramenta ministrabat, ceteraque pietatis Christianæ officia exhibebat, eodem morbo correptus, & ad eremum reversus sancte decubuit martyr caritatis. Singulari autem Dei protectione nullus, præter ipsum, eremitarum Taurinensium, licet infirmis plures inservirent, ex peste interiit.

Sublatus est etiam, sed ante pestem, morbo trium dierum in festivitate sanctæ Annæ Carolus-Emmanuel Sabaudiæ dux, cujus obitu maximam jacturam fecit novella eremitarum Pedemontanorum congregatio, quippe qui post mortem fundatoris expresse pronuntiaverat, se deinceps futurum eremi Majorem. Decessit in urbe Saviliani, & in ducatu successorem habuit Victorium Amadeum I. filium.

Quoad Benedictum a Sancto-lupo subjungimus ipsius elogium.

Domnus Benedictus Pettenai, Ivo antea dictus, a Sancto Lupo ad Vesontionem in Burgundiæ comitatu seu Sequanorum pago, vergente ad finem anno 1613. ex Galliis in Pedemontium veniens, quadragenarium Camaldulensis vitæ in sacra eremo Taurinensi adorsus est experimentum. Hocce probe completo, tunica dealbatus fuit eremitica, proque merito approbatus ka-

lendis

lendis januarii 1615. sollemni professione se adstrinxit. Exultans proinde sicut gigas ad currendam viam, corde caritatis fervore dilatato, nil arctum, nil arduum in observantiis videbatur sibi, quo perfectionis culmen attingere impediretur, cui sine mora sic eum propinquare judicarunt patres, ut a patre Majore clericali tonsura quatuorve minoribus ecclesiæ gradibus donatum, eodem expirante anno sacris omnibus ordinibus dignum reputantes, Caroli de Broliis Cheriensis patritii, diœcesani archiepiscopi cum præfatæ eremi sacratione, tum aliis gratiis de congregatione optime meriti, favore, iis insignitum esse obtinuere. Prima Missa maxima recollectione & spiritus exultantia profectuque celebrata, novum melioremque se hominem excelso hoc charactere induisse constanti opere ostendens, alio intrante anno dignus est habitus, ut constitutionum conservator adlegeretur, sequenti vero novitiorum magister. In recte gerendis peritus in Delphinatum primum, quod Gallici sui idiomatis diserta facilitate quoque polleret, propter obortam statuendæ illac eremi spem, ire jussus, conditionibus nec accommodis, nec acceptis, cito in Pedemontium revertitur. Alia vice Parisios, domno Francisco a Taurino sociante, directus iter bimestri complevit, nam martio profectus, majo reversus est anni 1618. quo nationalia comitia tenebantur, & a definitoribus Januensi familiæ a Pedemontanis institutæ, quæque Taurinensis membrum erat eo tempore, hoc strenuo adjutorio fuit adscriptus. Eremo illi sanctæ Theclæ in cacumine civitatis Januæ constitutæ, pro alendo competenti ad regulares observantias religiosorum numero redditus non suppetunt, iique desiderantur, qui paucis contenti & vilioribus paupertatis incommoda libenter in omnibus sustinent. Cumque per biennium forma illius gregis factus esset ex animo, eidem in pastorem a subsequente capitulo præpositus fuit, quem tanta prudentia discretoque zelo, tali ordine, probitate tanta gubernavit, ut a propriis subditis & amatus, & reveritus esset, ac apud remp. ipsam foret in æstimationis bonore. Sacram Taurinorum eremum exinde ad capitulum anni 1624. venit, ubi prior & congregationis major (dignitates pro tunc copulatæ ac triennales) inauguratur; ipseque in eminentiori universæ domus loco positus virtutum splendore magis magisque imposterum omnibus prælucendum esse duxit. Præ oculis itaque mentis protopastorem, qui solus bonus est, dominum Jesum-christum tenens indesinenter, exemplarque in Apennino monte a sanctissimo patre Romualdo monstratum firmiter inspiciens, totum se illi conformare, hunc totis viribus imitari studuit; nec tantum absuit, quin ejus regiminis justa laus ad perfectionem, & muneris & pietatis perceleris cursus, omnis cœtus faciendo ac docendo mira formatio, cum eorum qui tam concito gradu ad tanta successive officia & dignitates illum evexerant, judicium comprobaret, tum ipsi elogium brevi sermone fiat abunde magnificum. Tanta nimirum erat apud congregatos patres definitores Benedicti habilitatis & peritiæ opinio, tamque firme apud omnes radicata certitudo prudentis in agendo progressionis, cui nec excessus in modo, nec error esset in ordine, ut quia propter exardescens inter Sabaudum ducem & remp. Januensem bellum ad paschalem consessum, Dietam nunc appellatum, sanctæ Theclæ prior convenire nequiverat, ad eamque domum novis calamitatibus obnoxiam, visitandam refovendamque ipse Major sibi eundum fore judicaverit, applaudentes viritim ceteri confessores actu mandati specifico sub dato v. maji M.DC. XXVI. tam amplo illum munierunt, ut liceret ei locum & familiam in opportunis reformare. Notissima hinc & binc Benedicti probitas absque ingerentiæ in publicis rebus suspicione, ut qui unice in iis, quæ Patris cælestis erant, inesset, facilem ei ab utroque principe facultatem impetravit:

Ann. Chr. 1630.

quo perveniens ac ab eremitis tamquam Angelus pacis in afflictione maxima lætanter susceptus ad urgentiora providit, eos in aliis ad sustinentiam roboravit, æquanimiter divinæ voluntati acquiescendum dulciter suadens, cujus providæ bonitatis est, magnas post ingruentes procellas lætam exoriri facere serenitatem. Rebus optime instructis, ac reip. proceribus meritorum ejus non ingratis acceptissimus, ad sui sedem remeavit Majoratus, quo universali consolatione ac laude sui & congregationis ad altiora sanctitatis provectione anno sequenti, abbatiali completo, Buscam in eremi nostræ Dominæ Belli-montis priorem est missus, ut illi quoque fundationi coalescenti præfulgeret atque proficeret, quod potissime præstitit. Triennio expleto, Januensis iterum prior cooptatus, sed exacerbato bello ire probibitus, seu verius Deo non indubium martyrii sertum famulo suo præparante, quo erat, permansit, & si gladius persecutoris non abstulit, martyrii tamen palmam non amisit. Feraliter inde bella, hinc lues anno 1630. per Pedemontium finitimasque regiones depascebantur, qui contagiosa passim gentium strage luctuosus fuit, ac summopere Sabaudiæ ducis Caroli Emmanuelis I. armis paceque gestis egregie rebus celeberrimi morte, non ferro, neque grassantis morbi, sed ardentis febris in sexaginta-novem annorum sene, laboribus curisque fracto gravioris, triduano impetu sublati Saviliani vicesima-sexta die julii, sanctæ Annæ genitricis Dei matri dicata, optimo a principe specialiter culta, quotisque annis celebrata sollemnissime. Pusillum gregem suum in ipsa ditione, palam protegente patriarcha sanctissimo Romualdo, tres, quæ inerant, eremos aeris corruptio non intravit, nemine de familiaribus neque contagio aut decedente, aut ægrotante; tanta est & in moralibus, & in physicis deserti temperies, tantique habenda solitudinis custodia & a seculo abstractio. Necessitas extrema nihilominus in his circumstantiis, caritasque urget magis reconditos religiosos pro æterna salute aliorum se victimas exhibere; non oratione solum ad avertenda flagella, pœnitentiaque ad iram placandam Omnipotentis, sed & ad proximum in maximo periculo positum spirituali simul & corporali adsistentia donandum, quod magno animo exequutus est Benedictus noster, Dei voluntate inibi se relictum fuisse arbitratus, ad vicinas regiones alpium zeli proprii sudore irrigandas, lustrandasque amoris igne, quatenus in hoc pariter ven. Alexandrum Cevam imitaretur, qui annis 1598. & 1599. peste immensum circumquaque populum prosternente, Augustæque Taurinorum gentem ad nihilum redigente, ad perculsos morientesque pestilentia cives corde magno & animo volenti se dederat in spiritualibus & corporalibus inserviendos. Omni humano itaque ad æternitatem subsidio circumstantes Belli-montis pagi, plusque pauperes montium accolæ, moraliter & realiter egentes, angustiati, afflicti, in cavernis ac speluncis terræ, in scissuris habitantes petrarum, destituebantur, parochis, presbyterisque fatali jam malo pene sublatis. Hic igitur nullo præservationis pharmaco munitus, fide sola, spe, amore supernaturaliter instructus divinæ dispositioni se committens, ad opem quamcumque poterat miseris languentibus ferendam accurrit, juga vallesque centies emensis, derelictas Christi oves perquirit, indigentes omnes ac tribulatos pro posse solando, huic in agone subvenit, illis a confessionibus est, sacroque viatico eos reficit, roborat extrema unctione, ad tolerantiam alios hortatur, alios ad vitæ nusquam perituræ spem erigit; vivis alimenta & medicamina, quantum valet, administrat, sepulturam & suffragia defunctis dat, ac dantes adjuvat, omnibus omnia factus, se unum obliviscens, adeout lue tandem ipse infectus cellam pedes repetere compulsus sit, qua brevi consumptus, ægre ferens Eucharisticum panem se recipere stomachi indignatione impediri, reli-

quis

quis morientium susceptis devotissime sacramentis, ac se pro salute populi succidaneam fieri victimam desiderans, tranquilla quadam respiratione hora XXII. *diei Dominicæ* XVIII. *augusti dicti anni obdormivit in Domino, cujus hostia effici meruit in odorem suavitatis oblata. B. V. Mariæ, cujus titulo eremus illa jure gloriatur, manifesta fuit super integram Belli-montis familiam efficax tutela, cum nulli ex religiosis pio Benedicto ministrantibus, neque de secularibus inservientibus, quidquam contagiosæ infectionis est communicatum. Benedicti, etsi tot negotiis distenti, nonnullos asceticos tractatus uno competenti volumine comprehensos habemus, qui inter congregationis scriptores propterea describi meretur, in quibus libris interioris vitæ studium, contemplationis exercitatio, in sacris lectionibus attentio & eximia eruditio auctoris elucet.*

ANN. CHR. 1630.

LVIII. Vitalis Zuccolii, & Benedicti Bruni abbatum.

PARITER in pace quievit Vitalis Zuccolius nobilis Patavinus professus sancti Michaelis de Muriano, cujus monasterii fuit etiam abbas, sicut fuerat prior sancti Gregorii de Urbe, ac procurator generalis, & abbas sanctæ Mariæ de Carceribus. Tempore caritatis tritici, anno nimirum 1613. & sequenti, tempore inundationis fluminum, tam sollicitus fuit in pauperibus alendis, quorum fere quadringenti cum familiis suis confugerant ad monasterium Carcerum, ut Senatus Venetus habita notitia de magna Vitalis pietate, gratias ipsi egerit, atque in publicis rerum memoriis eximium ejus pietatis officium mandari præceperit. Fama est tantam fuisse in eo monasterio tunc temporis tritici & fabarum copiam, ut videretur Deus merito caritatis eam multiplicasse ad solatium egenorum. Demum adveniente hoc anno 1630. pestilenti contagio, cum se recepisset Vitalis ad sanctæ Luciæ Vicetiæ monasterium, ibidem supremum diem clausit, de indigentiis pauperum magis quam de sua salute sollicitus. Totam vitam suam, præter opera pietatis & humilitatis, in quibus excelluit, præter negotia, quæ strenue exequutus est, impendit in scribendo. Operum autem ipsius sylloges hæc est ex codicibus mss. quos servamus in bibliotheca nostra sancti Michaelis. *Enarrationes in Evangelium divi Matthæi sive homiliæ 116. tomi quatuor in 4. & tom.* I. *in folio. Enarrationes in Evangelium divi Marci sive homiliæ 70. tomi quatuor in* 4. impressæ etiam Venetiis anno 1605. & dicatæ Paulo V. Romano pontifici ab auctore. *Enarrationes in evangelium divi Lucæ sive homiliæ* 120. *tomi quatuor in* 4. impressæ ibidem anno 1617. *Enarrationes in Evangelium divi Johannis sive homiliæ 93. tomi quatuor in 4. & tomus I. in folio. Sermo de sancto Marco; Enarrationes in psalmos sive homiliæ 150. tomi sex in 4. & tomi tres in folio. Expositio homiliastica in Missale Romanum tomi decem. Expositio in Cantica Canticorum tomus unus in folio, sive Sermones 80. Ragionamenti sopra la Cantica, o sia traduzione della medesima opera, tomi duo in 4. Encomia beatæ Virginis Mariæ libri decem & octo. Expositio epistolæ divi Pauli in Romanos, enarrationes 53. Opus redemptionis de passione Domini. Opus confirmationis de pœnitentia. Sacrarum epistolarum libri septem. Quadragesimale, Sermones Dominicales & de Tempore libri IV. Tabularum logicalium libri* XII. *Tabularum rhetoricalium libri* XX. *Tabularum physicalium libri* XXXV. *Tabularum metaphysicalium libri* XIII. *Tabularum moralium libri* XI. *Tabularum politicarum libri* XV. *Tabularum mathematicalium libri* XXII. *Tabularum theologicalium libri quadraginta. Commentaria & quæstiones in Platonis Hipparchum, vel de lucrandi cupiditate; in Theagen vel de sapientia; in Minoem, vel de lege; in Amatores, vel de philosophia; in Euthyphronem, vel de sanctitate; in Alcibiadem I. vel de natura hominis; in Alcibiadem II. vel de voto; in Menonem, vel de virtute; in Cratylum,*

vel

Ann. Chr. 1630.

vel de recta nominum ratione; in Timæum, vel de mundi natura; in Parmenidem, vel de uno omnium principio, & ideis; in Philæbum, vel de summo bono, vel de voluptate. Dialogorum philosophicorum libri V. in quodlibeta Henrici Gandavensis tomi duo, impressi etiam. *In quæstiones disputatas tomi tres. Dialogo delle cose meteorologiche secondo i filosofi*. Venetiis apud Paulum Mejetum 1590. *Dialogo sopra le meteore secondo gli astronomi. Discorsi Platonici dell' anima e del mondo. Discorsi sopra le 50. conclusioni del Tasso*: Venetiis prælo impressi per Georgium Angelerium 1588. & Bergomi per Cominum Venturam, edente Camillo Abbioso; tertiam editionem paraverat Petrus Passus monachus Camaldulensis. *Discorsi 63. sopra le conclusioni amorose di Girolamo Vida Giustinopolitano*, parati etiam ipsi ab eodem Passo, qui prælo committerentur. *De eloquentia tractatus viginti tomi duo. Theatri eloquentiæ gradus duo. In artem concionandi tomi tres. De artibus disserendi tomi quinque. Poetica pastorale con dieci pastorali. Trattato de' traffichi di Tommaso Buoninsegni Italice versus* editus anno 1588. *In regulam sancti patris Benedicti tomi duo. Vita, mors, & encomia & discipuli sancti patris Romualdi metro heroico decantata. Confessiones de quinque talentis libri quinque. Commentaria & paraphrasis in epistolam divi Pauli ad Galatas. De laudibus sanctæ Cæciliæ V. & M. ex capite* XIII. *Proverbiorum. Pro sanctis mulieribus apologeticon &c.* Professionem emiserat Vitalis in monasterio sancti Michaelis anno 1574. die prima januarii. Obiit tertio nonas novembris hujus anni, ætatis anno septuagesimo-quarto. De eo Benedictus Puccius epistolarum libro IV. Possevinus Apparatus sacri tomo primo, Antonius Bessa Nigrinus in historia familiæ Castillionensis, Wion, Marraccius, Franciscus Sansovinus Historiarum Venetarum libro XIII. Buccellinus ad annum 1595. Annalium Benedictinorum, & chronologiæ Marianæ, ubi supine errat scribens Zuccolium *insigne congregationis sanctæ Justinæ sydus claruisse. Rarum virum* vocat & laudat Minius. Losanna autem *nullum in literis non dumtaxat in congregatione Camaldulensi, sed ubique terrarum Vitale Zuccolio majorem* pronuntiat juxta usum ejus seculi in exaggerationibus proclivioris. Inter epistolas Benedicti Puccii extat epistola monachorum sancti Michaelis de Muriano ad cardinalem Octavium Paravicinum scripta anno 1607. quæ elogium continet Zuccolii.

Decessit quoque circa hæc tempora Benedictus Brunus Florentinus, abbas Camaldulensis professionis sanctæ Mariæ-angelorum, qui *in IV. Magistri sententiarum libros commentaria* scripsit. *Adagia* etiam miro ordine juxta locos digessit; opus, quod ms. in eodem cœnobio asservatur, publica profecto laude dignum, utpote elegantissimum, & Latinæ linguæ studiosis apprime commodum, in quo uberrima eruditio cum luculenta brevitate. Edidit & aliud: *Della Creanza del Principe, discorsi politici*, atque de ipso agit Minius in historia Camaldulensi ms. cap. 57.

LIX. Augustini quoque Prioli abbatis Vangaticiensis.

DEMUM ex peste interiit Augustinus Priolus episcopus Bergomensis & abbas commendatarius sanctæ Mariæ de Vangaticia. Tractum fuit ejus cadaver ob luem pestiferam uncis ferreis per schalas, & delatum in ecclesiam Vangaticiæ, ubi terræ mandatum est ad altare Crucifixi, sive sanctorum Primi & Feliciani. Legavit, ut dictum altare ex marmore construeretur ad instar alterius altaris sancti Theobaldi, quod construxerat familia Recanata; ut insuper institueretur quotidiana Missarum celebratio; cetera vero sua legata reliquit duobus fratribus suis Hieronymo & Michaeli filiis similiter Antonii ducis. Post decennium Michael ejus frater dimidiatam pro portione sua demandavit institui Missarum celebrationem, quæ

tamen

tamen ipsius morte interrupta fuit, non assignatis redditibus neque ab ipso, neque a Hieronymo fratre, neque demum a familia Pisaura hærede bonorum omnium extinctæ familiæ Priolæ. Altaris quoque erectio neglecta fuit, neque conditum monumentum ad reponenda ossa Augustini episcopi & abbatis. Proditum est memoriæ hoc ipso anno peste debacchante Dominicum Ruzzinum publicum provisorem Pollicinii a republica Veneta deputatum, interpellatum a monachis Vangaticiensibus, ut eorum instantias audire vellet, quibus querebantur negligenter contra se agi ab eodem Augustino abbate commendatario, & subtrahi res necessarias ad victum & vestitum monachorum ab ejusdem ministris, audiisse super ipsa publica via causidicos utriusque partis (timebat enim provisor oppidum Abbatiæ infectum lue ingredi) ac decrevisse, ut de cetero ministri abbatis providerent omnia vitæ necessaria iisdem monachis. Defuncto Priolo Urbanus VIII. titulum dictæ abbatiæ suo diplomate contulit Marco-antonio Cornelio filio Johannis ducis Venetiarum, tunc ecclesiæ divi Marci primicerio, qui etiam paulopost ab eodem pontifice insignitus fuit episcopatu Patavino. Refertur de Cornelio abbate, quod episcopus factus & redux ex Urbe ad suam Patavinam ecclesiam, dum possessionem parum remotæ abbatiæ Vangaticiensis adire cogitat, pro majori honorificentia novum sibi currum construi fecit, quo perfecto lætus in ipsum ingressus, comitante multa nobilium virorum frequentia versus oppidum iter suum direxit. Monachi & presbyteri seculares obviam ipsi iverunt, sed ecce prope portam oppidi repente & mirabiliter in duas partes divisus est currus, & ipse episcopus in terram procidit graviter vulneratus in capite & in pluribus aliis corporis partibus, itaut lecto decumbere multis diebus compulsus fuerit. Præfuit mala valetudine abbatiæ duobus annis, post quos vitam cum morte commutavit. Ad inopinatam currus fracturam multitudo populi cohiberi non potuit, quin certatim dicerent unaque voce miraculum id fuisse sancti Romualdi. Factum narrat Michael Losanna monachus Camaldulensis tunc vivens, ex quo ceteri scriptores historiæ hujus monasterii desumpsere.

LX. Aliquot historica Camaldulensia.

DIE quinta maji hujus anni post transactam mediam noctis partem Julius Boninsegnius nobilis Senensis haud vulgarem splendorem lucis intuitus est super ecclesiam sanctæ Mariæ de Vertilio prope oppidum Montis-sancti Sabini, ut suo juramento testatus est die sexta julii anni sequentis.

Æmilius Alterius Romanus episcopus Camerinensis visitans hoc anno corpus beati Angeli de Aqua-pagana in ecclesia monasterii sancti Salvatoris, in qua ab anno 1313. quieverant ejus sacra ossa, ea transtulit die XIX. augusti in capellam ad ejus honorem erectam, condens ipsius sacrum caput, & omnia alia ossa, præter os pedis translatum ante quatuor annos in ecclesiam sancti Augustini de Matelica, & præter musculum genu in theca argentea asservatum, & publicæ venerationi exponendum. Videantur, quæ diximus ad eumdem annum 1313.

Communitas Pecetti donavit eremitis Taurinensibus stagnum proximum eremo in signum devoti eorum animi erga eamdem eremum, *fundatam*, inquiunt in donationis instrumento, *a beatissimæ memoriæ patre fratre Alexandro Ceva, ubi quiescit ejus sacrum corpus, spe indubia, ut sicut ipse vir Dei tempore vitæ suæ zelantissimus in consolandis tribulatis fuit, ita post mortem intercessor sit apud Deum pro indigentiis spiritualibus & temporalibus dictæ communitatis, ad honorem Dei, sancti Romualdi, & dicti beati Dei famuli Alexandri fundatoris*. Donatio facta fuit ab hominibus dicti communis die prima januarii, confirmata sollemnius post aliquot annos.

ANNA-

ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEPTUAGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno CHRISTI M. DC. XXXI.

ANN. CHR. 1631.

I. Constructio ecclesiæ sancti Romualdi de Urbe.

PERFICIENDÆ ædificationi insignis collegii Romani, quam una cum ecclesia sancti Ignatii magnis expensis assumpserat Ludovicus Ludovisius S. R. E. cardinalis vicecancellarius Gregorii XV. nepos, simulque aperiendæ viæ publicæ, quæ ad illam principaliorem cursus duceret, videntes patres societatis Jesu, in primis pater Caravita, ecclesiam sancti Nicolai & sancti Antonini in Forbitoribus de Urbe, adjunctumque monasterium Camaldulensium monachorum, quod erat sedes procuratoris generalis ordinis, simulque inserviebat pro hospitio monachorum sancti Gregorii Clivi Scauri tempore gravioris aeris, utrumque opus impedire; & cum Gregorius XIII. bulla sua olim permisisset, ut in fabricis, quæ ad ornamentum Urbis facerent, liceret a vicinis postulare ædificia, in qua tamen lege comprehensa minime voluerat monasteria & eorum septa, tractatus habere ceperunt iidem patres cum Camaldulensi procuratore generali, an assentiri vellet venditioni præfatæ ecclesiæ & monasterii, pollicitatione adjuncta, quod, ultra æstimationem peritorum, decem pro quolibet centenario solverent ad præscriptum prædictæ Gregorianæ bullæ, quæ ea majori summa compensari requirebat ab emptoribus venditorum damna. Desiderius Arrigonius, qui tunc procuratorem generalem Camaldulensium monachorum agebat, confugium habuit ad Urbanum VIII. Romanum pontificem, qui ei promisit se nunquam coacturum congregationem ad stipulandum venditionis instrumentum; eaque ratione idem pontifex patribus societatis Jesu, immo ipsi cardinali Ludovisio respondit, nolle se præjudicium ullum irrogare Camaldulensibus; suasit tamen his, ut cum illis se concordarent. Interveniente propterea auctoritate cardinalis Zacchiæ, & alterius cardinalis Bisciæ viceprotectoris Camaldulensium decretum est, ut loco venditionis componeretur potius aliqua commutatio, ita ut patres societatis Jesu proponerent in alio Urbis situ, & assignarent pro Camaldulensium monachorum habitatione eccle-

siam

siam & monasterium, Camaldulenses autem cederent ecclesiam & monasterium sancti Nicolai una cum alia contigua domo spectante ad jus monasterii sancti Gregorii. Chirographo suo Urbanus VIII. sub die XX. augusti anni præcedentis M. DC. XXX. signavit hujusmodi compositionem. Antea in dicta monachorum Camaldulensium anni 1629. facta fuerat procuratori generali facultas permutandi. Reservarunt itaque sibi Camaldulenses deportationem propriorum insignium, lapidis sepulcralis defunctorum cum ossibus mortuorum, quæ transtulerunt ad ecclesiam sancti Gregorii, sacros mensarum lapides, iconas altarium cum eorum ornamentis, & marmora frontis ecclesiæ deducenda ad ecclesiam novam, ut fusius recensentur omnia in instrumento rogato mense majo anni 1630. Placuit præ ceteris locus ipsis a patribus Societatis exhibitus in vico Plumbi, ædes nimirum Alexandri Vittelefchi in angulo plateæ divi Marci, quas solutione duodecim millium scutorum ab Alexandro emerant, & quamvis nobilis familia Frangipania propinquitati monachorum se opponeret, noluit tamen summus pontifex, licet exoratus ab oratoribus regis Galliarum & reipublicæ Venetæ, permutationem ab utraque parte constitutam rescindere. In præfatis itaque domibus familiæ Vittellefchæ ædificata fuit ad formam monasterii nova domus, novaque ecclesia fundata pro usu Camaldulensium, ad quam, cum designata esset, idem Romanus pontifex eodem anno undecima decembris transtulit honores, titulum abbatialem, onera & jura, quæ Camaldulenses obtinebant in veteri monasterio sancti Nicolai. Patres autem Societatis Jesu in angulo veteris ecclesiæ sancti Nicolai, ne omnino dilaberetur hujus ecclesiæ memoria, cum effigie sancti Ignatii alteram apposuerunt sancti Antonii abbatis, qui erat alius titulus ejusdem ecclesiæ sancti Nicolai.

Præsenti itaque anno 1631. primum lapidem in ædificatione novæ ecclesiæ Camaldulensis in vico Plumbi posuit episcopus de familia Gonzaga, addita sequenti superscriptione: *In honorem sancti patris Romualdi & omnium Sanctorum monachorum ordinis sancti Benedicti lapidem primum ponere curavit Desiderius procurator generalis die* VII. *februarii anni* M. DC. XXXI. Nonnulla etiam numismata terræ commisit, in quibus visebatur effigies sancti Romualdi, ac circum ipsam signata erant hæc verba: *S. Romualdo, ac omnibus Sanctis monachis S. Benedicti*; ex altera vero parte legebantur: *Anno Domini* M. DC. XXXI. *septima februarii domnus Desiderius Bardellonus abbas & procurator generalis Camaldulensis ædes & corda dicat, Urbano VIII. pont. max. Petro cardinale Camporeo protectore, Lælio card. Biscia comprotectore, Aurelio Pellicante abbate generali*. Numisma elaboratum fuit a Gaspare Mola peritissimo Florentino artifice, cujus unum aureum modulum Urbano VIII. dilargitus est idem procurator generalis gratissimum ipsi pontifici. Absoluta fuit ecclesia anno sequenti ad diem sollemnem Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, qua die idem pontifex ecclesiam visitantibus plenariam concessit indulgentiam. Insignis est pictura aræ majoris coloribus expressa ab Andrea Sacco sanctum Romualdum exhibens habentem scalæ visionem, aliorum altarium tabulæ opus sunt Alexandri Veronensis & Alexandri Mediolanensis.

Eremus Camaldulensis hoc anno muris fuit circumvallata; id legitur in inscriptione extra januam. *Sacra hæc eremus totius ordinis ædificata fuit a sancto Romualdo anno* M. XII. *cinctaque muro* M. DC. XXXI. Abietibus siquidem eatenus circumclusa muro penitus carebat. In eadem eremo Johannes-maria & Octavianus Pichi nobiles Burgenses ædificarunt de suo ære cellam dictam sancti Caroli.

 Cum

ANN. CHR. 1631.

II. Camaldulensium pietas tempore pestis.

CUM pestifera lues desæviret hoc anno in Casentinatis regionis oppidis, eremitæ Camaldulenses Etruriæ, exorati etiam die quinta augusti ab officialibus civitatis Florentinæ, solitudines suas libenter deserentes toti se tradiderunt juvandis proximis suis, sacramenta, postremaque officia ministrando peste infectis; inter quos præcipuis caritatis signis excelluerunt Jucundus Pellegrinius a Castro-novo Dertonensis diœcesis, Hieremias de Migliis Cremonensis, & frater Martinus a Puppio, qui Biblenam se contulerunt; ad Anglarium autem processerunt Apollinaris Guicciolius Ravennas, & Samuel Sestini Biblenas; ad plebem autem sancti Stephani Placidus Sfondratus Mediolanensis, & Annibal de Langrè Burgundus, qui etiam a Deo mirabiliter servati, peste cessante cellas suas repetiere, præter Jucundum & Martinum, qui Biblenæ cum ceteris lue obeuntibus periere, ut adnotatur in libro Professionum [a]; & quidem de Jucundo: *Diem suum sancte obiit inserviendo, ac sacramenta ministrando Biblenensibus peste infectis*; & de Martino: *Obiit in eodem servitio mense septembri anni* 1631. Neque monachi defuere his caritatis operibus. Mentionem facit Michael Losanna de quodam Donato Arretino monacho Camaldulensi, qui insigni pietate in urbe Florentia infectis servivit, & licet peste percussus adduci nunquam potuit ab intermittendis hujusmodi officiis, donec cum aliis mortem oppeteret.

a. Pagg. 41. 46.

III. De ecclesia S. Mariæ de Salute Patavii.

CIRCA hæc tempora, & facile occasione pestis, ecclesia seu hospitale, quod vocabatur sanctorum Philippi & Jacobi de Spata in burgo sanctæ Crucis urbis Paduæ, spectans olim ad Orbisianum, tunc vero pertinebat ad monasterium sancti Michaelis de Muriano, mutato titulo appellari cepit ecclesia sanctæ Mariæ de Salute, ut eodem tempore in urbe Venetiarum ad beatam Virginem cum ipso de Salute titulo ex voto ædificabatur pro liberatione pestis insigne templum, quod etiam legimus exhibitum a Veneta republica monachis nostris sancti Mathiæ de Muriano, qui tamen locum cesserunt clericis regularibus de Somasca, ne ab eorum solitario recessu abstraherentur. Extat Urbani VIII. breve indulgentiæ concessæ anno M. DC. XL. die XXX. julii visitantibus Patavinam ecclesiam de Salute, die festo Assumptionis beatæ Virginis. Anno 1642. erecta fuit in eadem ecclesia societas appellata sanctæ Marthæ, annuente abbate sancti Michaelis. Anno 1671. electa est ipsa ecclesia a cardinale beato Gregorio Barbadico episcopo Patavino ejusdem abbatis permissione, ut foret una ex iis, in qua christiana doctrina adultis explicaretur.

In consilio generali habito in sancto Felice Salodiensis oppidi in diœcesi Brixiensi die XXX. novembris formatum fuit decretum advocandi Salodium Camaldulenses monachos propositos ab Andrea Bertelli abbate sancti Michaelis de Muriano, & assignandi redditus pro eorum sustentatione. Sed res ipsa & tractatus omnes paucos post annos irriti evasere, neque monachi deducti Salodium.

IV. Varia monumenta ad historiam Camaldulensem spectantia.

ARCHANGELUS Hastivillius, qui se inscribit eremitarum Camaldulensium in Gallia Majorem, edidit hoc anno Parisiis apud Sebastianum Cramoysi *Romualdinam historiam*, eremiticam scilicet Camaldulensis ordinis. De Hastivillio Rotomagense, præter nostros, mentionem facit Philippus Labbæus in Bibliotheca Bibliothecarum. Mirum est, quantis scateat erroribus hæc historia, quæ tamen nil novi profert, ultra ea, quæ notissima sunt, & proferuntur a ceteris scriptoribus nostris.

Titus Zenus Francisci-mariæ filius patritius Venetus & eremita Rhuensis postulatus fuit hoc anno die VII. maji ad patriarchatum Venetum; iterum anno 1644. trigesima aprilis. Cecidit tamen sors prima vice in

Fri-

Fridericum Cornelium S. R. E. cardinalem, secunda autem vice in Johannem-franciscum Maurocenum.

ANN. CHR. 1631.

In eadem Rhuæ eremo vivebat insignis caritate, & orationis studio Sixtus conversus, qui tempore contagii cum deficeret victus eremitis infirmis, ad orationis asylum confugiebat, & quadam die canis eremi, licet fame laborans projecit ad ejus pedem leporem, quem cursu & unguibus assequutus fuerat, intactumque reliquit, ut conversus eremitarum indigentiis provideret.

In altera eremo sancti Salvatoris prope Neapolim enituit hoc anno summa Dei protectio & custodia eremitarum ibidem degentium. Cum enim Vesuvius mons evomeret flammas, & horribili fragore extruderet petras ignitas, omniaque circa collem exusta & redacta essent in cinerem, sola eremus intacta permansit, licet milliarii unius spatio dumtaxat distaret a loco eruptionis, nec cineribus, nec arena aut saxis fuit læsa, & eremitæ omnes incolæ salvi & incolumes permanserunt. Verum cum iterum terra magis magisque quateretur, & saxa igniti montis eremo appropinquarent, sumpto secum sanctissimo Altaris sacramento Neapolim se contulere eremitæ, sed quidam oblatus, alterque oculis orbatus ibidem perstitere ad sacellum divi Rocchi in nullo offensi, licet propinqua cella igne conflagraverit.

Tempore obsidionis urbis Mantuanæ, quæ contigit præsenti anno, Archangelus Mantuanus canonicus, dignitate abdicata, eremiticam vitam assumpsit in Monte-corona, ubi illustris virtutibus floruit. Mantuam siquidem obsidione cinxit Ferdinandus II. imperator, prætendens ad se dominium ejus ducatus pertinere, cujus possessionem jam acceperat Galliarum regis auxilio Carolus Gonzaga Vincentii defuncti ducis filius. Maximam passa est cladem ab exercitu imperatoris urbs, & licet monasterium nostrum sancti Marci integrum servatum fuerit, multa tamen damna substinuit in domibus contiguis & in prædiis, quæ majora evaserunt annis in sequentibus ob contagium, quod bello successit. Eadem belli & pestis detrimenta sensit alterum monasterium nostrum sanctorum Catharinæ & Romualdi de Cremona, itaut congregatio Camaldulensis in opinionem venerit ipsum dimittendi, cum par non esset solvendæ gravi pensioni quingentorum aureorum his calamitosis temporibus, quibus terræ non ferebantur, homines & animalia miserrime interibant ex lue & ex caritate annonæ, universaque totius Italiæ facies nonnisi mala protenderet, postremumque excidium minaretur.

Henricus Catharinus de Avila civis Patavinus, sed avita nobilitate Hispanus, magnus Cypri comestabulus, Græca, Latina, Italaque linguis eruditus, philosophus eximius, historicusque clarissimus anno ætatis suæ quinquagesimo-quinto mense julio hujus anni impia proditoris manu interemptus, sepulcri honorem habuit in ecclesia sanctæ Mariæ in Campanea Veronæ apud monachos Camaldulenses.

ANN. CHR. 1632.

V. Fundatio eremi Mantuanæ.

EREMUS Mantuæ in loco dicto Fontana fundatur hoc anno a Carolo I. Gonzaga duce ejus urbis. Occasionem ejus ædificationis addiscimus ex sequenti historia. Gravibus oppressus angustiis & tribulationibus dux ex illato sibi ab imperatore Ferdinando II. bello, captaque ab hostibus urbe, cum fuga elapsus Dei clementiam deprecaretur, visi sunt illi duo monachi candidis induti vestibus & barbati, qui dicerent, quod sanctum parentem Romualdum invocaret, crederetque haud dubie a sancto viro se sublevandum. Abeuntibus illis senem veneranda canitie conspexit,

Ann. Chr. 1632.

ſpexit, audivitque dicentem: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob*, & facta ſuper ipſum ducem benedictione diſparuit. Revocato paulopoſt in Germaniam imperatoris exercitu, Mantuam dux revertitur, amicitiam Cæſaris ſibi conciliat, & ducatum pacifice recipit. Tanti idcirco memor beneficii cogitat eremum in agro Mantuano conſtruere, & dum piam hanc intentionem mente verſat, die XIII. vel XIV. menſis martii hujus anni, intimo deſiderio movetur videndi inſtitutionem & regulam eremitarum ſancti Romualdi, & addiſcendi iconographiam Camaldulenſis eremi ſuper Apenninum montem Etruriæ. Cum nulli deſiderium hocce manifeſtaſſet, ecce die ſequenti accedit ad ipſum ducem prior ſancti Marci Camaldulenſis ordinis urbis Mantuanæ, qui defert ei librum de ordine, & de loco Camalduli differentem; quod fauſtum rei auſpicium interpretatus eſt pius dux. Verum cupiebat ſignum evidentius voluntatis Dei noſcere; quare decima-octava die ejuſdem menſis Deum ita precatus eſt, ut ſi foret hocce beneplacitum ſuum, dignaretur in ſomnis viſione aliqua ipſum certiorem reddere. Feria itaque ſexta XIX. martii hora duodecima e ſomno excitatus, cum nullum tempore dormitionis ſignum menti occurriſſet, propemodum evanuit ab ipſo conſilium fundationis eremi; ſed eodem tempore voluntate captus iterum ſomno indulgendi dormivit, ac viſus eſt ſibi conſpicere quamdam parvam eccleſiam a ſe ædificatam pro eremitis Camaldulenſibus, qui erant ſeptem vel octo, & inter ceteros duo ſeniores cum prolixa candidaque barba, quorum major canebat: *Exaudiat te Deus*, reſpondentibus aliis. Eodem momento temporis familiaris cubicularius ducis hora quarta-decima diei illum e ſomno expergefecit; ipſe autem ſtatim poſtulavit calamum, & adhuc lecto decumbens viſionem in ſomnis habitam ſuper paginam exſcripſit. Surgens e cubili priorem ſancti Marci ad ſe vocavit, inſtanterque oravit, ut ſe ad eremum Etruriæ conferret, impetraretque duos eremitas novæ coloniæ inſtitutores, qui Mantuam pervenerunt die ſabbati ſancti, & dux eos viſitavit die ſancto paſchæ, quos deduxit ad locum deſtinatum pro fundatione eremi. Hæc hiſtoria ſeu viſio Gallica lingua ſcripta manu ipſius ducis, & in Italicam verſa ab ejus ſecretario, reperta eſt poſt ipſius mortem in ejus ſcriniis. Concordat hiſtoria cum monumentis Camalduli, ex quibus liquet die XXV. martii Carolum Gonzagam ſuis literis ſignificaſſe Majori Camalduli affectum & devotionem ſuam erga ſanctitatem vitæ Camaldulenſium eremitarum, ac miſiſſe priorem ſancti Marci, ut animi ſui intentionem & cogitatum referret, quæ credit accepta fore, utpote conferentia ad religionis augmentum; tertia aprilis perveniſſe ad eremum Camaldulenſem Stephanum a Saxolo priorem ſancti Marci, qui tempore abſentiæ Ignatii Galvani abbatis monaſterium regebat, & reddita epiſtola intentionem & viſionem ducis expoſuiſſe. Majorem annuentem piis poſtulationibus, coacto ſequenti die eremitarum utriuſque familiæ concilio, ſupradicta coram retuliſſe, atque Hieremiam Migli Cremonenſem, & Annibalem de Langrè Burgundum cum fratre Simone de Socio mittendos propoſuiſſe, qui unanimi voto approbati, & accepta Majoris ad ducem reſponſione Florentiam die quinta aprilis cum priore ſancti Marci pervenerint, ubi acceptis a Camalduli agente ſcutis quinquaginta pro viatico, Mantuam veſpere ſabbati ſancti applicuerint; die vero paſchæ ducem apud ſancti Marci cœnobium viſitatum illos veniſſe; cepiſſe hinc eremum ædificare quam magnifice in loco dicto *la Fontana*, cui etiam codicillo legavit anno 1634. ampullam pretioſiſſimi ſanguinis Chriſti, & anno 1637. redditus dictæ eremo aſſignavit, eodemque anno defunctum humatum fuiſ-

ſe

se in ecclesia ejusdem eremi a se ædificatæ, ut testamento præceperat. Ampullam sanctissimi sanguinis petiit ab eremitis Camaldulensibus Elisabetha imperatrix conjux sacræ majestatis Caroli VI. concedens ipsis ejus loco corpus sancti Prosperi. Addimus aliud monumentum ex adversariis nostris spectans ad eamdem eremum; relationem nimirum rogatam die XV. septembris anni 1636. manu Vincentii Brisciani publici notarii. *Declaramus nos infrascripti juramento nostro, tempore, quo vivebat serenissimus dux Vincentius, sæpius audiisse a Francisco Buonmigliori venationum Marmiroli præfecto, se constitutum cum Francisco Buccamajore in nemore Fontanæ, ubi ad præsens ædificata est eremus a serenissimo duce Carolo, tempore noctis vidisse globos ignis terram lambere ejusdem nemoris, qui postea simul coeuntes unica flamma cœlum versus se extulerunt, & hoc se vidisse, cum unus ab altero aliquantulum abesset, neque ad multum temporis ausos esse hanc visionem simul conferre, donec viribus sumptis rem patefecere primum invicem, deinde suis familiis; idque contigisse ante quinquaginta circiter annos. Id testor Bonmeliorius de Bonmelioribus nepos Francisci. Id testor Annuntiata Pellizonia;* quæ etiam addit præfatos viros conspexisse monachos albos per nemus deambulantes tempore noctis, qui postea disparuere. Præludia nimirum hæc fuere ædificationis ejusdem eremi.

Ann. Chr. 1632.

Cum locus sanctæ Theclæ Januensis urbis ægre ob bella urgentia Pedementanos inter & Januenses regi posse ab eremitis Taurinensibus, qui fere omnes dominio Sabaudiensis ducis erant subjecti, visum est ipsis e re sua esse, eamdem eremum cedere eremitis Camaldulensibus Etruriæ vel Monte-coronensibus, & licet ipsos postea pœnituerit hujusmodi cessionis, eremus tamen sanctæ Theclæ ex hoc anno vi ejusdem cessionis semper pertinuit ad eremitas Etruscos, quibus etiam ad hodiernam diem subjicitur.

VI. Urbani VIII. brevia in favorem Camaldulensium.

Ratione contagionis pestiferæ Romanus pontifex Urbanus VIII. die XXIII. januarii prorogavit ad sequentem annum celebrationem capituli generalis congregationis Camaldulensis. Idem die XX. martii indulsit, ut capsæ publicæ Romanæ per sex annos applicarentur spolia monachorum defunctorum. Pariter die XVI. aprilis pontificatus sui anno nono indulsit iis prælatis, qui abbatis generalis munus gessissent in eadem congregatione, ut possent sibi e dignitate decedentibus eligere monasterium ad vitam regendum, exceptis cœnobiis, ubi professiones emittuntur, aliisque recensitis in suo brevi, confirmans decretum, quod alias ab ejusdem congregationis dieta efformatum pariter fuerat.

Mota lite congregationi monachorum sanctæ Justinæ super usu pontificalium ab archiepiscopo Neapolitano, monachi suam causam & privilegia tutati sunt in sacra Rituum congregatione. Eodem tempore præfectus ceremoniarum episcopi Cremonensis libellum transmisit ad eamdem sacram congregationem super eorumdem pontificalium exercitio usurpato a canonicis Lateranensibus, & a monachis Camaldulensibus & Montis-oliveti. Rem ergo & causam in eadem congregatione Rituum defendere compulsi fuere abbas etiam & procurator generalis Camaldulensis, transmissis in Urbem ex multis monasteriis Romanorum pontificum veteribus privilegiis. Cardinalis Columna retulit pontificalium usum viguisse semper in congregatione Camaldulensi, approbavit hujusmodi usum sacra congregatio, confirmavitque congregationis decretum summus pontifex Urbanus VIII. suo brevi dato XV. septembris hujus anni. Hinc in primo capitulo ordinis post Urbani breve mandatum fuit omnibus prælatis Camaldulensibus, ut juxta formam dicti brevis in ecclesiis suis pontificalia exercerent.

Ann. Chr. 1632.

rent. Jam ab anno 1629. suo brevi usum Baldachini abbatibus Montisoliveti concesserat præfatus pontifex; alio brevi ejusdem anni abbatibus Casinensibus; ipso anno suo decreto sacra congregatio Rituum abbatibus Vallumbrosanis. Subjungimus Urbani decretum pro Camaldulensibus.

Urbanus papa VIII.] ad futuram rei memoriam. Nuper pro parte dilecti filii Desiderii Arrigonii seu Bardellonii de Mantua procuratoris generalis congregationis Camaldulensis nobis expositum fuit, quod alias a ven. fratribus nostris S.R.E. cardinalibus sacris ritibus præpositis emanavit decretum tenoris subsequentis, videlicet: Eminentissimo. & rev. domino cardinale Columna referente instantiam patris domni Desiderii Arrigonii seu Bardellonii de Mantua procuratoris generalis congregationis Camaldulensis, nomine abbatum ejusdem congregationis, ut attenta antiqua consuetudine sollemniter cum baldachino & assistentibus in eorum ecclesiis celebrandi non recederetur, non obstantibus decretis alias hac de re editis in causis Firmana XXVIII. januarii M. DC. VI. & Neapolitana XVIII. martii M. DC. XVII. Sacra rituum congregatio censuit licere abbatibus congregationis Camaldulensis, quando solemniter celebrant, quod in tribus tantum quolibet anno festivitatibus eis facere permittitur, uti baldachino, sine auro tamen & pompa, cum assistentia unius presbyteri & duorum diaconorum, ultra diaconum & subdiaconum pro cantandis evangelio & epistola, ac sex aliorum ad summum monachorum sacris vestibus indutorum, quorum duo assistant cum pluvialibus, duo cum planetis, & duo cum tunicellis coloris tempori convenientis, & dummodo iidem abbates nullo modo teneant sedem abbatialem fixam & permanentem, ut sedes episcopalis retineri consuevit, sed eorum sedes retineatur in ecclesia his tantummodo tribus diebus per annos singulos, quibus abbates sollemniter celebraturi erunt, & dicti sex monachi ut supra parati, non in sedibus choralibus, sed super scabellis sedeant in loco congruo juxta ecclesiæ convenientem statum, ad hunc effectum tunc appositis, panno laneo coopertis, dictis sacræ congregationis decretis in causa Firmana & Neapolitana editis alias in suo robore permansuris die XXI. augusti M. DC. XXXII. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus exponens decretum hujusmodi apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desideret, nos illum favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. sententiis &c. absolventes &c. decretum præinsertum apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus &c. decernentes illud, necnon præsentes literas valida, firma & efficacia existere & fore &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die XV. septembris M. DCXXXII. pontificatus nostri anno decimo. M. A. Maraldus.

VII. Obitus Desiderii Arrigonii abbatis Camaldulensis.

Tres menses, postquam obtinuit hujusmodi breve, præfatus Desiderius Arrigonius sive Bardellonius procurator generalis sancto fine quievit die octava decembris festiva conceptionis beatæ Mariæ Virginis, cujus erat studiosissimus. Cum infirma esset valetudine, in ipso juventutis flore monachum induit in cœnobio sanctæ Mariæ ad Carceres sub Desiderio Angelerio abbate, a quo etiam nomen recepit anno 1610. Factus abbas triennio monasterium suum rexit, monachorum evagationibus frequentibus & vestium vanitatibus sublatis; quinquennio visitatoris officium adimplevit, sex annis procuratoris generalis in curia Romana munus obivit; anno 1628. supremam dignitatem recusavit, adactusque brevi Urbani VIII. prosequi officium procurationis, in quo munere plura feliciter negotia pro con-

congregatione exequutus est, precibus potius, ferventibusque commendationibus, quas porrigebat Deo & beatissimæ Virgini, cujus erat devotissimus, quam humana industria. Hinc Lauretanum iter non semel arripuit; Romæ vero frequentissimus erat ad ecclesias sanctæ Mariæ de Populo, & sanctæ Mariæ de Pace. Communiter Romæ appellabatur alter sanctus Carolus, cujus oris speciem etiam præseferebat. Per annum ante mortem, licet natura imbecillis, jejunia & vigilias nocturnas arctius cum omnium admiratione servavit. Prædicatur de ipso inter ceteras virtutes, summa animi & corporis verecundia, ita ut neque verbis aliquando, neque motibus hanc virtutem læserit, neque pedem nudum demonstrare passus fuerit, immo, ut de sancto Philippo Nerio in ejus vita legitur, cum post ejus obitum ad lavandum ipsius corpus famuli de more accederent, ipse sibi verendas partes manibus cooperuerit, ne vel mortuus conspiceretur ab adstantibus. Hæc narrat Michael Losanna monachus, qui ei morienti adstitit, supremasque ejus conscientiæ maculas in Pœnitentiæ sacramento excepit, qui etiam addit, quod post animæ exhalationem, candidam & pulcherrimam oris faciem supervenientem ad sepulturam usque retinuerit, ita ut ejus visu exsatiari nequirent circumstantes.

VIII. Et Josephi de Macerata eremitæ.

Hoc ipso anno ad Deum transiit Joseph a Macerata eremita Coronensis, nationis quidem Ecclesiasticæ, sed qui multo tempore in Neapolitano regno vitam duxit, præsertim in eremo sancti Salvatoris, spiritu orationis & frequenti apparitione beatæ Mariæ Virginis dignatus. Tantæ virtutis erat, ut sæpius orans extra sensus raperetur, quod testatum reliquit venerabilis soror Ursula Benincasa fundatrix monasterii dicti sororis Ursulæ in urbe Neapolitana. Eadem Ursula in regulis, quas præscripsit suis sanctimonialibus, hortata ipsas fuerat, ut assumerent in duces conscientiæ & animarum suarum eremitas Camaldulenses sancti Salvatoris Neapolis, quorum prior erat Joseph, & quorum virtutes summa veneratione suspiciebat. Sed capitulum generale Monte-coronensium patrum admittere renuit supplicationes dictarum monialium, ne a solitudine sua eremitæ avellerentur. Idem Joseph prophetiæ spiritu ducebatur, & præsertim quadam die cum Dorotheo altero eremita colloquens de duabus monialibus sanctimoniæ fama claris, dixit: Unam vere talem credo, idest eamdem Ursulam Benincasam, sed Juliam tempus probabit, qualis sit. Factum comprobavit prophetiam, nam Julia a sancto Inquisitionis officio fuit torta, licet contrita e vita excesserit; Ursula autem cum sanctitatis sincera opinione decessit, post cujus mortem efformatus fuit processus super ejus vita & virtutibus ad obtinendum beatificationis decretum, ut constat ex libello vitæ ipsius. Josephi insuper eremitæ prædicatur mira abstinentia in cibis, ita ut herbas dumtaxat crudas in escam assumeret.

IX. Moniales S. Agathæ de Florentia obtinent recitationem SS. Camaldulensium.

Moniales sanctæ Agathæ Florentiæ ordinis Camaldulensis supplici suo libello exposuerunt sacræ Rituum congregationi, se jam acceptasse Breviarium Romanum Pii V. sed insuper cupere recitare officia Sanctorum ejusdem ordinis ritu Romano, nempe „ omnium Sanctorum Camaldulensium, & speciatim sancti Mauri die XV. januarii, sanctæ Scholasticæ „ die X. februarii, sancti Romani die XXVIII. ejusdem mensis, sanctæ „ Franciscæ IX. martii, sanctæ Gertrudis XVII. martii, sancti Roberti „ XXIX. aprilis, sancti Petri Cœlestini XIX. maji, sancti Romani XXII. „ maji, sancti Parisii XI. junii, sancti Romualdi cum octava XIX. junii, „ sancti Bonifacii episcopi & martyris XX. junii, sancti Guillielmi abba„ tis XXV. junii, sancti Theobaldi I. julii, sanctorum Andreæ & Bene„ dicti confessorum XVI. julii, sancti Placidi V. octobris, sanctæ Justinæ

„ VII.

ANN. CHR. 1632.

„ VII. octobris, sancti Galli XVI. octobris, sancti Æmiliani abbatis XII.
„ novembris, omnium Sanctorum monachorum die XIII. novembris,
„ sanctorum Johannis & Benedicti martyrum XVI. novembris, sancti Od-
„ donis XIX. novembris, sancti Silvestri XXVI. novembris. " Sacra Rituum congregatio respondit, *posse a manialibus recitari officia Sanctorum ordinis Camaldulensis juxta ritum breviarii Romani, & celebrari Missas dumtaxat Sanctorum ordinis Camaldulensis per sacerdotes inservientes in ecclesia dictarum monialium, sed cum Missali Romano, & juxta rubricas illius. Die* XV. *decembris* 1632. *C. episcopus Portuensis cardinalis Pius. Julius Rospigliosus secretarius;* ex archivo sancti Romualdi de Urbe [a].

a *Fascic.* LXIII. *num.* 6.

Sequens monumentum spectat ad eremum Viennensem sancti Joseph, de cujus fundatione fuse egimus sub anno 1627.

In Jesu Christi salvatoris nostri nomine amen. Hac ipsa die prima octobris anno Domini 1632. *ex Ferdinandi II. imperatoris clementissimi & invictissimi munificentissimo beneficio & gratia per illustrissimos & amplissimos dominos suæ Cæsareæ majestatis commissarios Pergerum & Schulthium in possessionem horum bonorum Siveringensium* (S. Severini, vulgo Sivering) *nos patres eremitæ Camaldulenses de Monte-corona nuncupati, ad majorem Dei gloriam introducti fuimus. Quæ quidem bona hucusque feudalia, jam allodialia, intuitu sacræ religionis per suam Cæsaream Majestatem declarata, & sacræ religioni libere donata & concessa ego, qui infra, nomine religionis meæ & hujus eremi Viennensis sancti Josephi a prælibata Cæsarea Majestate fundatæ cum gratiarum actione tanto monarchæ & serenissimo benefactori debita inutilis servus acceptavi, necnon a subditis, qui & nunc triginta-octo numerantur, homagium servitutis & fidelitatis accepi. Soli Deo honor & gloria, beatissimæ Virgini Mariæ, sancto Josepho, & beatissimis patribus nostris Benedicto & Romualdo laus sempiterna, amen.*

Ita attestor Fr. Silvanus a Venetiis eremita Camaldulensis hujus eremi Viennensis superior dictus licet indignus. m. ppa.

ANN. CHR. 1633.

X. Ditionis Ravennianæ cessio facta episcopo Foro-semproniensi.

VIDIMUS frequenter in his Annalibus, & ex documentis existentibus in archivo monasterii sancti Apollinaris in Classe liquet dictam Classensem abbatiam gavisam fuisse ab immemorabili tempore, ex privilegiis Romanorum pontificum & imperatorum pacifica jurisdictione in castra & bona Ravennianæ ditionis contermina urbibus Fanensi & Foro-semproniensi; conferebant siquidem abbates Classenses beneficia ecclesiarum parœcialium, visitabant ipsas eorumque rectores, celebrabant synodos, eligebant vicarium generalem, privabant beneficiis presbyteros indignos, processus juridicos instituebant, licentiam impartiebantur pro contrahendis matrimoniis, nominatorum ad parœcias professionem fidei suscipiebant; deficiunt documenta circa collationem ordinum minorum, uno verbo ea utebantur jurisdictione, qua utuntur in suis diœcesibus episcopi. Anno 1585. episcopus Foro-semproniensis litem movit abbati Classis, quo jure exquirens conferret parœcias, synodosque cogeret? ea tamen controversia minime obstante, nunquam dimissa fuit ab abbatibus propria & vetus authoritas. Verum cum ab eo tempore frequentiores exarderent lites inter abbates Classenses, & inter episcopos præfatarum urbium, visum est majoribus præsulibus nostris, & abbatibus ejus monasterii, simulque Benedicto Lando Romano, qui cardinali sancti Honuphrii pro auditore inserviebat unusque erat ex præsulibus sacræ congregationis Visitationis apostolicæ, & tunc in ecclesia Foro-semproniense episcopali dignitate præfulgebat, ut accedente consensu cardinalis sui sancti Honuphrii, & Lælii Bisciæ com-

pro-

ANN. CHR. 1633.

protectoris ordinis Camaldulensis cederentur bona & jura Classensis cœnobii in Foro-semproniensi diœcesi episcopo, ipse vero episcopus cederet monasterio Classis ecclesiam sanctæ Franciscæ intra suam urbem sitam cum bonis, hortis, situque pro ædificando penes ipsam monasterio regulari. Tanta vi peroravit episcopus versatissimus in decisionibus Romanæ Rotæ, utpote qui pluribus annis advocati officio functus fuerat, tot rationibus ostendit procuratori generali, quod congregatio Camaldulensis ex hac jurisdictione nullum percipiebat emolumentum, incommoda quinimmo multa multosque sumptus, conscientiæ insuper detrimenta ob abusus, quos tollere non poterant vel renuebant eorum vicarii generales, tanta spe præterea allexit Camaldulenses de fundando in ea urbe monasterio, ut convenerint inter se episcopus & procurator generalis ad faciendam hujusmodi permutationem de jurisdictione Ravennianæ cum ecclesia sanctæ Franciscæ, addita solutione insuper triginta scutorum pro augmento fabricæ ecclesiæ, & altera annua solutione aliorum triginta scutorum super beneficiis ecclesiarum curatarum ejusdem ditionis Ravennianæ; quam concordiam & stipulationem promissoriam pensionum ratas habuit XVII. kalendas decembris pontificatus sui anno decimo, idest anno antecedenti, Romanus pontifex Urbanus VIII. Quare mense martio hujus anni instrumenti syngrapha confecta fuit inter Johannem-baptistam Landum electum episcopum Foro-semproniensem episcopi Benedicti nepotem, & inter Thaddæum Tertium Pisaurensem procuratorem generalem congregationis Camaldulensis, nomine abbatis & monachorum Classensium, reservante sibi monasterio Classis in signum veteris jurisdictionis cathedraticum solvendum a regularibus, hospitalibus & societatibus dictorum castrorum, quod exigere deberet episcopus, & solvere monasterio Classensi in signum cessionis ejusdem jurisdictionis. Accessit instrumento declaratio voluntatis Laurentii Guarantuccii a Sorbolongo abbatis Camaldulensis ex professione sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, ut scilicet ad ædificationem novi monasterii Foro-semproniensis sanctæ Franciscæ in patria sua expenderentur pecuniæ & bona, quæ sibi provenerant ex hæreditate patris, obtenta mense majo hujus anni ab eodem Romano pontifice facultate dictæ applicationis, cum ceteroquin ad Avellanense monasterium, Laurentio obeunte, dicta hæreditas esset devolvenda. Statim itaque admota fuit manus ædificationi monasterii prope ecclesiam sanctæ Franciscæ, cui etiam adjectus est titulus abbatialis, perseveraveruntque ad aliquot annos monachi incolere idem cœnobium, usquequo demum deficientibus necessariis provisionibus fuit derelictum.

XI. Aurelius Pellicantes abaas dimittit generalatum.

Cum frequentibus morbis affligaretur Aurelius Pellicantes abbas generalis Camaldulensis, robustior tamen adhuc viribus & ætate, Romam profectus dignitati suæ cesserat labente anno præterito; cum vero tempus capituli congregandi tunc non suppeteret, obtinuit, ut per breve Urbani VIII. eligeretur in vicarium generalem ordinis usque ad futurum capitulum Gregorius Cicolinius Pisaurensis, qui per quinquennium cancellariatus munere functus fuerat in congregatione, & tunc erat visitator ordinis, atque proinde res ejusdem congregationis probe callebat, dictusque est vicarius apostolicus, assumptis in visitatores per aliud breve apostolicum Mauro Ruggerio ex Abbatia Pollicinii, & Johanne-baptista de Algarottis Veronense; defuncto autem Johanne-baptista, Odoardo Baranardo Gallo. Assignatum est autem Aurelio generali in suam habitationem monasterium sancti Johannis-baptistæ de Judaica, vel hoc sibi elegit ex brevi ejusdem Urbani generalibus hanc facultatem facientis, ad quod se con-

ANN. CHR. 1633.

contulit mense majo hujus anni. Admiratus est pontifex maximus dimissionem dignitatis, quam sponte & libere fecit generalis, admiratus est cardinalis Biscia comprotector, & cardinalis sancti Honuphrii Antonius Barberinus hæc verba adstantibus protulit: *Ad nostras aures nonnisi eorum memorialia perveniunt, qui religionum dignitates ambiunt. Iste supremam in sua congregatione possidet dignitatem, & honoribus sponte cedit, & cum non sit ab ægritudine impeditus, ac etiam præesse possit, certe hic non est nisi optimus religiosus.*

Præfatus Gregorius vicarius apostolicus electus fuit in abbatem generalem die quarta maji hujus anni in capitulo congregato apud monasterium sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, in quo etiam præter cetera statutum est & indictum omnibus monasteriis jejunium sextæ feriæ, quod eatenus penes Camaldulenses singulare fuerat in monasterio Avellanensi. Præsedit huic capitulo ex commissione apostolica sub die XVI. aprilis Johannes-baptista Landus episcopus Foro-semproniensis, cui etiam octava die ejusdem mensis cardinalis sancti Honuphrii ordinationes transmiserat promulgandas & observandas a Camaldulensibus. Abfuerunt ab Avellanensi capitulo prælati Etruriæ ob pestem in ea regione repullulantem.

XII. Plurium Camaldulensium doctorum virorum obitus.

DECESSIT hoc anno die tertia februarii in monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia Laurentius Francisci Juliani Pantaleonius a Barga monachus Camaldulensis, qui fuit abbas ejus monasterii anno 1620. Scripsit *in epistolam sancti Pauli ad Romanos*, quod opus extat in bibliotheca ejusdem monasterii cum alio tractatu *de Cognitione sui ipsius*, & cum altero Astrologico, imperfecto tamen, qui deficit in capite 39. cui titulus: *De domibus quinque erronum*. Cetera ipsius opera ibidem latent; *Theorica* nimirum *primi Mobilis & omnium planetarum*; *Compendiaria artis geographicæ institutio*; *De horologiorum descriptionibus*. In bibliotheca vero Classensi habetur *Genealogia ducum, sive familiæ Ravennatis de Honestis, unde originem suam sanctissimus parens noster Romualdus derivasse traditur*. De Laurentio meminere Puccius epistolarum libro III. Gregorius Lombardellus in vita beati Bernardi Ptolomæi, & Farullius.

Alter in eodem monasterio, cujus administrationem actu gerebat, mortem oppetiit Victorinus Totinius de Monte-sancti-Sabini die decima augusti hujus anni, vir in literis versatissimus. Aliquibus annis legit in universitate Pisarum, & in studio Florentino lauream theologi accepit. Edidit *ecclesiasticum Cæremoni-rationale ad Ægidium Marraccinium ordinis Camaldulensis generalem*: Bononiæ ex typographia Clementis Ferronii anno 1625. *opus ratiocinando directivum circa vel facienda vel dicenda, sed & multa meditanda in divinis officiis, ac similibus juxta tum normam S. R. E. tum regulæ sancti Benedicti*. Secunda pars prodiit itidem Bononiæ typis Hieronymi Mascheronii. Opera Victorini Theologica mss. tomis 4. custodiuntur in bibliotheca Angelorum. Insudaverat etiam Victorinus in illustrandis rebus Camaldulensibus post ea, quæ scripserat Fortunius. Vitam quoque concinnaverat beatæ Elisabeth Salviatæ abbatissæ sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone; verum omnia ab eo collecta incendio misere periere.

Tertius obiit hoc anno die sexta maji Ægidius Marraccinius Romanus, qui bis fuerat ordinis abbas generalis, tunc vero abbatiam Classensem, in cujus regimine vix hoc ipso anno confirmatus fuerat, regebat, vir multis nominibus de Camaldulensibus optime meritus. In ejus obitu universa Ravennæ urbs mœrorem ostendit, frustrata spe, quam conceperat præclari ingenii, & generositatis animi hujus illustris præsulis, qui brevi spatio temporis, annis licet infelicibus, de novo ædificaverat in urbe

Raven-

Ravenna ecclesiam monachis Classensibus. Ipse anno præcedenti recognoverat reliquias sancti Apollinaris in basilica Classensi, sed loco non dimoverat, quo seculo præterito repositæ fuerant a cardinale Soderino.

Ann. Chr. 1633.

Hic ipse annus postremus fuit Scipioni Burghesio S. R. E. cardinali, abbati commendatario sancti Gregorii de Urbe, & beneficentissimo congregationis Camaldulensis patrono; licet enim protectionis titulum transfudisset in cardinalem Camporeum, hic vero in alios S. R. E. cardinales Romæ præsentes, prosequebatur tamen optime mereri de congregatione Camaldulensi ejusque monasteriis. In ecclesia sancti Gregorii legitur hujusmodi inscriptio. *D. O. M. Quod magnus Scipio magni Gregorii veteri templo novam frontem cum porticu præfixit, eidem Scipioni cardinali Burghesio patruo magno non minori Gregoriani monachi Camaldulenses monumentum immortale PP. A. D.* M. DC. XXXIII. *& veteri sacra turre hinc eversa novo templo novam hanc portam aperuere anno R. S.* M. DCC. XLIV.

Non excessit hunc annum & Severus Senesius Abbatiensis monachus professus sanctæ Mariæ de Carceribus jam ab anno 1575. sub die decima februarii. Vivebat, & quidem prior claustralis in monasterio sancti Michalis de Muriano die prima januarii hujus anni, octuaginta & amplius annos natus, quam longævam ætatem in studiis assiduis traduxit. Scripta reliquit historica monumenta Abbatiæ patriæ suæ volumine uno in folio, quod mss. duplex in bibliotheca sancti Michaelis de Muriano existit, alterum cum titulo: *la Vangadizza*, alterum: *Frondi sparte*; quem postremum titulum operi Senesii fecit canonicus Veronensis Jacobus Rosinus. Historiam insuper Camaldulensem usque ad annum suum emortualem collegit, quæ tamen ignoratur ubi extet. Cæremoniale quoque Benedictinum. Ipsius fœtus sunt pariter vitæ sancti Petri-Damiani, sancti Guaifardi, sancti Parisii, sancti Romualdi, sed præsertim sancti Theobaldi, de quo, ut etiam de monasterio Vangaticiensi, omnia, quæ mss. vel edita invenit, collegit. De Senesio mentionem faciunt Portesanus in vita sancti Theobaldi, Wion, qui Severum amicum suum dicit, & Grandius in vita sancti Petri Urseoli.

Ann. Chr. 1634. XIII. Unio eremitarum Pedemontanorum cum Coronensibus.

ALEXANDRO Cevæ fundatori eremi Taurinensis proposuerat jampridem Angelus generalis Camaldulensis unionem parvæ ejus congregationis Pedemontanæ cum floridiore congregatione eremitarum Montis-coronæ, quam licet Alexander calculo suo non probasset, post ejus tamen decessum promotam probatamque a pluribus aliis eremitis Pedemontanis scimus. Sed arctiores tractatus hujus unionis ab anno 1632. sunt auspicandi, quo Taurinenses eremitæ in capitulo annuali eorum Majori facultatem fecerunt agendi pro ea, & sequenti anno sub die tertia februarii elegerunt in procuratorem & actorem ad ipsam conficiendam Octavium Asinarium Taurinensem ex clericis minoribus sancti Pauli Decollati, vulgo congregationis Barnabitarum, theologum tunc serenissimi cardinalis Mauritii de Sabaudia, factum postea Eporediensem episcopum. Idem cardinalis unionem expetebat, neque ab ea dissentiebat Victorius Amadeus I. Sabaudiæ dux, quatenus scilicet ipse procurator Romano pontifici, & cardinali Camaldulensium protectori preces porrigeret pro unione obtinenda congregationis Pedemontanæ cum congregatione Coronensi, salvis tamen privilegiis & conditionibus contentis in fundatione regia dictæ eremi Taurinensis. Silentio quoque prætermittendum non est eremitas Taurinenses amplissimam procurationem præfato suo actori fecisse, cum facultate pariter moderandi, componendique cum Coronensibus, ut illi videretur, licet illimitatum mandatum instructionibus peculiaribus & verbalibus restrinxerint, quas etiam ad perfectam rei historiam libenter subjici.

Ann. Chr. 1634.

jicimus: Nimirum, ut servetur facultas capitulo eremi Taurinensis nominandi suum Majorem confirmandum postea a capitulo Coronensi; ut Major Taurinensis insignia mitræ retineat, sigilloque consueto duarum columbarum utatur; ne per hanc unionem præjudicium inferatur privilegiis ceteris Clementis VIII. & Pauli V. speciatim concessis eremo Taurinensi; ut declaretur locus in congressibus Majori Taurinensi inter ceteros prælatos; ut eremus Taurinensis semper sit prima congregationis Pedemontanæ, & in ea tirocinium conservetur; ut eremitis Taurinensibus inconcussus permaneat locus eorum professionis; ut servetur in Pedemontana provincia habitus eremiticus jam introductus, ita & forma ædificiorum cellarum; ne demum unio suum sortiatur effectum, nisi accedat approbatio apostolicæ sedis. Ex quibus instructionibus valde coarctabatur facultas amplissima facta procuratori a capitulo Taurinensi. Romam itaque se contulit idem procurator, & excedens mandati sui, vel saltem instructionum habitarum limites, unionem conclusit iniquioribus conditionibus, quæ eremo Taurinensi plura detrimenta afferebant. Ipsas quoque conditiones in medium adducimus. Firmatum est ergo; ut eremus Taurinensis immediate post Coronensem præcedat omnes alias eremos in signum venerationis serenissimæ domus Sabaudiensis fundatricis; ut superior dictæ eremi deposito titulo Majoris retineat illud dumtaxat prioris, præcedat tamen ceterarum eremorum priores; ut eremitæ Taurinenses servent in congregatione locum suæ professionis; ut redditus & facultates dictæ eremi non distrahantur extra ditionem ducis Sabaudiæ, nisi occasione communium contributionum; ut ibidem servetur tirocinium; ut prior dictæ eremi deponat usum mitræ & pontificalium, quandoquidem congregatio Coronensis pontificalibus non utatur; ut eadem eremus dimittat sigillum duarum columbarum, proprium eremi Camaldulensis in Etruria, & aliud assumat proprii titularis vel ecclesiæ; ut cellæ jam ædificatæ in Pedemontana provincia conserventur, de cetero autem ædificentur ad normam Coronensium; ut eremitæ Taurinenses sequantur omnino constitutiones Coronensium tam quod habitum, quam quod alia disciplinæ eremiticæ capita; ut demum renuntient omnibus privilegiis repugnantibus constitutionibus congregationis Montis-coronæ. Cardinali Mauritio notas fecit præfatus procurator responsiones & conditiones sibi propositas a Coronensibus, qui statim admonitos reddidit eremitas Taurinenses. Hi supplicem libellum obtulerunt eidem cardinali, ut pontificalium privilegium stabile permaneret, ita etiam habitus introducti forma, ceterarum autem conditionum a Coronensibus exhibitarum moderationem efflagitarunt, antequam unio concluderetur. Atque fidentes, quod interventu ac auctoritate cardinalis corrigerentur vel modificarentur hujusmodi conditiones, rescripserunt prædicto procuratori se unionem recepturos Coronensium, ita tamen ut curaretur in eo negotio decus eremi Taurinensis, & ducalis familiæ Sabaudiensis. Sed procuratori nihil in his conditionibus immutare licuit; quare Francisco Barberino S. R. E. cardinale nepote Urbani VIII. & Lælio Biscia altero cardinale Camaldulensium protectore interpellatis, convenit inter Octavium Asinarium Pedemontanæ congregationis eremitarum procuratorem, & inter Urbanum a Neapoli Montis-coronæ Majorem, una cum Faustino Brixiense & Matthæo Polono visitatoribus, ac Eusebio Perusino procuratore generali eremitarum Coronensium, ut unio instrumento confecto cum superioribus conditionibus statueretur, & subscriberetur die quarta aprilis hujus anni. InscIIs proinde Taurinensibus eremitis, & præfatas conditiones ultro non admittentibus, quas in unionis instrumento correctas moderatasque arbitrabantur, petierunt tum

tum eorum procurator, tum Coronenses a Romano pontifice Urbano VIII. confirmationem unionis, quæ ab apostolica sede rata fuit habita sequenti diplomate.

ANN. CHR. 1634.

Urbanus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Octavius Asinarius congregationis clericorum sancti Pauli Decollati professor, ac dilecti filii nostri Mauritii sanctæ Mariæ in Via lata cardinalis a Sabaudia nuncupati theologus, nec non Urbanus de Neapoli eremitarum Camaldulensium congregationis Montis-coronæ Major, ac Faustinus Brixiensis & Matthæus Polonus generales visitatores, nec non Eusebius Perusinus procurator generalis eremitarum Camaldulensium congregationis Montis-coronæ, quod dilecti filii eremitæ eremi Camaldulensis in montibus prope civitatem Taurinensem a bonæ memoriæ Carolo-Emmanuele Sabaudiæ duce fundatæ cupientes eremum prædictam una cum suis membris eidem congregationi Montis-coronæ sub nostro & sedis apostolicæ beneplacito uniri, idem Octavius sufficienti procuræ mandato ab eisdem eremitis eremi Taurinensis munitus, ac Urbanus, necnon Faustinus, Matthæus ac Eusebius prædicti ad id ab eorum ultimo capitulo generali specialiter electi & deputati, dictam eremum Camaldulensem in montibus civitatis Taurini una cum aliis eremis domibusque seu locis ab ea dependentibus, seu quoquo modo ad illam pertinentibus eidem congregationi Camaldulensi Montis-coronæ, reservato nostro & hujus sanctæ sedis apostolicæ beneplacito, unierunt & incorporarunt, cum conditionibus tamen inter ipsas partes conventis, tenoris subsequentis, videlicet; Che &c. *Quum autem, sicut eadem expositio subjungebat, tam Octavius, quam Urbanus, nec non Faustinus & Matthæus ac Eusebius prædicti plurimum cupiant unionem & incorporationem hujusmodi nostræ confirmationis patrocinio communiri, nobis propterea nominibus, quibus supra respective, humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune de benignitate apostolica providere dignaremur. Nos igitur* &c. *hujusmodi supplicationibus inclinati unionem & incorporationem eremi Camaldulensis in Montibus civitatis Taurinensis una cum aliis eremis, domibusque seu locis ab ea dependentibus seu quommodolibet ad illam pertinentibus eidem congregationi Montis-coronæ cum conditionibus præfatis, & alias, ut petitur, factam apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quommodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes* &c. *Non obstantibus* &c. *Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub anulo Piscatoris die octava augusti 1634. pontificatus nostri anno duodecimo. M. A. Maraldus.*

Illud tamen in præfato brevi animadvertendum est datam ipsius plus anno anticipatam fuisse, cum ad publicam lucem non exierit, nisi die XXX. augusti anni sequentis. Atque ita congregatio Pedemontana nimium fisa prudentiæ sui procuratoris unita fuit congregationi Montis-coronæ cum jactura plurium suorum privilegiorum, unitaque perstitit ad aliquot annos, donec redintegrationem ipsorum privilegiorum, faventibus Sabaudiensibus ducibus, iterato recepit, media rescissione hujusmodi unionis.

XIV. Altera unio Camaldulensium Etruriæ cum iisdem Coronensibus.

PAULOPOST sequuta est unio etiam eremitarum Camaldulensium Etruriæ cum iisdem Coronensibus. Jam vidimus Camaldulenses Etruscos seculo præterito unionem primum expetiisse Coronensium sive eremitarum Massaccii sub Paulo Justiniano fundatore die nona decembris anni 1523. sed eam dissolutam septima maji in capitulo Classensi anni 1525. iterum propositam fuisse unionem anno 1540. vigesima-prima maji, sed rursus discissam XXIX. maji anni 1542. Actum non fuit de unione deinceps, nisi anno 1561. in dieta Montis-coronæ, denuoque facta est potestas tractan-

Ann. Chr. 1634.

ctandi de ipsa in capitulo generali Montis-coronæ anno 1580. Verum usque ad præsentem annum 1634. per nonaginta & duos annos separati remanserunt Camaldulenses Etrusci a Monte-coronensibus, vel illis vel his refragantibus, vel etiam impedientibus magnis Etruriæ ducibus, sed instante Ferdinando magno Etruriæ duce, opera archiepiscopi Pisani oratoris sui in curia Romana apud Urbanum VIII. hoc anno facta fuit unio per breve ejusdem Romani pontificis sub die octava octobris, cum jam Hilarion Rancatus Cisterciensis abbas sanctæ Crucis in Hierusalem animos patrum utriusque eremiticæ congregationis disposuisset, cui etiam deputatio facta est ad apostolicam exequendam commissionem. Reluctati sunt quidem diutius Coronenses, sed tandem unioni consensere, ac Major effectus est omnium eremitarum Camaldulensium, Coronensium & Pedemontanorum Urbanus a Neapoli, qui Major erat Coronensium dumtaxat. Clarius explicavit mentem suam idem Romanus pontifex quoad hanc postremam unionem anno sequenti die XXIII. aprilis. Actum fuit etiam de aggregandis eremis Galliarum regni cum eremo Montis-coronæ, operam dantibus archiepiscopo Lugdunense & cardinale Armando de Richelieù, sed de hac unione sequenti anno. Interim subjungimus breve Urbani VIII. pro unione eremitarum Etruriæ & Coronensium, ex quo in cognitionem venimus novi systematis inducti in utraque unita congregatione.

Urbanus papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Religiosos viros, qui obliti populum suum & domum patris sui humiliantes sub suavi jugo religionis animas suas, simul se expoliaverunt mundo, & totis viribus adhæserunt cælo, res mundi mundo projecerunt, ut seipsos Christo devota perspicacique mente sisterent, sicut præcipuo paterno complectimur affectu caritatis, ita salubri eorum regimini jugiter intendentes, illorum interdum, qui sub iisdem regularibus institutis, sub diversis tamen superioribus, Deo militant in unam congregationem, sub uno eodemque capite reducimus, ut idem sapiant & dicant omnes, eamdem caritatem habentes, ut unanimes uno ore honorificantes Deum, illi vota sua reddant in sanctitate & justitia omnibus diebus suis, aliaque statuimus & ordinamus, prout rerum temporumque & personarum qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino expedire. Licet eremus Camaldulensis sive provinciæ Arretinæ nonnullas eremos, monasteria & forsan membra; congregatio autem eremitarum Montis-coronæ multo majorem eremorum & forsan monasteriorum vel aliorum membrorum numerum sub se respective habeant & contineant, & utraque, primodicta scilicet eremus, & congregatio prædicta ordinis sint Camaldulensis, & eumdem patrem sanctum Romualdum, sub cujus nomine ac regularibus institutis militare profitentur, agnoscant & venerentur; immo eremus ipsa Montis-coronæ, quæ principium nomenque præfatæ congregationi tribuit, ab ipsa eremo Camaldulensi originem ducat, nihilominus Camaldulensis eremus & congregatio præfata ita hucusque ad invicem divisæ & separatæ fuerunt, ut earum quælibet sub proprio & peculiari regimine Majorem & alios officiales, qui eremos & monasteria, & alia ab eis dependentia membra gubernaret, elegerint. Nos considerantes, quam bonum & quam jucundum sit habitare fratres in unum, rationi consonum fore duximus, ut sublata hujusmodi divisione & separatione, omnes istæ eremi, monasteria, & ab eis dependentia membra præfata, quorum eremitæ unius ordinis sunt, & sub unius ejusdemque patris Romualdi regularibus institutis, vitæque eremiticæ norma militare contendunt, sub uno capite unoque gubernio insimul uniantur atque incorporentur. Idcirco motu proprio &c. *omnes & singulas eremos supradictas, monasteria, membra & alia loca regularia ab eis de-*

pen-

pendentia utriusque eremi & congregationis, scilicet Camaldulensis & Montis-coronæ invicem perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, & ex eis omnibus sic unitis, annexis & incorporatis unicam dumtaxat congregationem, non amplius Montis-coronæ, sed eremitarum Camaldulensium de cetero nuncupandam, cujus caput sit præfata eremus Camaldulensis Etruriæ, cujus etiam insignibus & sigillo congregatio per præsentes erecta imposterum uti debebit, similiter perpetuo erigimus & instituimus, cujus congregationis eremitarum per præsentes erectæ habitus is erit, quem eremitæ Camaldulenses inclusi ad præsens utuntur, cum cappa aliquantisper breviori, qui quidem habitus idem ipse est, quem hodie eremitæ Montis-coronæ deferunt, excepta tamen eremo Camaldulensi ejusque hospitio in civitate Florentina, quibus dumtaxat in locis ob excessivam frigoris vim usus cucullarum & capparucciarum, prout hactenus, conceditur. Eremitæ præfati uno dumtaxat Majore regantur, qui totius congregationis superior, cujusque ac visitatorum ordinaria residentia in præfata eremo Camaldulensi Etruriæ, & in ea primus novitiatus erit, ibique semper capitula generalia celebrabuntur, ea lege, ut capitulares viaticum tam pro accessu, quam pro recessu secum deferant. Prior eremi Camaldulensis habita ejus antiquitatis dignitatisque ratione ceterarum eremorum priores præcedat. Eremus ipsa Camaldulensis una cum aliis eremis, monasteriis & membris ab ea dependentibus & inferius exprimendis unam provinciam seu nationem ex se constituet, eritque prima, & Etruriæ appellabitur ad similitudinem trium nationum, status scilicet Ecclesiastici, Venetiarum & regni Neapolis, in quas congregatio Montis-coronæ ad præsens divisa reperitur. Porro provincia seu natio Etruriæ, quoniam primaria, & ea est, in qua residet caput & origo istarum eremorum, in capitulis generalibus quartam partem vocalium, duosque definitores habeat, eamdemque quartam partem semper habebit, etiamsi congregationi præfatæ aliæ nationes & provinciæ incorporentur. Eremitæ in eadem provincia Etruriæ ad præsens professi, ab illa ejusque locis præter eorum voluntatem amoveri nequibunt. Declarantes ad provinciam præfatam, ultra ipsam eremum Camaldulensem, spectare etiam eremos Mantuanensem, Januensem, Cortonensem & insulæ Bisuntinæ. In eadem eremo Camaldulensi juxta antiquum illius usum hospitalitas exerceatur, & in simili modo fiant eleemosynæ. In ipsa congregatione ejusque locis Constitutiones Venetiis de anno 1598. apud Matthæum Valentinum impressæ servabuntur, quas quoad ea, quæ præsentibus vel concilii Tridentini decretis, aut sacris canonibus & constitutionibus apostolicis non adversantur, approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus. Insuper congregationi per præsentes erectæ hujusmodi, ejusque eremis, monasteriis & locis regularibus, eorumque eremitis & personis quibuscumque, quod omnibus & singulis privilegiis, gratiis & indultis tam spiritualibus, quam temporalibus per quoscumque Romanos pontifices prædecessores nostros sedemque apostolicam præfatæ eremo Camaldulensi, seu congregationi Montis-coronæ hujusmodi quomodolibet concessis uti, frui & gaudere libere & licite possint & valeant, apostolica auctoritate earumdem tenore præsentium concedimus & indulgemus. Præterea rerum, suppellectilium & bonorum præfatæ eremi Camaldulensis conservationi consulere volentes, ne de cetero quisque quavis auctoritate fungens res, pecuniam, suppellectilia ac bona cujuscumque generis, qualitatis & quantitatis a præfata eremo extrahere, aut ut extrahantur permittere, ad favorem aliarum eremorum & locorum regularium dictæ congregationis extra Etruriam audeat seu præsumat, sub excommunicationis & suspensionis a divinis, ac privationis vocis activæ & passivæ, necnon quorumcum-

ANN. CHR. 1634.

rumcumque officiorum & dignitatum, inhabilitatisque ad illa & alia imposterum obtinenda poenis ipso facto incurrendis, a quibus nonnisi a Romano pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo, respective absolvi nequeat, interdicimus & prohibemus. Decernentes præsentes literas &c. *efficaces existere* &c. *Non obstantibus* &c. *Datum in arce Gandulfi Albanensis diœcesis sub annulo piscatoris die* VIII. *octobris* M. DC. XXXIIII. *pontificatus nostri anno* XII. M. A. Maraldus.

XV. Brevia Urbani VIII. pro abbatia Montis-christi.

IDEM Romanus pontifex speciale breve direxit episcopis Marianensi & Aleriensi, præcipiens, ut etiam sub censuris publice notum facerent, ne quis auderet penes se retinere bona abbatiæ Montis-christi cujuscumque generis. Datum decimo kalendas septembris anno XII. Post quadriennium XIX. julii pontificatus anno XV. judicibus in synodo diœcesana Marianensi deputatis & eorum cuilibet alterum breve transmisit, ut audirent causam vertentem inter procuratorem generalem, abbatemque sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia ex una parte, & inter episcopum Marianensem ex alia, circa bona monasterii præfati Montis-christi, contra quem episcopum, inquit, absque speciali sedis apostolicæ rescripto agere quisque nequit. Extat ad annum 1644. monumentum hocce; plebanum Morianensem & rectorem sancti Stephani ac sancti Pancratii de Moriano ecclesiarum subjectarum abbatiæ prædictæ concordiam iniisse cum Mauro Cursio abbate sancti Michaelis Pisarum recipiendi denuo ipsas ecclesias, & agnoscendi idem monasterium tamquam dominum earum ecclesiarum. Anno 1645. nonis augusti Innocentius X. præcepit archiepiscopo Pisano, & episcopis Massano & Adjacensi, ut contra quoscumque nolentes reddere abbatiæ Montis-christi bona injuste occupata, excommunicationis sententiam exercerent; ex apographis in archivo sancti Michaelis in Burgo Pisarum, ad quod monasterium devoluta fuere jura ejusdem abbatiæ.

XVI. De Vitaliano Lucensi eremita Camaldulensi.

IN Eremo Camaldulensi vivebat per hæc tempora Vitalianus sive Hilarianus Andreolus eremita reclusus natione Lucensis, de quo ad hunc annum sequentia leguntur in vita venerabilis servi Dei Bonaventuræ Gasparini itidem Lucensis, quam scripsit Martinus Manfredus, & Ianuæ edidit anno 1661. „ Erat reclusus in cella Camalduli domnus Vitalianus Andreoli Lucensis, qui in seculo frequentabat pia exercitia „ congregationis sive societatis Angeli custodis, fueratque unus ex præcipuis asseclis pii fundatoris hujus societatis. Ad eremum itaque ex domo Lauretana divertit cum sociis Bonaventura, quos benigne recepit „ eremita ex fenestra ferrata cellæ; inde ceteris dimissis Bonaventuram „ oravit eremita, ut portam cellæ ingrederetur, quam ingredi renuit, „ asserens se non dignum ingredi in cella, in qua obiissent plures Dei „ famuli reclusi eremitæ, qui Dei, & Angelorum consortia, dum viverent, meruerant. Quare ambo desiderium suum cohibentes ad fenestram rediere, ubi eremita Bonaventuræ aperuit clementissimum Deum „ sibi ipso mane, orationis tempore, ante oculos mentis suæ posuisse ipsum „ Bonaventuram & socios ejus singillatim sibi cognitos, quos post tres „ horas oculis materialibus vidit. Subjunxit se novisse dæmones variis „ incursionibus eos hactenus afflixisse, afflicturosque posthac, sed in „ Deo confidentiam suam jactarent, & in protectione sancti Michaelis „ archangeli, & his verbis Bonaventuram cum sociis dimisit, qui in itinere reapse plures a dæmonibus molestias sustinuere, donec incolumes „ ipso die festivo sancti Michaelis domum suam pervenere. „ Cetera de Vitaliano, & quo anno ad celestem patriam transierit, ignorantur, eo quia anno 1684. fortuito incendio conflagraverit cella prioris eremi, ubi custodie-

diebantur libri Defunctorum, aliæque notitiæ; qua ipsa ratione etiam nos latent anni aliorum plurium eremitarum sancte defunctorum, eorumque gesta.

XVII. Camaldulensium aliquot obitus.

NOVA capella cum altari erecta fuit sancto patri Romualdo in ecclesia sancti Blasii de Fabriano, ad cujus perfectionem applicata fuere post biennium a patribus capituli ejus anni spolia monachorum defunctorum, & anno 1637. adhortationibus excitati monachi ad voluntarias pecuniarum contributiones faciendas libentissime accessere.

Obiit hoc anno ætate longævus Guilielmus Cantarellus Ravennas abbas Camaldulensis professus monasterii sanctæ Mariæ ad Carceres, pietate, scriptisque illustris, cujus opera typis edita retulimus ad annum 1620.

Decessit quoque in eremo Montis-coronæ Johannes-baptista a Prato, professor olim in universitate Pisana, monachus inde Montis-oliveti, tum eremita & etiam Major in eremo Camaldulensi Etruriæ, ex qua transiit ad Coronenses, ubi prioratus & Majoratus officia exercuit. Ad Cartusianos vel Fullienses postremis temporibus transitum facere cupiebat. Composuit hymnos sancti Romualdi, plurimumque insudavit pro reducendo breviario veteri ad ritum modernum, ob quam rem etiam negotium facessivit suis coeremitis, quibuscum tamen temporis progressu se conciliavit. Plures reliquit doctos & eruditos mss. libros adservatos in bibliotheca Montis-coronæ.

XVIII. Pia mors Francischini Garberi oblati eremitæ Pedemontani.

DEMUM die prima februarii cœlum petiit Francischinus Garberus a Monte-baldone in diœcesi Aquensi eremita oblatus Pedemontanus ætatis suæ anno octuagesimo-secundo, pœnitentia, abstinentia, carnis macerationibus & orationis assiduitate memorabilis. Legitur de ipso, quod quatuor horas qualibet die impenderet in recitatione Mariani Rosarii, quam proinde miscebat cum mentali internaque oratione, quo dono ex Dei bonitate gaudebat homo ceteroquin idiota. Sed fusius elogium ipsius ex nostris Taurinensibus piis eremitis audiamus.

Oppidum Mombaldonis seu Montis-baldonarii in alpinæ Liguriæ, vulgo Langhe, *superiori valle fluminis Bormiæ diœcesis Aquæ-statelliensis patria fuit fratris Francischini de Garberiis oblati Camaldulensis. Piis at sequioris fortunæ parentibus natus, ruri dans operam, christiane tamen admodum vivens, pari uxore ducta, liberisque susceptis, illius decessu matrimonii demum lege solutus, proleque paterno subsidio non indigente, salutis propriæ cultor fieri cupiens, duorum conterraneorum suorum in nuper statuta eremo sacra Taurinorum commendabili conversatione audita, iis se adjungere decernens, humilis postulator superiores adivit. Professus erat inter conversos uterque, ac speciali laudis memoria sunt ambo digni, quamvis distinctioribus notis careamus, nisi quod in eremi præfatæ necrologio describuntur, & a prædecessoribus senioribus nostris audivimus, parce quidem. Frater Jacobus de Poggiis est unus perspicuæ simplicitatis vir, zeloque virtutum ac disciplinæ constanter præditus, gloriosissimam virginem Dei genitricem impensa devotione colens, a qua in sabbato votorum exacte custoditorum anno integro e mortalis vitæ miseriis fuit ereptus. Alter nomine frater Andreas de Gallis annos triginta & supra egregie in omnibus insumpsit, nec unquam, quod est singulare, una vel nocte a Matutini officio absens fuit. Francischinus autem, de quo est sermo, tum quia primum ultra sexagesimum computabat annum, tum ut prædiorum colonis peritus administer super loca congruentius præesset, oblatis adscriptus est, arctioris tametsi professorum status rigorem in pluribus libentissime sit amplexus. Videntes itaque patres eum religiosis & ad exterorum pariter exem-*

Ann. Chr. 1634.

plum compositis moribus decoratum, majoris prædii curam ab eremo per itineris horam sejuncti imposuerunt, cui sedulo per totos quatuordecim annos incumbens, operatusque sæpe sæpius consilio manuum suarum, uberrimis ingenii laborisque fructibus promptuaria replevit, ac annualem eorumdem pro imposterum auxit perceptionem: sacram domum fidelis servus & prudens constitutis petebat diebus, cum ad reddendam villicationis propriæ rationem, & ad ultra villicandum benedictionem, simul ac obedientiæ regulam suscipiendam, ne tam in actis, quam in agendis subjectionis meritum sibi deesset, tum ut non totum temporalibus tribueret, spiritualium cultura neglecta, sed sacramenta frequentans, atque capitularibus præsens sermonibus, directoris & confessarii sui, aliorumque piorum collocutione animam refocillaret. Dum sic Deo hominibusque acceptus bonus senex infatigabiliter imposito muneri satagebat, necesse fuit, ut eum tentatio probaret, uti cum Tobia factum est, corporali subita cæcitate, in qua sacræ eremo restitutus ad septennium patienter supervixit. Tantumque abfuit, ut contristaretur plagam sibi hujusmodi evenisse, quod nedum alacriter tulit, sed lætatus est, gaudens meditationi & vocali orationi, quas numquam neglexerat, se imposterum pleniorem operam daturum. Interioribus ergo Franciscbinus toto spiritu vacans, tam eminens unitivæ orationis culmen Deo cum simplicibus familiaribus sermocinante attigit, ut quibus non carebat sensibus, nonnisi ad castigationem, & ad pietatis officia uteretur. Literarum nempe humaniorum ignarus frater iste, omnisque mundi expers doctrinæ, una erat ei philosophia sublimis Jesum scire & hunc crucifixum, cui se conformabat exterius, longissime non solum ab omni regularum exemptione vivens, sed mortificationem Jesu in corpore suo circumferens. Huic animæ suæ dilecto Franciscbinus intendebat semper, passionem ipsius, & mortem ordinarium suarum objectum faciens meditationum, quas plures ad horas extendebat: ita quoque ad veneratissimi regis sui sub tenui eucharisticarum specierum velo latentis tabernaculum diurnas nocturnasque faciebat excubias; nam quotquot celebrarentur a summo mane ad postremam successive Missis reverenter auditis, tardius adhuc extaticam protrahebat orationem, quam vesperas præveniens resumebat ad multam noctem perdurando, custos quasi perpetuus ecclesiæ factus. Post Filii cruciatus, in sacello divinæ Matri sacro humili teneraque fiducia sanctissimam virginem colendo & invocando sex decadum Coronæ, mox integri Rosarii canonem solvebat; in hoc vero cum mysteriorum contemplatione recitando, tam prolixa attentione se gerebat, ut horas circiter quatuor lucrose quidem insumeret. Custodem angelum, Sanctosque sibi delectos, beatissimos maxime ordinis protoparentes peculiaribus & affectibus, & precibus honorabat, itaut præter breviter expeditas alimenti somnique necessitates, numquam a colloquiis divinis & oratione cessaret. Quis dabit nobis ardentia devotæ hujus animæ referre suspiria, ignita cordis jacula, ac intima cum cælitibus alloquia numerare? Nisi quod quasdam interceptas voces & verba quandoque ab eo audiri nescio paulo altius articulata, pro argumento habemus occultorum, unde ipsum sublimioris contemplationis munere, firmæ cum Deo unionis dulcedine similibusque charismatibus locupletem non immerito dicimus. Oculorum quidem lumine ac usu corporalium orbatus senex iste supra septuaginta-quinque annorum, integros habuit ac perspicaces in anima oculos. Hanc propterea interiorem, de qua loquuti sumus, viam intraturus, nihil corpori fore indulgendum animadvertit. Quæ senibus & infirmis etiam professis discretæ concedunt eremitis regulæ, nedum levamina fessis artubus, cadentique corpori ad scheletri maciem redacto fervens oblatus denegavit, sed & communium ciborum paucitate

citate sibi adhuc imminuta, pluriesque in hebdomada parvo pane, frigidaque contentus, diebus reliquis vino aut penitus interdicto, aut valde diluto, solo spiritu victitans, flagellationibus & frequentibus, & ad copiosam sanguinis effusionem protractis decrepitum corpus conterebat, qui post duos & octuaginta ætatis annos tot bonis exercitationibus intentus brevi ultimaque adveniente infirmitate, postremum sibi diem sentiens appropinquantem, Domino aperuit pulsanti, quem cum amore suscipiebat venientem. Sola igitur sua devotorum congruentium actuum dispositione sacramenta recepit, quibus roboratus, & sic pie per unum & viginti plenos annos inter oblatos conversatus, æternæ gloriæ, ut credere fas est, viam intravit ex hac lacrymosa vita migrans anno tricesimo-quarto ad millesimum & sexcentesimum sub primis vesperis purificationis intemeratæ virginis Matris, cujus tutissimum patrocinium digno famulatu sibi firmaverat.

ANN. CHR. 1634.

ANN. CHR. 1635.

XIX. Unio eremitarum Gallorum cum Coronensibus.

OPERA Bonifacii de Antonio presbyteri Lugdunensis, & eremitæ Camaldulensis, excitatæ fuerant in regno Galliarum tres eremi appellatæ beatæ Mariæ Gratiarum Viennensis diœcesis in Delphinatu, beatæ Mariæ Consolationis, & Vallis-Jesu in diœcesi Lugdunensi, sub protectione ducis Engolismensis; hæque eremorum fundationes factæ sine permissione vel approbatione apostolicæ sedis, hoc anno die XIX. aprilis ad instantiam Ludovici XIII. regis Galliarum munimine consensus sanctæ sedis roboratæ fuerunt ab Urbano VIII. Romano pontifice. Jam ab anno 1621. ipse Bonifacius eremitico habitu indutus expetierat unionem sui & aliquot a se congregatorum eremitarum cum eremitis Taurinensibus, licet Major Taurinensium ejus temporis faciliorem fore unionem cum Coronensibus, interveniente cardinale Camporeo protectore, affirmasset. Facta tamen fuerat unio cum Taurinensibus anno 1626. quo ex Galliis in Pedemontium tirocinium positurus descenderat Bonifacius, & eodem anno post aliquot menses in Gallias redierat cum facultate sibi facta a Majore Taurinensium fundandi novas eremos in eo regno ad instar Taurinensis. Quare legitimæ viderentur erectiones post eum annum factæ a Bonifacio. Primam siquidem eremum Viennensem sitam in loco Rovello, consentiente archiepiscopo Viennense die quarta novembris anni 1629. concesserat & ædificaverat anno 1626. dominus de Murines, declarans se fundatorem, diversosque redditus assignans; alias duas erexit anno 1628. marchio de Beaume, nempe sanctam Mariam de Consolatione in territorio & loco Bothem, & hospitium Vallis-Jesu situm in dicta valle diœcesis Lugdunensis. Eremus Vallis-Jesu dotata fuit a Vitale Sancti-Pauli presbytero Oratorii, & a Johanna Sancti-Pauli ejus sorore de *Varsalieu* & *Veaux* domina, qui Bonifacio dedere capellas sancti Rocchi & Vallis-Jesu cum bonis ad ipsas pertinentes. Sitæ erant in loco dicto *Amieux* in parœcia de *Chambre* diœcesis Lugdunensis. Precibus ejusdem ducis Engolimensis consensit archiepiscopus Lugdunensis, ut fierent hæ fundationes, ea tamen conditione adjecta, ut unirentur congregationibus Italicis; qua super re cardinalis de Richelieù protectionem implorarent. Verum quia Coronensibus eremitis potius adhærere affectarent eremitæ Galli, vel quia libenter aliquas Taurinensium austeritates non exciperent, relicta hoc anno communicatione cum Taurinensibus, impetrarunt præfatum Urbani breve; quo dispensatione apostolica ipsos absolvit a pedum nuditate, aggregavit Gallicanam congregationem congregationi Montis-coronæ, concessit ipsis eremitis facultatem creandi sibi Majorem, communicavit omnia Coronensium privilegia, & demum erexit locum sanctæ Mariæ Consolationis in locum pri-

Ann. Chr. 1635.

principaliorem ejus congregationis. Cardinalis Petra tomo I. suorum commentariorum ad bullam Alexandri II. sub numero XXVI. appellat Bonifacium venerabilem eremitam fundatorem congregationis Gallicanæ sancti Romualdi. Post tres jam enuntiatas eremos quarta appellata *Gros-bois* Parisiis initium habuit anno 1642. sub titulo sancti Salvatoris, vel sancti Johannis-baptistæ, in qua modo resident superiores hujus congregationis, & domus etiam pro novitiis alendis habetur. Quinta eremus appellatur sanctæ Mariæ *de la Flotte*, vel de Classe, vel de Auxiliis-fundata anno 1648. Sexta eremus *de Bessè* sub titulo sancti Ægidii erecta anno 1660. Utraque est in inferiori Vindocinatu diœcesis Cænomanensis. Septima eremus Parisiensis Montis-Valeriani fundata anno 1670. Hæc postrema modo occupatur ab eremitis laicis sancti Pauli, quibus ministrat sacramenta presbyter secularis. Epistolæ regis Ludovici XIII. quibus suam regiam protectionem eremitis Camaldulensibus donabat, vetabatque omnibus, ne molestias ipsis afferrent, in acta relatæ fuere Parlamenti Gratianopolitani hoc anno 1635. inde in alterius Parisini anno 1644. Virtus & merita Bonifacii ea fuere, ut archiepiscopus Viennensis Petrus de Villars ipsum retinere cupiens in sua diœcesi, amplissimam illi facultatem fecerit ad fundandas eremos, sed angustiæ locorum, tenuesque redditus earum fundationum coegerunt Camaldulenses ad ipsarum derelictionem. Sed de erectis eremis fusiora suis annis, ut etiam de viris piis & illustribus hujus congregationis. Subjicimus interim Urbanianum breve.

„ Urbanus papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit carissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex XIII. Christianissimus, quod cum de anno M. DC. XXV. eremitæ Camaldulensis congregationis dilectum filium Bonifacium de Antonio presbyterum Lugdunensis diœcesis ad habitum & religionem dictæ congregationis recepissent, & lapso unius anni spatio capitulariter congregati eidem Bonifacio eremos congregationis prædictæ in regno Franciæ erigendi facultatem dedissent, idem Bonifacius sexdecim aut septemdecim religiosos omnes Gallos ad habitum per prædictæ congregationis eremitas gestari solitum admisit, illique fere omnes professionem per eosdem eremitas admitti solitam expresse emiserunt, & ad præsens in tribus eremis per eos constructis, videlicet beatæ Mariæ Virginis Gratiarum Viennensis diœcesis in Delphinatu, ac beatæ Mariæ Consolationis, necnon Vallis-Jesu respective nuncupatis in diœcesi Lugdunensi commorentur, & eremi prædictæ redditibus annuis ad prædicti ac majoris eremitarum numeri manutentionem sufficienter provisæ sunt; Verum quia Bonifacius ejusque socii prædicti præmissa absque ulla hujus sanctæ sedis licentia gesserunt, nec gesta ab apostolica sede approbata reperiuntur, idcirco dictus Ludovicus rex instituti hujusmodi propagationem in regno Franciæ exoptans, quo melius desiderii sui compos fiat, & eremiticæ vitæ ratio hujusmodi sensibus voluntatique Francorum magis conformis sit, desideret, ut ex nostra & hujus sanctæ sedis permissione ipsi eremitæ de cetero institutum congregationis Montis-coronæ amplectantur, quæ a pedum nuditate, aliisque in modo vivendi austeritatibus, quibus congregatio Taurinensis subjacet, omnino exempta est, & pro præmissorum omnium validitate & subsistentia illa apostolicæ sedis confirmationis patrocinio muniantur, & a nobis desuper modo & forma scriptis indulgeatur; Nos dicti Ludovici regis votis, quantum possumus, cum Domino annuere, illumque specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, supplicationibus

Ann. Chr. 1635.

bus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium præpositorum consilio, eisdem regni Franciæ eremitis, ut non obstante professione per eos emissa, pedum nuditatem relinquere, sive ab illa recedere, ac instituto Montis-coronæ hujusmodi tam in victu, quam in vestitu in omnibus & per omnia se conforment, necnon in eodem regno Franciæ, ubi requisiti fuerint, eremos dictæ congregationis instituti Montis-coronæ erigere & instituere, dummodo tamen ipsi vivant sub obedientia generalis eremitarum hujusmodi ordinis, atque conventus seu eremi non erigantur, nisi servata forma constitutionum apostolicarum, ac decretorum felicis recordationis Clementis VIII. & Gregorii XV. Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum, decretorum super nominatorum conventuum erectione nuper editorum libere & licite valeant, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus, & indulgemus, statuentes, ut hi omnes eremitæ sub una eademque congregatione sanctæ Mariæ Consolationis Camaldulensis Gallorum nuncupanda vivant. Ejus generalis, quem Majorem appellant, sit natione Gallus, ac nobis & sedi prædictæ immediate subjectus, iis etiam gratiis & indultis, privilegiis & prærogativis gaudeat, quibus gaudet congregatio Montis-coronæ. Præterea professiones & alia beneficia instituti hujusmodi per dictum Bonifacium & alios prædictos huc usque gesta auctoritate & tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes præsentes literas validas, firmas & efficaces existere & fore. Irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIX. aprilis M. DC. XXXV. pontificatus nostri anno XII. " M. A. Maraldus.

XX. Alexandri Cacciæ abbatis Camaldulensis pius decessus, aliaque historica.

In parthenone Buldronensi ad sponsum evolavit die XXVI. julii Maria-johanna Berlini sanctimonialis annorum 72. dono lacrymarum in contemplanda Christi passione, & in sacramentis suscipiendis insignis. Obiit invicta patientia post quatuor infirmitatis annos.

Alter ad Deum transiit die quinta decembris hujus anni venerabilis vir Bartholomæus del Caccia Florentinus monachus sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia & abbas. Ipsius parentes fuere Julius del Caccia senator Florentinus & Laudomia Montagata. Post iter susceptum in Gallias, sacerdotiumque susceptum, matura ætate monasticam togam induit in prædicto monasterio, ubi deinde se totum pœnitentiis exercitioque virtutum addixit. Archiepiscopus Florentinus sæpius usus est opera Bartholomæi, destinans ipsum frequenter in moderatorem conscientiæ sanctimonialium suæ diœcesis, & præsertim monialium parthenonis sancti Petri ordinis sancti Benedicti. Toto fere vitæ suæ tempore Bartholomæus officium quæstoris exercuit in suo monasterio, & licet ob negotia discurrere qualibet fere die per urbem cogeretur, quotidie tamen chorum frequentabat, nocturnisque psalmodiis primus omnium intererat, & quod mirari subit, cum quæstoris officio aliud composuit magistri tyronum, libros insuper chorales exscripsit, codices & chartulas archivi recto ordine disposuit, indice locupletissimo exornans. Assiduus nihilominus orationi activæ contemplativam vitam adjungebat miro temporis usu. Jejuniis regularibus addictissimus carnes nunquam comedit, a vino semper abstinuit, paupertatis strictissimæ amator, obedientiæ sectator, humilitate exi-

Ann. Chr. 1635.

eximia præditus. Quæstor cum esset & decanus monasterii nullo tempore abbatem cœnobii obvium habebat, quin ante eum genua flecteret. Electus a majoribus in abbatem epistolis & precibus multo tempore dignitatem renuit accipere, sed obedientiæ vi adactus, destinatus est ad regimen abbatiæ Volaterranæ sanctorum Justi & Clementis. Cum iter jam suscepisset, ac decem milliaribus abesset ab ea urbe, infirmitate corripitur, quare ad pristinum Angelorum cœnobium revertitur, ubi cum pervenisset statim a morbo liberatur; quod cum renuntiatum fuisset abbati generali, iterum hic ei rescripsit, ut denuo se reciperet ad Volaterranum monasterium. Morem gessit obedientissimus Dei famulus, sed vix sex milliaria confecerat, graviori incommodo opprimitur, duo tamen alia milliaria prosequi voluit, sed demum cum jam spiritum exhalare conspiceretur, suasu comitum Florentiam regreditur, ipso regressus momento pristinæ sanitati donatus, ita ut emicuerit manifesta Dei voluntas, ne regimini monachorum adijceretur, quod summopere detrectabat sanctus vir; non absimile exemplum legimus in vita sancti Romualdi, cum in Pannoniam proficisci prædicandi evangelii & martyrii consequendi gratia cupiebat; dum enim iter prosequebatur, infirmabatur, dum reverti parabat, sanabatur. Quare etiam abbas generalis Dei voluntati aquiescendum ratus, eum sine regimine liberum in cœnobium Angelorum reduxit, ubi sua consueta officia quæstoris & magistri novitiorum prosequutus est. Miræ sunt, quæ leguntur curationum gratiæ, quas Deus ejus interventu & precibus patravit, inter quæ locum merentur liberatio cujusdam conversi a morbo comitiali, sanatio plagarum ope vini benedicti ab ipso, altera prodigiosa sanitas nepotis sui vulnerati, quem medici mortem certo oppetiturum prænuntiaverant, sed duo insigniora prodigia reticenda non sunt. Abbas dicti monasterii Angelorum ædificium quoddam cœnobii in terram disjecerat, ut super illud fabricam novam construeret, & veteris ædificii prostratio tanti ferme valebat, quanti constructio novi; Bartholomæus in libris dati & accepti exaravit utramque expensam, quam cum vidisset abbas ira percitus eum objurgavit, quod primam exarasset. Ut animum abbatis placaret Bartholomæus solito suo orationis confugio se dedit, & sequenti mane rediens abbas, librum iterum videre voluit, sed dum scripturam curiose quærit, ita deletam ex codice reperiit, ac si nunquam exarata fuisset. Alio tempore ecclesiam veterem solo prosternere cogitaverat alter abbas, ut novam ampliorem ædificaret. Querebantur monachi antiquum eorum delubrum vastari, quibus semper respondebat Bartholomæus, quod in Deum fiderent; nam proposita novæ ecclesiæ intentio ad effectum non erat ducenda. Nocte, quæ præcedebat diem, in quo operarii manum erant admoturi, omniaque jam parata & conclusa erant pro veteri ecclesia diruenda, infirmatur abbas, ex qua etiam infirmitate occubuit, nihilque tentatum est ulterius a successore. Senecta & pœnitentiis attritus tandem piissimus vir lethifero morbo correptus lecto decumbere coactus est; ea ipsa die, qua obiit, sacrum peregit in ejus cubiculo ipsius frater Alexander episcopus Pistoriensis, a quo etiam ultima sacramenta percepit, sed nullo adstante nocte sequenti animam Deo reddidit ætatis anno sexagesimo-septimo; cum enim aquam benedictam expetiisset a monacho infirmario ipsum dimisit; atque dum laudes matutinas monachi in chorum decantarent, felicissime expiravit ad imitationem sancti parentis Romualdi, cui contigit similis mors. Sepultus est in peculiari tumulo in capitulo monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. Simeon Guidottus abbas ejusdem cœnobii post tres

annos

annos novum ei condidit loculum; tempore, quo condebatur, faber murarius cadens in ipsum, nil mali sibi contigisse gavisus est. Repertum fuit autem ea occasione cadaver Bartholomæi, quod nil perdiderat in sui effigie, immo cuculla, quam annis quadraginta detulerat, & ex alba flava evaserat tempore ejus mortis, reperta fuit candida. Apposuit Simeon novo tumulo hanc inscriptionem: *Bartholomæo del Caccia Camaldulensium familiæ abbati stolam integritatis inter homines illæso candore servatam, pretiosis margaritis abstinentiæ, sui despicientiæ, contemplationis, & in Deum pietatis hic inter Angelos nuptialem reddidit, qua indutus, ut sperare juvat, ad cœnam agni intravit nonis decembris* M. DC. XXXV. *Domnus Simeon Guidottus abbas optimo sodali & vero monacho ponendum curavit anno Domini* M. DC. XXXVIII. Bartholomæi vitam descripsit Michael Losanna monachus Camaldulensis, qui supradicta collegit a monachis Angelorum, quorum aliqui etiam vivebant, qui ope venerabilis viri peculiares a Deo curationum gratias retulerant.

Ann. Chr. 1635.

Leonilda Malatesta & Dianira ejus uxor marchiones Roncofreddi instrumento sigillo munito congregationi Camaldulensi obtulerunt ecclesiam sive capellam in castro Montiani cum redditu centum scutorum. Hanc ecclesiam sitam in diœcesi Ariminensi obtinent modo Classenses monachi. Extat in archivo sancti Romualdi de Urbe [a] consilium, an excipi debeat hæc donatio, quæ obligationem includebat alendi penes ipsam monachum sacerdotem una cum converso, & sacerdos teneretur ad celebrationem aliquot Missarum.

[a] *Fasc.* 66. *n.* 45.

Tirocinium erectum fuit hoc anno in eremo Viennensi, urgente etiam Ferdinando II. imperatore piissimo ejusdem eremi fundatore sequenti epistola.

Foris. *Honorabilibus religiosis devotis nobis dilectis patribus præsidenti & definitoribus generalis capituli eremitarum Camaldulensium.*

Intus vero. *Ferdinandus Secundus divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus.*

Honorabiles religiosi devoti nobis dilecti. Siquidem per ordinis vestri religiosum devotum nobis dilectum patrem Silvanum pluribus hactenus vobis explicatæ sunt causæ & rationes, ob quas erectio Novitiatus in eremo prope hanc Viennensem civitatem a nobis fundata perutilis habeatur, minime quidem dubitamus, quin pio huic operi unanime studium vestrum libenter impensuri sitis. Quo vero luculentius vobis constaret, quam gratam hac in parte rem nobis facturi sitis, facere noluimus, quin vobis singulare nostrum dicti novitiatus desiderium propriis hisce testaremur. Quemadmodum enim laudabili vestro ac patrum, qui eremi fundationi adfuerunt, veluti felix ejusdem initium & progressum experti sumus, ita ex desiderato Novitiatu non tam firmum ipsius stabilimentum, quam uberrimum totius ordinis inter Germanicam etiam nationem augmentum in singulare nostrum ac subditorum nostrorum solatium expectamus. His itaque de vestra erga nos promptitudine omnino confidentes, vos vicissim ac totum ordinem vestrum de singularibus gratæ memoriæ ac benevolentiæ documentis ubilibet certos esse cupimus. Datum Viennæ die secunda aprilis anno M. DC. XXXV. *regnorum autem nostrorum Romani* XVI. *Hungarici* XVII. *Bohemici* XVIII.

FERDINANDUS m. ppa.

J. B. comes Kalenberg.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium Gasparus Freineffein.

ODOAR-

Ann. Chr. 1636.

XXI. Plures eremi propositæ Camaldulensibus Etruriæ.

ODOARDUS Farnesius dux Parmæ & Placentiæ, datis etiam supplicibus libellis cardinalibus sancti Marcelli, & Aldobrandino pro rei exequtione, obtulerat anno 1633. Camaldulensibus eremitis Etruriæ ecclesiam sancti Jacobi sitam in insula Bisuntina cum redditu scutorum sexcentorum, atque cum jure piscandi, cum domo quoque & hospitio in Capite-montis, ut prope eam ecclesiam construeretur eremus, quæ subjiceretur Camaldulo-majori. Hinc etiam eam eremum anno 1634. Urbanus VIII. inter ceteras subjectas eidem Camaldulo-majori recensuerat. Sed cum eo ipso anno contigisset vi brevis ejusdem Urbani unio Camaldulensium & Coronensium eremitarum, & hi regimen totius eremiticæ congregationis suscepissent, locum & ecclesiam supradictam dimiserunt. Quare etiam idem dux alios supplices libellos obtulit præfatis cardinalibus pro introducendis loco eremitarum cœnobitis, quorum tamen mansionis in eadem insula vestigia ulteriora non apparent. Similiter anno præterito iidem eremitæ repudiarunt alteram eremum fundandam in loco sancti Alberti Segesti in Liguria, quæ exhibita fuerat Valeriano Filingerio eremitæ Camaldulensi, quique inierat pacta cum communitate Segesti, & receperat possessionem nomine Camaldulensium Etruscorum. Reperimus pariter eidem Valeriano Johannem-Vincentium Macedonium marchionem Regiani proposuisse locum pro eremo construenda cum suis redditibus in insula Nissitæ prope Neapolim anno 1634. qui decreto capituli Monte-coronensis anni 1635. derelictus fuit. Demum rejectus fuit locus in comitatu Matriti Vallisoletum inter & Escuriale Camaldulensibus oblatus anno 1633. a cardinale Ferdinando infante fratre Philippi IV. regis Hispaniarum. Impares forte se existimarunt Coronenses tot coloniis eremitarum deducendis & præsertim extra Italiam, cum aliæ urgerent vel recentes, vel proximiores propositæ fundationes, aut etiam supradictorum locorum donatores expetebant traduci in eorum ditiones Camaldulenses Etruriæ, & non illos Montis-coronæ. Præfatus Valerianus Filingerius, olim Annibal Cæsaris, nobilis Neapolitanus, & præfectus castrorum in statu Florentino eremita factus circa annum 1631. duobus mensibus ante professionem, tabulas octuaginta depictas variæ magnitudinis & quantitatis eremo Camaldulensi donaverat, sex itidem magna candelabra argentea, & vasa quatuor, reservaveratque duo millia scuta cum licentia superiorum disponenda, & decedente Carolo filio suo sine liberis, cui omnia legaverat, alia quatuor millia sibi servaverat.

XXII. Fundatio eremi Brixiensis.

IPSIS autem Coronensibus proposita fuit hoc anno a civitate Brixiensi fundatio novæ eremi in eorum territorio super montem, qui Margarita vocabatur, quæque recepta fuit a definitoribus capituli. Verum cum is locus ædificationi eremi non admodum idoneus videretur, permutatus fuit situs anno 1639. ad montem sancti Bernardi de Navazone æque distans, ut erat primus, tribus milliaribus ab urbe. Extant Francisci Eritii ducis Venetiarum literæ ad potestatem Hieronymum Civranum, & ad capitaneum Nicolaum Donatum in urbe Brixiensi pro hujusmodi loci translatione scriptæ die XVI. aprilis ejusdem anni, & aliæ Francisci Molino itidem ducis Veneti ad potestatem & capitaneum Brixiæ anno 1648. die III. junii, quibus eremum Brixiensem eximit a gravaminibus & impositionibus publicis. Præcipuus promotor hujus fundationis fuit Anselmus Martinengus patritius Brixiensis & eremita Rhuensis, frater Marci-antonii episcopi Torcellani, qui ope sororis Faustini Æmilii nobilis Brixiensis, inde eremitæ, eremum condidit, quæ anno 1642. erecta fuit in prioratum. Florebat in hac eremo anno 1666. ex monumen-

mentis Fidentii Erasmæ Gerardus eremita Venetus, qui professionem fecerat in eremo Rhuæ anno 1625. scriptor multorum operum, quæ recenset.

Ann. Chr. 1636.

XXIII. Tractatur negotium beatificationis Ven. Alexandri Cevæ.

Scribens hoc anno Gregorius Cartarius Urbevetanus, qui unus fuit ex iis eremitis, quos e Camaldulo evocaverat Alexander Ceva ad fundationem eremi Taurinensis, ad Paulum Majorem eremitarum Taurinensium, ac attestationes faciens sanctitatis ejusdem Alexandri, asserit gratissimos sibi fuisse nuncios, quos receperat, de negotio, qui tractabatur, pro recensendo eodem Alexandro in numero Beatorum, de altera etiam intentione, quam habebat idem Paulus, publici juris faciendi psalterium sancti Romualdi.

Quoad negotium beatificationis ven. Alexandri Cevæ, collecta jam fuerant plura monumenta & testimonia ejus sanctitatis, virtutum nimirum, & doni miraculorum & prophetiæ, quibus tum vivens, tum defunctus a Deo dignatus fuerat. Aliqua brevissimo calamo hic subjungimus: Seni oculorum vitio a quinquennio laboranti prædixit salutem; Johannes Lequius retulit referendario Cevæ fratri Alexandri liberatum se fuisse a gravissima afflictione. Ex improviso apparuit cuidam, qui homicidium patrare volebat, & a facinore deterruit, eumdemque ab insidiis & persecutionibus contutatus est. Johannes-baptista a Villa-franca eremita Taurinensis valetudinem recuperavit in duabus mortalibus infirmitatibus; alter eremita Joseph a Reano a dolore capitis, & ab impuro spiritu liberatus est; ita a dolore dentium frater Augustinus. Referendarius Joseph Barberius voto facto venerabili patri pro salute filii gavisus est ipsum convaluisse; Petrus-paulus Passerus a latronibus & a carcere voto similiter emisso mirabiliter ereptus est; alia vice a dolore oculorum appositione rami olivæ, ut ipsi apparens præcepit venerabilis vir; Ludovicus Pizzamiglius ducalis typographus a mortali infirmitate; Franciscus-bartholomæus ejus filius potissimam ipsius intercessionem expertus est in crure insanabiliter percusso. Antonius Forchetus faber murarius ad mortem veniens, vovens Missarum celebrationem in honorem patris Alexandri, quem Beatum semper pronuntiavit, de repente convaluit. Dum in vivis erat venerandus vir, & in monte Tendæ commoraretur, ac nive mons totus tegeretur, oratione facta in parva ecclesia detectam mirabiliter reperiit eam montis partem, in qua eremum ædificare proposuerat. Quinquagenta scuta deposita fuere super januam internam hospitii Taurinensis, tempore necessitatum suarum, quæ unde & a quo allata fuerint, ignotum semper extitit. Si vero ad miraculorum & prodigiorum rationem reducamus mirabiles animi virtutes, quas Alexander in heroico gradu possedit, hic loci nobis texenda foret series earumdem virtutum, quibus conspicuum se reddidit venerabilis vir tum apud Deum, tum apud homines; & non modo eremita factus, verum adhuc in seculo juvenis, nam studiis assidue deditus otium a se continuo eliminaverat, ac innocentiam vitæ, moresque suavissimos ab omni etiam levi culpa alienos cum eximia pietate conjunxerat. Sed virtutum omnium princeps patientia in ipso effulsit, cujus perfectissima specimina exhibuit toto vitæ suæ tempore. Persecutionibus enim, injuriis, difficultatibus, controversiis lacessitus, numquam a proposito dimoveri potuit, numquam impatientiæ signa protulit, numquam Dei voluntati vel minimum obsistere visus est. Crediturque communiter hanc patientiæ virtutem fuisse præmium, quo Deus famulum suum coronare voluit ob mirabile totique orbi memorandum signum, quod Alexander, dum cogitaret de seculo relinquendo, dedit in urbe Roma, præsente cardinale Cribellio, cui serviebat a secretis, ejusque

Ann. Chr. 1636.

que nobilibus aulicis, quando alapa inhoneste & sine ratione ulla offensus a quodam litigante, quem componere cupiebat, licet honoris, juvenilis ætatis & ad bilem propendentis indolis motibus quateretur, non solum oravit pro offensore, cui pacem impartitus est, & preces apud cardinalem, sed ex aula exiens ad primam convolavit ecclesiam, ibidemque coram crucifixo Domino, adinstar alterius sancti Johannis-gualberti, contemptibilem se evasisse gloriatus est, omnem vindictæ sensum, ignominiamque suam, quam passus est, exultanti gaudio Deo obtulit, & moræ impatiens, relicta Urbe, relictis honoribus & amicitiis, quibus fruebatur, in pacificam victimam se tradidit, meriturus in Camaldulensis eremi castris perpetuo tempore, unique Deo exinde adhæsurus. Sequentibus annis prosequuti sunt eremitæ examina & processus ad beatificationem promovendam, quæ tamen altissimo Dei consilio nondum effectum fuit sortita.

XXIV. Historica multa Camaldulensia.

Cum post unionem Taurinensium cum Coronensibus, hi in capitulo generali hujus anni die XVIII. aprilis vetassent illis usum sigilli communis Camaldulensis, nempe duarum columbarum cum calice, Victorius Amadeus I. dux Sabaudiæ requirenti Majori permisit XXX. maji, ut circa novum sigillum Taurinensis eremi apponeretur torques, insigne nimirum equestris ordinis sanctissimæ Annuntiatæ, cujus nobilissimi ordinis erant eremitæ perpetui oratores & capellani.

Constantissime renuente Gregorio Ciccolinio Pisaurense electionem seu confirmationem sui in abbatem generalem congregationis, suffectus fuit in ipsius locum die XII. maji Maurus Ruggerius ab Abbatia Pollicinii, & ex professione sancti Mathiæ de Muriano; visitatores vero electi Mauritius de Ferrariis Cremonensis, & Remigius Buccius Monsabinas, in dieta celebrata Faventiæ.

Urbanus VIII. die XXX. septembris confirmavit decretum editum in eodem congressu, ut scilicet capitula generalia congregationis monachorum Camaldulensium deinceps haberentur in monasterio sancti Hippolyti de Faventia, ac taxæ pro expensis tum capitulorum, tum dietarum imponerentur monasteriis.

Johannes-gualbertus Durazzinius, cum in abbatiæ Rosæ Senarum officio fungeretur correctoris pii sodalitii Coronæ Dominicæ, in lucem protulit hoc anno opusculum formis Bonetii typographi Senensis, in quo eruditam præfationem, multas sacras ad Coronam ipsam recitandam meditationes, & nonnulla pro sodalitio egregia statuta conscripsit.

In terra Fuccecchii sive Ficicli erat monasterium oblatarum cum oratorio dicato sancto Romualdo, ad cujus januam hæc legitur inscriptio in lapide: *Presbyter Johannes de Baldinis J. V. D. patritius & fundator debitæ memoriæ Anno* M. DC. XXXVI. Alia pariter in ecclesia: *Presbyter Johannes de Baldinis J. V. D. debitæ memoriæ refundavit*. M. DC. XXXVI. Olim vivebant hæ oblatæ sub invocatione sanctæ Catharinæ.

Ob mortem Marci-antonii Cornelii episcopi Patavini, & abbatis commendatarii Vangaticiensis monachi Camaldulenses iterum sua jura super abbatiam defendere tentarunt, & in capitulo Faventino hujus anni elegerunt in procuratorem hujus negotii Mathiam Marcellum patritium Venetum abbatem Camaldulensem ad agendam causam in Urbe. Sed renuente Senatu Veneto favorem præstare monachis, collata fuit ab Urbano VIII. anno sequenti abbatia cardinali Friderico Cornelio fratri Marci-antonii defuncti, qui postea etiam patriarchatum Venetum obtinuit. Marcus-antonius sepultus est in eremi Rhuensis ecclesia in sacello suorum.

Proditum est memoriæ eremitas Pedemontanos Buscæ, quibus mandatum

ANN. CHR. 1636.

tum fuerat a capitulo generali congregationum eremiticarum, ne prosequerentur ædificationem eremi, equos & boves onerasse pro transferendis rebus mobilibus ejus eremi & ecclesiæ Taurinum, sed cum animalia ad quemdam locum appellatum Nemus-curtis pervenissent, ibidem substitisse, neque aliqua vi & stimulis viam prosequi voluisse; quare eremitæ Buscæ id referentes divinæ voluntati, res suas ad eremum reduxere, ubi post aliquot annos ædificationem & augmentum eremi prosequuti sunt in honorem prodigiosæ imaginis beatæ Mariæ, quæ ibidem colebatur. Hostium exercitus licet loca vicina depopularentur, verebantur tamen montem hunc, ubi fundata erat eremus, ascendere, cinctum armatis putantes; id quod tribuendum est singulari protectioni Virginis. Prope ipsam eremum reperta fuit fodina puri alabastri albi, nigri & mixti, ex qua princeps Carignani, ipsique eremitæ lapides foderunt eximiæ pulcritudinis, quibus etiam ornata fuit capella ecclesiæ novæ eremi.

ANN. CHR. 1637.

XXV. Alia varii generis.

IN monasterio sanctæ Mariæ de Urano, cujus regimen obtinebat, obiit sub finem hujus anni Frigdianus Malusardus Bagnacaballensis abbas Camaldulensis. Is sub Mauro Comensi abbate monasticam togam induerat in abbatia Classis die XXX. novembris anni 1594. terque fuerat dicti Classensis monasterii præsul, nempe annis 1613. 1614. 1615. deinde anno 1620. usque ad 1624. demum annis 1633. 1634. 1635. translatus deinde ad Uranensem abbatiam, præter officium, quod gesserat visitatoris ab anno 1617. ad 1620. Scriptum reliquit *cursum philosophicum*, & disputationem *de potestate abbatis generalis Camaldulensis ad præcipienda sub mortali peccato ea, quæ quamvis sint secundum regulam & constitutiones, non sunt tamen alias præcepta aut materia voti*, ad Gregorium Ciccolinium Pisaurensem abbatem generalem, qui fuerat Frigdiani discipulus; quæ extant mss. in bibliotheca Classensi. Frigdiani doctrinam laudat Puccius in epistolis.

Similiter sancto fine decessit die XXI. martii in eremo Rhuensi Lucas, in seculo Marcus, Mantua-Benevidius Patavinus, qui communiter tunc appellabatur *Patavinæ urbis deliciæ*. Professus est in Monte-corona anno 1591. VIII. novembris, sæpiusque prioris officio functus est, & reclusionis leges ad multum tempus servavit. Elogium ipsius paucis verbis celebratur in syllabo piorum eremitarum Coronensium: *Paupertatis & sui contemptus studiosissimus*. Johannes-maria Advogarius refert, eumdem Lucam cuidam cardinali interpellanti, quid esset lucratus, ingrediens religionem? respondisse: „ Nescio quid lucratus sim, Deus scit. Hoc tamen spero in Divina misericordia me in religione per triginta annos „ peccatum mortale non commisisse; “ subintulisse autem cardinalem: „ Multum sane lucratus es. “ Reliquit plura opera mss. quæ custodiuntur in eremo Rhuæ; inter cetera nobilem tractatum *de Obedientia*, & *commentaria in Bullam Urbani VIII. sacri jubilæi anni* M. DC. XXV. Alter nobilis Patavinus eremita Rhuensis vitam cum morte commutavit Justinus Justachinius *contemplatione admirabilis, qui dulcem risum in ore proferens expiravit*.

Johannes-gualbertus Durazzinius parochus Rosæ Senarum epistolam scripsit ad sororem Catharinam ab Arretio monialem tertii ordinis Camaldulensis; ex qua colligitur hisce temporibus morem viguisse in nostra congregatione admittendi ad habitum monasticum oblatas feminas, prout variæ ejus generis hodie induuntur Romæ, Faventiæ, Britonorii, ubi oblatæ nostræ communi domo, & communi vivendi genere sub monacho-

Ann. Chr. 1637.

rum Camaldulensium institutione vitam ascetieam ducunt, simplicibus votis adstrictam. Etiam Maurus Cursius episcopus San-miniatensis ex abbate Camaldulensi in terra Fuccecchii sub sua diœcesi circa annum 1670. habitum Camaldulensem tertiariarum dedit devotis feminis conservatorii sancti Romualdi, de quibus anno præcedenti, quæ modo sanctimonialium ad instar, sed sine lege clausuræ vivunt.

In dieta Faventiæ congregata procuratori generali facta fuit commissio, ut curaret obtinere a sacra Rituum congregatione licentiam, ut in tota congregatione Camaldulensi recitari posset officium sancti episcopi & cardinalis Petri Damiani.

Monialibus sancti Maglorii de Faventia vetita fuit expositio sanctissimi Sacramenti feria quinta majoris hebdomadæ.

Eremitæ Camaldulenses Etruriæ hoc anno ædificarunt novam ecclesiam sanctæ Theclæ urbis Januensis cum contigua eremo, quæ ipsis resignata fuerat ab eremitis Taurinensibus.

Obiit hoc anno Viennæ Austriæ die xv. februarii Ferdinandus II. imperator, ad cujus perennem memoriam, beneficiorumque ipsius, sequentem notitiam concinnavit Adm. R. P. D. Basilius Du-vergius eremita Camaldulensis in solitudine sancti Joseph prope Viennam.

Gloriosissimæ recordationis Romanorum imperator Ferdinandus II. nepos Ferdinandi I. filius Caroli archiducis Austriæ, & parens Ferdinandi III. idea christiani principis, cæsarum christianorum speculum, fidei pius restitutor, hæreseos fortis profligator, constans, mitis, munificus, humanus, Deo charus, & sanctus, CVI post Constantinum, par imperator non fuit, qui tandem reductis in sinum ecclesiæ centies centenis animarum millibus, DeCIMa qVInta febrVarII VIennæ eXpIraVIt, quemadmodum pro sua in Deum pietate, & in viros religiosos singulari affectu ac munificentia in suis provinciis Austriæ, Bohemiæ & Styriæ varias alias religiosas familias, ut puta clericorum regularium sancti Pauli, sancti Francisci de Paula cœnobitarum, Carmelitarum excalciatorum utriusque sexus, sancti Augustini reformatorum eremitarum, sancti Benedicti e Monte-serrato ab Hispania egressorum, B. V. Mariæ Servorum, Franciscanorum congregationis Hibernicæ primus benignissime recepit ac fundavit. Ita ambiguum non habuit uberrime divinæ majestati complacere, & animæ suæ saluti quamplurimum consuli, dum temporalia bona in thesaurum immarcescibilem, & spem æternæ retributionis cumulando, frugiferum quoque sancti Romualdi religiosum patrum eremitarum Camaldulensium de Monte-corona nuncupatorum ordinem, utpote qui sub suo regimine in hisce Germaniæ regnis & provinciis primus instituti sui laudabilis sub regula sancti Benedicti fundamenta poneret, ex Italia vocaret, sicut reipsa vocavit clementissime, & venerabilem patrem fratrem Silvanum de Venetiis ab admodum rev. fratribus Alberto de Padua Majore, Pio de Perusio, & Augustino de Neapol. visitatoribus eremitarum sancti Romualdi ordinis Camaldulensis nuncupati de Monte-corona, apud quos vigore constitutionum suarum est plena & omnimoda auctoritas totius congregationis, constitutum, creatum, ordinatum, & eum in finem ad se expeditum nuntium, commissarium & procuratorem benigne excepit, atque una cum conjuge sua charissima, serenissima & augustissima principe & domina Eleonora de stirpe Gonzaga Romanorum imperatrice, Hungariæ, & Bohemiæ regina, Austriæ archiducissa, nata ducissa Mantuæ, ad laudem & gloriam sanctissimæ Trinitatis, ac gloriosissimæ Virginis Mariæ, signanter vero in honorem sancti Joseph ei montem vulgo Schwinberg vocatum diœcesis Passaviensis non procul a cœnobio Clau-

stro-

stro-neoburgensi situatum, una cum silvis & vineis in eo contentis, terminis undique erectis, lapidibus, per fidelem cameræ suæ aulicæ præfectum silvarum positis, ad construendum in illo eremitorium in perpetuum possidendum gratiose assignavit, donavit & concessit, atque adjectis deinde maxime pro emendis bonis immobilibus triginta-sex millibus Florenorum in usum dictorum patrum Camaldulensium, eremum in prædicto monte instituit, erexit & fundavit, decernendo insuper, ut prædictus mons seu locus Schwinberg imposterum mutato nomine Sanct-Joseph-berg nuncupetur, & ab omnibus ita semper vocetur, nominetur & reputetur. Datum in civitate Viennæ-Austriæ III. *julii* M. DC. XXVIII.

ANN. CHR. 1637.

ANN. CHR. 1638.

XXVI. De ecclesia S. Mariæ de Glarea Veronæ oblata mon. Camaldul.

ABROGATO per sanctum Pium V. ordine fratrum Humiliatorum, ac præposituris hujusmodi religiosæ familiæ ad secularem statum redactis, idem Romanus pontifex, ut fratribus extincti ordinis de victu provideret, statuerat, ut in unaquaque earumdem præposituarum certus prædictorum fratrum numerus alendus constitueretur, ideoque præposituræ beatæ Mariæ de Glarea Veronensis diœcesis ejusdem ordinis octo presbyteri, & duo servientes assignati fuerant, qui donec viverent, vel donec ad alios ordines transitum haberent, forent deputati servitio ejusdem ecclesiæ cum pensione quadringentorum & quinque scutorum, quæ extingueretur, prout dicti fratres vel loco abscederent, vel mortem oppeterent. Datum die VIII. februarii anni 1571. In locum fratrum Humiliatorum defunctorum subingressi sunt processu temporis alii fratres de Pace nuncupati, quorum ordo a sede apostolica nunquam fuit approbatus. Sed Gregorius XIV. agnoscens per hos fratres divinum cultum negligi potius quam promoveri in dicta ecclesia, ipsos sustulit, præposituramque commisit clericis regularibns Theatinis dictis die quinta junii anni 1591. Cum autem præsenti anno 1638. præposituram ejusdem ecclesiæ in commendam obtineret Antonius sanctæ Agathæ diaconus cardinalis, Antonii Barberini germani pontificis Urbani VIII. nepos, ac Theatinos clericos novisset in cura præposituræ non admodum aptos, vocavit & introduxit in eam monachos Camaldulenses, obtento beneplacito apostolico sub die vigesima februarii hujus anni, pontificatus Urbani VIII. quinto-decimo. Verum cum anno sequenti Camaldulenses monachi exhibuissent publicum supplicem libellum communitati Veronensi, deficientibus necessariis suffragiis, receptus libellus non fuit, irritumque cessit Camaldulensibus Urbanianum breve, nullaque advocatio Antonii cardinalis. De ecclesia sanctæ Mariæ in Glarea sequens documentum reperimus in collectaneis Romualdi Blanci monachi Camaldulensis. *Die dominica* XVI. *decembris* M. CCC. II. *indictione* XIV. *Reverendissimus dominus Thebaldus episcopus Veronensis sedente sanctissimo domino nostro domino Bonifacio papa VIII. consecravit ecclesiam sanctæ Mariæ de Glarea Veronensis ordinis Humiliatorum; rogati Nicolaus de sancta Agnete de foris, & Maphæus quondam domini Stephani notarii, in quo instrumento idem episcopus confitetur se nullum jus habere in ipso loco, nec in fratres ipsius loci, & ita protestatus fuit ibi coram testibus.*

Idem pontifex XXVIII. octobris pontificatus sui XVI. rescindit unionem officii procuratoris generalis ordinis Camaldulensis cum officio abbatis seu prioris sancti Gregorii de Urbe, quam unionem ipse fecerat alio suo brevi anno 1626.

XXVII. Collectio plurium monumentorum.

IN parthenone sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone ad sponsum evolavit Jsabella Aragonia de Appiano filia Jacobi de Appiano principis Plumbini

ANN. CHR. 1638.

Plumbini & Iluæ, abbatissa ejusdem asceterii ætatis annorum sexagintaquinque. Humilitate & caritate fuit insignis, tempore præsertim pestis, infirmitates quoque suas nervorumque contractiones cum magna patientia ad mortem toleravit. In necrologio vero Prati-veteris ad diem XIII. aprilis legitur obitus alterius Camaldulensis sanctimonialis Mariæ-angelicæ de Fantonis de Stia, qui contigit feria VI. majoris hebdomadæ ad horam nonam in medietate Missæ Passionis, cujus devotissima fuerat, una cum plenitudine ceterorum bonorum operum, ætatis suæ anno quadragesimo.

Diem etiam suum clausit hoc anno Johannes-baptista Loffredus a Neapoli primogenitus principis Carditi & ducis Montis-fortis. Is habitum eremiticum susceperat anno 1609. die XXIV. maji in eremo Camaldulensi Coronatæ, fugiens a domo paterna, & propinquorum precibus infracte obluctans, qui eum a proposito removere conabantur. Licet theologiæ & juris canonici peritia polleret, se tamen imperitum & idiotam profitebatur. Caritate in subveniendis pauperibus & infirmis, humilitate, suique contemptu excellens fuit. Opinione sanctitatis apud Neapolitanos florebat, qui dicebant: „ Tres Sancti nunc vivunt in urbe Neapolitana; „ Loffredus eremita Camaldulensis, Caracciolus Theatinus, & Antonius „ de Collelis pius operarius, " qui vinculo perfectæ amicitiæ invicem jungebantur; publiceque fatebatur Caracciolus Loffredum ad sanctitatis apicem pervenisse, ad quem etiam aliquando accedebat, ut sacramentalem ad pedes ejus confessionem faceret.

Thaddæus Tertius abbas & procurator generalis Camaldulensis dicavit cardinalibus Barberino & Aloysio Capponio archiepiscopo Ravennati, præsidenti quoque Æmiliæ Honorato Vicecomiti, ac toti urbi Ravennæ elogium brevemque narrationem miraculorum sancti Apollinaris martyris primi episcopi Ravennatis, sumpta occasione, quod translatæ fuere ejus sacræ reliquiæ e basilica Classensi ad novum urbanum templum ædificatum sub titulo quidem sancti Romualdi, sed cum ara majori in honorem sancti Apollinaris dicata.

Cardinalis Julius Sacchettus delegatus fuit a cardinale Antonio Barberino tituli sancti Honuphrii præses supputationi assis, vulgo *Estimo*, omnium Camuldulensium monasteriorum.

Primum sub hoc anno diebus Rogationum præcedentium Ascensionem Dominicam deducta est in urbem Bononiæ ex monte imago beatæ Mariæ Virginis, vulgo dicta sancti Lucæ, primumque sanctimonialium monasterium, ad quod sollemniter recepta est, fuit illud sanctæ Christinæ de Fundatia monialium Camaldulensium, interventu cardinalis Sacchetti Bononiæ legati, & cardinalis Columnæ archiepiscopi Bononiensis.

ANN. CHR. 1639. XXVIII. Scriptores aliquot Camaldulenses.

CARDINALIS Antonius Barberinus commisit Francisco Cennino cardinali sancti Marcelli & episcopo Faventino, ut præesset capitulo congregationis Camaldulensis, quod habitum fuit in urbe Faventia, in quo die XVI. maji Thaddæus Tertius Pisaurensis electus est abbas generalis, cum Gabriele Giupponio Veneto, & Alexandro Villano Mediolanensi visitatoribus. Die tertia maji anni 1642. post triennium confirmatus fuit Tertius in dignitate, assumptis in visitatores Simeone de Guidottis Florentino, & Dominico Portesano Cremonensi. In eodem capitulo orationem habuit Dionysius de Zaulis Foro-liviensis monachus insignis concionator, de *Concordia*, quam typis Georgii Zarafalii Foro-livii edidit cum titulo: *Discorso politico sopra l' Aforismo di Sallustio:* Concordia res parvæ crescunt, maximæ quæque discordia dilabuntur: Hujus scriptoris est etiam vita sancti Romualdi, quam imperfectam tamen ms. reliquit. Prosecu-

secutus est ipsam alter monachus Simeon Arditius Pisaurensis, qui neque ad exitum perduxit. Floruit Simeon in Accademia *delli Disinvolti*, adeoque de ipso loquitur Joseph Malatesta Garuffius in Italia Accademica; Mazzucchellius in Scriptoribus Italicis opera Arditii memorat.

ANN. CHR. 1639.

Inter eos, qui suppressa congregatione canonicorum regularium sancti Marci de Mantua, & post traditum ipsum monasterium Camaldulensi ordini, nomen dederunt in eadem congregatione Camaldulensi, fuit Romualdus Blancus Mantuanus, qui suasu Damasceni Aufrerii Pisaurensis abbatis sanctæ Crucis de Fonte-avellana hoc anno 1639. multo quidem cum labore exaravit chronicon ejusdem monasterii sanctæ Crucis, neque eo studio contentus scripsit plura de iis, quæ suo tempore acciderunt, præsertim in congregatione Camaldulensi, quod opus ms. extat in archivo sancti Blasii de Fabriano. Quinimmo monasteriis fere omnibus lucem attulit, veteribus paginis & documentis exemplatis, excussisque archivorum forulis, quod præsertim præstitit ipse quoad monasteria sanctæ Mariæ in Campanea Veronæ, & sanctæ Mariæ de Carceribus, in quo postremo professionem emiserat sub Mauritio Faventino abbate die quarta aprilis anni 1590. De Romualdo Blanco, qui ad decrepitam fere ætatem a scriptione nunquam cessarat, cum laude agit Jacobillius tomo III. numero 35. & aliis in locis.

Obiit in eremo Rhuæ Georgius Patavinus eremita mortificatione & patientia clarus, ex syllabo sæpius laudato.

Refecta fuit hoc anno a monialibus sanctæ Christinæ de Bononia ecclesia sancti Andreæ de Ozano subjecta eorum monasterio, ubi asservabantur ossa beatæ Luciæ a Stifonte.

XXIX. Reseratio corporis S. Romualdi Fabriani.

SOLLEMNI pompa positus fuit primus lapis in nova ecclesia sancti Blasii de Fabriano; quo tempore cum dubitatum esset, an aqua subingressa fuisset urnam sepulcralem, in qua condebantur ossa sancti Romualdi, in consilium adhibito Æmilio Alterio episcopo Camerinense, reserata & visitata fuit arca tum ab ipso episcopo, tum a Gabriele Giupponio abbate dicti monasterii nocte diei XIX. februarii, & reperta fuere ossa quamplura cum capite sancti Romualdi ordine disposita, deficientibus dumtaxat duobus brachiis, quorum unum Æsinis donatum fuerat, alterum translatum Camaldulum a Paulo Justiniano. Sub capite etiam repertus est saccus, in quo ejus ossa tempore furti anni 1481. deposita fuerant; pars quoque cranii deficiebat sive sincipitis, quæ in theca peculiari recondita exponitur populorum devotioni die natalitia ejusdem Sancti.

ANN. CHR. 1640.

XXX. Fundatio eremi Montis-regii prope Varsaviam.

ULADISLAUS filius Sigismundi electus post mortem patris Poloniæ rex, jam ab anno 1634. voto se obstrinxerat ædificandi eremum pro domicilio solitariorum ordinis sancti Romualdi, ut de hostibus suis victoriam reportaret, & ab eo anno insteterat apud Coronenses patres, quatenus excipere vellent fundationem, quam facere meditabatur prope urbem Varsaviæ in Polonia. Mense majo ejusdem anni annuerunt patres, qui commiserunt Ægidio eremitæ recognitionem oblati loci. Novis tamen occurrentibus bellis, nec non ratione controversiarum, quas eremitæ Itali sustinuerunt cum eremitis Polonis, qui jugum subjectionis dimittere tentabant, negotium dilatum est usque ad annum præsentem, quo tum superatis hostibus Uladislaus pacifice regnum administravit, tum sopitis litibus Poloni eremitæ iterum se subjecerunt regimini Italorum, annullata visitatione apostolica secularium personarum, quam expetierant Poloni, cujus etiam acta decreto sacræ congregationis nego-

Ann. Chr. 1640.

negotiis episcoporum & regularium præpositæ sub die septima septembris hujus anni rescissa fuere. Cum itaque Uladislaus rex una cum regina conjuge venisset hoc anno Viennam Austriæ ad balnea de Poden, Prosdocimus Murianensis eremita superior eremi sancti Joseph Viennensis regem visitavit & alloquutus est; verum de concepta eremi fundatione verbum facere commode nequivit. Sed cum eodem tempore supervenissent Major & visitatores congregationis Viennam, auctor ipsis fuit idem Prosdocimus, ut de negotiis religionis Camaldulensis in regno Poloniæ sermonem cum rege instituerent. Qui revera regem alloquentes obtinuerunt ipsius speciale patrocinium in omnibus, quæ ipsis in Polonia necessaria forent. Fisi itaque regia auctoritate Prosdocimum in Poloniam misere tamquam visitatorem, & pacis sequestrem futurum. Strenue operam navavit Prosdocimus, brevique tempore dissidentes animos ad concordiam composuit, subjectionemque Polonorum Italis obtinuit, ut fuse exposuit in audientia regis & reginæ, quæ ultro ei concessa fuit. Tali nuntio gavisus est rex, & capta occasione Prosdocimus regi rememoravit promissionem fundationis eremi; rex vero locum statim assignavit, quem antea matura diligentia examinatum aptissimumque judicatum indulsit, sollemni condito instrumento. Locus fuit ad flumen Vistulæ in Monte-regio leuca dissitus ab urbe Varsavia, silvis, piscariis, fontibus, & hortis ornatus. Indicta autem generali dieta in urbe Varsaviæ anno sequenti donationem confirmavit publica constitutione, quæ legitur in volumine legum publicarum his verbis: *Postquam favente supremo Numine liberis utriusque gentis suffragiis, hoc sublime in oculis totius mundi ascenderimus solium, nihil nobis antiquius fuit, quam ut pietatem nostram, debitamque gratitudinem illi supremo Regum Regi indefesso contestemur studio, tot ejus provocati stimulis ac beneficiis. Dum idem Dominus exercituum gratia & favore suo cœlesti septemtrionem insolescentem, ingentiaque ab ipso spolia ad pedes nostros abjecerit, orientisque potentiam arma nostra pertimescentem ad insuetam pactorum fidem, limitumque regni agnitionem induxerit; ad extremum & occidentem ipsum ad gloriosas nobis pacis conditiones flexerit, multasque latissimas subjecerit provincias dominio nostro, magis ac magis nos provocando ad debitas gratias, ut altissimo nomini ejus in perpetuam tantorum beneficiorum memoriam, asceterium ordinis Camaldulensium ex voto erigere apud nos statuerimus. Hæc proinde vota nostra exsolvendo, supradictos patres in bona nostra dicta regia ad Varsaviam sita, ita, prout septis a nobis cingetur, accedente consensu omnium ordinum, fundamus & erigimus, totum & integrum fundum, qui per nos dislimitabitur, molendinum dictum Ruda cum omnibus ejus attinentiis ad præsens spectantibus, similiter & villam nostram Polkow iisdem patribus perpetuis temporibus damus, donamus, ac præfatum fundum, molendinum & villam immunitatibus ecclesiasticis auctoritate comitiorum præsentium adscribimus.* Post hanc declarationem amplissimum privilegium donationis confecit die sexta octobris ejusdem anni 1641. regnorum suorum XV. una cum dilecta consorte Cæcilia regina, & carissima ac unica prole Casimiro Sigismundo, quod asservatur in archivo ejusdem eremi Montis-regii. Vigesima-tertia novembris de his omnibus certiores fecit patres Coronenses rex Uladislaus, petens virum aptum fundationi faciendæ. Accessere paulo post, anno 1643. donationes aliorum bonorum factæ huic eremo a nobilibus viris Polonis, intercedente auctoritate regia. Anno 1644. demandatum fuit priori Montis-argentini, ut superiorem constitueret in nova eremo Montis-regii Matthæum Polonum eremitam charum & expetitum a rege.

a rege. Anno 1646. trigesima julii rex, consentiente apostolica sede, & annuente congregatione cardinalium interpretum sacri concilii Tridentini, assignavit Camaldulensibus summam viginti-millium florenorum, quam testamento reliquerat Samuel Ilovolcki patribus reformatis sancti Francisci, qui eam renuntiaverant, cum obligatione perpetuæ Missæ qualibet die sabbati. Sequentibus pariter annis alia legata relicta fuere novæ eremo. Mortuo invictissimo rege Uladislao anno 1648. die xx. maji, anno sequenti Johannes-Casimirus frater & in regno successor fundationem prosequutus est, quam ob urgentia bella Uladislaus frater imperfectam reliquerat, statuens de ærario suo vita durante duo-millia florenorum, donationem quoque villæ Zeran, & alterius villæ Nieporeth. Cedente Johanne-Casimiro anno 1668. regno, & in Gallias abeunte, archiepiscopus Gnesnensis Nicolaus Proczmowoscki plura bona a rege donata abstulit eremitis; hinc exortæ lites, compositæ tamen favore mediatorum, qui se interposuerunt. Occasione bellorum, ærumnarum, mortis & cessionis duorum regum Polonorum eremus & ecclesia imperfecta remansere, positis solis fundamentis ecclesiæ, quam provisionis loco ligneam construxere eremitæ; licet rex Michael, qui in regno successit anno 1669. die XIX. junii sacra sancto Romualdo, quique electus fuerat, dum sacrificio Missæ inserviret in eadem eremo, initium dederit ædificationi ecclesiæ, impulsu etiam magni cancellarii Lithuaniæ Sigismundi Pac, qui interea aliam eremum Camaldulensem in Monte-pacis fundabat. Verum parum supervixit rex Michael, qui ecclesiæ primis accessionibus intermortuus, cor suum depositum & humatum in ea voluit. Anno 1652. visitatores generales ordinis præceperunt celebrationem anniversarii quotannis pro Uladislao rege, immo pro regibus vivis & defunctis Poloniæ in perpetuum. Anno sequenti eremus elevata est in prioratum. Anno 1673. introducta fuit in ecclesiam imago sancti Bonifacii episcopi & martyris Camaldulensis; sed de hac eo anno. Hæc interea delibavimus ex ms. relatione Johannis Advogarii eremitæ Camaldulensis: addentes epitaphium in ecclesia erectum ad perennandam memoriam munificentissimi fundatoris Uladislai IV. regis: *D.O.M. Uladislaus quartus natura, successione Suecorum, Gottorum, Vandalorum virtute, electione Polonorum rex potentissimus, post Gotticos, Turcicos, Tartaricos, præsertim vero Moschicos triumphos, post completum orbem nominis sui fama sacrum hoc eremitorium divo Romualdo ejusque instituti fratribus fundavit, nec non frequentiori hunc in locum secessu palam esse voluit, quantum sibi regalium curarum inter spinas lilium Romualdini candoris placeret, quantum silentiariæ auræ loquacibus præstarent aulis, nec tamen viator credas liberæ vocis odio principem nostrum silentium hoc adamasse, disce desertum esse disertum, ubi aut Deus homini, aut internus homo sibi libere, remoto externo, loquitur. Hujus itaque sacri deserti non modo fundatori benefico, sed & commoratori pacifico taciturna gratitudo familiæ sancti Romualdi altiores in corde, quam in hac tabula sculpsit characteres nunquam morituros, Amydarum fato coram Deo recordationis: Anno salutis millesimo sexcentesimo quadragesimo-primo.*

XXXI. Piorum eremitarum Coronensium transitus.

OPINIONE sanctitatis ad Deum transiit hoc anno in eremo sancti Petri de Ancona Bernardus Burgundus, qui anno 1600. vigesima-quinta januarii eremiticam professionem emiserat apud Montem-coronam. Reliquit in bibliotheca Coronensi expositionem ms. in psalmos, libellum piarum precationum, aliaque sacra opuscula.

In abbatia autem sancti Salvatoris Montis-coronæ die septima aprilis ad

ANN. CHR. 1640.

ad æternam requiem evolavit frater Raphael laicus a Presciano Asculi in Piceno natus, qui professus fuerat in eremo Coronatæ die XXII. julii anni 1615. Fidem excedit, quanta caritatis & misericordiæ, præsertim in pauperes, virtute excelleret; adeoque ei data fuerat a superioribus plenaria facultas disponendi de rebus eremi in levamen pauperum. Gregorii Urbevetani sacerdotis eremitæ dolorem iliorum momento curavit. Spe contra spem credens, Deique providentia fretus ad sublevandam indigentiam cujusdam parochi, piscem mirabiliter a Deo obtinuit, quem etiam post aliquot dies marcidum jam creditum, vitalem adhuc reperiit, perinde ac recenter fuisset ab aquis abstractus.

ANN. CHR. 1641. XXXII. Monumenta aliquot collecta.

PETRUS Victorius Herculanius Longiani in agro Ariminensi natus, monasticen in cœnobio Classensi sub Vincentio Platea Faventino abbate professus, mox ejusdem monasterii abbas annis 1615. 1616. 1617. edidit hoc anno Foro-livii typis Cimmatiorum vitam sancti Romualdi, additis literis nuncupatoriis ad Thaddæum Tertium abbatem generalem, & etiam catalogum abbatum generalium usque ad annum 1639. Decreta quoque synodi diœcesanæ jurisdictionis Ravennianæ, quæ olim abbatum Classensium erat, impressit. Herculanio Horatius Tedeschius carmina Innocentii Britonoriensis monachi dicavit.

Societas sanctissimi Crucifixi erecta in ecclesia sancti Vitalis de Pergula concedit eamdem sancti Vitalis ecclesiam monachis Avellanensibus pro ædificando prope ipsam monasterio incolendo ab iisdem monachis cum redditibus aliquot prædiorum ejusdem confratriæ, & cum assignatione capellæ sanctissimæ Ascensionis villæ de Giafoglietto. Ex tabulario sancti Romualdi de Urbe [a].

[a] *Fasc. II. 59.*

Andreas Vallemanius monachus Camaldulensis S. Th. D. sub testimonio Mauritii Cremonensis abbatis sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, & Gabrielis Giupponii visitatoris synopsim exscripsit hoc anno sacri cymelii, quod reperiit ad altare sacrarii ejusdem abbatiæ, ubi præter eximias sacras reliquias, & nobilissima ornamenta antiquitatis vexillum insigne erat Emmanuelis imperatoris, quod illustravimus ad annum 1180.

Inscriptio in veteri ecclesia sancti Gregorii de Urbe. *D.O.M. Galeatio Sancto-vitali patritio Parmensi Barii archiepiscopo, cameræ apostolicæ clerico, & sanctissimi D. N. Gregorii XV. domus præfecto, Antoniæque Sancto-vitali Aurelii ab Armis Senatoris Bononiensis uxori, Ugo nepos Alexandri Sancti-vitalis & Margaritæ Rubeæ Parmensis jugalium Fontanellati comitum filius, nec non suis & sibi monumentum posuit* M.DC.XXXXI. Aliam eidem Galeatio Hugo nepos ampliorem inscriptionem exornavit post biennium, quæ est hujusmodi: *D.O.M. Galeatio San-vitali ex Aloysio San-vitale & Corona Somalea Fontanellati Comitibus genito, Barii archiepiscopo & cameræ apostolicæ clerico, cui cum summam generis claritudinem sors & natura tribuissent, ipse animum virtutibus adeo excoluit, ut de principatu utraque decora decertarent. Propterea a Sixto V. usque ad Gregorii tempora* XV. *a quo Vaticanæ regendæ domui præfectus est, pontificum animos obsequio, aulam officio detinuit, cunctos ordines sui admiratione possedit, etenim amplissimis muneribus perfunctus post clarissimas præfecturas sanctissime administratas, aquas etiam Alseatinas Paulo V. rerum potiente summa diligentia summisque laboribus longo itinere ad Janiculi jugum perduxit, itaque majorum rerum semper capax, & sæpius purpuræ destinatus, quo tandem propior, eo longinquior in obitu factus ad celsiorem solidioremque apicem evolavit in cœlum sexto idus septembris an-* no

no ætatis LVIII. *salutis* M. DC. XXII. *eo relicto sui desiderio , ut quod antea contigerat nemini , apostolicæ cameræ clerici collegæ optimo publice parentaverint . Hugo San-vitalis comes patruo eximio & pluribus titulis egregiè merito memoris hoc addictique animi monumentum P. anno a partu Deiparæ* M. DC. XLIII.

Ann. Chr. 1641.

Ann. Chr. 1642. XXXIII. Eremitæ Pedemontani dissolvunt unionem cum Coronensibus.

CUM Taurinenses eremitæ conquererentur unionem suæ parvæ congregationis cum congregationibus eremitarum Camalduli Etruriæ & Monte-coronensium ultroneam non fuisse, ac plura damna attulisse tum prærogativis & privilegiis regiæ illius eremi, tum statui rei œconomicæ, tum demum eorum quieti, animadvertentes etiam Octavium Asinarium electum in procuratorem anno 1633. excessisse fines mandati, quod acceperat , & confirmationem apostolicæ sedis de subreptionis vitio posse notari , confugerunt ad Christinam Sabaudiæ ducissam uxorem defuncti Victorii Amadei I. & matrem ac tutricem principis & ducis Caroli-emmanuelis II. cujus opera, auditis prius consultationibus insignium doctorum, præpositi Taroni, Philiberti Cacherani consiliarii & advocati generalis, Laurentii Nomii senatoris ducalis, & Julii Cæsaris-Antonii Manasterii, rescissa fuit unio, restitutæque veteres prærogativæ eremo Taurinensi . Scripsit scilicet die XI. maji hujus anni Christina eremitis Taurinensibus, ut ad normam horum consultorum jura omnia & prærogativas restituerent in regia eremo fundata a socero suo Carolo-emmanuele I. perinde ac nulla intercessisset unio cum Coronensibus. Quare exinde Taurinenses sua capitula congregarunt absque Coronensium dependentia , & inter cetera statuere, ut promoveretur ædificatio eremi Bellimontis prope Buscam, & interea derelinqueretur illa eremi Clarasci , contra id, quod decretum fuerat in capitulo Camalduli-majoris anno 1636. in quo præcepta fuerat prosequutio eremi Clarasci, omissa altera Bellimontanæ eremi . Reassumpserunt pariter Taurinenses usum & exercitium pontificalium , sigillum quoque calicis cum duabus columbis; notamque fecerunt eam mutationem cardinali Camporeo protectori, cui etiam transmiserunt scripta comprobantia nullitatem unionis. Paulopost idipsum fecerunt Camaldulenses Etruriæ se separantes a Coronensibus , ac utraque separata congregatio renuit accedere ad capitulum generale Tusculi indictum, in quo iterum tractare malebant Coronenses negotium controversæ unionis.

Ad hunc annum pertinet nova fundatio a Gallicana congregatione eremitarum Camaldulensium facta in *Gros-bois*, qui locus tunc appellabatur *le Bouvron* , distabatque quatuor leucis ab urbe Parisiorum. Fundator ipsius eremi fuit Carolus Valesius dux Engolismensis , Par Franciæ, & comes Arverniæ & Ponthieu. Ecclesia dicata fuit sancto Johanni-baptistæ. Franciscus Gondius archiepiscopus Parisinus hoc ipso anno XVIII. martii consensit, ut e *Monterì* , ubi ante biennium eremitæ se receperant, in desertum locum *le Bouvron* transferrentur, & post biennium patentibus literis fundationem approbavit Ludovicus XIII. Galliarum rex, quæ exscriptæ fuere in Parlamenti Parisini actis [a].

a *Gallia Christiana T. VII. col.* 176.

XXIV. De B. Luciæ a Stiphonte translatione.

DIE octava junii hujus anni sub Dorothea Leonia abbatissa sanctæ Christinæ de Fundatia Bononiæ anno XIX. pontificatus Urbani papæ VIII. translatum fuit corpus beatæ Luciæ a Stifonte monialis Camaldulensis, quod erat super altare ecclesiæ sancti Andreæ de Ozano ad capellam lateralem erectam in ejus honorem, & eadem translationis occasione deducta fuere plura ossa hujus sacri corporis Bononiam in monasterium sanctæ Christinæ,

ANN. CHR. 1642.

næ, ubi repositæ fuerunt in ecclesia cum hac inscriptione: *Pars corporis beatæ Luciæ virginis Stiphuntinæ ex primariis primæ mulieribus, quæ moniales Camaldulenses instituere*, 1642. Præter ea, quæ de beata Lucia, ejusque sacri corporis cultu diximus sub aliis annis, in actibus visitationis Alphonsi Pallæotti archiepiscopi Bononiensis, quam instituit in ecclesia sancti Andreæ de Ozano die XXIX. julii anni 1599. legitur: *Super dictum altare adest sepultura macinea, in qua ajunt requiescere corpus beatæ Luciæ monachæ ordinis Camaldulensis*. In aliis actibus cardinalis archiepiscopi Hieronymi Columnæ anno 1633. sub die XXI. septembris habetur: *Item corpus, ut dicunt, cujusdam beatæ Luciæ conditum in capsula lignea inclusa in monumento ex lapide molari super altare majus sito*. Sequuntur post has memorias aliquot miracula ejusdem beatæ Luciæ, quibus visum restituit anno 1635. cuidam puellæ, & anno 1634. Francisco Florio civi Bononiensi, adjungenda ceteris miraculis, quæ sub aliis annis retulimus.

Beneficium curatum sancti Petri de Scorzano unitum olim a Paulo V. monasterio sanctæ Crucis de Saxo-ferrato, resignatur a Francisco Salvio sacerdote Saxo-ferratensi congregationi Camaldulensi, quæ ipsum beneficium recepit, & abbatiæ Saxo-ferratensi univit.

In ædibus sancti Romualdi de Urbe præside Johanne-baptista Lomellino, utriusque Signaturæ referendario & generali Thesaurario, qui ob mortem cardinalis Lælii Bisciæ vice-protectionis munere fungebatur, habitum fuit capitulum generale congregationis, in quo confirmatus fuit ad aliud triennium in abbatem generalem Thaddæus Tertius, accedente etiam brevi apostolico.

ANN. CHR. 1643. XXXV. Aliquot monasteriorum ad tempus suppressio.

PRIDIE nonas februarii obiit nonagenario major Petrus Camporeus S. R. E. cardinalis episcopus Cremonensis & ordinis Camaldulensis beneficentissimus patronus; Urbanus VIII. suo brevi XX. aprilis constituit in ejusdem ordinis protectorem Aloysium Capponium Florentinum archiepiscopum Ravennatem tituli sancti Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem, qui etiam tamquam præses interfuit dietæ habitæ die XXV. aprilis in urbe Ravenna. In ea dieta cum congregatio Camaldulensis multo ære alieno pro supportandis diversis oneribus cameralibus & aliis gravaminibus publicis contracto obstricta reperiretur, & ab aliquot annis citra ob varia impedimenta, ratas pecuniarum tangentes monasteria provinciæ Venetæ exigere non potuisset, proptereaque capsa publica in alma Urbe assignationibus multorum millium scutorum destituta remansisset, patres inibi congregati, ut necessitatibus hujusmodi providerent, & ut monasteria aliarum provinciarum & præsertim status ecclesiastici a periculis, quibus eapropter illa subjacuissent, liberarent, de consensu ejusdem cardinalis infrascripta decreta ediderunt, videlicet, ut mitterentur Venetias Clemens de Æsio abbas & procurator generalis, ac Theodorus Soldati abbas sancti Severi de Perusio ad exigendas a monasteriis & ab abbatibus Venetis pecunias debitas, qui, si opus foret, non solum agerent cum monachis, sed cum illustrissimis eorum protectoribus, & etiam cum serenissimo duce & collegio, ac ostenderent hoc æs alienum a congregatione fuisse contractum ob causas toti orbi Christiano utiles, nempe contra Turcas aut hæreticos. Si exactio suum effectum non sortiretur, cum necesse foret creditoribus satisfacere, & monasteria provinciarum Thusciæ, Romandiolæ & Marchiæ Piceni ita gravata essent, ut nulla ratione possent

ANN. CHR. 1643.

ſent Venetorum onera ſubire, quod facerent, ſi poſſent, idcirco decreverunt iidem patres ſummo pontifici Urbano VIII. eo caſu ſupplicandum, ut liceret ex tribus provinciis tot monachos dimittere, quorum alimenta ſatis forent ad debita jam maturata ſolvenda, & ad redimendos cenſus, quibus congregatio gravabatur, & deinde illos in eaſdem provincias revocare. Et quia ſi in omnibus monaſteriis familia diminueretur, Dei cultus, & congregationis decus aliquod detrimentum paterentur, ſtatuerunt in unaquaque provincia vacationem unius monaſterii uſque ad extinctionem debiti, in marchia quidem Anconitana aſſignarunt monaſterium ſanctæ Crucis Fontis-avellanæ, in Romandiola monaſterium ſanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, in Thuſcia monaſterium ſanctæ Mariæ de Vertilio extra muros Montis-ſancti-Sabini, claudenda ad tempus. Quia vero in cœnobio Fontis-avellanæ tirocinium tunc vacaret, transferendum ipſum duxerunt ad cœnobium ſancti Blaſii de Fabriano, ubi oſſa ſancti patriarchæ Romualdi quieſcunt. In exequutionem commiſſionum prædictarum Clemens procurator generalis, & Theodorus abbas Venetias ſe contulerunt, ſed cum incaſſum recidiſſet eorum quæcumque adhibita diligentia pro exigendis pecuniis, re infecta redierunt. Quare congregatio Camaldulenſis confugium habuit ad Romanum pontificem, ut decretum in dieta efformatum robore apoſtolicæ firmitatis muniret. Indulſit itaque Urbanus VIII. die XIV. novembris pontificatus ſui anno XXI. ut præfata monaſteria in tribus provinciis Anconitana, Romandiolæ & Thuſciæ ad aliquot tempus familia monaſtica deſtituerentur, ac ipſorum bona converterentur in extinctionem debitorum congregationis Camaldulenſis. Novitiatus etiam ex cœnobio Fontis-avellanæ translatus eſt ad illud ſancti Blaſii proviſorio modo, ita nimirum, ut quicumque in hoc poſtremo profeſſionem emitterent, haberentur in omnibus & per omnia tamquam profeſſi monaſterii Avellanenſis.

Præceperunt etiam iidem patres Andreæ abbati ſancti Blaſii de Fabriano, ut ad inſtantiam priorum populi Fabrianenſis novas picturas in eadem recens ædificata ſancti Blaſii eccleſia elaborari faceret.

Aliud extat Urbani VIII. breve die XXVIII. novembris pontificatus ſui XXI. pro eremitis Coronenſibus, ne provincia eccleſiaſtica præ ceteris gravetur, ſed unaquæque provincia pro rata concurrat ad ſolvendas expenſas pro manutentione procuratoris generalis in curia Romana, & pro viatico Majoris & viſitatorum; præcipiens redditus Canonicæ Tudertinæ, & monaſterii loci Montis-fortini in provincia Marchiæ pro ſola provincia eccleſiaſtica deinceps in ſubventionem pauperum eremorum ejus provinciæ debere diſtribui, & non pro aliis provinciarum Venetæ, Etruſcæ & Neapolitanæ eremis. Procuratori autem generali aſſignat redditus eccleſiæ ſancti Leonardi in via Lungaria in Urbe, vetans capitulis generalibus, ne bona eccleſiaſticæ provinciæ diſpergant in uſus eremorum ceterarum provinciarum.

XXXVI. Rejecta fundatio eremi prope Salodium.

REPUDIATA fuit hoc anno ab iiſdem Coronenſibus eremitis fundatio eremi ſuper ripam lacus Benacenſis ad Salodium, oblata a communitate Tignali cum monte & cum eccleſia dicata beatæ Mariæ virgini de Monte-caſtello in Brixienſi territorio, diœceſi autem Tridentina, eo quod locus exhibitus, cujus viſitandi gratia miſſus fuerat Anſelmus Martinengus eremita, propter montis anguſtiam, defectum lignorum, atque ob alia incommoda aptus non eſſet ſolitariæ eremo; quare gratiis actis communitati, & revocatis patribus, qui deſtinati fuerant pro habendo tractatu,

Ann. Chr. 1643.

ctatu, de alibi fundanda in eodem territorio eremitarum colonia captum fuit consilium.

Monasterio sancti Michaelis de Pisis unita fuit ecclesia Visitationis beatæ virginis Mariæ sita in terra Rivi insulæ Iluæ, quæ donata fuerat ab antianis dictæ terræ, & a congregatione Camaldulensi acceptata. Eidem monasterio assignata quoque fuere bona abbatiæ insulæ Montis-christi pro ipsorum recuperatione.

XXXVII. Proposita editio Psalterii S. Romualdi.

Magister Johannes Fananus inquisitor generalis Florentiæ proposuit eremitis Camaldulensibus Etruriæ publicationem psalterii sancti Romualdi, quod inter cimelia ecclesiæ eremi sancte custoditur. Idipsum epistola sua proposuit annis sequentibus dux Engolismensis, seque paratum exhibuit ad expensas ferendas ejusdem editionis, quam curare cupiebat Paulus Taurinensis eremita. Paulus, qui multoties fuerat Major ejus congregationis, res historicas ordinis ulterius colligebat, quas transmittebat ad Gabrielem Giupponium abbatem & visitatorem congregationis monachorum Camaldulensium hoc & sequentibus annis. Etiam Gregorius Urbevetanus eremita Coronensis anno 1636. gratulatus est Paulo, quod adornare vellet editionem psalterii sancti Romualdi. Nil tamen factum. Recentioribus temporibus sub Clemente XI. Romano pontifice reassumpta est opinio publici juris faciendi idem venerandæ antiquitatis monumentum. Extat exemplar eo tempore confectum & exscriptum, una cum præfixis epistolis ejusdem Romani pontificis, & Cosmi III. Magni-ducis Etruriæ, sed publicæ luci minime datum est. Consulantur, quæ diximus tomo primo Annalium nostrorum, in quo etiam specimen dedimus ejusdem expositionis.

Obiit Petrus-victorius Herculanius a Longiano Ariminensis diœcesis, qui pluribus monasteriis præfuerat, & etiam anno 1628. visitatoris munus gesserat in congregatione Camaldulensi.

XXXVIII. Inscriptio Lælii Guidiccionii ad S. Gregorium de Urbe.

Ad altare sanctissimi Crucifixi in ecclesia sancti Gregorii de Urbe prostat sequens sepulcralis inscriptio: *D. O. M. Lælio Guidiccionio Patricio Lucensi basilicæ Liberianæ canonico, qui transmissam sibi a majoribus virtutis & doctrinæ laudem, reique ecclesiasticæ cultum posteris ipse ad exemplum constantissime expressit, literariis æquæ atque aulicis ornamentis purpuratorum principum summorumque pontificum familiaritatem ac benevolentiam promeritus, iis proinde religione summa ac pietate adauctis vitæ exitum integerrime traductæ persancte coronavit, universa re familiari distributa in pios usus testamento legata, hæredibus potissimum scriptis sanctæ Euphemiæ puellis, & quo certa in spe resurgendi una requiescerent, suos hic ad patrui, quem mirifice dilexerat, cineres, apponi mandavit. Obiit* VIII. *idus julii anno Domini* M. DC. XLIII. *ætatis* LXI. *Julius Sacchettus, Franciscus & Antonius Barberini S.R.E. cardinales testamenti executores PP.* Ad rem facit, quod de eodem Lælio Guidiccionio scribebat ante triennium anno 1640. Michael Losanna in memorabilibus sui temporis. „ Verum, inquit, occasione hujus trigesimi sancti Gregorii, triginta nimirum Missarum non interpolatarum pro aliquo defuncto celebratarum „ sequentibus triginta diebus, occurrit mihi miraculum in hac re paucis „ ab hinc annis consequutum, narrare. Nobilissimus vir natione Lucensis, qui patruum in hac nostra ecclesia prope altare Sanctissimi Crucifixi sepultum habebat, pro cujus anima in dicta ecclesia quolibet „ mense duæ missæ celebrantur, uti hæres in patruum caritatem habebat, & qui dignitate sacerdotali fulgebat, pluries statuit pro ejus ani-

„ ma

„ ma in hac ecclesia trigesimum celebrare, sed negotiis & occupationi-
„ bus semper prohibitus fuit; tandem licet infirma esset valetudine, &
„ in ætate gravi, non parvo labore, Deo faciente, suæ caritati satisfe-
„ cit, celebrando triginta Missas ad altare sanctissimi Crucifixi. Hic li-
„ cet pro anima ejus patrui celebraret Missas, in Memento tamen defun-
„ ctorum, ut in aliis Missis facere consueverat, in eorum memoria or-
„ dinate procedebat: prius enim alterius patrui cardinalis, ac avorum,
„ qui longe antea defuncti erant, nomen habebat, licet pro hoc patruo
„ sacrificium offerret, sed dum trigesimam & ultimam Missam celebra-
„ ret, dum pro defunctis in Memento orare vellet, aperte sensit se vo-
„ cari a defuncto patruo, pro cujus anima sacrificium celebrabat. Hac
„ audita voce quasi perterritus, sed simul animatus dixit intra se: Non
„ est hic hujus loci, & volens iterum defunctorum suorum memoriam
„ reassumere, aliam audivit vocem patruum defunctum vocantem; ille ite-
„ rum perterritus & animatus volens, ut consueverat, orare, tertio
„ vocem audivit patruum vocantem, & ad hanc tertiam vocem coactus
„ fuit oculos ad cœlum attollere, & nesciens, an in se esset, an a sen-
„ sibus abstractus, hoc unum sciebat, quod tunc vidit animam sui pa-
„ trui cœli secreta penetrare, & vidit gloriam Dei & Angelos, & ut
„ ipse mihi narravit, vidit, quæ non licet homini loqui, unde ipse pro
„ certo habuit, quod anima ejus patrui, postquam viginti & pluribus
„ annis flammis purgatorii addicta fuit, precibus sancti Gregorii in illa
„ trigesima Missa a flammis purgatorii liberata est. Unde ipse non sine
„ lacrymis & non sine peculiari Dei auxilio potuit Missam perficere, &
„ non sine lacrymis narrat misericordiam Dei & gratiam, quam patruo
„ & ipsi facere dignatus est, qui cum sit vir timoratæ conscientiæ, nec
„ levitate, nec vanitate motus, sed pro Dei & sancti Gregorii gloria a
„ me scripta narravit, illi fides certe habenda est, qui etiam cum mul-
„ tis viris probis ac timore Dei cumulatis, nec non cum aliquibus
„ S. R. E. præsulibus gratiam participavit, omnes illi crediderunt, om-
„ nesque gratias Deo egerunt, qui meritis sancti Gregorii voluit, ut
„ quælibet anima in purgatorio detenta Missis triginta in hac ecclesia ce-
„ lebratis ab illis pœnis certissime liberetur. Et hæc fuit eorum omnium
„ opinio, & erga hanc ecclesiam devotio propagata est." Cardinalis Bartholomæus Guidiccionius obierat anno 1549. Alexander Guidiccionius episcopus Lucensis senior anno 1605. Alexander episcopus junior dictus anno 1637. sed hi sepulcri honorem habuerant in cathedrali Lucensi; alter proinde Lælii Guidiccionii patruus sepultus ad altare Crucifixi in ecclesia sancti Gregorii de Urbe hic indigitatur.

Cum Scipio cardinalis Burghesius commendatarius dicti monasterii sancti Gregorii de Urbe ad majorem ornatum ecclesiæ Gregorianæ, demolitis prius omnibus ædificiis partis anterioris dictæ ecclesiæ, dirutoque penitus vetери claustro & area novum ædificium cum fronte & parte anteriori ex Tiburtino lapide & circum circa peristylium, ac super illud diversas habitationes fabricari fecisset, verum morte præventus ædificium perficere non potuisset; & subinde Petrus-maria sancti Chrysogoni diaconus cardinalis Burghesius ejus nepos, itidem commendatarius dicti monasterii consignasset eamdem fabricam priori & monachis sancti Gregorii, ut eam expensis monasterii perficerent, & unirent cum parte anteriori ecclesiæ, ubi existit chorus, ac duo ambulacra ad summitatem dictæ fabricæ ædificarent, iidem prior & monachi confugerunt ad Romanum pontificem Urbanum VIII. qui XVIII. februarii hujus anni pontificatus sui anno XXI.

robore

Ann. Chr. 1643.

robore apostolico communivit præfatam consignationem. Eo ipso anno xv. junii e vivis excessit ipse cardinalis commendatarius Petrus-maria.

Ann. Chr. 1644.

XXXIX. Aliquot Coronensium obitus.

Obdormivit in Domino in abbatia sancti Salvatoris Montis-coronæ die xxvii. junii hujus anni frater Angelus a Rocca-contrada diœcesis Senogalliensis professus ab anno 1606. vir summæ simplicitatis, & admirandæ caritatis, obnoxius insuper gravissimis dæmonum infestationibus. Pluries nocturnis in vigiliis tentator ad lectulum ipsius accedebat, cui ipse imperterritus, quid a me petis? ajebat. Si vis mecum quiescere, locum dabo, seque ad lectuli alteram oram retrahebat. Ille vero super genua ita gravabat, ut mons suppositus videretur. Hoc ipsum legitur de sancto parente Romualdo. Aliquando etiam, quia sanctus eremita Deiparam impensius colebat, dicebat diabolus: Blasphema in Virginem; cui iste: Absit hoc a me, tuum est hoc, qui & matrem, & filium odio habes, ego vero gratiis favoribusque innumeris cumulatus a Virgine, ab ejus laudibus nunquam cessabo. Addebat ad verba virulentus inimicus & minas, nec se desiturum subjungebat usque ad mortem, nisi Virginem injuriis & contumeliis affecisset, cui eremita repetere solitus erat: Laudabo, benedicamque illi in æternum, tuis non deterreor minis. Si Deus dat, occide, en paratus sum, & si millies morerer, millies illam laudabo. Hæc exscripta fuere ex antiquo codice eremi Cryptarum Massaccii.

Alter vigesima-prima martii decessit eremita Coronensis Alexander Secchius civis Venetus professus in eremo Rhuensi ab anno 1596. prima novembris. Fuit unus ex primis fundatoribus eremorum Vicetinæ & Tusculanæ. Præter peritiam artis architectonicæ, scriptam reliquit literalem expositionem super evangelium Matthæi, aliaque opuscula spiritualia.

Seraphinus Pace Pisaurensis monachus Camaldulensis Romæ edidit apud Johannem-baptistam Robellettum, & cardinali Julio Roma nuncupavit libellum, cui titulus: *Modo di recitare e di contemplare la Corona del Signore con alcune divote orazioni alla santissima Vergine & a Santi*. Adest de auctoris laudibus ode Italica Johannis-mariæ Consolini abbatis Cryptæ-ferratæ ordinis sancti Basilii. Obiit Seraphinus, dum regeret monasterium sancti Gregorii de Urbe anno 1656.

Vigesima-septima januarii pontificatus anno xxi. decrevit brevi suo Urbanus VIII. ut eremitæ Coronenses non transferrentur de provincia in provinciam, pro servanda æqualitate, & ne una provincia super alteram prægravaretur; statuit autem id fieri non debere, nisi accedente suffragio omnium definitorum capituli, vel extra capitulum, nisi concurrentibus Majore & visitatoribus omnium provinciarum.

XL. Translatio reliquiarum S. Petri Urseoli.

Translatio reliquiarum sancti Petri Urseoli ad altare novum ipsius nomini consecratum in ecclesia sancti Michaelis de Cuxano facta fuit ab abbate ejus loci die sexta decembris hujus anni, ut legitur in ampliore Petri Urseoli vita a Grandio concinnata, ubi refertur scriptura reperta in capsa lignea aurata: *Ego frater Michael Salabardengia & Canovira Dei gratia abbas hujus monasterii sancti Michaelis de Cuixa præsentes reliquias meis propriis manibus ex theca vetustissima & perantiqua in hanc novam transtuli, quæ quidem reliquiæ sunt gloriosi corporis sancti Petri Urseoli ducis Veneti & regis Dalmatiæ, quondam monachi hujus cœnobii*. In ipso altari depingitur sanctus Petrus Urseolus genibus flexis ad pedes sancti Romualdi stantis, a quo monachalem habitum recipit; post tergum beati Petri patent chlamys atque thiara ducalis Venetorum,

Ann. Chr. 1644.

torum, super caput autem ipsius conspicitur in nubibus scala ad cœlum protensa, per quam angelus unus ascendit facie ad scalam, & angelus alter descendit facie ad populum. Crux abbatialis dependet ex collo sancti Romualdi, qui & habet aureolam in capite, ad distinctionem sancti Petri Urseoli, qui exhibitus in actu pœnitentiæ aureolam patentem non habet.

Ann. Chr. 1645.
XLI.
Fundatio eremi S. Clementis prope Venetias.

JAm ab anno 1522. oblata fuerat beato Paulo Justiniano Veneto eremitæ Camaldulensi insula Pupiliæ ad fundandam in patria coloniam eremitarum suæ novæ congregationis, quæ donatio in irritum cessit, tum intercedente morte Pauli, tum quia nullus exinde fuit, qui negotium urgeret. Anno 1537. in collibus Euganeis Venetorum prope Patavium civium favore erecta fuerat solitudo Rhuensis, ex qua profluxerat eremus Vicetina, paulopost altera Brixiensis, ut suis annis vidimus, neque tamen in patrio solo Justiniani, urbe profecto piissima & ordinum regularium studiosissima, sedem adhuc posuerant iidem eremitæ. Rainerius Zeno divi Marci procurator, impellente Tito eremita Rhuense ejus fratre, proposuerat insulam sancti Lazari, inde etiam illam sancti Servuli parum distantis ab urbe Venetiarum anno 1624. sicut etiam læmocomium sanctæ Mariæ a Nazareth. Verum incassum cedentibus ejus studiis, & per triennium dumtaxat in insula sancti Servuli moram trahentibus eremitis Camalduli-majoris Etruriæ, reservata erat ad hunc annum traditio insulæ & ecclesiæ sancti martyris Clementis milliario dissita a Veneta urbe. Non injucundum erit ab origine historiam hujus donationis texere. Franciscus Lazaronus plebanus ecclesiæ parœcialis sancti Angeli de Venetiis, & vicarius generalis patriarchæ Venetiarum tempore pestis anni 1630. voto se adstrinxerat visitandi sacram ædem Lauretanam. Præpeditus publicis officiis & negotiis votum exsolvere cum nequiret, imaginem beatæ Mariæ virginis ex cypresso ad similitudinem Lauretanæ elaborari fecit, statuitque sacræ domus simulacrum ædificare intra parœcialem ecclesiam suam. Situ loci simulacrum non excipiente, neque annuentibus ejus clericis suscipere onus canendi quolibet sabbato completorium & litanias Virginis, imaginem detulit ad pium hospitale sancti Lazari Mendicantium, decernens condere in area pone altare majus oratorium in beatæ Virginis honorem. Gubernatores pii loci Lazaroni religiosum votum excepere, sed dum de capacitate & spatio situs litigatur, clerici regulares Theatini proponunt propriam sancti Nicolai ædem sacram tanquam commodiorem ad tale ædificium. Verum dum parum absimiles occurrunt difficultates etiam in postrema ecclesia, Lazaronus animum suum intendit ad insulam & ecclesiam sancti Clementis. Possidebatur tunc hæc ecclesia a canonicis Lateranensibus sanctæ Mariæ de Caritate Venetiarum, qui petitioni pii plebani benigne annuerunt instrumento condito die undecima septembris anni 1643. permittentes scilicet ædificium sacelli ad instar Lauretanæ domus in dicta sancti Clementis ecclesia. Nonnullis firmatis statutis pro negotii exequutione, Lazaronus, nulla interposita mora, fundamenta jacit sacræ domus, primum lapidem ponente Jacobo-antonio Cornario abbate Lateranense sanctæ Mariæ de Caritate die nona aprilis anni sequentis. Interea advenerat Venetias Andreas Mocenigo piissimus eremita Rhuensis, ut locum aptum ex mandato suorum majorum seligeret ad condendam in urbe vel in insulis Venetiarum novam eremum. Cum ipso agit & multa miscet plebanus: nec plura; statuunt ambo concorditer emere a canonicis insulam

Ann. Chr. 1645.

præfatam, qui determinato venditionis pretio exorant Senatus Veneti religionem pro facultate vendendi plebano ementi pro eremitis Camaldulensibus dictam sancti Clementis ecclesiam. Annuit eorum postulatis Senatus Venetus die secunda septembris hujus anni 1645. nomineque congregationis eremiticæ Coronensis capitur die quarta novembris possessio loci. Duodecim cellas ære proprio construi statim mandavit Rainerius Zeno eques & Marcianæ ædis procurator, cujus frater Titus primus eremi prior instituitur, qui cum oblata hactenus regimina constanter renuisset, libenter & alacriter pro congregationis bono munus hoc suscepit, primaque in patria invexit eremitici instituti rudimenta.

Ædificato interea ad instar Lauretanæ domus sumptuoso sacello, sacrisque muneribus ornato, de sacro Deiparæ simulacro ab ecclesia sanctæ Mariæ de Caritate ad novam ædem transferendo actum fuit, quod festivo sollemnique apparatu illatum est die sexta septembris sequentis anni 1646. sub Andrea Mocenico priore eremita Titi successore, plaudentibus universis urbis Venetiarum ordinibus, pompam etiam illustrante sua præsentia Venetiarum patriarcha Johanne-francisco Mauroceno. Cum vero ecclesia sancti Clementis occupata sacra domo noviter in ipsa invecta angustum frequentiori hominum concursui præberet locum, ad Orientem latiori spatio ipsam dilatare curarunt religiosissimi eremitæ, ac insuper Lauretanam domum ab exteriore parte selectioribus marmoribus convestierunt. Externum sancti Clementis templi prospectum ex Istriense lapide instrui mandavit Bernardus Maurocenus patritius Venetus, super quem hanc epigraphem incidi jussit: *Divino Numini sub divi Clementis nomine dicatam ædem fausto quidem omine Deiparæ matris clementiæ sacra Lauretanæ simili imagine ditatam, & cultum serenissimus senatus eremitis sanctorum Benedicti & Romualdi alumnis tribuendam statuit anno salutis* M.DC.XXXXV. *Ædem ministris sanctam, atque incolumem urbi dignitatem, imperium, pacem perpetuam, sinum puppibus tutum Clemens alme pontifex serva. Ast Christe rex Superum audi.*

Libenter hic subiicimus cetera nobilissimæ Maurocenæ familiæ elogia, quæ spectantur in hac ecclesia: *Francisco Mauroceno spectatæ virtutis ac consilii senatori, qui comparandæ prudentiæ magna orbis parte peragrata, patriæ redditus cum eadem integritate atque abstinentia, qua urbanos magistratus gesserat, Cretam provinciam administrasset, celsior onerariarum præfectus publicæ libertatis hostibus cæsis aut fugatis Hadriatici possessionem retinuit, magnaque familiaris rei jactura non semel affectus utramque fortunam moderate tulit. Demum Corcyræ anno seculari extinctus triste sui desiderium bonis omnibus reliquit, Christi nati* M. DC. XVIII.

Thomæ Mauroceno excelsi invictique animi viro, qui earumdem onerariarum ductor post obsessam ad Hellesponti fauces Turcicam classem, dum elapsam Cretæ finibus avertere studet casu in mediam sola prætoria delapsus circumfusam barbariem non diu modo sustinuit ac repulit, sed late edita mortalium ac navigiorum strage ipso purpurato interfecto, inter promptissimos dimicans, Deo ac patriæ spiritum impendit anno M.DC.XLVII.

Bernardus Maurocenus parenti ac fratri, cui in imperio suffectus est, optime meritis P. C.

Thomas & Bernardus Mauroceni fratres erant alterius Johannis Mauroceni eremitæ Rhuensis, adeoque summa religione colebant eosdem Camaldulenses eremitas, apud quos etiam Thomas quadraginta dies mansit voto suscipiendi ipsorum iustitutum, & ad experimentum faciendum eorum eremiticæ conversationis; sed impar austerissimæ vitæ perferendæ discessit.

Sepul-

ANN. CHR. 1645.

Sepulcralem lapidem in eadem ecclesia sancti Clementis habent Hieronymus Gradonicus episcopus Mandaurensis & Famaugustanus, patriarcha postea Aquilejensis, positum ejus memoriæ a Daniele Gradonico fratre; Sebastianus Baduarius cum hac epigraphe: *D. O. M.* M.DC.LXVIII. *Sebastianus Baduarius quondam Petri quondam Sebastiani natus* M. DC. II. *unus ex fundatoribus sanctæ domus devotissimus vivens cum hæredibus in hoc tumulo requiescent in Domino.* Franciscus Justinianus cum monumento: *Francisco Justiniano Lollino equiti omnium virtutum & gratiarum ornamentis ad immortalitatem expolito, quem oratorem Gallia per quadriennium est admirata, Hispania non diu aspexit, sed non minus suspexit, e cujus legatione ad cœlum evocatus obiit anno* M. DC. LX. *ætatis suæ* XXXV. *Paulus Justinianus fratri amantissimo nunquam satis desiderato P. Anno Domini* M. DC. LXVI.

Memoria dignum est ducem Venetiarum Franciscum Molinum primum lapidem posuisse in ea eremo pro cella construenda propriis sumptibus, quam piam actionem imitati fuere procuratores divi Marci Johannes Pisaurus, Rainerius Zenus, & Cornelius, aliique subinde nobilissimi viri. Hæc omnia excerpsimus ex ms. relatione Basilii a Schledo eremitæ Camaldulensis, qui omnia collegit ex epistolis & ex ore præfati plebani Lazaroni præcipui promotoris hujus operis, aliisque ex monumentis apud illum asservatis.

XLII. De Alberto Corradino pio eremita Rhuensi.

AD Deum transiit hoc anno die XXIV. decembris Albertus Corradinus olim JC. Patavinus & eremita Rhuensis ex monacho Camaldulensi, qui institutum eremiticum susceperat die VII. martii anni 1603. Quatuor vicibus electus fuit Major congregationis Coronensis annis 1614. 1615. 1619. 1625. obiit autem prior sancti Bernardi de Navazzone Brixiæ LXXIV. ætatis annum agens. Post quinque annos repertum fuit integrum ejus corpus cum capillis, barba, ceterisque partibus corruptioni magis obnoxiis, pectusque ipsius pulsatum resonabat ut cymbalum; quare in novo sarcophago fuit conditum, reliquitque post se plura consilia & sermones habitos, dum prælati munere fungeretur, libellumque piarum precationum. Professus est in eadem eremo Rhuensi hoc anno die quinta augusti Johannes-jacobus Azzo a Venetiis, cujus annus mortis ignoratur, qui meditationes super vitam Jesu-christi & tractatum orationis conscripsit.

XLIII. Capitulum Faventiæ celebratum.

IN capitulo congregationis monachorum Faventiæ habito electus fuit in abbatem generalem Clemens Mencarellius ab Æsio ex professione sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, in visitatores destinati Gabriel Giupponius Venetus, & Augustinus Melosius Romanus, hoc vero renuntiante Gregorius Maldentius Foro-liviensis. Actum fuit in eo capitulo de reunione assumenda eremitarum & monachorum, adeoque nominati abbates duo Maurus Cursius Florentinus & Gabriel Giupponius Venetus, qui Camaldulensem eremum adirent, & de ipsa tractarent, ad instantiam cardinalis Aloysii Capponii protectoris. Proposita quoque fuit unio cum congregatione monachorum Montis-virginis, quæ effectu caruit. Indictum est procuratori generali, ut curaret impetrare recitationem officii sancti parentis Romualdi feria IV. in hebdomada, non impedita alio officio. Oravit in comitiis Andreas Petrollinus monachus Fabrianensis, quæ oratio dicata Clementi novo abbati generali edita fuit Romæ hoc ipso anno.

Thomæ Vallabio abbati sanctæ Mariæ ad Carceres Idilium de sancto Romualdo nuncupavit Eusebius Liutus Veronensis monachus sancti Mi-

Ann. Chr. 1645.

chaelis de Muriano publici juris factum Venetiis. Togam monasticam induerat Eusebius anno 1620. & ipsius prostant alia vario metro carmina.

XLIV. Conventio cum pensionario sanctæ Catherinæ de Cremona.

Gregorius XIV. monachis Camaldulensibus tribuerat monasterium sanctorum Catharinæ & Romualdi de Cremona cum obligatione solvendi præposito seculari ad altare ejusdem ecclesiæ celebranti quingentos ducatos aureos. Cum autem tempore pestis anni 1630. valde diminuti fuissent redditus ejusdem monasterii, par non erat monasterium substentationi monachorum, & simul solvendæ pensioni. Lis itaque mota est inter Marcellum Sancta-crucium referendarium utriusque Signaturæ & præpositum hujus altaris, & inter abbatem generalem congregationis Camaldulensis, contendente illo non solum monasterium Cremonæ, sed totam congregationem ad pensionem solvendam devinciri. Ut aliquis locus foret compositioni, confugium habuit utraque pars ad cardinalem Aloysium Capponium protectorem ordinis, qui statuit, ut, apostolico interveniente beneplacito, cessaret in pensionario obligatio sacri quotidie peragendi ad ipsum altare, & congregatio onus assumeret Missæ quotidianæ, & quingenta scuta aurea reducerentur ad quingenta scuta argentea Romana. Confirmavit compositionem decreto suo apostolico Innocentius X. quarto kalendas februarii pontificatus sui anno II. anno nimirum sequenti.

Ann. Chr. 1646.

XLV. Titi Zeni eremitæ decessus.

Titus Zenus prior novæ eremi sancti Clementis Venetiarum vix sub finem anni præteriti humeros supposuerat regimini hujus eremi, ipso primo sui prioratus anno sanctissime obiit die V. junii hujus anni, perinde ac Deum exorasset, ut se dimitteret, postquam viderunt oculi ejus introductionem eremitici instituti in patria. Appositum ei fuit sequens sepulcrale elogium: *Tito Camaldulensi heremitæ gente Zenonia Veneta orto, nobilitate, moribus, doctrina insigni, religione, caritate, observantia claro, amore in patriam clarissimo, dum heremo sancti Clementis mira pietate institutæ incohatæ praeest, corpore dulcissimæ patriæ relicto æternam gloriam adipiscitur die quinta junii* M. DC. XLVI. *anno ætatis suæ* LXXIIII. *mense* II. *die* XX. *vitæ heremiticæ* XLIX. Cedit ad Titi gloriam, quod anno 1630. ad patriarchatum Venetum superabundantibus suffragiis fuerit postulatus, licet aliquot suffragiis superior electus remanserit cardinalis Fridericus Cornelius. Reliquit insuper plura a se conscripta opuscula theologica, inter cetera quæstionum librum in folio: *An eremitæ congregationis sancti Romualdi teneantur studere sacræ theologiæ?* Successit Tito in prioratu sancti Clementis Andreas Mocenico, inde locum rexerunt Silvanus Bosellus, Moyses Corradinus, Oddo Becellus aliique præstantissimi eremitæ, quos sæpius ob res præclare gestas memorabimus annis sequentibus. Adjungendus est Tito ejus frater Rainerius Zeno divi Marci procurator, qui nullam operam prætermisit, ut omni tempore benemereretur de omnibus congregationibus eremitarum Camaldulensium, sed præsertim Coronensium, in quorum manibus, sed potissimum Silvani Boselli præstantissimi & piissimi eremitæ, spiritum Deo tradere voluit.

Decessit etiam mense junio in monasterio sancti Michaelis de Muriano Aurelius Pellicantes Veronensis, qui bis fuerat congregationis monachorum Camaldulensium abbas generalis, & raro exemplo dignitatem dimiserat. Primum se receperat ad cœnobium sancti Johannis-baptistæ de Judaica, postremis autem annis ad illud sancti Michaelis, ubi morbis & corporis afflictationibus vexatus, ita serenam faciem, animumque tranquillum Deique voluntati conformem retinuit, ut non dubitaverit in

Memorabilibus sui temporis asserere Maurus Rugerius, ipsum fuisse patientiæ martyrem.

Ann. Chr. 1646.

XLVI. Aloysii Maffei professio in eremo Camaldulensi.

PROFESSIONEM emisit præsenti anno die XV. augusti assumptioni Mariæ virginis sacra in eremo Camaldulensi Carolus Maffei, dictus Aloysius in susceptione sacri habitus, quem induerat die XXI. junii anni præcedentis, cujus admirandam pœnitentiis virtutibusque plenam vitam scripsit Benedictus Falconcinius Volaterranus episcopus Arretinus, & in urbe Florentiæ in lucem protulit anno 1718. solidissimis fundamentis & testimoniis innixam, ex qua potiora delibabimus his inserenda annalibus. Natus est Carolus Lucæ die decima maji anni 1622. ex Andrea Maffei, & ex Blanca filia Cæsaris Bernardini nobilibus piissimisque patritiis Lucensibus. Fratres habuit Petrum, ex quo Blanca Theresia Maffei Bonvisia, cujus vitam concinnavit Antonius Bonnuccius ex S. J., Alexandrum clarum ob legationem ad regem Hispaniarum Philippum IV., Cæsarem, qui post secutam militiam congregationem Oratorii in Urbe ingressus est, & Josephum presbyterum S. J. scriptorem vitarum tum sancti Francisci Xaverii, tum Pauli Segneri. Carolus sub sanctæ matris disciplina institutus, quarto-decimo ætatis suæ anno fortuito casu enormem contraxit pedis dexteri claudicationem, itaut etiam post plura repetita professorum remedia, cogeretur ipse ob conversam deformiter plantam pedis terram calcare parte superiore ipsius pedis. Sed turpius claudicavit in via Domini duobus vel tribus annis juvenilis ætatis, & concupiscentiæ insanis motibus illectus, irrascibilis etiam partis dictamina sequens, donec repentina morte insignis viri excitatus a somno, ante oculos mentis continuam sibi mortis reminiscentiam proponens, pedetentim frænum apposuit vitiis. Decimo-nono ætatis anno in Urbem se contulit, ubi ejus frater Cæsar ipsi auctor fuit, ut curaret se cooptari inter prælatos Romanæ curiæ, sed Carolus solitudinis amator, mundi, honorum, voluptatum, & amicitiarum pertæsus, totum se Senecæ operum lectionibus addixit, virtutesque morales a Stoico philosopho addiscere unice studuit. Duobus annis speciosis exteriorum virtutum sorte & usu contentus vixit, sed feria sexta parasceves curiositate quadam adductus conferens se ad ecclesiam sancti Pauli extra Urbem, ibidemque orans ante Crucifixi imaginem, quem perhibent olim alloquutum fuisse cum sancta Birgitta, sensit ex improviso se mirabiliter ad vitam eremiticam capessendam tractum; quare accito in consiliarium Francisco Guinisio nobili ejusdem suæ patriæ viro, præposito tunc generali clericorum sanctæ Mariæ Curtis-landinæ, præmissaque ad ejus aures integra generali culparum expiatione, nil antiquius exinde & in votis habuit, quam divinæ vocationi sollicite morem gerere. In pauperes interea effusissimus uni eorum, quem in quodam itinere obvium habuit, triginta aureas duplas dono dedit, multa scutorum millia aliis distribuit, alia mille quingenta in patria unius mensis tempore manu parochorum erogavit, & demum testamento condito anno 1644. patrimonii sui pinguis hæredes ex asse pauperes instituit, deputatis in commissarios & exequutores postremæ suæ voluntatis ceteris fratribus. Suscepit postea piam peregrinationem ad sacram ædem Lauretanam, inde concito gradu ad eremum Montis-coronæ in Perusino agro convolavit, suppliciter expostulaturus sacrum religionis habitum. Et jam inter candidatos experimentum faciens, dum admitti per secreta suffragia flagitat, eo gradu doloris corripitur offensa ejus pedis planta, ut dolorem dissimulare amplius non valens, neque occultare pedis defectum potuerit. Quare peritorum manibus traditur, qui

ANN. CHR. 1646.

qui ingenue fassi sunt eum brevi tempore ineptum ad officia omnia evasurum, atque proinde summa omnium eremitarum, suique in primis displicentia dimissus fuit. Cum vero ex hac repulsa magis magisque accensum fuisset ejus desiderium eremiticam profitendi vitam, exactissime se subjecit curationi pedis; arrepto inde itinere Romam versus, tantum apud cardinalem Camaldulensium protectorem Aloysium Capponium institit, ut commendatitias ab eo literas reciperet ad Hieremiam Majorem eremi Camaldulensis Etruriæ. Quandoquidem vero ad certum tempus Urbanus VIII. pont. max. restrinxerat iis eremitis facultatem induendi novitios, nequit exprimi, quo dolore perculsus fuerit Carolus ob novam voti sui dilatam exequutionem. Literas itaque denuo Romam scripsit pro obtinenda facultate, & interim dum præstolatur propitium responsum, in proximo Vallis-umbrosæ monasterio per mensem se continuit, quingenta etiam ibidem pro sanctuario scuta donans. Sed moræ ulterioris impatiens post mensem iter aliud ad Urbem suscepit, ut ope ejusdem cardinalis concupitam a summo pontifice licentiam obtineret, quam remissam ad sacram congregationem episcoporum & regularium negotiis præpositam obtinuit una cum aliis sociis ejusdem vocationis sub die tertia maji anni 1645. In grati animi signum erga cardinalem Capponium mediatorem sui sancti præpositi, Caroli nomen in illud Aloysii die, qua sacrum habitum induit, mutavit. Cetera memorabiliora de Aloysio suis annis.

Eodem anno, quo Aloysius Massei in professorum eremitarum Camaldulensium numerum ingressus est, exiit e corporis ergastulo alter eremita Petrus-paulus Moraldi Partinensis, qui professionem emiserat die XXV. augusti anni 1639. Is humilitatis gratia ad sacrum presbyteratus officium promoveri renuit; de ipso quoque enuntiatur asperrima vitæ pœnitentia, & fidelissima regularum omnium observantia. Dum commorabatur in eremo sanctæ Theclæ urbis Januensis solitus erat in loco ecclesiæ remotiore barbam appendere clavo, tum ut facilius tentationes reprimeret, tum ut gravissimum dolorem Deo libaret, & obsessus a dæmone ferrum illud intuens horribiles ululatus edidit, declarans, quantum sibi pœnitentis eremitæ novi cruciatus genus displicentiam afferret.

XLVII. Monialibus S. Christinæ de Bononia interdicta omnis communio cum Camaldul.

POST mortem cardinalis Ludovici Ludovisii archiepiscopi Bononiensis tentarunt multoties moniales sanctæ Christinæ de Fundatia Bononiæ regredi ad regimen monachorum Camaldulensium. Re enim vera commendatitiis literis tum apud Urbanum VIII. tum apud Innocentium X. suam causam egerunt, bonaque verba retulerunt, ita ut sex mille libellarum Bononiensium pollicitæ fuissent numerationem iis, qui exitu felici rem complessent. Ipsi cardinalis Hieronymus Columna creatus archiepiscopus Bononiensis post Ludovisium, cardinalis Antonius Barberinus legatus belli contra Parmensem ducem, cardinalis Nicolaus Albergatus, qui cognomen Ludovisii assumpsit, archiepiscopus Bononiensis monialibus permissionem fecerant scribendi epistolas in Urbem, tum etiam omnem operam suam spoponderant pro illarum voto perfectioni mandando, sed interea adversus ipsas in Romana curia agebant, & a congregatione episcoporum & regularium decreta obtinuerunt, ne unquam moniales sanctæ Christinæ uti valerent confessario regulari, unum die XXX. augusti, alterum die XXIII. novembris anni antecedentis, cardinale Ginetto nomine congregationis ad archiepiscopum Bononiensem scribente, quorum decretorum vi vigesima-secunda martii hujus anni Nicolaus Ludovisius cardinalis archiepiscopus obedientiam monialibus imposuit, minasque intentavit, nisi confessarium ex presbyteris secularibus admit-

admitterent. Reluctantibus jussu ejusdem congregationis minitatus est ipsarum extinctionem, & dispersionem per varia monasteria urbis, cum expressa declaratione, ut solo necessitatis casu ipsis offerretur confessarius regularis, sed nunquam Camaldulensis. Ita præcisus fuit monialibus sanctæ Christinæ aditus ad recipiendam Camaldulensium communionem, quæ demum recentioribus annis est ipsis restituta.

Ann. Chr. 1646.

Proposita fuit altera etiam sub hoc anno unio congregationis monachorum Camaldulensium cum congregatione Montis-virginis, quæ tamen effectu caruit, ut contigerat temporibus præteritis.

Decretum est, ut locus tirocinii Fontis-avellanæ transferretur ad monasterium sanctæ Mariæ-angelorum de Pisauro, monachi vero Pisaurenses deducerentur ad monasterium Fontis-avellanæ.

Ann. Chr. 1647.

XLVIII. Fundationes propositæ eremitis Pedemontanis.

EREMITIS Taurinensibus propositæ fuerant circa hæc tempora fundationes duarum eremorum, altera fundatio in finibus urbis Bene, loco non admodum distanti ab eremo Clarasci, alia vero in finibus Ceresole Ternavas a dynasta de Ternavas, cum oblatione etiam prædiorum ad substentationem eremitarum; verum cum oblationes essent tenues, licet capitulum eremitarum Taurinensium pro iis fundationibus assignasset redditus provenientes ex hæreditate eorum, qui sacrum eremiticum habitum assumebant, consultius arbitrati sunt eas dimittere; neque enim mendicare contra instituta sua cupiebant eremitæ. Alia exhibita fuit ædificatio eremi anno sequenti prope urbem Cevam, quæ irrita ob eamdem causam evasit. Immo cum spatio plurium annorum oblationes & largitiones piorum virorum pro condenda eremo Clarasci non attingerent id, quod necessarium erat pro ea perficienda, e re sua duxerunt interrumpere & dimittere ad tempus etiam eam fundationem, præsertim cum locus situs esset in aere insalubri, aqua perennis desideraretur, terra esset sterilis, bona demum ipsius forent obnoxia injuriis & damnis militum Gallorum pallantium & grassantium. Quare pauci eremitæ, qui ibi residebant, non probante tamen, neque permittente capitulo Taurinensium, in abscondito domos & ecclesiam Clarasci dereliquerunt, secumque ad alteram Bellimontis prope Buscam eremum asportarunt prodigiosam imaginem beatæ Mariæ virginis, a qua populi innumeras obtinebant gratias. Locum & ecclesiam tradiderunt eremitæ, qui discedebant, urbi & communitati Clarasci; verum intra paucos annos non solum bona a vicinis occupata fuerunt, sed etiam demolita ædificia & ecclesia non parvo damno, ita ut lapides domus & ecclesiæ inservierint pro erectione arcus publici in ipsa urbe, silvæ & ligna ad reparationem aliorum ædificiorum, & unusquisque impune auferret quidquid ad manus veniebat. Post paucos tamen annos Clarascum redierunt eremitæ, & ædificationi eremi sollicitius incubuere, quæ non spernenda evasit colonia eremitarum Taurinensium, ut videbimus.

Illud etiam non silendum præconceptam devotionem & populorum fidem erga aliam imaginem beatæ Mariæ Virginis de eremo Clarasci, quæ depicta erat in pariete loci derelicti, adeo invaluisse, ut etiam absentibus eremitis plures ex fidelibus donaria offerrent, supplicationes instituerent, argentum, ceram, lanam, sericum deferrent, ita ut necesse fuerit eligere thesaurarium, sive massarium, qui oblata colligeret & servaret; id quod præstitum fuit a plebano parœciæ, sub cujus cura erat dicta eremus.

XLIX. Aliquot Camaldulensium obitus.

OBIIT hoc anno Gregorius Cicolinius de Pisauro, cum monasterium sanctæ Mariæ-angelorum in patria regeret. Fuerat is abbas generalis prima-

ANN. CHR. 1647.

primaque cetera officia in congregatione gesserat, desideriumque sui reliquit apud omnes bonos.

Decessit etiam Angelus Gabriellius Lucæ filius monachus sancti Michaelis de Muriano, antea Ludovicus & excelsi collegii decem-virorum a secretis. Togam cœnobiticam induerat anno 1608. die XXVIII. septembris, professionem autem emiserat anno sequenti die IV. octobris. Scriptum reliquit tractatum *de Paupertate Religiosa*, alium *de duodecim fructibus Confessionis*, qui asservantur in bibliotheca ejusdem monasterii, in quo semper, quadraginta fere annis, multa pietate & doctrina vixerat a seculi turbinibus abstractus.

ANN. CHR. 1648.

L. Translatio corporis S. Johannis Laudensis.

TRANSLATIONEM sollemnem hoc anno factam corporis sancti Johannis Laudensis ex eremita Avellanensi episcopi Eugubini ab Alexandro Sperello Eugubino itidem episcopo describit Germanus Botta abbas Camaldulensis in vita ejusdem sancti Johannis ms. sequentibus verbis: „ Asservabatur illibatum corpus in arca lignea, cujus sacelli ornatum vetustate pene confectum cœleste pignus, qua par erat, veneratione non amplius retinebat. Id, ubi percepit Alexander Sperellus Eugubinus episcopus erga sanctum prædecessorem devota pietate motus munifice exornavit locum, capsam deauratam de integro illi construxit, pridie vero idus septembris anno M.DC.XLVIII. eam veteribus spoliavit indumentis (& sane judicio scriptoris hujus translationis, fortasse illa erant, quibus humatus fuerat) novas vestes ex auro & serico contextas elaborari jussit, eisque sanctum cadaver contexit, annulumque ex ejus digito utpote vilem detraxit, & proprium, quem gerebat, pretiosum confestim præbuit. Insequenti mane idem antistes inter Missarum sollemnia gravissimam perpolitamque habuit de Johannis splendoribus ad populum concionem, & vespere ejusdem lucis totius multitudinis plausu per civitatem sacer fertur thesaurus, honorificentius postea in eadem principe ecclesia collocatus. Porro ut augustius fulgeret, interfuerunt piissimo operi nonnulli episcopi, pluresque abbates, inter quos Mauritius Ferrarius tertio abbas sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, qui superioribus annis, dum secunda vice præesset cœnobio, nempe M.DC.XLI. monasticum mihi tradidit habitum, pater ob precum assiduitatem, abstinentiam, vigilantiam & vultus tranquillitatem omni laude dignus. “ Hæc Botta ex relatione, quam superius laudat, tunc scripta a Vincentio Armanno nobili & erudito patritio Eugubino, & Perusii hoc anno edita, ac cardinali Johanni-baptistæ Pallottæ dicata, qui Armannus addit, capellam sancti Johannis Laudensis pertinuisse tunc ad familiam quamdam nobilem, sed egestate pressam, quare etiam icona carebat, rebusque omnibus necessariis ad Missæ sacrificium in ea litandum; sub ipso altaris suppedaneo sepulcrum effossum fuerat pro humandis promiscue defunctorum cadaveribus; ea propter Uldaricus Carpineus Eugubinus antistes, & Horatius Monaldus alter Eugubii præsul, postea Perusinus, in actibus visitationum interdixerant, ne ibidem sacrificia ulterius offerrentur. Decretum renovavit Alexander Sperellus utriusque successor in episcopatu Eugubino sub pœna jacturæ juris-patronatus; quare secundæ visitationis suæ tempore vacantem capellam declaravit, atque statim præcepit, ut loculamentum nuceum construeretur cum imagine coloribus expressa ab equite Sarmei, quæ exhiberet sanctum Johannem pontificalibus vestibus indutum, & ordinem sacerdotalem conferentem sancto Ubaldo; ad pedes autem

autem ipsum episcopum Sperellum supplicis in modum orantem. Magnifico apparatu & summa celebritate elevatio sacri corporis perfecta fuit; ornatissimo namque feretro impositum per frequentiores civitatis vias delatum est, prosequentibus episcopis quinque, Monte-feretrano, Perusino, Nucerino, Calliensi, & Urbaniensi, abbatibus mitra insignitis octo, quos ad eam festivitatem Eugubinus more majorum invitaverat. De hac translatione ex eodem Armanno agunt & Bollandistæ socii ad diem VII. septembris, & Sartius in episcopis Eugubinis. Circa hæc tempora, postquam scilicet sacrum sancti Johannis Laudensis brachium anno 1608. Laudem-pompejam delatum fuerat, canonicus Laudensis Defendens Lodi vitam ipsius Sancti conscripsit, typisque edidit.

Ex monumentis Mauri Cursii abbatis sancti Michaelis in Burgo Pisarum refert Grandius sub hoc anno iterato recognitum fuisse sacrum corpus beati Dominici Vernagalli monachi ejusdem monasterii, inventumque esse integrum, & inter cetera conspicuam fuisse coronam capillorum more monastico efformatam, atque ita elevatam, ut viventis potius monachi, quam demortui jam a quatuor seculis appareret.

In insigni & nobili oppido Pisciæ a Romualdo Cecchio fundatur hoc anno ecclesia sancti Romualdi, in qua legitur sequens elogium a præposito Johanne-baptista Cecchio compositum apud Placidum Puccinellium in Memoriis Piscienſibus [a]: *Cunctorum bonorum auctori Jesu-christo Crucifixo, ac divis Romualdo & Francisco de Paula sacellum hoc tuendum tradidit Romualdus Cecchius JC. & thesaurarius ecclesiæ Pisciensis, nec non legationis Avenionis auditor generalis, qui & majora pietatis in Deum, ac immortalitati, caritatique simul in suos cum populi multitudine prospiciens, dum adhuc viveret, fundavit, & in die consummationis dierum vitæ suæ novembris* M. DC. XXXXVIII. *capitulum hæredi propriis opibus dotandum mandavit, suæ familiæ jura reservando.*

[a] Pagg. 343. 351.

Cellam sancti Andreæ jam pene dirutam in eremo Camaldulensi Etruriæ Zenobius Brandius civis Florentinus propriis sumptibus a fundamentis hoc anno reædificavit. Hanc modo inhabitant magistri Novitiorum, postquam muro conclusæ sunt anno 1682. in usum & in habitationem novitiorum cellæ sanctorum Michaelis-archangeli, Hieronymi, Benedicti, Apollinaris, Bartholomæi, & sanctæ Mariæ de Laureto. Ante quinquennium marchio Angelus de Bufalo ad alterius cellæ constructionem camerario eremi persolvi fecerat tercenta scuta.

Catharina Voyer reginæ Regentis gazophylacii custos, & vidua Renati de Bellay toparchæ *de la Flotte* erga Camaldulenses Gallicanos eremitas optime affecta, in eodem *de la Flotte* loco, in inferiori Vindocinatu eremum pro eorum domicilio fundavit, quæ denominationem a situ, ubi erecta est, accepit.

LI. De Gabriele Giupponio, & de Michaele Ciconia.

In monasterio sancti Blasii de Fabriano, ubi abbatis titulum gerebat, sancte decessit Gabriel Giupponius Camaldulensis monachus, Bergomas quidem origine, sed Venetiis ortus, & professus cœnobii sancti Michaelis de Muriano a die XVIII. junii anni 1600. Venetiis typis edidit anno 1612. *Nuovo modo di orare, o sia trattato della vita di nostro Signore, e della Vergine santa Madre di Dio*, ex quo libro addiscimus, quas præcipue virtutes coleret Gabriel. Collegit etiam monumenta ad historiam Camaldulensem Fortunii continuandam, quæ mss. adservantur in bibliotheca sancti Michaelis Venetiarum, cujus monasterii regimen tenuit anno 1642. & fuit visitator ordinis anno 1635. Mentionem facit de ipso cum laude Thomas Minius in historia ms. Camaldulensi.

Ann. Chr. 1648.

Sub Theodoro Soldati abbate ejusdem monasterii sancti Michaelis fratrum laicorum albo adscriptus est hoc anno Michael Ciconia Venetus; sed post aliquot annos regulari habitu derelicto, & ad presbyteratus secularis ordinem promotus multos edidit libellos, qui omnes ab apostolica sede sunt proscripti, quorum catalogus prostat in Indice librorum prohibitorum hoc ordine: *L'amore immenso di Gesù manifestato ne' duri patimenti della sua amara passione. Ambrosia celeste o soave cibo dell' anima contemplativa. Fontana del divino amore*; ex decreto xxv. januarii anno 1684. *Ricreazioni del Cielo espresse nelle narrazione di varie vite de' Santi. Fiamme di amor divino dell' anima desiderosa di far tutto il bene, e d' impedire tutto il male. Memorie funeste de fatti dolorosi occorsi nella passione dell' Unigenito figlio di Dio. Pascoli di divozione alle anime desiderose di perfezione Cristiana. Tributi di pietà o sia raccolta di varie divozioni da farsi da' fedeli*; ex decreto xxi. novembris 1690. *Cristo Gesù appassionato, ovvero contemplazioni fruttuose per indirizzar l' anima nello spirito*; ex decreto xxi. aprilis 1693. *Idea del cuor umano rappresentata in figure unite a divoti soliloquj*; ex decreto xii. martii 1703. *Sagri trattenimenti, che contengono varie considerazioni sopra la passione di N.S.G.C.* ex decreto xv. januarii 1714. Ortus est Michael ex Andrea Ciconia, & Angela Barbutia parentibus.

Ann. Chr. 1649.

LII.

Plura monumenta Camaldulensia simul collecta.

IN dieta Ravennæ habita hoc anno indicta fuit recitatio Litaniarum beatæ Mariæ Virginis in choro post Primam horam canonicam cujuslibet diei, licet id potius confirmatum fuerit, cum consuetudo hæc multis ab hinc annis introducta fuisset in monasteriis Camaldulensibus.

Obiit hoc anno Andreas Mocenico, qui ex patricio Veneto & uxorato, post conjugis mortem filiabus Jesu-christo desponsatis in Venetis monasteriis, eremita Rhuensis evaserat anno 1627. xxiv. junii; & post Titum Zenum primus rexerat novam sancti Clementis Venetiarum eremum. Ejus elogium est hujusmodi: „ *Prudentia, modestia, pietate multum laudabilis obiit in sancto Clemente.* "

Ex monachis vero decessit Simeon Guidottus abbas sanctæ Mariæ in Gradibus Arretii ex professione Angelorum de Florentia. Scriptum reliquit *sacrum dramma conversionis sancti parentis Romualdi*. Florentiæ autem produxit anno 1619. vitam beati Jacobi a Certaldo cum epistolis ad Aloysium Gorium abbatem generalem, & ad populum Certaldi, quæ vita eadem est cum Ractiana.

Antonius-maria Triffinus Vicetinus eremita Coronensis in Rhuensi secessu ab anno 1622. quinta junii tacito nomine edidit hoc anno carmina sub titulo: *Poesie spirituali e morali del Solitario* publicæ luci exposita Bononiæ, & dicata cardinali Cæsari Facchinetto. Rursus hic liber prælo impressus fuit Vicetiæ anno 1654. typis Christophori Rosii, & dicatus Lucretiæ Barberinæ desponsatæ duci Mutinensi a Domitilla Trissina sorore auctoris, & abbatissa parthenonis Arcellæ Vicetiæ, cum additione aliorum carminum prædicti eremitæ. Obiit Triffinus in Rhuensi solitudine die xvii. februarii anni 1657.

Mortem oppetiit Robertus Dudlejus dux Northumbriæ iu urbe Florentiæ die tertia septembris, & sepultus est prope colloquutorium monialium sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone tribus milliaribus extra Florentiam. Depositum fuit ejus cadaver in eadem ecclesia anno 1656. & anno 1666. conditum versus aram majorem ex janua laterali ecclesiæ.

Corpus sancti Honorati martyris ex Urbe Taurinum cum authenti-

cis

cis literis ad eremum sancti Salvatoris Camaldulensium eremitarum, recognitione archiepiscopi Taurinensis, deportatum fuit hoc anno a Marciano Sicardi Taurinensi eremita Montis-coronæ, qui ad biennium transiit ad Pedemontanos eremitas. In eadem ecclesia sollemni veneratione colebantur reliquiæ sancti Barnabæ apostoli, & quidem sub ritu duplici secundæ classis celebrabatur officium sancti Apostoli, cum abstinentia etiam ab operibus servilibus.

Ann. Chr. 1649.

Cum concilium Tridentinum salubriter decrevisset, ut in singulis monasteriis & domibus regularibus is numerus constitueretur, & in posterum conservaretur, qui vel redditibus propriis monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commode posset sustentari, & ad ejus decreti usum Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. varia statuta edidissent, sed exequutio dilata fuisset, mandavit Innocentius X. hoc anno omnibus superioribus religionum, ut adhibitis duobus vel tribus regularibus sui ordinis probatioribus & rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus ac proventus omnes monasteriorum sex annorum immediate præcedentium, titulum quoque, fundationem, numerum alias præfixum infra quatuor menses transmitterent ad eorum procuratorem generalem in Urbe examinanda a congregatione ea super re statuta cardinalium a pontifice. Datum die XVII. decembris pontificatus sui anno sexto.

Ann. Chr. 1650.

LIII. Decreta S. Congr. Rit. circa corpus S. Apollinaris.

AUGUSTINUS Melosius Romanus abbas Classensis recognovit hoc anno die XXIX. octobris sacrum sancti Apollinaris archiepiscopi Ravennatis corpus, quod in basilica Classensi quiescebat, & obtentis debitis licentiis, ac consentiente cardinale Alderano Cibo Romandiolæ legato illud transtulit ad monasterium sancti Romualdi intra urbem Ravennæ, & depositi loco reliquit intra capellam quamdam sive oratorium in armario nuceo una cum aliis Sanctorum reliquiis, rogato instrumento ab Octaviano Stella notario Ravennate [a]. Die septima januarii anni sequentis idem abbas iterum sacrum pignus recognovit, ipsumque reposuit intra capsam plumbeam una cum tribus laminis argenteis, & ceteris reliquiis Sanctorum, & collocavit sub altari majori ecclesiæ intra capsam lapideam. Instrumentum confecit Benedictus Tizzonus [b]. Verum cum huic translationi sese opposuisset urbs Ravennæ, litemque propterea deduxisset ad sacram Rituum congregationem, dolore concepto eo ipso anno defunctus est Augustinus abbas, succedente Hortensio Lazaro Bagnacaballensi. Die XIII. julii anni 1652. decrevit eadem sacra congregatio epistola scripta ad Stephanum Donghium S. R. E. cardinalem & Æmiliæ legatum, ut sacrum sancti Apollinaris corpus depositi loco deduceretur ad ecclesiam metropolitanam, & sub ara principe collocaretur. Quod a cardinale exequutioni mandatum est XVII. ejus mensis, ut scribit Hieronymus Faber canonicus Ravennas in suis sacris memoriis Ravennatibus [c]. Licet autem canonici metropolitanæ ecclesiæ in optatis haberent, ut idem sacrum corpus perpetuo maneret in eorum ecclesia, die tamen IV. junii anni 1654. sub Gregorio Maldentio Foro-liviense successore Lazari in abbatia Classensi, præcepit eadem sacra congregatio, ut reduceretur ad antiquam Classis basilicam, uti etiam reductum est, pompam comitante eodem cardinale Donghio legato, & repositum est intra capsam plumbeam injectam in aliam cypressinam, coopertam velluto rubro cum ornamentis argenteis, & collocatum fuit in antiqua arca marmorea posita in confessione sub ara majori. Decretum congregationis affert idem Fabrius: *Sacra Rituum congregatio ecclesiæ Clas-*

a *Lib.* D.D.D.D. *cart.* 238.

b *Ibid. cart.* 231.

c *Pag.* 106.

ANN. CHR. 1650.

sensi extra mœnia civitatis Ravennaten. existenti corpus & reliquias sancti Apollinaris adjudicavit, atque ob id a cathedrali ecclesia ad eamdem ecclesiam reduci jussit, facta tamen obligatione a monachis Camaldulensibus de reaptando ecclesiam, & cultum decentem iisdem sacris ossibus præstando. Ideo ne futuris temporibus a quopiam dubitari contingat, num integre per monachos prædictos hujusmodi obligationis partes impletæ fuerint, quo ipsæ ulterius prolatentur, eadem congregatio mox dimetiri ac declarare peropportunum existimavit, quod videlicet monachi prædicti templum ipsum a summo vertice diligenter expurgatum dealbent, vitreasque arcendis avibus fenestras reparent, idque quoties necessitas exigat, haud morose repetant. Arcam corpus seu reliquias sancti Apollinaris continentem eodem subterraneo in loco, ubi nunc eadem sita est, & cui ara maxima imminet, ita collocari faciant, ut ecclesiam ingredientibus conspicua inter crates ferreas objiciatur. Ad eamdem vero sacram arcam cœco illo & subterraneo tramite nunquam aditus pateat, nisi diebus tantum sollemnibus, ac luce minime dubia. Tum vero semel saltem quotidie sacrificium offerant, ac in festo sancti Apollinaris, qualibet prima Dominica cujusque mensis, & singulis sextis feriis martii pro missa privata Missam sollemnem ibidem celebrent, quæ tamen ultra alia onera in eadem ecclesia præstari debita, si quæ adsint, omnino sub pœnis in prædicta obligatione contentis per eosdem monachos impleri sacra eadem congregatio mandavit die XIX. *septembris* 1654. *J. episcopus Tusculanus cardinalis Sacchettus. Franciscus-maria Phæbeus S. Rit. congreg. secretarius.* Instrumentum autem reductionis sacri corporis ad basilicam Classensem scriptum fuit a Benedicto Tizzono, Marcantonio Guarino & Bonifacio Bevilaqua notariis Ravennatibus. Quinta julii anni 1655. idem Gregorius Maldentius abbas Classis, interventu Alexandri Ronconi gubernatoris Ravennæ deputati a cardinale Octavio Aquaviva Æmiliæ legato, abstulit arcam marmoream a loco subterraneo confessionis, & eam statuit contra januam ecclesiæ sub altari principe in loculo efformato in pariete. Instrumentum est ejusdem Benedicti Tizzoni [a]. Id retulerunt sacræ Congregationi canonici metropolitanæ; congregatio autem sequens edidit decretum: *Exposuerunt capitulum & canonici cathedralis Ravennaten. novissime a monachis Classensibus, absque ipsorum oratorum scientia & consensu, corpus sancti Apollinaris martyris ex antiquo sepulcro ad aliud translatum fuisse; ob idque eminentissimi patres sac. Rit. congregationi præpositi, ne posthac ab ipsis monachis quidquam circa corpus prædictum innovari contingat, nisi cum assensu, scientia & præsentia archiepiscopi & capituli, jusserunt sub tribus clavibus id corpus detineri, quarum una ab archiepiscopo, altera a capitulo, & tertia a monachis asserventur, quibus prædictorum omnium implementum sacra eadem congregatio stricte præcipit, & ne quid iidem in futurum innovent circa corpus prædictum, absque prædictorum scientia, assensu & præsentia inhibet. Die* VII. *augusti* 1655. *Facta autem Sanctissimo Domino de prædictis relatione sanctitas sua approbavit, atque exsequi jussit die* XIII. *ejusdem mensis augusti eodem anno* 1655. *J. episc. Tusculanus cardin. Sacchettus. Franciscus-maria Phæbeus Secret.* Quod decretum eidem cardinali legato Aquavivæ transmissum fuit cum sequenti epistola. *Em. & Rev. Domine. Capitulum & canonici cathedralis Ravennaten. sacræ Rituum congregationi novissime exposuerunt a monachis Classensibus absque ulla ipsorummet oratorum scientia corpus sancti Apollinaris martyris ex arca eductum arcam ipsam ad alium locum translatam, & corpus in ea mox restitutum ac reconditum extitisse. Quare*

eadem

[a] Lib. D.D.D.D. cart. 37. 39.

eadem sacra congregatio, ne posthac a prædictis monachis quidquam circa corpus præfatum innovari contingat, nisi scientibus, assentientibus & præsentibus archiepiscopo & canonicis oratoribus decrevit, etiam de assensu & mandato sanctissimi Domini, sub tribus clavibus id corpus detineri in posterum, quarum una penes archiepiscopum, altera penes capitulum, & tertia penes monachos asserventur. Quodque ne alias debita fraudetur exequutione, vigili eminentiæ vestræ sollicitudini & singulari erga ejusdem Sanctissimi imperata obsequio commendandum duxit, prout ipse hisce literis impleo, dum E. V. manus reverenter deosculor. Romæ XXVIII. *augusti* 1655. *E. V. Humillimus & addictissimus servus Julius cardinalis Sacchettus. Franciscus-maria Phœbeus S. Rit. Congreg. secretarius.* Immo cum monachi Classenses institissent pro revocatione hujus mandati, sacra congregatio suum primum decretum confirmavit alteris literis ad eumdem cardinalem legatum: *Em. & Rev. Domine observandissime. Monachi Camaldulenses novissime sacræ Rituum congregationi supplicarunt, ut decretum emanatum super asservatione corporis sancti Apollinaris sub tribus clavibus moderari dignaretur, ne jus quidquam in eorum ecclesia Classensi capitulum sibi vindicare contingat. At sacra eadem congregatio in decretis a Sanctissimo approbatis manendum esse censuit, idque ita exequutioni demandari, ut corpus idem crate ferrea perpetuo clausum existat. Desuper vero ligneis assibus obducatur præfatis tribus aperiendum & recludendum clavibus, quarum primam archiepiscopus, secundam capitulum, monachi alteram detineant. Horum implementum sollicitis studiis impensuram eminentiam vestram non hæsito, cui ipse manus reverenter deosculor. Romæ die* XXVII. *novembris* 1655. *Em. V. Humillimus & addictissimus servus Julius episc. Sabinensis card. Sacchettus. Franciscus-maria Phœbeus Sac. Rit. congreg. secretarius.* Quare anno sequenti supradictus Gregorius Maldentius abbas Classensis decreto hujusmodi obtemperare volens ex loculo, in quem anno antecedenti posuerat arcam sancti Martyris, sustulit, & reposuit sub ara majore prope parietem inferiorem, eamque obduxit crate lignea tribus clavibus clausa, quarum distributio facta est juxta congregationis sancita, simulque circumdedit cancello ferreo; ex instrumento existente in eodem archivi Classensis libro [a]. In tabulario sancti Romualdi de Urbe extant centum-quinquaginta epistolæ versantes super hujusmodi corporis sancti Apollinaris translatione, quarum sexaginta scriptæ fuere a cardinale Alderano Cibo, aliæ ab aliis cardinalibus Pallotta, Sacchetto, Sancta-crucio, Capponio, Cornelio, Aldobrandino, Mediceo, Donghio & a procuratore generali congregationis Camaldulensis Clemente Mencarellio. Plures cardinales favebant translationi corporis ex basilica Classensi ad urbanam monachorum Camaldulensium, & præ ceteris cardinalis Carolus Mediceus; cardinalis autem Capponius, licet protector ordinis, & quamvis jam ab anno 1637. favisset, manumque dedisset huic translationi, progressu temporis eam potius impedivit, eo quod esset patruus Lucæ Torreggiani archiepiscopi Ravennatis, cui eam cathedram resignaverat. Cum vero canonici Ravennates ambirent corpus sancti Apollinaris servari in eorum basilica, sed retulissent contrarium decretum, nimirum ut reduceretur ad pristinam extra urbem Classensem ecclesiam, mirum non est, quod tot suscitaverint molestias monachis Classensibus.

[a] Pag. 39.

LIV. De Scriptoribus Camaldulensibus.

FLOREBAT circa hæc tempora Octavius Forlinus monachus Camaldulensis in monasterio sancti Gregorii de Urbe. Extant in bibliotheca ejusdem monasterii hæc dicti scriptoris monumenta: *Explicatio literalis*

Ann. Chr. 1650.

ralis in evangelium ſancti Matthæi . Explicatio pſalmi XVIII. *Explicatio epiſtolæ ad Romanos. Explicatio locorum difficilium ſacræ Scripturæ. Carmina Latino metro exarata. Notabilia ex epiſtolis ſancti Hieronymi. Collectio ſententiarum ex ſacra Scriptura & ex ſanctis Patribus. De caſtimonia ſervanda. Collectanea ex Ludovico Granata. Sermo de ſancto Martino. Apophthegmata, Ænigmata, Carmina varii generis* & *Collectanea doctorum.*

Joachim ab Alos Major congregationis Pedemontanæ eremitarum Camaldulenſium hoc anno edidit typis *Conſiderationes ſuper paſſionem Dominicam*, ſimulque adjecit indulgentias conceſſas a Romanis pontificibus Coronæ Dominicæ.

Vivebat adhuc in congregatione monachorum Camaldulenſium Jacobus Turricellius Faventinus profeſſus monaſterii ſancti Mathiæ de Muriano & theologus Patavinus. Hoc jubilæi anno octuaginta-ſeptem ætatis annos habebat. Auctor eſt *Moralis monaſticæ* editæ anno 1609. poſt opera Georgii Polacci *de Poteſtate regulari* , quæ extat autographa in bibliotheca ſancti Mathiæ . *De Mundo elementari libri IV*. ad diſputandum publice propoſiti Simeoni de Parracciis Peruſino eremitæ & generali totius ordinis Camaldulenſis . In bibliotheca ſancti Michaelis aſſervatur ejuſdem auctoris : *Summa de caſibus conſcientiæ* , *& de Sacramento Pœnitentiæ* . Scripſit acta Aloyſii Gorii abbatis generalis ab anno 1611. cujus fuit cancellarius . De eo mentionem facit Maurus Ruggerius in hiſtoria ſui temporis; patruus fuit Jacobus Evangeliſtæ Turricellii celebris Mathematici.

Innocentius X. pontifex maximus congregationem eremitarum Camaldulenſium Gallicanorum jam erectam ab Urbano VIII. prædeceſſore ſuo, confirmavit hoc anno, approbans quidquid ab ipſis actum fuerat poſt congregationis fundationem.

ANNA-

ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEPTUAGESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno CHRISTI M. DC. LI.

ANN. CHR. 1651.

I. Præcepta iterata unio congregationum Camaldulensium inter eremitas.

COMPLENTE triennale regimen congregationis monachorum Camaldulensium Remigio Buccio Monsabinate, trigesima maji hujus anni M. DC. LI. in capitulo Faventino abbatiæ sancti Hippolyti suffectus fuit in abbatem generalem communibus votis Theodorus Soldati Venetus pientissimus præsul ex professione sancti Michaelis de Muriano, additis in visitatores Thoma Fornisio Mediolanense, & Chrysostomo Lucarino de Monte-alcino. Præsedit capitulo ex brevi Innocentii X. sub die XV. maji Alderanus Cibo S. R. E. cardinalis tituli sanctæ Pudentianæ, qui tunc legationis provinciæ Æmiliæ officio fungebatur.

Congregationes vero Camaldulensium eremitarum, post separationem factam anno 1642. suo quæque jure regebantur, cum visum fuit eidem Romano pontifici Innocentio præcipere hoc anno, ut capitulum generale ex omnibus congregationibus adunaretur in eremo Tusculana, & curaretur omnimodis pristina unio. Præfecit Tusculano capitulo Hieronymum Boncompagnum utriusque Signaturæ referendarium, quem sequenti brevi insignivit. *Innocentius papa X. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Quum, sicut accepimus, capitulum generale eremitarum Camaldulensium propediem in eremo Tusculana juxta unionem a felicis recordationis Urbani papæ VIII. per suas in simili forma brevis literas factam celebrandum sit; Nos cupientes, ut capitulum hujusmodi recte & fideliter ad Dei laudem & prædictorum eremitarum utilitatem celebretur, Te, de cujus fide, pietate, prudentia & religionis zelo plurimum in Domino confidimus, in prædicto capitulo, nostro & apostolicæ sedis nomine, præsidentem cum auctoritate, facultatibus, jurisdictione, honoribus & oneribus similibus præsidentibus competentibus, & alias solitis & consuetis, & speciatim cum facultate ad præmissorum effectum absolvendi vocales capituli hujusmodi ab omnibus censuris ecclesiasticis, & inhabilitatibus per eos incursis, ob disunionem sua propria auctoritate contra dispositionem prædicta-*

rum

Ann. Chr. 1651.

rum literarum factam, & cum facultate, quando tu actibus capitularibus interesse non poteris, aliquam personam ecclesiasticam tibi bene visam in tui locum ad hujusmodi præsidentis munus obeundum substituendi, apostolica auctoritate tenore præsentium facimus, constituimus & deputamus, teque in Domino hortamur, & monemus, ut capitulum hujusmodi fideliter regere, ac in illo omnia, quæ ad prosperum totius eremitarum præfatorum ordinis regimen & gubernium pertinent, decerni, statui & ordinari cures & facias, mandantes propterea dilectis filiis dicti ordinis eremitis, personis, ceterisqae, ad quos spectat, in virtute sanctæ obedientiæ, ut te, & personam a te, ut putabis, substituendam in eodem capitulo nostro & apostolicæ sedis nomine præsidentem reverenter recipiant, tuaque & hujusmodi personæ monita salubria & mandata suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent, non obstantibus ordinationibus & constitutionibus apostolicis, ac dicti ordinis, etiam juramento &c. *Datum Romæ apud sanctam Mariam-majorem sub anulo Piscatoris die tertia-decima octobris* 1651. *pontificatus nostri anno octavo. Franciscus Cajetanus.*

Congregato itaque omnium congregationum Camaldulensium eremitarum capitulo, præsidens inculcavit omnibus obligationem continuandi & perpetuandi unionem, ad mentem felicis memoriæ Urbani VIII. ex brevi diei octavæ octobris 1634. & ex alio diei decimæ-tertiæ aprilis 1635. ex aliis etiam brevibus XXVII. novembris 1643. & XXVIII. januarii 1644. quæ respiciunt beneficium universale totius congregationis eremitarum, quam promiserunt capitulares patres semper omnique tempore inviolabiliter observaturos, præstito etiam juramento; & ut majori validitate unionem firmaret, idem præsidens imperavit, ut nullus etiam Majoratus officium exercens in posterum aliquid tractaret vel moliretur repugnans dictis brevibus, sub pœna excommunicationis reservatæ sanctæ sedi, ipso facto incurrendæ. Demum vi brevis Innocentii X. & decreti sacræ congregationis super episcopos & regulares emanati die XXII. septembris hujus anni facultatem fecit præfatus præsidens Majori, ut ad supplendum numerum eremitarum Etruriæ posset in hanc provinciam transferre alterius provinciæ eremitas. Atque ita apostolicis urgentibus jussionibus restituta fuit omnium congregationum eremiticarum Camaldulensium unio. Enituit tamen hac occasione patrocinium Caroli-emmanuelis II. ducis Sabaudiæ erga congregationem eremiticam Pedemontanam, datis literis ad capitulum generale, ne ullo modo infringerentur vel turbarentur privilegia ejus congregationis, & regiæ eremi Taurinensis tempore præfatæ unionis, qninimmo ad suos ministros in Romana curia scripsit, ut eam congregationem patrocinarentur, & ejus jura sarta tecta haberent adversus omnes, qui adversari contenderent. Addidit & suas commendatitias epistolas ad cardinales Martium Ginettum, & Aloysium Capponium Christina mater & tutrix ducis; etiam nuntius apostolicus apud Sabaudiæ ducem commendatos fecit eremitas Pedemontanos, tum cardinali Capponio, tum Rinaldo vice-gerenti.

II. Obitus aliquot monachorum & eremitarum Camaldul.

Ecclesia sancti Petri in Monte-cònero prope Anconam eremitarum Coronensium consecrata fuit hoc anno ex sequenti inscriptione apposita super januam interioris ecclesiæ. *Aloysius Gallus episcopus Anconæ & Humanæ comes hanc ædem & aram in honorem principis Apostolorum* XIV. *augusti* M.DC.LI. *sollemni ritu consecravit, ac pro ejus anniversario* XXX. (hoc est trigesimam diem) *ejusdem assignavit.*

Obiit prope centenarius Romualdus Blancus Mantuanus, primum canonicus regularis sancti Marci de Mantua, inde monachus Camaldulensis

monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres anno 1590. die IV. aprilis sub Mauritio Faventino abbate. Assiduus fuit scriptor, & collector monumentorum Camaldulensium cœnobiorum, Vide ad annum 1639. De eo mentionem facit Jacobillius in libris de Sanctis & Beatis Umbriæ.

Decessit etiam Antonius Johannis Savini Florentinus professus sanctæ Mariæ-angelorum jam ab anno 1580. ætatis annos habens 88. Traduxit aliqua opera Philippi Fantonii, aliaque de suo penu produxit. Vide ad annum 1591.

Demum inter eremitas Coronenses supremum diem clausit Gregorius Cartarius Viterbiensis olim eremita Camalduli Etruriæ, tum ab Alexandro Ceva Taurinum vocatus pro inchoatione novæ eremi, & post ejus obitum Major congregationis Pedemontanæ, transiit denique ad Coronenses. Erat insignis pictor, suique ingenii monimentis Taurinensem eremum adornavit, sanctitatisque sui magistri dedit omni exceptione majora testimonia.

III. Pœnitens vita Aloysii Massei.

ALOYSIUS Masseus eremita Camaldulensis anno præcedenti sacris ordinibus tribus festivis sequentibus diebus initiatus fuerat a Thoma Salviato episcopo Arretino clarissimæ memoriæ, quem Aloysius, dum vixit, ut patrem semper coluit, defunctum veneratus est ut protectorem, opem ipsius implorando in suis quotidianis precibus. Anno præsenti a præfato capitulo generali eremitarum Tusculi habito facultatem obtinuit se recludendi in cella, quam magno animo suscepit; præter enim consueta jejunia, irremissas psalmodias, & juge silentium, quæ leges sunt reclusorum, cibus ipsius erat herba hortuli sui, quam ferarum more dentibus e radice decerpebat, & supinus depascebatur; vini nullus erat ei usus, dabat in rudi & aspera sede quieti fessa membra, primum per quatuor, & postea per duas dumtaxat horas, decem & octo tribuens orationi, sacræque lectioni, duas vero horas impendebat manualibus exercitiis. Decem annis severissimas has reclusionis leges tenuit, sed anno 1661. cum plantæ pedis dolor horribilem in modum excrevisset, morboque etiam pediculari acerbissime dilaniaretur, visum est ipsius majoribus illum a reclusione liberare. Silentio obvolvendum non est, ipsum tempore reclusionis spiritum rigidiorem induisse, non dumtaxat erga seipsum, sed etiam erga alios, indiscreto etiam zelo raptum fuisse, & obedientiæ jussis aliquando esse reluctatum, amore patiendi majores cruciatus; sed admonitus a patre Guinisio spiritus ejus directore, hæc in se præjudicia brevi dissolvit; quare exinde se totum obedientiæ addixit, ac seriose recogitans viam suam non esse viam Domini, veniam efflagitavit, ut puta, quod aliquo tempore recusasset egredi e cella sua, quod cibum ceterorum more accipere renuisset, stratoque decumbere nocturno tempore posthabuisset; atque propterea decem & octo annis, quibus vixit post annum 1661. promptam & cœcam majoribus præstitit obedientiam, vel in ipsis naturæ repugnantibus rebus; etenim quamvis lactis vel ovorum parva sorbitiuncula indignaretur, & convelleretur ipsius stomachus, qui ferre non poterat nisi cruda herbarum & non condita olera, mallebat tamen nutibus & voluntati superioris morem gerere, quam hujusmodi a se incommoda avertere; aliquando etiam jussu patris Majoris lac in terram projectum ore lambere non recusavit. Cortonam missus, inde ad sanctæ Theclæ prope Januensem urbem eremum promptus convolavit, licet uterque locus noxius foret ejus bonæ valetudini; quare iterum anno 1668. decreto capituli gene-

Ann. Chr. 1651.

ralis reductus fuit ad eremum Camaldulensem, immo rursus permissa est ei reclusio, ad mentem tamen omnimodamque voluntatem & nutum sui superioris. Quamvis pediculari morbo laboraret, illud nihilominus tamquam prodigium narratur, quod nemo ex iis, qui cum eo colloquebantur, vel proximi adhærebant, eundem morbum contraxerit; aliud pariter, quod cum remedia omnia irrita cessissent, repente ex eo morbo convaluerit Cortonæ, licet ipso iterum correptus fuerit in eremo Camalduli. Admirati sunt etiam ceteri eremitæ, quod etsi intestina ipsius omnino marcida fuissent & putrefactionem contraxissent, ut compertum habuere post ipsius obitum, nulla tamen graveolentia, vel vitiatus halitus ex ejus ore prodiret; similiter cum pes læsus unico osse fulciretur innumeris fasciis obligato, tanto tamen tempore, & Missæ sacrificii, & modulationis psalmorum in choro, adminiculo nullo innixus, rectus persisteret, nullo doloris vel incommodi signo circumstantibus dato. Excedunt fidem, quantas molestias sustinuerit in suo corpore pius eremita, quas etiam arte invidi hostis immissas cœnobitæ ceteri cognovere & credidere, ut non dubitaverit scriptor ejus vitæ episcopus Falconinius Aloysium comparare patientissimo Jobo. Plura alia de ipso proferemus sub aliis annis.

Ann. Chr. 1652.
IV.
Suppressio parvorum monasteriorum.

INNOCENTIUS X. die XV. octobris hujus anni suppresserat in Italia, excepta ditione regis Catholici, & reipublicæ Venetæ, omnia ea monasteria, in quibus ob paucitatem religiosorum disciplina regularis observari ægre poterat, volens ut deinceps omnia cœnobia duodecim saltem religiosos alerent. Ortum est dubium, an comprehenderentur etiam membra monasteriorum Camaldulensium, in quibus unus aut alter monachus degebat. Quare sequentes emanarunt literæ a sacra congregatione pro reductione monachorum existentium in curis & grangiis ad claustrum, quæ hoc ipso anno prodiere die decima decembris scriptæ ad procuratorem generalem Camaldulensem, sed traditæ dumtaxat die XVII. martii anni sequentis, quas in Latinum proferimus, ad seriem exhibendam omnium earum ecclesiarum, quarum aliquæ illustria olim fuere cœnobia Camaldulensium monachorum. *In bulla sanctissimi Domini nostri recens promulgata super extinctione & suppressione parvorum conventuum comprehenduntur etiam membra monasteriorum, & grangiæ istius congregationis Camaldulensis, in quibus ob parvum numerum religiosorum non potest juxta institutum suum servari disciplina regularis, licet adnexam habeant curam animarum, sintque parœcialia; & specialiter infrascripta: videlicet ecclesiæ sancti Laurentii de Retorsio, sanctæ Mariæ de Precichiis, sancti Paterniani de Domo, sancti Romualdi de Porcarella, sancti Venantii de Albacina, sanctæ Mariæ de Colcello, sancti Petri de Muscano, sancti Stephani de Montaniana, sancti Severini Collis-giglionis, sancti Michaelis de Rosenga, sancti Salvatoris Vallis-castri in diœcesi Camerinensi, unitæ monasterio sancti Blasii de Fabriano; sanctæ Mariæ Civitæ, sancti Johannis de Rochetta, sancti Laurentii de Tranquellis, sancti Laurentii de Avenali diœcesis Camerini, unitæ sanctæ Cruci de Saxo-ferrato; Sancti Domnini Camerinensis diœcesis, subjecta abbatiæ Avellanensi; sancti Laurentii de Massaccio, sancti Salvatoris de Podio-cupo diecesis Æsinæ, subjectæ monasterio sancti Blasii de Fabriano; sancti Angeli de Massaccio, unita monasterio sancti Severi de Perusio; sancti Michaelis de Prosena diecesis Senogalliensis, unita sancto Blasio de Fabriano;*

no; sanctæ Mariæ de Cerris Castellis-rotundi diœcesis Nucerinæ, unita sanctæ Cruci de Saxo-ferrato; sanctæ Mariæ de Ficano diœcesis Sancti-severini, unita sancto Blasio de Fabriano; sancti Augustini de Basciano, sancti Nicolai Fani-Cornu diœcesis civitatis Pennensis, unitæ monasterio Avellanensi; sancti Mauri de Solarolo, sancti Andreæ de Zagonaria diœcesis Imolensis, unitæ sancto Hippolyto de Faventia; sanctæ Mariæ de Vincareto diœcesis Britonorii, unitæ sancto Johanni-baptistæ de Faventia; sancti Georgii de Varignano diœcesis Bononiensis, unita monasterio sanctorum Cosmæ & Damiani de Bononia; sanctæ Margaritæ de Borsellis, sancti Petri apostoli diœcesis Fesulanæ, unitæ monasterio Angelorum de Florentia; sancti Viriani, sancti Angeli de Duduva diœcesis Arretinæ, unitæ eidem monasterio; sancti Michaelis de Arretio, sanctorum Tiburtii & Susannæ, sancti Ægidii de Sancto-pancratio, sancti Quirici de Battifolle, sanctæ Christinæ Clanarum diœcesis Arretinæ, unitæ monasterio Agnani seu sanctæ Mariæ in Gradibus Arretii; sancti Petri de Cerreto diœcesis Volaterranæ, sancti Jacobi de Orticaria diœcesis Florentinæ, unitæ monasterio Angelorum Florentiæ; sancti Petri de Monte-liscario diœcesis Senensis, sanctæ Victoriæ de Sarthiano diœcesis Clusinæ, unitæ monasterio Rosæ Senarum; sancti Petri de Sancto-petro in Balneo, sancti Laurentii de Balneo Nullius, unitæ monasterio sanctæ Marie in Balneo; sancti Salvatoris diœcesis Veronensis, sancti Johannis-baptistæ de Vighizzolo diœcesis Patavinæ, unitæ monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus; sanctæ Mariæ de Pace Faventiæ, unita monasterio sancti Johannis-baptistæ de Faventia; de Bocchettis diœcesis Pisarum, unita monasterio sancti Michaelis in Burgo; sanctæ Mariæ de Adelmo Volaterranæ, Rontæ Florentinæ, sanctæ Mariæ de Castellione Pientinæ, sancti Johannis-decollati abbatiæ Saxi Arretinæ, Borri Florentinæ, unitæ monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia; sancti Martini de Opitergio Tarvisinæ, sanctæ Mariæ de Orbisio Patavinæ, unitæ monasterio sancti Michaelis de Muriano; sancti Martini-rupti Concordiensis, unita monasterio sancti Mathiæ de Muriano, sancti Johannis-baptistæ Clodiensis, sancti Michaelis de Lemmo Parentinæ, unitæ eidem monasterio; sanctæ Mariæ Gratiarum de Cotiniola Faventinæ, unita monasterio sancti Hippolyti de Faventia; Ribani Ariminensis, Ragaginæ Cerviensis, sancti Apollinaris de Ravenna, unitæ monasterio sancti Apollinaris de Classe; Canneti Eugubinæ, unita monasterio Avellanensi; sancti Andreæ de Tibure, unita monasterio sancti Gregorii de Urbe; Petrioli Maceratensis, unita monasterio sancti Blasii de Fabriano; ecclesia villæ Fesulanæ, unita monasterio Angelorum de Florentia. Et ideo abbas generalis, abbates provinciales & ceteri superiores eorumdem monasteriorum intra terminum præscriptum in eadem bulla Innocentiana debebunt removere religiosos non solum a curis & grangiis præfatis, sed etiam ab omni alio membro non expresso, quod reperiretur in congregatione Camaldulensi, & locare eos in monasteriis observantibus, neque permittere, ut in illis ulterius morentur sacerdotes vel clerici professi, sub pœnis contentis in bulla; concedente tantummodo Romano pontifice, ut deficientibus personis secularibus idoneis & fidelibus, uti possint laicis professis usque ad aliud mandatum sanctitatis suæ, qui tamen sint exemplares, super quo superiorum conscientiam onerat. Qui etiam superiores teneantur continuare onus celebrationis Missarum saltem Dominicis diebus & diebus festivis in præfatis ecclesiis, capellis & membris, ubi solebant Missæ celebrari, persolvendarum a sacerdotibus secularibus, vel etiam regularibus, dummodo non pernoctent extra monasteria. Similiter in ecclesiis curatis &

Ann. Chr. 1652.

parœcialibus probibet idem Romanus pontifex exercitium curæ animarum regularibus, sed episcopi diœcesani deputent sacerdotes seculares idoneos in vicarios amovibiles vel perpetuos, ut ipsis videbitur, nominandos tamen per superiores earumdem ecclesiarum, & approbandos ab episcopis, cum assignatione congruæ portionis super fructus earumdem ecclesiarum, juxta dispositionem sacri concilii Tridentini. Mens tamen pontificis non est, ut ex præfatis extinctione & suppressione aliquod præjudicium in possessione vel proprietate generetur monasteriis principalibus, ad quæ ea membra, ecclesiæ, curæ & grangiæ pertinent, sed detracta congrua, & detractis oneribus Missarum, reliquum cedat in utilitatem & commodum præfatorum monasteriorum. Benedictus cardinalis Spada. Prosper Fagnanus secretarius.

Monasteria autem suppressa vi Innocentianæ bullæ in congregatione Camaldulensi fuere illud sancti Martini de Piperno, in quo post fulminis ictum duo dumtaxat monachi commorabantur, & redditus ipsius applicati fuere seminario Terracinensi; secundum sancti Romualdi de Urbe, in quo sedem habebat cum socio procurator generalis; tertium sanctæ Franciscæ de Foro-sempronii, quod nondum ad perfectionem adductum fuerat; quartum sanctæ Agathæ de Monte-herculis in Monte-feretrana diœcesi; quintum sanctæ Mariæ de Puteo-Stratæ prope Taurinum ob bella desolatum; sextum sanctæ Luciæ de Vicetia; septimum sancti Damiani de Bononia, de quibus tamen post biennium clarius mentem pontificis explicavit sacra congregatio. Atque hæc fuere postrema facta plurium celebriorum monasteriorum & ecclesiarum, quorum historiam in his Annalibus seculis præcedentibus illustravimus.

Compilationem idem pontifex præceperat congregationibus monachorum redditum omnium bonorum & ecclesiarum, subjectarum monasteriis principalioribus, ut ex ea status monasteriorum dignosceretur. Reperimus in relatione eremitarum Taurinensium exhibita sacræ congregationi adnotatam ecclesiam campestrem sub titulo sancti Juliani in finibus Clerii diœcesis Taurinensis, quæ fuerat membrum abbatiæ sancti Solutoris, aliamque similiter campestrem sub titulo Sanctorum-omnium in finibus Moncuchi ejusdem diœcesis, quæ tributæ fuerant eidem eremo Taurinensi. Iisdem urgentibus apostolicis jussis congregationes ceterorum eremitarum Camaldulensium Etruriæ & Coronensium, atque monachorum suos libellos bonorum & ecclesiarum subjectarum transmiserunt ad sacram congregationem super *Statu Regularium* institutam ab eodem Romano pontifice.

V. Aliquot monumenta Camaldulensia.

In dieta habita Faventiæ mandatum fuit, ut in omnibus monasteriis post horam canonicam Primam, & post recitationem litaniarum, fieret quotidiana commemoratio sancti parentis Romualdi cum antiphona & collecta propriis.

Obiit in eremo Tusculana Placidus Perusinus eremita Coronensis ab anno 1600. XIX. junii. Scripsit vitam sancti Galgani eremitæ, aliam beati Pauli Justiniani, historiam fundationum eremorum Bononiæ & Venetiarum, ac Rithuanensis in Polonia. Traduxit ex Græco in Latinum Epitectum philosophum, quæ omnia custodiuntur in bibliotheca Montis-coronæ.

Angelicus, in seculo Vincentius, Provedalis Mantuanus abbas Camaldulensis, Hebraice doctus, sub ipso Vincentii nomine edidit Actus apostolicos Italico carmine redditos; Apocalypsim etiam eodem metro descriptam. Uterque liber Carolo II. Mantuano duci dicatus prodiit hoc anno

anno Venetiis typis Pinellianis. Aliquot carmina sacra nuncupavit idem abbas etiam principi Burghesio.

ANN. CHR. 1652.

VI. De cultu sancti Bogumili ep. in Polonia.

ACTUM hoc anno in Polonia de promovendo augendoque cultu sancti Bogumili, eremitæ olim Camaldulensis, & archiepiscopi Gnesnensis, ex sequenti epistola capituli ejusdem ecclesiæ. *Prælati, canonici, totumque capitulum almæ ecclesiæ metropolitanæ Gnesnensis illustri admodum & reverendo domino Matthæo Johanni Judycki J. V. D. protonotario apostolico, archidiacouo Pomeraniæ, Gnesnensi, & canonico, confratri carissimo & observandissimo salutem & nostram fraternam caritatem. Quod per duo & ultra secula a prædecessoribus nostris prælatis & canonicis almæ ecclesiæ metropolitanæ Gnesnensis, ac universo clero majoris Poloniæ, & magnatibus ptovinciarum adjacentium extitit in optatis, ut servo Dei Bogumilo archiepiscopo quondam Gnesnensi & eremitæ Camaldulensi ab universa ecclesia Catholica debiti Sanctis decernantur honores, illud & nobis semper cordi fuit, quatenus Deus noster, qui mirabilis est in Sanctis suis, in præsule etiam nostro & servo suo laudetur. Hinc ad eum effectum, postquam ad instantiam nostram coram illustrissimo principe & reverendissimo domino domino Matthia Lubienscki archiepiscopo nostro Gnesnensi legato nato regni Poloniæ primate primoque principe auctoritate ordinaria primo de adimpletione formæ decretorum sacræ & generalis congregationis sancti Officii in materia cultus & venerationis ac eorum observantia, tum super virtutibus, sanctitate & miraculis dicti servi Dei, juxta formam eorumdem decretorum & sacrorum canonum, ac sacri concilii Tridentini confectus sit atque completus processus, ad sacram sacrorum Rituum congregationem transmittendus, illustrem & admodum reverendam fraternitatem vestram, confisi de ipsius fide, prudentia, diligentia, & in hac materia experientia, tenore præsentium, auctoritate nostra plenaria in nostrum nostrique capituli constituimus procuratorem generalem & specialem ad dictam causam promovendam, alias in forma plenissima mandati, cum solitis ratihabitionis & relevationis clausulis, ac facultate, toties quoties opus fuerit, unum vel plures cum similibus vel limitatis facultatibus substituendi & revocandi, ita ut generalitas specialitati, & e contra non deroget; & specialiter ad comparendum Romæ coram sanctissimo domino nostro Innocentio papa X. ac eminentissimis & reverendissimis cardinalibus sacræ Rituum congregationis præfectis & præsidentibus, aliisque tribunalibus, ad docendum nihil actum esse in fabricando processu contra prædicta decreta, quæ semper & omni meliori modo salva & inviolata esse volumus. Nec non transumptum processus clausum & sigillatum ab illustrissimo loci ordinario acceptum fideliter Romam deportandi, & sacræ congregationis Rituum trutinæ & judicio subjiciendum, juramenta quævis licita & honesta in animas nostras hac in causa præstandum; nec non generaliter ad faciendum, gerendum & exequendum omnia præmissa, & quæcumque alia, & si magis speciale mandatum & specialissimum requirerent, quam ex præsentibus est expressum, relevandumque, nihilominus, &c. In quorum fidem præsentibus manu præsidentis nostri subscriptis sigillum nostrum est subimpressum. Datum Gnesnæ in capitulo nostro generali ad festum sancti Adalberti pontificis anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo.*

ANN. CHR. 1653.

VII. Theodori Soldati abb. generalis pius obitus.

THEODORUS Soldati Venetus, qui ante biennium electus fuerat abbas generalis congregationis, dum visitationes monasteriorum peageret, prima & postrema infirmitate correptus decessit in cœnobio sancti

Ann. Chr. 1653.

cti Blasii de Fabriano, vix quadragesimum-sextum ætatis annum attingens. Virgo corpore & spiritu, immo baptismalis innocentiæ tenax obiit, ut epistola testatum reliquit monachus Johannes-illuminatus Piccinus, qui ipsi erat a secretis. Ciliciis & flagellis atterere corpus suum solitus erat, frequenter jejunabat pane & aqua contentus, super palearum stratum semper somnum carpsit, itinera plura nudis pedibus suscepit. Cum confessarius in extremo morbo suggereret, ut tentationes communis hostis fortiter propulsaret, intrepide respondit, conscientiam suam hac super re nihil sibi remordere, subinferens id gratiæ Dei, & protectioni Virginis, cujus devotissimus semper fuerat, esse tribuendum. Summa in Deum confidentia, eximia erga ipsius voluntatem subjectione, inter sermones contemptus sui, & mundi spiritum Deo reddidit, pronuntians illa verba sancti parentis Romualdi: *Care Jesu, benigne Jesu, mel meum dulce, desiderium ineffabile, dulcedo Sanctorum, suavitas Angelorum suscipe spiritum meum.* Sub conscientiæ scrupulo oneraverat præsentes, ne sibi in funere alius honor præstaretur, quam is, qui conceditur simplici monacho, sed visitatores præsules, qui ibidem aderant, tum ratione gradus supremi, quem obtinebat, tum ratione ejus insignium meritorum derogandum ejus voluntati arbitrati sunt; quare sollemnissima pompa ei parentatum est, corpusque ejus humatum in ecclesia sancti Blasii de Fabriano die XVIII. octobris. Convenientes in unum prælati pro electione successoris rogaverunt Maurum Ruggerium, qui ante aliquot annos eamdem dignitatem probe sustinuerat, ut eam denuo susciperet, sed eo constantissime reluctante, immo totis nisibus ab omni prælatura se exuere contendente, sors cecidit super Clementem Mencarellium Æsinum, qui pro secunda vice electus fuit abbas generalis, & confirmatus est in capitulo anni sequentis die sexta maji. Additi sunt Clementi in visitatores Sebastianus Beninus Florentinus, & Paulus Mediceus Venetus.

VIII. & Urbani de Divitiis eremitæ Coronensis.

Admodum senex die XIV. junii hujus anni vitam cum morte commutavit etiam Urbanus de Divitiis, olim Johannes-antonius, Neapolitanus, eremita in solitudine Coronatæ ab anno 1603. qui quadraginta annorum spatio vel prioris, vel magistri novitiorum, vel Majoris gradus strenue impleverat; sane duodecies officium Majoris, supremæ nimirum prælaturæ inter suos Coronenses gessit, eratque Major eo anno, quo simul conjunctæ fuere ab Urbano VIII. omnes eremiticæ congregationes. Solitus erat dicere idem Romanus pontifex, qui ad præsentiam suam generales omnes ordinum convocavit, neminem ita sibi placuisse, ut Urbanum Camaldulensium eremitarum Majorem. Edidit Urbanus Cæremoniale a se compositum, quo ad hunc diem congregatio Coronensis utitur, typis publicatum Amatoris Massæ & sociorum Florentiæ anno 1637. tum in octava forma, tum etiam in folio. Præterea officia & Missas confecit Sanctorum Camaldulensium, pluraque alia scripta reliquit. Ejus breve elogium est: *Spiritu orationis & prophetiæ habitus ut Sanctus etiam vivens.* De ipso quoque legitur, quod, quando negotiis itinerum vel publicarum rerum non erat distentus, adeo ei arriserit cellæ habitatio, ut rarissime visus fuerit vel in hortulo cellæ contiguo, vel etiam in vestibulo exspatiari, vel permanere. Præsentia insuper sua adstantes omnes ad devotionem & compunctionem pertrahebat, communemque omnium sibi venerationem conciliabat.

In locum Friderici Cornelii S. R. E. cardinalis patriarchæ olim Venetiarum, & commendatarii abbatis monasterii sanctæ Mariæ de Vangaticia, suffectus fuit Georgius Cornelius ejus nepos episcopus Patavinus in commendatione ejusdem abbatiæ.

Con-

Confratria sanctæ Mariæ & sancti Romualdi de Suffragio erecta in ecclesia abbatiæ sanctæ Mariæ de Urano urbis Britonorii aggregatur archi-confraternitati sanctæ Mariæ de Suffragio Urbis.

Ann. Chr. 1653.

Ann. Chr. 1654. IX. Varia decreta SS. Congregationum.

SACRA congregatio negotiis episcoporum & regularium præposita permisit die XXVI. martii monachis Camaldulensibus, ut in annuis dietis præscriberetur idem numerus duodenarius definitorum, qui vi brevis Urbani VIII. stabilitus fuerat in capitulis generalibus, ita ut in dietis duodecimo loco eligeretur, ut assideret, prælatus ex ea professione, cui in capitulo non contigisset habere duos definitores. Celebratum fuit capitulum generale in monasterio sancti Hippolyti Faventiæ, præfuitque ipsi ex commissione ejusdem sacræ congregationis Raymundus Castelli Faventiæ gubernator.

Alia sacra congregatio super Statu Regularium mentem declaravit clariorem Romani pontificis Innocentii X. quoad Camaldulensia monasteria, quæ ante biennium suppressa fuerant, sequenti epistola scripta a cardinale Benedicto Spada procuratori generali in Urbe ordinis Camaldulensis. *In exequutionem bullæ sanctissimi Domini nostri, quæ incipit:* Instaurandæ, *in congregatione monachorum Camaldulensium declarata initio fuere suppressa & secularizata, & postea causis rationabilibus reducta a summo pontifice ad statum pristinum regularem, & de novo concessa eidem congregationi infrascripta monasteria; videlicet sancti Romualdi de Urbe, sanctæ Agathæ de Monte feretro, sancti Damiani de Bononia, sanctæ Franciscæ de Foro-sempronii, sanctæ Luciæ de Vincentia, & sanctæ Mariæ de Puteo-Stratæ Taurini. Sed sanctitas sua supposuit jurisdictioni ordinariorum locorum tamquam delegatorum a sede apostolica tam monasteria præfata, quam alia non suppressa, in quibus effective non teneatur numerus religiosorum præscriptus in suo decreto publicato die* XXI. *mensis currentis, quod transmittitur, ut ejus notitia perveniat ad abbatem generalem & provinciales. Ex Urbe die* XXVI. *februarii*. Innocentianum decretum publicatum die XXI. februarii emanavit ante undecim dies, decima scilicet ejusdem mensis.

Demum cum Georgius Cornelius episcopus Patavinus novusque commendatarius abbatiæ Vangaticiensis manum præsumeret mittere in messem alienam, & monachorum ejus loci visitationem instituere, ac sibi obluctantes monachos loco cedere jussisset, mota est querela monachorum Camaldulensium ad sacram congregationem, quæ per Martium Ginettum cardinalem imperavit abbati commendatario, ut ab hujusmodi visitatione & imperii actibus in monachos desisteret, quod id sibi non liceret; quæ congregationis definitio locum fecit pontificiæ bullæ Alexandri VII. de qua anno 1657.

X. Aliquot abbatum decessus, & de eremitis S. Joseph Viennæ.

DIEM suum obiit in monasterio sanctæ Crucis de Saxo-ferrato Cyprianus Artusinus Ravennas abbas Camaldulensis & percelebris mathematicus, qui operam suam præstitit Urbano VIII. & Innocentio X. ac novis Urbis mœniis erigendis præfuit, a quo postremo apostolico brevi abbas fuit renuntiatus. Scripsit *de ratione novilunii inveniendi ephemeridem perpetuam*, cujus libri imprimendi facultatem ipsi fecit anno 1648. secunda februarii Thaddæus Tertius abbas generalis; *de Architectura militari & domestica*, quæ passim in medium adducuntur a nostro Innocentio Matthæjo. De Cypriano cum laude meminere Fabrius in monumentis Ravennatibus, Pasolinus in Lustris parte VI. idem Matthæjus, abbas Ginnanius, & Mazzucchellius.

Alter

ANN. CHR. 1654.

Alter deceſſit abbas Camaldulenſis Mauritius Ferrarius a Cremona, qui vigeſimo ætatis ſuæ anno inſtitutum monaſticum amplexus fuerat in cœnobio ſanctæ Crucis Fontis-avellanæ, cujus etiam monaſterii ter regimen ſtrenue & ſancte tenuit, virtutibus clarus, ſed potiſſimum abſtinentia, caritate & intima adhæſione Deo rebuſque divinis. Nunquam potuit adduci, ut in loco frigidiſſimo, quemadmodum ſitum eſt monaſterium Font-avellanenſe, caput cooperiret inter pſallendum & orandum. Ceterum Mauritii virtutum domeſticus teſtis fuit Germanus Botta abbas itidem Camaldulenſis, ex cujus ſchedis elogium Ferrarii exſcripſit Petrus Cannetius abbas pariter Camaldulenſis in ſua ms. bibliotheca.

Simonis quoque Arditii Piſaurenſis monachi Camaldulenſis refertur ſub hoc anno obitus, de quo aliqua congeſſimus ad annum 1639.

Demum in eremo ſancti Salvatoris a Proſpectu Neapolis defunctus eſt Guillielmus eremita profeſſus in eremo Coronatæ ab anno 1606. in elogiis piorum Coronenſium eremitarum laudatus.

Apud eremum Viennenſem ſancti Joſeph in Auſtria in benedictione ſunt adhuc nomina Alberti-mariæ a Sigillo Peruſinæ civitatis oriundi, qui hoc anno eremiticum ibidem inſtitutum amplexus eſt; Leopoldi a Goritia, qui poſt exercitam in ſeculo medicam artem, anno 1656. profeſſionem in eadem eremo emiſit; Johannis-pauli, & Innocentii-mariæ Italorum, qui circa idem tempus, Silvano Boſello Majoris officio fungente, & Baſilio a Schledo Vicetino magiſtri novitiorum munus gerente, illuſtrarunt eamdem eremum, ad quos omnes extant ultimæ ſuæ ſenectutis tempore ſcriptæ epiſtolæ ejuſdem Silvani. Ex his Albertus reclusionem petens, toto fere vitæ ſuæ curriculo maluit cum Deo potius quam cum hominibus converſari. Leopoldus vero tum animarum, tum corporum morbis medendis, jugiter vacavit. Virtutibus omnes præſtantes, præter exactiſſimæ eremiticæ vitæ haud interruptum tenorem, toti Auſtriæ præluxerunt, magnumque nomen fecere recenti eremo Viennenſi.

A civibus deputatis urbis Volaterranæ oblata fuit monachis Camaldulenſibus abbatiæ ſanctorum Juſti & Clementis nova eccleſia ſub eodem titulo ab urbe fabricata intra mœnia civitatis, rejecta a cœnobitis ob rationes, quas attulimus ad annum 1628.

ANN. CHR. 1655. XI. Decreta Alexandri VII. pro novitiis recipiendis in congreg. Camald.

ALEXANDER VII. qui ſexta aprilis hujus anni ſuffectus fuerat in Romanum pontificem (obeunte Innocentio X.) die XII. maji confirmavit, roboreque ſuo munivit decreta ſacræ congregationis ſuper Statu Regularium pro recipiendis novitiis in monaſtica congregatione Camaldulenſium Italiæ. Deſignata & deputata fuere pro locis tirocinii & profeſſionis monaſterium Claſſis in civitate Ravenna, & monaſterium ſanctæ Crucis Fontis-avellanæ pro provincia Romana Æmiliæ & Umbriæ, monaſterium Angelorum de Florentia pro provincia Etruriæ, monaſteria ſancti Michaelis de Muriano, ſancti Mathiæ de Muriano, & ſanctæ Mariæ de Carceribus pro provincia Venetiarum & Lombardiæ, & cuilibet ipſorum monaſteriorum facultatem fecit eadem ſacra congregatio recipiendi ea vice ſex dumtaxat clericos ſeu choriſtas, cum infra ſcriptis conditionibus; ut juvenes poſtulantes examinentur & approbentur ab abbate & ſenioribus monaſteriorum quoad ætatem, natalia, vitam & mores anteactos, literaturam, corporis habitudinem, & impulſum Spiritus-ſancti ad vitam monaſticam; & idonei reperti recipiantur,

inepti

inepti reperiantur. Ætas præscribitur quindecim annorum expletorum ad similem præscriptam ex decreto Capituli Classensis anni 1603. confirmato a Clemente VIII. dum antea vigore constitutionum Camaldulensium satis erat, quod candidati attingerent quindecim annos ad habitum sumendum. Per tres vel quatuor dies admittantur sic approbati & recepti in hospitum domo, & postea tradantur magistro novitiorum in tirocinio, ubi per mensem in habitu secularium degant cum ceteris novitiis, omniaque novitiorum consueta exercitia obeant, atque regulam addiscant, & interea suffragiis secretis totius capituli proponantur admittendi vel non. Transacto mense religionis habitu induantur. Iterum expleto probationis anno proponantur capitularibus patribus; & recepti ad professionem gremio ceterorum adjungantur. Excepto victu & vestitu nihil ab ipsis recipiatur pro ingressu. In tirocinio autem permaneant usque ad ætatem suscipiendis ordinibus sufficientem, in quo studiis regularibus vacent. Decreta hujusmodi emanaverant a sacra congregatione die antecedenti undecima maji, quibus decretis subjungimus sequentem declarationem, quæ etiam ipsa pertinet ad annum præsentem: *Cum in observanda vita communi juxta tenorem decreti alias pro recipiendis novitiis in congregatione Camaldulensi sub die* XI. *maji* 1655. *per sacram congregationem super Statu Regularium concessis, varias ortas esse difficultates inter prælatos & monachos prædictæ congregationis abbas Odoardus procurator generalis humiliter apposuerit, & aliqualem eidem decreto explicationem dari postulaverit, eadem sacra congregatio præsentis decreti vigore declaravit, prædictos monachos communis vitæ observantiæ satis esse facturos, si per prælatos monasteriorum districte præcipiatur, ne monachi quidquam apud se, vel penes alios possideant, quod non faciliter ac vultu hilari suo prælato, quandocumque ei visum fuerit, libenter resignent. Immo deputatis in quolibet monasterio novitiatus duobus vel pluribus depositariis timorem Domini præ oculis habentibus, apud illos quarumcumque pecuniarum summam monachi omnes quamprimum depositare adstringantur, nec illis etiam ad proprios usus, nisi de ipsiusmet prælati licentia uti aliquo modo permittantur. Insuper eadem sacra congregatio, ut proprietatis vitium radicitus amputetur, ordinavit prælatis omnibus, ut qualibet die in refectorio in mensa patrum capitulum unum ex regula S. P. Benedicti una cum sua constitutione legere faciant, ut tali pacto unusquisque quid pro animæ suæ salute agendum sit, certo sciat. Datum Romæ die* XX. *julii* 1655. Hæc ex tabulario sancti Michaelis de Muriano exscripsimus.

ANN. CHR. 1655.

In capitulo generali congregationum eremiticarum Camaldulensium facta fuit facultas eremitis Pedemontanis acceptandi fundationem novæ eremi in Pedemontii provincia, exhibitam a præsidente Cameræ Gaspare Granerio prope Lanzum in loco dicto Rorea, quando tamen situs judicaretur aptus eremiticæ solitudini. Visitatores itaque generales congregationum prope finem anni locum visitarunt, examinarunt, idoneumque repererunt, gratias habentes præsidenti; sed pluribus supervenientibus causis dilata fuit fundatio usque ad annum 1661. in quo de ea fusius agemus.

Obiit Liberalis Pisauro patritius Venetus & eremita Rhuensis, cujus elogium est: *Pietate, prudentia & humilitate clarus.*

ANN. CHR. 1656.

XII. Supplices libelli pro impetratione Officii SS. Camaldulensium.

EXHIBITUS fuit hoc anno die XVIII. februarii sacræ Rituum congregationi ab Odoardo Baranardo Gallo procuratore generali ordinis Camaldulensis supplex libellus, quo petebatur facultas recitandi officium

Ann. Chr. 1656.

ficium sancti parentis Romualdi qualibet feria tertia non impedita alio officio, & lectiones insuper proprias Sanctorum Camaldulensium, Alberti Senensis, Petri Damiani cardinalis, Parisii, Theobaldi, Dominici Loricati, Johannis & Benedicti, Matthæi, Isaac, & Christini martyrum Polonorum, & Bonifacii archiepiscopi martyris & apostoli Ruthenorum. Licet sacra congregatio adunata fuerit die sequenti, responsio tamen non emanavit nisi post duodecim dies, & quidem *pro officio sancti Romualdi qualibet feria* III. *non impedita, & pro lectionibus propriis; quoad primam partem: Nihil; quoad secundam: Exhibeantur lectiones examini prius subjiciendæ*. Secretarius congregationis Phæbeus electionem cardinalis Ponentis dedit in arbitrium Camaldulensis procuratoris generalis, qui elegit cardinalem Hieronymum Columnam, cardinalis autem commisit revisionem lectionum propriarum primum Taurellio auditori suo, inde Lucæ Wadingo Hibernensi consultori theologo ejusdem congregationis. Contagium, quod supervenit Urbi, rem ad multos menses protraxit tum sub Baranardo, tum sub Tiburtio Buffa, qui vices procuratoris generalis, absente Baranardo, egit. Tiburtius addidit lectiones sancti Rodulphi episcopi Eugubini, nonnullaque alia proposuit immutanda in officiorum celebratione, vel adjungenda, consentiente & approbante secretario Phæbeo, & præsertim hymnos & antiphonas proprias in festo sancti Bonifacii archiepiscopi & martyris, in officio sancti Rodulphi episcopi, atque in alio sanctorum martyrum Polonorum. Cessante flagello pestis anno sequenti mense aprili iterum admota est manus huic negotio, præsertim quia plures difficultates in medium objecerat Wadingus, puta quod Sancti, de quibus in officio petebantur lectiones propriæ, probe non constaret; quod ii omnes pertinerent ad ordinem Camaldulensem; quod non omnes descripti essent in martyrologio Romano; quod lectiones non redolerent styli ecclesiastici gravitatem, quod hymnorum concessiones difficiliores forent; quare etiam consilium dederat, ut congregatio Rituum deputaret prælatum & quatuor theologos, qui ad examen advocarent propositas difficultates. Non defuerunt ea occasione oppositiones quoque promotoris Fidei. Quapropter quarta augusti ejusdem anni oblatus fuit alter supplex libellus pro obtinenda serie & summa objectionum, ad hoc ut possent dilui; & iterum cum controverteretur, an cardinalis Ponens, vel Promotor deberet eas communicare, tertius libellus ex parte Camaldulensium traditus est die quinta-decima septembris, cui postremo congregatio respondit: *Communicatio oppositionum: Nihil*. Die itaque XVII. novembris restrictæ fuere postulationes ad Sanctos notiores omnique exceptione majores; quibus petitionibus sacra congregatio responsum dedit: *Eminentissimo cardinali Columnæ relatori deputato, qui referat*. Mense martio anni 1658. exhibita fuere eidem congregationi a procuratore generali alia correctiora officia Sanctorum Camaldulensium, quorum mentio fit in martyrologio Romano. Quid postea sequutum sit, & quommodo obtenta fuerit tum recitatio officii sancti Romualdi tertia feria, tum lectiones propriæ aliquot Sanctorum Camaldulensium, suis annis dicemus.

XIII. Translatio corporis beati Danielis oblati S. Mathiæ de Muriano.

Corpus beati Danielis oblati Camaldulensis monasterii sancti Mathiæ de Muriano, quod pluribus annis super altare proprium expositum fuerat populorum venerationi, ante seculum occasione reædificationis novæ ecclesiæ sancti Mathiæ, destructo proprio altare, reconditum extabat in capsa lignea, quæ collocata fuit in sacello dicato beatæ Mariæ Virgini, ubi perstitit usque ad diem XVII. aprilis hujus anni, prodigia

digia & curationum gratias a Deo intercedere populorum fidei nunquam desinente sancto viro. Præsenti itaque anno condita est nova capsula ex largitione fidelis & pii hominis, qui petiit, ut Danielis sacrum corpus deferretur in locum commodiorem; quare abbas monasterii tractatum habuit cum Alexandro Martinengo episcopo Torcellano; hic vero commisit Baretio Baretio suo vicario generali, qui consensit, ut ædificaretur altare marmoreum, & in eo capsa cum sacris exuviis deponeretur; id quod exequutioni mandatum est, non quidem cum pompa, sed privata actione ab abbate & a monachis die tertia aprilis anni sequentis, judicante tunc vicario Baretio huic beati Danielis venerationi obicem facere Urbanianam bullam conformiter ad verba ejusdem constitutionis. *Declaramus, quod per superscripta præjudicare in aliquo non volumus, neque intendimus iis, qui aut per communem ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia sedis apostolicæ vel ordinarii coluntur*; atque contendente, nullam ex iis exceptionibus favere venerationi sacri corporis. Sed contra vicarii judicium scripta fuit eo tempore declaratio *Mathiana venerationis*, qua probatum fuit immemorabili temporis cursu, tolerantia ordinarii, & continuata traditione per manus patrum præstitum semper fuisse cultum sacro corpori beati Danielis non solum a fidelibus proximis, sed a populis, qui de longinquis partibus venientes accedebant ad sacrum ejus depositum. Nostris temporibus accensis luminaribus, votisque appensis visitur sacrum pignus, & visitatur a frequentissimo populo, omniaque obtinet venerationis & cultus officia.

XIV. De S. Alberto Senense ad familiam Camald. spectante.

Gum dubitaretur ab aliquibus, an sanctus Albertus Senensis, qui habitaverat in monasterio Berardingæ seculo XII. esset nec ne monachus Camaldulensis, sequentem fidem fecit Franciscus Ballattus J. V. D. patritius Senensis, metropolitanæ ecclesiæ dictæ civitatis canonicus & decanus, & Senarum archiepiscopi in spiritualibus & temporalibus vicarius generalis. *Universis & singulis, ad quos præsentes pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Fidem facimus atque testamur, qualiter coram nobis ac testibus infrascriptis personaliter constituti nobiles, eques illustrissimæ & sacræ religionis divi Stephani papæ & martyris Bonaventura de Albertis, & dominus Annibal de Albertis patritii Senenses, in verbo veritatis & medio juramento, tacta Cruce & scripturis respective dixerunt, ac testati fuere beatum Albertum de Albertis originarium ex eorumdem DD. Albertorum familia semper habitum, creditum & reputatum fuisse religiosum, dum in humanis erat, congregationis monachorum Camaldulensium; talem dicti domini intellexerunt & audiverunt fuisse ab eorum antenatis, & hi a senioribus suis, nec unquam de alio ordine, figuræ depictæ dicti beati Alberti, tum quæ modo reperiuntur in domibus dictorum dominorum testificantium, quam omnes aliæ, quas ipsi viderunt de dicto Beato, semper repræsentarunt ipsum in habitu Camaldulensium, quarum una extat de præsenti in conventu fratrum sancti Augustini terræ Asciani, ac talis erat figura dicti Beati in altare familiæ de Albertis in ecclesia conventus sancti Francisci hujus civitatis, quæ anno præterito casu combusta est, & totum pro veritate deposuerunt, remotis omni odio, amore &c. In quorum &c. Datum Senis in curia archiepiscopali, præsentibus adm. R. R. D. Horatio Corona, & D. Hieronymo de Gagliardis testibus. Die XV. maji 1656. Franciscus Ballatus Decanus vicarius generalis. Carolus Prochius cancellarius de mandato.*

ANN. CHR. 1656.

In capitulo monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia sequentem memoriam majoribus suis excitavit Maurus Cursius abbas Camaldulensis: *Dominico Cursio Francisci filio Camaldulensium monachorum munifico benefactori, qui currente anno* M. CD. IV. *in monasterio sancti Benedicti extra muros capellam sancti Antonii abbatis suæ familiæ adscriptam ornavit, & dotavit; Bartholus suus filius alteram sancti Martini in eodem monasterio ædificandam curavit, quo diruto in ultima obsidione, iconem & sacra utensilia huc ad Angelos asportare cœnobitæ fecere. Maurus Cursius abbas, Antonius in seculo Camilli filius, ex recto stipite a dicto Dominico ortus, e relictis a Johanne fratre, obtenta venia, vivens de morte cogitans, hic, ubi spiritum interioris hominis recepit, hunc Redemptori commendando suo pulveri & cineri in hoc pulvere, si Deo placebit, sepulcrum, ac aliis Cursiæ familiæ dispofuit: Anno* M. DC. LVI. Ad hodiernam diem nobilis Cursia Florentina familia accedit die sacra sancti Antonii abbatis ad Angelorum ecclesiam & monasterium, ibidemque excipitur ab abbate & a monachis tum ad sanctum Antonium colendum, tum ad prandium religiosum.

Romanus pontifex Alexander VII. die tertia januarii hujus anni licentiam impartitus est Christinæ reginæ Sueciæ ingrediendi pro suo libitu eremum Camaldulensem Tusculanam cum honesto & moderato mulierum & virorum ætate & morum gravium numero & comitatu, dummodo tamen ipsa & mulieres non pernoctent intra septa eremi.

Sub die autem VII. octobris pontificatus sui anno II. ad instantiam procuratoris generalis eremitarum Camaldulensium confirmavit decretum editum mense junio proxime præterito in dieta ejusdem congregationis, ut de cetero non recipiantur ad ordinem conversi, sed eorum partes suppleant Oblati, quos præter conversos recipere consueverat congregatio. Hanc tamen approbationem suam irritavit alio brevi sub die prima februarii anni 1662. idem pontifex iterum restituens vestitionem conversorum præter Oblatos.

ANN. CHR. 1657. XV. Erectio monasterii S. Laurentii de Massaccio.

CUM in oppido Massaccii Æsinæ diœcesis, in quo sub scala cujusdam domus nocte depositæ fuerant seculo XV. reliquiæ sancti patris Romualdi, furtim sublatæ e veteri sepulcro a duobus monachis Vallis-castri, prope quod oppidum etiam jecerat eremiticæ sancti Romualdi institutionis fundamenta beatus Paulus Justinianus, & quem locum eodem seculo XV. illustraverat suo martyrio beatus Angelus monachus Camaldulensis, cum, inquam, ibidem monasterio carerent Camaldulenses cœnobitæ, Sebastianus Torellus abbas ejusdem ordinis, patria Massacciensis, collectis pecuniis, quæ ei ex patris hæreditate contigerant, opera Tiburtii Bussæ vice-procuratoris generalis Camaldulensium in Urbe, qui ex eodem oppido erat oriundus, exponens, quod in territorio Massaccii aderat dumtaxat monasterium seu abbatia sancti Angeli, subjecta tamen cœnobio sancti Severi de Perusio, sed monachis destituta & divinis minime frequentata officiis, supplicem libellum exhibuit Alexandro VII. & sacræ congregationi super Statu Regularium, facultatem efflagitans erigendi in eo oppido monasterium. Sacra congregatio negotium commisit cardinali Alderano Cibo episcopo Æsino, qui favorabile reddens responsum, obtinuit abbati propitium decretum tum Romani pontificis, tum ejusdem sacræ congregationis, quo facta fuit illi copia monasterium ædificandi, tributis novo cœnobio assignationibus trium parochorum ejusdem oppidi, & titulo abbatiali sancti Angeli translato ad præ-

positu-

Ann. Chr. 1657.

posituram sancti Larentii, duæ pariter curæ oppidi ad unam redactæ, abbas demum emptione proximarum domorum locum ampliavit, ac formam dedit novo monasterio, quod erectum post decretum Innocentii X. anni 1652. subjectum fuit jurisdictioni episcopi Æsini. Situs etiam ejusdem scalæ opera præfati abbatis conversus est in parvum oratorium convenienter ornatum. Subjungimus autem Romani pontificis Alexandri VII. decretum: *Sanctissimus Dominus noster audita relatione eminentissimi cardinalis Cibo episcopi Æsini, ecclesiam seu abbatiam sancti Angeli una cum omnibus oneribus, juribus, & pertinentiis suis, præsentis decreti vigore, perpetuo unit & incorporat memoratæ ecclesiæ, præpositurae nuncupatæ, sancti Laurentii, non obstante regula de Unionibus, ceterisque contrariis quibuscumque, ita tamen, ut eadem præpositura ad formam monasterii reducatur, cum ecclesia, campanili, sacristia, choro, claustris, dormitorio, refectorio, aliisque officinis, hortis, & clausura, cum debita suppellectile tam sacra, quam non sacra, pro usu & habitatione monachorum necessaria, in eoque deinceps perpetuo degere teneantur, & cum effectu degant abbas, & quatuor saltem monachi maturæ ætatis & probatæ vitæ, cum uno converso, quorum alter ab ordinario approbandus animarum curam personarum secularium eidem monasterio incumbentem exerceat, & tam ipsum monasterium & ecclesia, quam personæ ibi degentes subsint visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni ordinarii loci, tamquam sedis apostolicæ delegati, donec habuerit redditus sufficientes ad alendos duodecim saltem religiosos, ipsique realiter, & cum effectu in eo habitaverint ad constitutionum apostolicarum præscriptum. Voluit tamen sanctitas sua, ut monachi in dictum monasterium non prius introducantur, quam eminentissimus cardinalis episcopus illud visitaverit, & habitationi monachorum cum debita regulari clausura, ac ceteris, ut supra, necessariis aptum & decens esse cognoverit, monachorumque introductioni locum esse declaraverit. Datum Romæ die* VIII. *novembris 1657. B. cardin. Spada. P. Fagnanus secretarius.* Relatio cardinalis Cibo in epistolæ modum ad cardinalem Spada data est die VII. septembris. Responsio autem congregationis ex mente summi pontificis est ad supplicem libellum generalis abbatis Camaldulensium, qui expetierat, ut informatio hujusmodi peteretur a novo episcopo Æsino Cibo, electo ob renuntiationem episcopatus ejusdem factam a cardinale Corrado.


XVI. De corpore S. Argyridis in ecclesia Classensi.

In ecclesia sancti Romualdi Ravennæ monachorum Camaldulensium expositum fuit publicæ fidelium venerationi corpus sanctæ Argyridis martyris, quod dono dederat anno præcedenti Gregorio Maldentio abbati & iisdem monachis Classensibus præfatus cardinalis Alderanus Cibo, qui eo ipso anno idem corpus receperat a Romano pontifice Alexandro VII. retento apud se vase vitreo, sed fracto, sanguinis, ceterum carente palmæ & crucis signo. Hac occasione Ravennæ editi fuere *Plausus poetici* dicati eidem cardinali, qui hoc anno jam evaserat episcopus Æsinus ex Romandiolæ legato. Recognovit sacrum corpus Claudius Angeluccius vicarius generalis archiepiscopi Ravennatis; facta quinimmo fuit facultas ipsum corpus exponendi a cardinale Martio Ginetto Urbis vicario. In ipsa relatione dicitur combustionis signa apparuisse in ejus manu, martyrium proinde denotantia. Anno 1660. Ravennam venit Daniel Papebrochius celebris e societate Jesu collector & editor vitarum Sanctorum, ostensumque ei fuit sacrum corpus, qui statim monachis scrupulum injecit circa ipsum. Sed Papebrochium eumdem audiamus: „ Cum „ anno 1660. venissemus Ravennam, & vigesima die novembris ingressi

„ orna-

ANN. CHR. 1657.

„ ornatissimum templum novi Classensis intra urbem monasterii adora„ vissemus sub majori ara quoddam corpus sacrum illic depositum, &
„ decentissime conditum a quodam cardinale legato, admoniti esse san„ ctæ Argyridis matronæ & martyris Græcæ, cujus ibi festum quotan„ nis ageretur die XXIV. aprilis, ducti sumus post altare, ut spectare„ mus marmor tres aut quatuor pedes longum, altum vero unum,
„ quod cum corpore illo pariter allatum fuerat, his inscriptum notis. “



Hæc inscriptio nonnihil differt a Papebrochiana, sicut etiam differunt signa inter literas, quam nos hoc ipso anno 1763. diligenter exprimi, lignoque incidi oravimus, dum essemus mense majo hospites in monasterio Classensi. Verum Papebrochii verba prosequamur. „ Roga„ bant adstantes, ut ipsum sibi Latine redderemus. Hanc ergo inter„ pretationem eis scriptam reliquimus: *Dulcissimæ mulieri Argyridi Tro„ phimus maritus; annis vixit* XXXVI. monuimusque removendum a tem„ plo videri saltem lapidem, qui natus esset scandalum parere intelli„ gentibus, & mulieri forsan ethnicæ positus, ac deinde a Christianis
„ fuisset allatus in cryptam, ut alicujus martyris loculo claudendo ser„ viret pro latere. Nam illa corda (isthic enim, ubi nos literam V.
„ posuimus, notula quædam erat aliquam speciem præbens transfixi
„ cordis) si vera sunt corda, solum esse inditia doloris, quem mari„ tus hauserit ex jactura tam caræ conjugis. Quod in pluribus aliis eth„ nicorum epitaphiis videre erat. “ Laudavit ut pium Papebrochii consilium Mabillonius aliquot post annos in epistola [a] sub nomine Eusebii Romani de cultu Sanctorum ignotorum; qui inde affert ex eodem Papebrochio, quod „ cum Ravennati archiepiscopo innotuisset hujusmo„ di de lapide isto judicium, hic sacram congregationem, quæ super
„ Indulgentiis sacrisque Reliquiis Romæ instituta est, consuluit, & res„ ponsum accepit, non solum removendum lapidem, sed ipsum quo„ que illud corpus, quod martyris esse nullo certo argumento patebat,
„ restituendum domino cardinali, qui ipsum donaverat. “ Quod exequutioni mandatum fuisse non dubitat Papebrochius. Sequitur Mabillonius. „ O dignum certe Romana gravitate judicium sacræ illius congre„ gationis, a qua sine dubio omnino sententia in similibus factis spe„ randa est, si de his pariter consulatur. “ Marcus-antonius Boldettus [b] in suis observationibus ad cœmeteria SS. martyrum non alio fundamento a Papebrochio & a Mabillonio rejectum lapidem Argyridis demonstrat, quod cor transfixum indicium sit doloris, commune apud Christianos & Ethnicos, quam notam potius fuisse interpunctationem variis exemplis in medium adductis ipse declarat, ita ut argumentum ex

eodem

a Cap. XXI.

b Lib. I. cap. LI.

eodem corde transfixo duci nequeat, quod corpus Argyridis fuerit mulieris paganæ. Deinde Mabillonium arguit putantem „ palmarum ambiguum indicium, quippe quæ non sint palmæ triumphales, sed funebres cupressi; " quod negat Boldettus, cum a cupressibus toto cœlo differant palmæ, palmasque affirmat verum esse martyrii signum; demum concludit, „ quod si ad inscriptiones lapidis notulæ illæ non sint virgulæ, sed palmæ, validum adsit argumentum existimandi corpus Argyridis non mulieris ethnicæ, sed Christianæ esse, & etiam martyris, cum extractum fuerit a cœmeteriis Romanis. " Ex superiori genuina inscriptione a nobis adducta perspicuum putamus notas illas interpuntationes esse, divisionesque literarum. Multo tempore disceptatum fuit in Romana congregatione circa meritum cultus corporis Argyridis, multæque hinc inde conscriptæ epistolæ, asserente etiam cardinale Cibo penes se fuisse olim vas vitreum sanguinis, quamvis fractum; donec sub Marino Bonetto Ferrariensi abbate Classensi, & Gregorii Maldentii successore, circa annnm 1666. jussu Alexandri VII. & sacræ congregationis super Reliquiis Sanctorum vetita fuit cultus prosequutio, corpusque Argyridis alibi translatum, & sepultum, adeout nulla amplius ipsius perseveret memoria.

XVII. De Odoardo Baranardo procuratore generali Camald.

ODOARDUS Baranardus Gallus natione, professus autem monasterii sanctæ Mariæ de Carceribus, abbas & procurator generalis ordinis Camaldulensis in Urbe, inductus a Laurentio Honesti, qui erat a secretis cardinalis Francisci Brancaccii, proposuerat Mario fratri summi pontificis Alexandri VII. receptionem oratoris regis Portugalliæ, qui obtulerat viginti-quinque mille nummos aureos, vulgo duplas, si sui publica receptione rex Portugalliæ ab apostolica sede recognosceretur, quod negotium ad effectum perducere nequiverat orator regis Galliarum. Lusitanum siquidem regnum occupaverat Sebastianus Bragantiæ dux, miseratque in Urbem, qui regii legati partes ageret Dominicum Sosiam Lusitanum; verum omnia obsistebant Romæ, ne tamquam regis legatus exciperetur, neve rex ut legitimus agnosceretur. Marius fratri pontifici rem manifestavit, & jam conflata fuerat in Ghisios, ex cujus familia erat pontifex, invidia Hispanorum, quibus Portugalliæ regnum ereptum fuerat. Ut itaque a suis omnem Alexander averteret invidiam, simulque ut se ostenderet ab auro alienum, consilium recusavit, atque ut omnis vel suspicionis umbra tolleretur, tacite misit Hieronymum Farnesium, qui postea fuit cardinalis, ad Baranardum, quatenus nulla interposita mora loco cederet, & Perusium se conferret, ut de seipso narrat idem Baranardus in epistola hoc anno scripta. Dominicus Sosia regis Portugalliæ minister præcipuusque consilii auctor pluries subiit vitæ discrimen. Demum Baranardus a curia Romana exul deinceps rexit monasteria congregationis in ditione Veneta, suffectusque est ei in procuratorem generalem Petrus Ferraccius etiam ipse Alexandro VII. acceptissimus.

Ante discessum suum ab Urbe idem Odoardus Baranardus procurator generalis Camaldulensium obtinuit a præfato pontifice s b die XX. martii pontificatus anno secundo bullam adversus abusus abbatum commendatariorum in monasteriis Camaldulensibus, qui adversantes scitis sacri concilii Tridentini, jus, curam & administrationem sibi vindicabant in monachos abbatiarum sibi commendatarum, eos corrigendo, visitando, expellendo, priores claustrales instituendo & privando, impediendo visitationes abbatum generalium & superiorum regularium, & demum jus sibi arrogando in spoliis defunctorum monachorum. Mandavit itaque

ponti-

ANN. CHR. 1657.

pontifex nuntiis apostolicis, ordinariis locorum, & conservatoribus privilegiorum & jurium ordinis Camaldulensis, ut compescerent hanc usurpationem jurisdictionis abbatum commendatariorum in Camaldulensia monasteria, inhærens etiam decretis & resolutionibus sacræ congregationis cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præpositæ. Alexandri constitutio potissimum feriebat Georgium Cornelium episcopum Patavinum & abbatem commendatarium Vangaticiæ, & ad instar Camaldulensis impetrationis aliæ quoque monasticæ congregationes apostolica brevia obtinuerunt ad favorem suarum commendatarum abbatiarum, sicut ante Camaldulenses ab Innocentio X. consimilem prohibitionem constitutione, quæ incipit *Pastoralis*, alia quoque *Exponi nobis*, obtinuerant monachi Cistercienses adversus abbates commendatarios suorum monasteriorum.

XVIII. Piorum eremitarum obitus

PESTILENTIAE morbo correptus decessit in eremo sancti Salvatoris a Prospectu Neapolis Augustinus eremita Coronensis ex eadem urbe oriundus, dum prioris ibidem officio fungebatur. Dies emortualis fuit XXIX. septembris, professus autem fuerat in eremo Coronatæ die X. augusti anni 1608. Edidit sub nomine anagrammatico Johannis Sancti ordinis sancti Benedicti: *Il prelato Religioso*; Neapoli 1652. in 4. per Honuphrium Savium. Præterea: *Breve istruzione per eccitarsi a far profitto nell' orazione tanto mentale, quanto vocale*. Extat ms. opus in archivo sancti Leonardi ad Lungariam de Urbe. Librum Prælati religiosi magnifaciunt plures docti viri, præsertim ex societate Jesu, quia edocet exactum modum regendi spiritualia & temporalia in monasteriis; qua in re Augustinus excellebat. Solitus erat Augustinus appellare beatissimam Virginem Mariam, cujus erat devotissimus, *marchionissam vallis*, dominam scilicet hujus vallis lacrymarum.

In monte autem Argentino regni Poloniæ obiit Adalbertus Cracoviensis eremita similiter Montis-coronæ, & theologiæ ac sacrorum canonum doctor insignis, qui professionem emiserat anno 1625. Multa theologica opera composuit, quæ custodiuntur in dicta eremo; disputavit etiam pluribus vicibus contra Lutheranos palam & privatim coram eremitis suis, aliisque doctis viris, & hæreticos semper profligavit. Illustre elogium texit de ejus doctrina, quæ Romam usque pervenerat, Fidentius Erasma solitarius Rhuensis in suis monumentis mss. qui mortem etiam alterius eremitæ Athanasii Cracoviensis sub hoc ipso anno mense januario ponit, cujus scripta ab invidis igne consumpta scribit; is ex doctore sacrorum canonum professionem eremiticam assumpserat in eadem Argentinensi eremo die VIII. decembris anni 1622.

Mortem quoque oppetiit Johannes jacobus Bespinus monachus Camaldulensis auctor Arboris Sanctorum & Beatorum ordinis Camaldulensis, quod in folio maximo edidit Romæ anno 1653. sicut etiam vitam illustravit sancti patris Romualdi a sancto Petro Damiano conscriptam cum literis suis nuncupatoriis ad sanctum patriarcham: Romæ typis Ignatii de Lazaris. De Bespino mentionem facit Jacobillius tomo II. Sanctorum Umbriæ pagina 331.

ANN. CHR. 1658.

XIX. Petrus Ferraccius electus generalis.

PER breve apostolicum Alexandri VII. Romani pontificis die secunda maji electus est in supremum ordinis Camaldulensis præfectum Petrus Ferraccius Cremonensis, qui insignis concionator Verbum Dei per illustriores Italiæ urbes eatenus disseminaverat, magnumque sibi nomen fecerat, ita ut Spoletana urbs civitatis titulo ipsum decoraverit, &

car-

Ann. Chr. 1658.

cardinales Medicei, ipseque serenissimus Magnus-dux Etruriæ in theologum suum creaverint. Ope eorumdem cardinalium & commendatitiis literis Desiderii Monte-magni secretarii Magni-ducis, Volumnii quoque Bandinellii, qui fuit postea S.R.E. cardinalis, Prosperi etiam Fagnani, anno antecedenti promotus fuerat ad procurationem generalem ordinis in Urbe, ut vidimus, abscedente Odoardo Baranardo. Mediceæ quoque domus favore obtinuerat præteritis annis reductionem corporis sancti Apollinaris ad antiquam suam basilicam Classensem contra molimina canonicorum Ravennatum. Additi sunt ei in visitatores Maurus Cursius Florentinus, & Ambrosius Tartalea de Abbatia Pollicinii, sed hoc post biennium defuncto, suffectus Albertus Giupponius Venetus, sicut ob electionem Mauri Cursii primi visitatoris in episcopum San-miniatensem subrogatus Petrus de Petris Monsabinas. Duravit in regimine Ferraccius usque ad annum 1664. Pro exaltatione ipsius ad generalatum odem cecinit Franciscus Lollius Ravennas editam Ravennæ & Lucæ anno 1661. Lollio respondit altero carmine Faustus Arditius Pisaurensis academicus Apatista & monachus Camaldulensis. Aliam odem idem Lollius edidit hoc ipso anno, aliamque pariter orationem habuit in dieta Faventiæ anno sequenti præfatus Faustus Arditius, cui titulum fecit *Tripus aureum*. Panegyrim demum texuit in laudem Ferraccii Jacobus Laderchius patritius Faventinus, recitavitque in eadem dieta anni 1659.

Florebat hoc tempore in monasterio Classensi Lælius Ravellus, cui die XX. februarii facta fuit facultas edendi cursum philosophicum ab illo consarcinatum pro alumnis Classensibus.

XX. Pii eremitæ Apollinaris Guicciolii mors.

Pie decessit Apollinaris Guicciolius patritius Ravennas & eremita Camalduli-majoris in Etruria, cujus loci prioratum gessit, non Majoratum, ut existimavit Hieronymus Fabrius in suis memoriis Ravennatibus. Præter insignem religionem, regularemque observantiam, ob quam etiam meruit ad tempus reclusionem cellæ in eadem eremo, caritate excelluit in proximos, præsertim anno 1631. quo una cum Samuele Sestino Biblenate altero eremita ministravit sacramenta, & verbum Dei peste infectis in xenodochio Anglariense, neque pericula mortis formidavit, a qua tamen Deus utrumque immunem reddidit. Versatissimus erat insuper Apollinaris in disciplinis mathematicis. De ipso cum laude loquitur Seraphinus Pasolinus in historia edita Bononiæ anno 1703. & servantur apud nobilissimos posteros ejus familiæ Ravennæ epistolæ piissimi & doctissimi eremitæ.

Ann. Chr. 1659.

XXI. Monasterium Montis-celesii datum eremitis Etruriæ.

Veterem historiam parthenonis sanctæ Mariæ-angelorum de Monte-cellesio milliario cum dimidio distantis ab urbe Senensi in commune sancti Almatii illustravimus in his Annalibus ad annum 1063. Progressu temporis & præsertim ob varios casus, qui contigerunt eidem urbi Senensi seculo XVI. habitabant ibidem moniales sanctorum Prosperi & Agnetis dictæ urbis, appellatæ postea sanctæ Mariæ, alias *Le Trafisse*, quæ anno 1537. die trigesima julii in urbem Senensem redeuntes monasterium cum ecclesia Montis-cellesii concesserunt fratribus minoribus sancti Francisci ordinis Cappuccinorum. Paginam donationis confecit Ambrosius Catharinus Politi Senensis insignis ordinis Prædicatorum alumnus. Cautum in ea pagina, ut si quando fratres Cappuccini locum Montis-cellesii desererent, monasterium & ecclesia cum ædificiis, bonis & ornamentis supervenientibus redire deberent iterum ad sanctimoniales. Inter ipsius conventus fratres vixit ad tempus Bernardinus Dominici Thoma-

Ann. Chr. 1658.

sini Senensis, vulgo dictus Ochinus. Cum autem præsenti seculo novus pro fratribus Cappuccinis conventus ædificatus esset ex piorum largitione extra & prope muros Senensis urbis, primum locum dereliquerunt; quare Alexander VII. pontifex maximus eremitis Camaldulensibus Etruriæ optime affectus ipsum monasterium & ecclesiam tradidit iisdem eremitis, ut ibidem solitudinem fundarent pro duodecim ascetarum domicilio, quandoquidem sufficientes redditus pro eorum substentatione contribuebant tum ipsa eremus Camaldulensis, tum hospitium in urbe Florentina, tum demum altera eremus sancti Johannis-baptistæ de Cortona, committens propterea archiepiscopo Senensi aut ejus vicario, ut in possessionem loci eosdem eremitas inducerent. Datum die XX. augusti. Verum jus in ipsum derelictum monasterium & ecclesiam prætendebant supradictæ sanctimoniales; quare alio brevi emanato die XXI. septembris hujus anni pontificatus sui V. derogandum censuit quibuscumque monialium prætensionibus. Missi itaque fuere e Camaldulo-majori ad eremi possessionem ineundam die XXII. februarii anni sequentis indictione IX. Hiacynthus & Oddo eremitæ, qui erant visitatores generales sub Angelo Nenci Senense Camaldulensium eremitarum Majore; & die XXVIII. ejusdem mensis Franciscus Ballatus vicarius generalis archiepiscopi Senensis ecclesiam & locum ipsis tradidit, qui brevi tempore ad eremi formam fuit redactus.

Sacra congregatio episcoporum & regularium negotiis præposita anno 1655. decretum ediderat contra Georgium Cornelium abbatem commendatarium Vangaticiæ, qui jus sibi vindicabat institutionis, destitutionis, visitationis & correctionis prioris regularis & monachorum residentium in eo monasterio, ac arcebat visitatores & prælatos regulares. Iterum speciali bulla vetaverat anno 1657. Alexander VII. hunc commendatariorum abusum. Verum cum idem Cornelius commendatarius perseveraret in usurpatione ejusdem sibi indebitæ jurisdictionis, instante Petro Ferraccio abbate generali congregationis Camaldulensis, iterum hoc anno die XIX. septembris idem pontifex novam bullam confecit, prohibens potissimum & speciatim ipsi Cornelio abbati exercitium dicti juris, mandans nuntiis apostolicis & locorum ordinariis, ac conservatoribus ordinis Camaldulensis, ut ipsum ceterosque abbates commendatarios etiam per censuram compescerent ab hujusmodi usurpatione.

XXII. Res ad Camaldul. historiam spectantes.

THADDÆUS Tertius, qui bis fuerat abbas generalis, abbas cum esset hoc anno monasterii sancti Damiani de Bononia, Bononiæ edidit, & dicavit cardinali Hieronymo Farnesio legato a latere Bononiæ vitam beati Guidi comitis Montis-martis monachi Camaldulensis discipuli sancti Romualdi scriptam a Francisco Lollio Ravennate, conjunctam cum vita beati Reginaldi exarata a Francisco Gianetti patritio urbis Aquæpendentis, & cum tertia beatæ Angelinæ monialis tertiariæ ordinis sancti Francisci scripta a Ludovico Jacobillio, utriusque ex eadem Montis-martis familia.

Matthias Marcellus Venetus patritius, professus sancti Michaelis de Muriano & abbas Camaldulensis, vir pietate, doctrina & dexteritate in agendis rebus conspicuus, qui etiam jampridem dignitatem abbatialem dimiserat, ut eremita Rhuensis evaderet, inde ad monasticum claustrum reversus, obiit hoc anno. De eo fit mentio in historia Opitergina Hermolai Albritii, cum laude scientiæ & vitæ bonitatis.

Ex numero autem eremitarum Coronensium decessit die XIII. septembris in eremo sancti Clementis Venetiarum Jordanus Muneghina Patavinus,

vinus, doctor, theologus, prudens, pius, hilaris, discretissimus, qui supremas in congregatione Coronensium obiverat dignitates. Octuagenarius etiam vitam clausit Venantius a Sublaco professus Montis-coronæ ab anno 1618. Erat excellens pictor, & reliquit plura artis suæ monumenta in eremis Rhuæ, Vicetiæ, Brixiæ, Germaniæ, & Poloniæ, præter memoriam optimæ indolis & præclaræ virtutis.

ANN. CHR. 1659.

Demum septima aprilis e vivis excessit Aloysius Capponius S. R. E. cardinalis & singularissimus patronus ordinis Camaldulensis. Alexander VII. suffecit in ejus locum ad Camaldulensium protectionem Volumnium Bandinellium Senensem alterum S. R. E. cardinalem.

ANN. CHR. 1660.

XXIII. Capitula Camaldulensia ad quinquennium redacta.

ALEXANDER VII. die XXII. martii pontificatus anno V. capitula generalia monachorum congregationis Camaldulensis, quæ initio annualia, ad triennium redacta fuerunt a Clemente VIII., reduxit ad quinquennium, ita ut non nisi post quinque exactos annos celebrarentur, & abbates generales cum ceteris officiis, & prælati monasteriorum regimen protraherent ad quinquennium, *prout*, subdit, *observatur in congregatione Casinensi, cujus institutis dicta congregatio Camaldulensis se se conformat*. Ne autem intra tantum temporis spatium viderentur negligi res congregationis, præcepit, ut inter duo capitula generalia saltem tertio cujuslibet intercurrentis quinquennii anno convocaretur prælatorum dieta, quæ eatenus celebrata fuerat quolibet anno non impedito convocatione capituli generalis. Alexandri constitutio ad hodiernam diem observatur, & viget.

XXIV. Abbatia S. Mariæ de Crypta oblata Camald. monachis.

FRATER germanus ducis Cæsarini præsul & abbas commendatarius obtulit hoc anno Aloysio Matthæjo monacho sancti Gregorii de Urbe, & per ipsum eidem congregationi Camaldulensi abbatiam sanctæ Mariæ de Crypta ordinis sancti Benedicti *Nullius diœcesis*, sitam tamen intra fines Beneventanæ in valle Vitulani, & inter altissimos duos montes, quorum alter mons Pezzutus, alter *la Serra-abbatis* appellabantur, recens derelictam a monachis congregationis Cœlestinæ, quæ erat a LXX. annis de jure patronatus familiæ suæ. Aderat ibidem vetustissima imago beatæ Mariæ Virginis prodigiosa ob miracula & frequentiam populorum, abbatia autem immediate subdebatur apostolicæ sedi, ex literis Alexandri III. anno 1177. Alexandri IV. 1254. Urbani IV. 1262. & aliorum Romanorum pontificum. De hac abbatia verba facit in archiepiscopis Beneventanis Ughellius [a], fundatam asserens ab Atenulpho I. Beneventano & Capuano principe circa annum Domini 940. & a Benedictinis monachis excultam usque ad annum 1443. quam in commendam deinceps concessit Nicolaus V. Sequitur Lubinus in notitia abbariarum: [b] „ Innicus de Avalos cardinalis de Aragonia commendatarius abbas, & „ Cœlestinorum monachorum protector eisdem abbatiam, mensa con„ ventuali assignata, attribuit. Verum cum a prædonibus assidue infe„ starentur, veteri ecclesia relicta & monasterio, in humiliorem mon„ tis partem concessere, ubi restaurata sancti Spiritus grangia, conti„ guum eidem monasterium ædificare ceperunt ab anno 1649. ut te„ statur D. Guicciardini in relatione ms. „ Eodem forte metu perciti monachi Camaldulenses vel oblationem respuerunt, vel oblatum locum brevi dereliquerunt, cum nulla alia apud nos supersit memoria, nisi epistola Alberti Giupponii abbatis ad generalem Ferraccium, quæ continet hujusmodi narrationem una cum nota bonorum ejusdem abbatiæ. Ex

a T. *VIII. col* 8.

b *Pag.* 115.

Ann. Chr. 1660.

ipsa etiam colligitur, quod hujusmodi negotium abbas commendatarius reposuerat in manibus Prosperi Fagnani.

XXV. Sancta mors Julii-thaddæi Guaschi eremitæ Mantuani.

Sancte quievit in Domino hoc anno die xix. martii in eremo Mantuana Fontanæ Julius Thaddæus Guascus ab Alexandria-Paleæ. Is Alexandri nomine in baptismate accepto, cum vigesimum-secundum ætatis suæ annum attingeret, opulentam hæreditatem & primogenituræ jus cedens Guarnerio fratri, primum nomen dedit in ordine fratrum Minorum Cappuccinorum, in quo viginti-duobus annis vixit, appellatus frater Carolus, evasitque doctus theologus & pius concionator. Majoris solitudinis amore captus expetiit societatem eremitarum Camaldulensium Etruriæ. Post duos menses a professione, quam emisit die xxix. aprilis anni 1634. obtinuit reclusionis licentiam, concedi non consuetam, nisi post quinquennium a professione. Petitione Caroli I. Gonzagæ Mantuani ducis Mantuam missus ad novam Fontanæ eremum, eamdem reclusionem viginti-sex annorum spatio coluit, exceptis iis horis, quibus conferebat, & conscientiam moderabatur piissimæ feminæ principis ex eadem Gonzaga familia, quæ tum cellam divi Pauli suo confessario construxit, tum ceterorum eremitarum fuit quodammodo mater. Apud ceteros principes ejusdem domus gratiam & venerationem semper obtinuit Julius, immo apud cives omnes, ita ut ad ipsius sepulcrum in loco capituli pependerint multo tempore tabellæ votivæ, ob impetratas a Deo ejus intercessione gratias, quæ modo sublatæ sunt ob novam capituli constitutionem, vel translatæ ad capellam Rosarii, ubi multæ ejus generis sunt, sed non indicant, an intercessione famuli Dei obtentæ fuerint curationes in tabellis signatæ. Concinnavit pius eremita opus pro adjuvandis animabus in agone constitutis, collectis simul absolutionibus omnibus, quæ in vitæ discrimine conferri possunt, aliaque excerpsit ex piorum virorum libris, quæ omnia ms. conservantur in bibliotheca ejusdem eremi Fontanæ. Habemus apud nos vitæ Julii compendiariam descriptionem in epistola domni Cœlestini eremitæ Mantuani ad Fidentium Erasmam eremitam Rhuensem scripta die xiv. aprilis hujus anni, statim post obitum sancti viri.

Inter Coronenses vero eremitas in solitudine Rhuensi defunctus est Serenus Patavinus oratione & sui contemptu illustris; sicut etiam circa hoc tempus Constantinus de Allegna eremita ex clerico regulari Theatino, omnibus religiosis virtutibus ornatus, ut legitur in catalogo eremitarum defunctorum cum opinione sanctitatis. Inter Polonos Firmianus celeberrimus musicus operibus etiam editis insignis, defunctus est in monte Argentino.

Decessere inter monachos Angelicus Provedalis, ante susceptum cucullum Vincentius, abbas, traductione aliquot sacrorum librorum in Italicum versum clarus. Vide ad annum 1652. Ambrosius Tartalea ex Abbatia Pollicinii, qui erat visitator, & versatissimus in mechanicis disciplinis, ac Maurus Ruggierius ex professione sancti Mathiæ de Muriano, qui fuerat etiam abbas generalis congregationis. Reliquit Maurus memorabilia sui temporis, aliaque opera tum edita, tum mss., ac de ipso meminere Leo Allatius in Drammaturgia sacra, Bombacius de claris Bononiensibus, Nicolaus Toppius in bibliotheca scriptorum Neapolitanorum, & Donatus Milcettius Faventinus monachus Camaldulensis, qui vitam ejus descripsit ms. in bibliotheca sancti Michaelis de Muriano.

In inferiori Vindocinatu, loco dicto *la Gavolerie* in parœcia de *Bessé* prope

prope *Courtenuaux* erecta fuit hoc anno ad eremitarum Camaldulensium incolatum solitudo sub titulo sancti Ægidii in diœcesi Cenomanensi.

Ann. Chr. 1660.

Ann. Chr. 1661.

XXVI. Fundatio eremi Montis-pacis in Lithuania.

DUM regnum Poloniæ bellis erat oppressum, barbarisque incursionibus finitimorum Tartarorum frequentissime graviter exagitatum, post miserabiles ruinas, quas in dictum regnum invexerant Moscovitæ, Sueci & Transilvani, post intestinas discordias dissensionesque magnatum, post sublata commercia & exhausta æraria, post ceteras bellorum socias pestis & famis clades, commoti plures ejus regni dynastæ, ut justam Dei iram placarent, animum suum intenderant, alii ad largas eleemosynas pauperibus erogandas, alii ad restauranda vetera templa, alii ad ædificanda nova monasteria & ecclesias. Sed nullus ipsorum generositatem religionemque superavit Christophori-sigismundi Pac sive de Pactiis, qui tunc in Polonia illustri officio fungebatur magni-cancellarii ducatus Lithuaniæ. Is ex nobilissima erat Florentina Pactiorum familia, cujus majores seculo præcedenti Mediceorum potentiæ impares, e patria extorres, se in magnum Lithuaniæ ducatum contulerant, ubi divitiis & affinitatibus conspicuis pollebant; ipse vero Christophorus post plurima præstita regno Poloniæ servitia ad supremam cancellarii dignitatem pervenerat, & capitaneus erat octo vel decem urbium; nempe Caunensis, Pinscensis, Wilkowiscensis, Wilkiensis, Kleszczelensis, Ostrynensis, Kozienecensis, Niemonecensis, & œconomiæ Olitensis administrator. Fratruelis ipsius palatinatum obtinebat urbis Vilnæ metropolis ducatus, magnusque erat imperator exercitus Lithuani. Fratrem pariter habebat ejusdem urbis episcopum, alter e sua familia episcopus erat Samogitiæ. Cum ergo Christophorus plenam haberet cognitionem instituti eremitici Camaldulensis, de quo relationem hauserat, cum fuerat in Italia, cujus etiam bonus odor diffluebat per totam Poloniam in recentibus eremorum fundationibus, exemplo etiam motus Nicolai Pac episcopi Samogitiæ patrui sui, qui cum in Italia degeret, sic affectus erat patribus Coronensibus, qui solitudinem Rhuensem in diœcesi Patavina incolebant, ut statuisset episcopatum dimittere, quo habitare cum ipsis posset, qui etiam ad mortem veniens ibidem tumulatus fuerat, cogitavit novam fundare eremum in bonorum suorum finibus. Scripsit ergo epistolam Silvano Bosello eremitæ Veneto, tunc vicario ordinis in Polonia, & Hieronymo natione Lithuano alteri eremitæ, ut se in Lithuaniam conferrent pro idoneo loco examinando. Neglexerunt equidem aliquo tempore de his admoniti Coronenses prælati commissionem tradere ad hocce negotium perficiendum, itaut Cartusiani opera episcopi Vilnensis curaverint interea se substitui in nova fundatione; quod tamen effectum sortitum non fuit, ob præcipuum studium amoremque cancellarii erga eremitas Camaldulenses. Demum Silvanus vicarius generalis in Poloniæ regno præfato Hieronymo Lithuano commisit, ut loci habitudine perspecta, matureque considerata, novæ eremi fundationi initia daret, quod tamen præstitum non fuit, nisi præsenti anno *1661*. Veniens ergo Varsaviam Hieronymus prior alloquutus est cancellarium jam optime dispositum. Obtenta fuit sedis apostolicæ licentia, consensus etiam habitus est patrum Coronensium eodem anno mense majo in dieta celebrata in eremo Camalduli Etruriæ, & anno *1663*. primus novæ eremi superior designatus est idem Hieronymus eremita. Locus destinatus pro eremo condenda fuit silva appellata Pozaytie prope flumen Niem Lithuaniæ principale super collem aliquatenus elevatum, sed mutato nomine

Ann. Chr. 1661.

mine appellatus fuit a fundatore Mons-pacis. Episcopo propterea Vilnense Georgio Biattozor facultatem faciente, provisorie erecta est ecclesia lignea, & cellæ ligneæ ædificatæ anno 1664. & licet anteactis diebus & noctibus irremissæ pluviæ decidissent, die tamen sexta novembris, quæ decreta fuerat pro capienda loci possessione, interventu ejusdem episcopi, duorum canonicorum, magni-cancellarii & aliorum magnatum, nec non cleri urbis Caunensis leuca distantis ab eremo, celebrata fuit Missa pontificalis, publice inter ejus sollemnia orante priore ordinis Prædicatorum conventus Caunæ. Lectum est autem amplissimum donationis diploma, quod scriptum fuerat a Christophoro die III. novembris ejusdem anni, in quo etiam nominabat totam cognationem familiæ suæ tum defunctorum, tum viventium, & tam ex sui, quam ex uxoris parte. Duo campana æramenta post quadriennium ecclesiæ eremi donavit pius fundator. Super primam, quæ erat ponderis trium millium librarum hæc epigraphes inscripta erat: *Anno a virginali partu 1664. mense januarii. Quo tempore Johannes-casimirus rex Poloniæ ac magni ducatus Lithuaniæ magnus dux Moscoviam, Michaele Pac campi ductore, & Christophoro Pac magni ducatus Lithuaniæ supremo cancellario regios exercitus conductoribus feliciter penetraverat, plurima loca subjugaverat, & Suinsu Ruthenorum schismaticorumque monasterium in suam potestatem redegerat, & pro merito funditus complanaverat, campanam hanc ab omnibus infortuniis bellicis conservatam & ad manus prænominati M. D. Lithuaniæ supremi cancellarii perlatam, heremo patrum Camaldulensium a se in Monte-pacis in Lithuania pie fundatæ ad incrementum catholicæ fidei & ecclesiæ ornamentum atque regionis, libere & generose obtulit, donavit, dicavit prima die januarii anno 1666. suæ vero ætatis 44.* Altera campana sequentem ferebat inscriptionem: *Honori præpotentis Dei ad tranquillum Camaldulense nemus Christophorus Pac supremus magni ducatus Lithuaniæ cancellarius hanc campanam memor officii tui instrumentum fac in profunda heremi solitudine pii fundatoris sonorum nomen. Anno 1666. die prima januarii.* Anno 1667. instante eodem cancellario eremus Montis-pacis erecta fuit in prioratum & in domum probationis; die XX. octobris prima fundamenta posita fuère ecclesiæ lapideæ cum hac inscriptione super tabulam argenteam in ipsis fundamentis jactam. *Humani generis redemptori Christo Jesu, beatissimæ virgini Mariæ Elisabeth visitatum eunti, cujus honori & nomini ecclesia hæc dedicata est, sanctissimis patribus Benedicto & Romualdo, ceterisque hujus magni & inclyti ducatus Lithuaniæ patronis, illustrissimus & excellentissimus dominus Christophorus-sigismundus Pac supremus magni ducatus Lithuaniæ cancellarius cum Genovefa Isabella de Malli Lascaris consorte sua carissima, sanctissimi Alexandri VII. papæ jamdudum felicis recordationis mediante, nunc vero Clementis IX. recenter electi seu coronati accedente consensu, & illustrissimo ac reverendissimo domino Georgio Biattozor episcopo Vilnensi sancte defuncto, hunc locum, cui titulus est Mons-pacis, anno salutis humanæ 1664. ubi Divina ab eremitis commodissime exercerentur, sollemni ritu & pontificali introductione approbante & consecrante, serenissimo vero Johanne-casimiro rege Poloniarum, nunc primum humanis fatis piissima Ludovica-maria Gonzaga regina orbato, felicissime dominante, necnon auctoritate & consensu illustrissimi ac reverendissimi domini Casimiri Pac episcopi Samogitiæ primum lapidem jacientis, patribus eremitis ordinis sancti Romualdi Camaldulensibus extrui & erigi curavit. Quod sacra hæc argentea tabula sacro ritu cum saxo piissimi fundatoris anno Domini 1667. die* XX. *mensis octobris*

bris manibus injecta testabor domum illam sempiternam in die judicii fundatoribus apprecatura. Alia inscriptio. *Trino unique Deo, Augustissimæ cœlorum reginæ Matrem Præcursoris visitanti, sanctissimis patribus Benedicto magnæ prolis monasticæ parenti, & Romualdo primo ejus instituti reformatori, ac vitæ eremiticæ restauratori, nec non magni ducatus Lithuaniæ patronis, sceptra tenente regni Poloniæ ac Sueciæ serenissimo & invictissimo Johanne-Casimiro, qui sago clarus rebelles Cosacos suppressit, intestina nobilium bella bis concitata sedavit, confœderationes militum ternas dissolvit, Moschum contra fœdera irrumpentem expulit, Suecum Carolum-Gustavum sex annis in visceribus regni grassantem cum toto exercitu profligavit, Prussos Suecis adhærentes recuperavit, Hungaros cum suo exercitu delevit; cujus Christophorus Pac magni ducatus Lithuaniæ supremus cancellarius, fide, constantia, dexteritate, consilio immutabilis ac perseverans in omnibus pro beneficiis desuper acceptis, post fremitus belli Montem-pacis, in quo eremitarum Camaldulensium flores condi de rore benedictionis sanctissimi Alexandri VII. Rom. pont. irrigati, ac per illustrissimum Georgium Biattozor episcopum Wilnensem ad plantandum anno* M. DC. LXIV. *introducti, primus in magno ducatu Lithuaniæ milliari a Cauna regia civitate fundavit, ac possessione dotavit, ecclesiam vero cum omnibus eremitici instituti ædificiis dum ære proprio extruere aggreditur, beatissimæ Dominæ patrocinio, sanctorum patronorum orationibus, Clementis IX. pontificis recens coronati authoritate, suique prædecessoris Alexandri, episcopi Wilnensis consensu ac præsentia, una cum consorte sua Genovefa Isabella de Malli Lascaris fultus, anno Domini* M. DC LXVII. *die* XX. *mensis octobris lapidem imponens angularem, ut in hoc horto concluso libaret Domino odorem suavitatis liliorum, æternitati hoc monumentum candido signat lapide*. Anno 1670. idem supremus cancellarius aliam campanam fundi jussit, in qua expendit duodecim mille florenos cum hoc lemmate: *Cœlorum imperatrici Mariæ olim Judææ montana, nunc Montis-pacis augusto patrocinio visitanti, quatenus nutantem hanc rempublicam tranquilla pace, nec minus florens Pactianæ domus lilietum faustis auspiciis non dedignetur, grato campanæ sono supplicat Christophorus Pac supremus magni ducatus Lithuaniæ cancellarius*. Anno 1676. ditata fuit ecclesia sacris reliquiis sanctæ Mariæ magdalenæ de Pactiis sollemni pompa coram episcopo Samogitiæ invectis. Obiit anno 1684. piissimus & generosissimus fundator Christophorus-sigismundus, ita patribus eremitis affectus, ut eorum frater & pater videretur, præcipuusque adhortator & magister. Is auctor fuit iisdem eremitis, ut ad normam Italorum eremitarum sub Johanne Advogario Tarvisino, ibidem tunc priore, in pane & aqua jejunarent, ac cervisiam rejicerent. Anno 1679. nondum quarta pars ædificiorum, & ecclesiæ absoluta fuerat, & tamen idem fundator in epistola ad cardinalem Vidonum testatur se eatenus expendisse plusquam millionem florenorum. Distat eremus Montis-pacis a Vilna sexaginta milliariis Italicis, quinque a Cauna, super flumen Niem sita est a parte orientali, a ceteris partibus fines habet cum silvis & collibus ejusdem magnitudinis. Ascensus ad eremum facilis est curribus, in medio ascensus visitur excelsa porta ad instar arcuum triumphalium ex marmore cum cruce prægrandi. Ecclesia imaginibus & picturis ornatur, variegatis marmoribus, albario opere & auro tota contegitur. Relatio hujusmodi exscripta est ex visitationibus prælaudati Johannis Advogarii eremitæ.

Vetustiorem subjungimus relationem fundationis hujus eremi, ut completam omni ex parte historiam eremi Montis-pacis habeamus.

In

ANN. CHR. 1661.

In nomine Domini. Illustrissimus ac excellentissimus dominus D. Christophorus Pac Magni ducatus Lithuaniæ supremus cancellarius, piis parentibus illustrissimo domino Stephano Pac procancellario M. D. L. & illustrissima domina Anna Mariancilla Rudiminouna anno Domini 1621. die . . . januarii natus, pie educatus in alma academia Cracoviensi, bonis moribus & liberalibus disciplinis eruditus, peragravit multas exteras regiones Gallicas, Belgicas, Italicas, Germanicas, tandem in patriam redux factus eam publicis functionibus, comitiis, comitiolis, tempore pacis & belli clarus egregie adjuvit, eaque rerum experientia, dexteritate, prudentia serenissimis regibus Uladislao IV. & Johanni-casimiro carus per officiorum & honorum gradus primo factus vexillifer, pro-cancellarius, tandem supremum Magni Ducatus Lithuaniæ promeruit cancellariatum, in quo munere laborioso dum publicis occupationibus distrahitur, memor beneficiorum Dei, nec immemor propriæ salutis procurandæ, mentem recolligit una cum illustrissima & excellentissima consorte sua Clara Genovefa Isabella de Malli Lascaris marchionissa, secutus pietatem & devotionem fel. rec. parentum suorum, (nam ejus parens sacrum ordinem Carmelitarum discalceatorum primus in primariam urbem Vilnensem hujus magni ducatus Lithuaniæ metropolim introduxit, ecclesiam sumptuoso opere cum monasterio ædificavit ac munifice dotavit; ipsa vero genitrix pari devotione sanctimoniales ejusdem sacri ordinis in eadem urbe collocavit. Itidem Nicolaus Pac Trocensis palatinus germanus frater sacrum ordinem Prædicatorum in oppido suo hæreditario, Horoszcza dicto, fundavit, erexitque) ætatis suæ 40. salutis vero humanæ 1660. circiter piorum parentum non impia soboles, divino impulsus spiritu, ordinem Camaldulensium sancti Romualdi in magni ducatus Lithuaniæ ad Caunam eremitorium fundare & erigere in animo firmissime statuit, & in persona sua ad eremum Montis-argentini venit, (nam Cracoviæ tunc devotionis & invisendorum sacrorum locorum causa morabatur) mentem suam patribus superioribus aperuit ad deligendum locum idoneum pro eremitorio erigendo aliquem ex patribus mitti in Lithuaniam poposcit. Patres superiores læti talem hospitem suscipiunt, propositum laudant, rev. patres Hieronymum illius nationis patricium, & Bernardum Polonum in Lithuaniam destinant. Cum ergo in Lithuaniam patres prospere pervenissent, illustrissimus dominus cancellarius impatiens moræ, & pio fervens desiderio, spretis periculis, quæ tunc propter hostilem vicinam residentiam Caunæ sequentes excursiones intervenire poterant, impavidus propositum arripit iter, ipsoque sacro die translationis beatissimi patris nostri Romualdi dicato, fretus ipsius patrocinio, cum toto suo comitatu ad locum futuro eremitorio destinatum incolumis pervenit. Quem cum vidissent patres, & per omnia tamquam idoneum eremitico instituto judicassent, gratias agentes Deo & illustrissimo fundatori hinc in pace discesserunt. Illustrissimus statim reversus ad residentiam suam Vilkovicensem literas ad Alexandrum VII. pontificem pro benedictione seu licentia obtinenda, & ad rev. patres supremos superiores per rev. patrem Hieronymum a teneris adhuc annis sibi familiarem & fidum expedit.

Sequuntur literæ ejusdem cancellarii ad Alexandrum VII. & ejusdem breve. *Beatissime pater. Post oscula pedum sanctitatis Tuæ humillima in votis supplicibus mentem meam & propositum hisce præsentibus aperio. Pluribus ab hinc annis pro zelo cultus divini promovendi stimulatus, & singulari observantia, qua semper sacrum ordinem patrum eremitarum Camaldulensium congregationis sancti Romualdi colui, induxi in animum ad majorem Dei gloriam & B. M. V. titulo Visitationis ejusdem*

dem sanctissimæ Deiparæ in Magno ducatu Lithuaniæ sacras ædes cum eremitorio aliisque attinentiis juxta morem & consuetudinem prædictorum eremitarum de nova radice extruere & erigere, extructasque & erectas tam ipsam ecclesiam, quam præfatos patres partim in fundis, partim in censibus sufficienter provisione dotare. Quia vero hæc futura eremus ab aliis in Polonia existentibus paulo remotior videretur, non incongruum foret, si in eadem pro subjectis Lithuaniæ novitiatus instituatur. Cui quidem operi, antequam manum Deo adjuvante admovere incipiam, iterato pedibus sanctitatis tuæ reverenter advolutus sanctam peto licentiam, & supremam pastoralem benedictionem. Datum Vilkoviski XX. *martii* 1661. *Sanctitatis tuæ humilis servus & indignus filiorum Christophorus Pac M. L. D. supremus cancellarius & regni senator.*

Alexander papa VII. dilecto filio nobili viro Christophoro Pac supremo magni Lithuaniæ ducatus cancellario & regni Poloniæ senatori. Religioso nobilitatis tuæ studio libenter indulsimus, ut in eremitarum Camaldulensium a te in magno ducatu Lithuaniæ extruendo monasterio novitiatus ejusdem ordinis instituatur ad formam præscriptam in decreto ven. fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium præpositorum negotiis episcoporum & regularium, ex cujus tenore melius rem omnem intelligere poteris. Eadem profecto animi paterni voluntas optatis piis tuis usque præsto erit. Interim præcipuo caritatis affectu personam & obsequium in hanc sanctam sedem tuum, quod literæ die XX. *martii datæ plane præseferunt, amplectentes, nobilitati tuæ retributorem Dominum ex animo precamur, & apostolicam benedictionem, quam devote postulas, peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die* III. *julii* 1661. *pontificatus nostri anno* VII.

Literæ pariter ejusdem cancellarii ad RR. PP. superiores ordinis Camaldulensis, horumque responsum.

Reverendissimi & in Christo observandissimi patres. Singularis mea erga sacrum ordinem Romualdinum propensio, majorumque meorum devotio, (cujus adhuc in Italia, maxime vero in eremo Rubensi ad Patavium, extant præclara monumenta) animum meum permoverunt, ut ad laudem Dei omnipotentis, & incrementum ejusdem ordinis eremitorium in nostro magno ducatu Lithuaniæ ad civitatem Caunensem favente divina gratia ædificarem, ac sufficienter dotarem; & quia id facere absque paternitatum vestrarum admodum rev. prævio consensu nequeo, ideo obnixe peto, ut paternitates vestræ adm. rev. votis meis respondere velint, licentiamque mihi mittere, (de quo etiam ad Sanctissimum tamquam primarium & specialem ordinis protectorem scripsi) necnon patrem aliquem huic operi præficiant; & optarem mihi, si id fieri poterit, a PP. VV. adm. rev. concedi rev. Hieronymum ab antiquo mihi bene notum, & hujus regionis & linguæ Lithuanæ gnarum: sic etiam ut in eadem eremo propter notabilem distantiam ab aliis eremis Polonicis, & propter devotionem hujus populi novitiatus possit institui. Quicquid faveris in hac mea devota expostulatione a PP. VV. adm. rev. expertus fuero, id totum in bonum ejusdem religionis & animæ meæ salutem redundabit. Locum aptum pro ædificanda eremo ac ceteras qualitates patres, quos mecum ex monte Argentino reduxi, viderunt & approbarunt. Interim nihil dubitans de paternitatum vestrarum adm. rev. erga me benevolentia, earumdem me devotis orationibus quam diligentissime recommendo. Datum Vilkoviski XX. *martii* 1661.

Illustrissime & excellentissime domine. Pia & devota petitio illustrissimæ

Ann. Chr. 1661.

simæ & excellentissimæ dominationis vestræ fuit amplexa, & animo libenti cum gratiarum actione recepta a nobis & a collegis nostris in proxima peracta dieta, & ut eadem dominatio vestra illustrissima & excellentissima ad effectum demandare possit opus tam generosum & insigne, prout est, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, & augmentum nostræ congregationis eremiticæ, novam eremum funditus in vestro magno Lithuaniæ ducatu ad civitatem Caunensem ædificare, & sufficienter dotare licentiam & facultatem vigore præsentium libentissime, quatenus ad nos & ad capitulum nostrum spectat, concedimus & impertimur; sicuti quoque adm. rev. patrem Hieronymum coeremitam nostrum in superiorem ejusdem novæ eremi, & ut operi præsit, eligimus & deputamus. Quo vero ad novitiatus institutionem nobis non licet (sicuti ad effectum grate præstandi totum officium nostrum ad libitum illustriss. & excellentiss. dominationis vestræ exoptaremus) illam concedere, quia sacra congregatio per ejus decretum sancivit nos non posse habere, nisi unicum novitiatum pro qualibet provincia, & propterea ut in hac parte nos excusatione digni penes eamdem dominationem vestram illustriss. & excellentiss. remaneamus, etiam atque etiam rogamus, deprecantes, ut Dominus Deus noster pro nobis meritum reddat, & se clementer ostendat semper propitium erga illustrissimam & excellentissimam dominationem vestram, cujus munificentissimæ protectioni non solum prædictam novam, sed alias Poloniæ eremos nostras humiliter commendamus. Datum in sacra Camaldulensi eremo Hetruriæ hac die VI. junii 1661. Dominationis vestræ illustrissimæ & excellentissimæ devotissimi servi in Domino. D. Innocentius Maria Januensis visitator & scriba capituli generalis de mandato.

Subnectimus documentum fundationis & dotationis ejusdem eremi, quod pertinet ad annum 1664.

In nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-sancti. Amen.

Christophorus Sigismundus Pac magni ducatus Lithuaniæ supremus cancellarius Willkoviscensis, Ostrinensis, Niemonecensis, Wilbiensis, Trisciensis, Kozienecensis, Kleszczelensis capitaneus, oeconomiæ Olitensis administrator ad perpetuam rei memoriam. Vanum fortunæ in rebus pensando lusum æternitatis vero immortalitatem, & gratias innumeras divinæ majestatis, quibus me in protectione sua fovendo, prosperitatis donis cumulando, & usque in præsentem diem sanum & incolumem conservando benignissime prævenire dignatus est, perpendendo, tum divinam offensam pro delictis meis placando, ejusque majestatem, quatenus rempublicam nostram tot fluctibus agitatam in securo pacis litore deponat, impetus hostium frangat, animos dissidentes conciliet, patriæ ruinam, machinantium consilia conturbet, ecclesiæ suæ sanctæ tranquillitatem restituat, supplicando in animum induxi, ut de bonis meis mihi a clementia divina munificentissime concessis patres aliquos regulares (quibus interest divinum placare diurnis nocturnisque precibus furorem) fundarem, occurrit volventi animo sacratissimus ordo Camaldulensium regulæ sancti Benedicti, instituti vero sancti Romualdi sequacium, quorum pietas, sanctimonia & penitus a mundo abstracta, cum Deo autem conjuncta mens plurimorum regum & principum excitavit pectora, ut illis plurima ædificarent monasteria, munificentissimis dotarent proventibus, uti a proavo meo illustrissimo & rev. D. Nicolao Pac episcopo Samogitiæ in Italia alla Rua *uno a Padua milliari munifice facta est, iisdem rev. patribus, ut eosdem nunquam in magno ducatu Lithuaniæ cognitos, Deo disponente, sanctissimo domino nostro Alexan-*

xandro VII. pont. max. ac sereniſſimo Johanne Caſimiro rege, illuſtriſſimo ac rev. D. Georgio Biattoſor epiſcopo Vilnenſi approbantibus & conſentientibus, fundare ac introducere. Quapropter dictis ven. patribus bona mea perpetua Pozayſciæ in palatinatu Trocenſi diſtrictu vero Caunenſi ſita, a magnifico & generoſo D. Johanne Samuele Oborsbi diſtrictus Caunenſis judice terreſtri millibus quatuor denariis Polonicalibus empta, ſoluta & in tribunali Vilnenſi recognita cum aula, villis & eorum ſubditis, ædificiis nunc & in futurum extructis & extruendis, ſpatiis, prædiis, ſtagnis, molendinis, piſcinis, fluviis ab utraque parte ripæ ſuper flumen Chronon, vulgo Niemen dictum, fluviolis, agris, paſcuum memoribus, lacubus, ſilvis, pratis, ceteriſque omnibus ad præfata bona quoquo modo pertinentibus, juxta inſcriptionem & inventarium mihi ab eodem generoſo domino judice traditum, recognitum. Præterea duas villas regias Wiekliunie, Woyszvidoveb, ſive Poholruki nuncupatas concedente ſacra regia majeſtate, conſentiente in comitiis Varſavienſibus generalibus anni Domini M. DC. LXII. republica, in utrumque jus de dono & de nova radice fundo nullo mihi, ſucceſſoribuſque meis jure reſervato. Jura quoque omnia ad bona hæc tam terreſtria, quam regalia pertinentia ad manus ven. patrum trado, eoſque in hæc per miniſterialem generalem inventario deſcriptam intromitto, trado ac cedo in Dei nomine. Quæ fundatio, ut majus ſuum robur & firmitatem habeat in futuris comitiis ſollicite agam, ut conſtitutione perpetua iterum roboretur; ſed quoniam prædicta empta bona cum ſuis proventibus non ſufficerent ad commode alendas duodecim perſonas religioſas, ideo ego præſentibus ſub eadem inſcriptione fundatione, & actu obligo me vigore ejuſdem conſtitutionis præfatis rev. patribus Camaldulenſibus ſummam Florenorum quadraginta millium Polonicorum, ſive ſimul, ſive ſeparatim ad manus illorum daturum, pro qua ſumma vel ego, vel ipſi per ſe prædium unum aut alterum cum ſubditis & cenſibus emere tenebuntur, ex quibus victum & amictum, aliaque neceſſaria pro duodecim religioſis patribus & fratribus, & ornamentis eccleſiæ commode poſſit provideri. Et quia me nihil movit ad præſentem fundationem, niſi temporum modernorum calamitas magni ducatus Lithuaniæ, deſiderium pacis, & noſtrarum animarum ſalus, perſuaſus de pientiſſimis & ſanctiſſimi patris ſui Romualdi filiis, credo, quod regulam ſibi datam ſtricte ſint obſervaturi. Ne tamen aliqua temporum viciſſitudine alicujus relaxationis in obſervantia aſſumere præſumant exempla, per viſcera Jeſu Chriſti pretioſa dictos patres rev. obteſtor & obſtringo, ut monita, regulam, conſtitutiones ſibi a ſancto Romualdo legislatore data, zelum, amoremque religionis & obſervantiam regularem ſua obſervent in integritate. Rev. vero patres Camaldulenſes debebunt & tenebuntur religioſos ſui ordinis duodecim in eremo fundata, cui nomen MONS PACIS impono, perpetuis temporibus alere & conſervare, qui diurnis nocturniſque orationibus divinam ſollicitent clementiam, quatenus magnus ducatus Lithuaniæ ſua pace, integritate, ſecuritate per miſericordiam Dei frui poſsit, ſereniſsimum item regem & ſereniſsimam reginam dominos meos & benefactores clementiſsimos, quorum gratiis, favoribus boniſque abunde ſum cumulatus, tam ſuperſtites, quam defunctos æviterne ſuis commendabunt orationibus; me quoque fundatorem, & conſortem meam viventes & defunctos quotidiana pro ſua pietate & gratitudine teneant memoria: uti quidem pro ſuo affectu & gratitudine quotidie unam Miſſam pro nobis viventibus & poſt fata noſtra celebraturos ſe ſubmiſerunt. Requiro item conſcientiam rev. patrum, ut quotannis anniverſarium pro defunctis fundatore & anima conſortis meæ Claræ Genovefæ de

ANN. CHR. 1661.

Malli Lascaris cum Missis omnium pro tunc residentium obeant diem. Pro anima vero parentis mei sanctæ & piæ memoriæ Stephani Pac vicecancellarii magni ducatus Lithuaniæ, omnes item presbyteri die XVII. *novembris celebrabunt; quod pro animabus matris meæ Annæ Mariancillæ die octobris prima facient. Item anniversaria pro animabus illustriss. patris & matris consortis meæ Antonii comitis de Malli, qui* XII. *maji mortuus est, & Claræ Genovefæ de Malli Lascaris marchionissæ de Urffe, quæ secunda novembris mortua est, Missam celebrabunt. Item pro anima fratris mei Stanislai, & sororis Annæ semel in anno obsequias obibunt, pro discretione sua. Reliquos vero viventes & defunctos de eadem familia pro sua gratitudine in Missis commendabunt. Ordo omnis & dispositio fundatæ eremi spectabit ad priorem, qui diligenter curabit, ne census & proventus in alios usus convertantur aut alio transferantur, nisi in solam patrum in hac eremo residentium necessitatem & eremi ornamentum, in quo conscientiam prioris onero. Si vero lites & injuriæ aliquæ in dictis possessionibus a me pro hac eremo fundatis excitarentur, jus protectionis, post obitum meum & consortis meæ, serenissimis & dominis meis clementissimis regi ac reginæ commendo, illustriss. & rev. archiepiscopo Gnesnensi primo principi amico meo colendissimo & successoribus ejus in manus trado, necnon illustrissimo & rev. D. Casimiro Pac episcopo Smolenscensi, illustriss. D. Nicolao Pac Palatino Trocensi, illustriss. D. Michaeli Pac palatino Smolenscensi magni Lithuaniæ ducatus campiductori fratribus meis. His autem deficientibus proximiori de linea prolis mascula ex eadem familia nostra serviet, quibus per omnia sacra & divini amoris fervorem supplico, ne præmissis patribus suo deesse velint suffragio; alioquin, quod absit, tempore & casu aliud disponente rev. patres recurrere poterunt ad eum, qui etiamsi de linea familiæ fuerit remotior. His quoque deficientibus, illustrissimo & rev. domino ... loci ordinario & successoribus ejus in tutelam reccommendo. In hoc etiam rev. patres assecuro, promitto & caveo, conscientiam meam onerando, quod præsentem fundationem, quam testimonio illustrissimorum dominorum infrascriptorum roborari procuravi, numquam sim violaturus, immo omnes & singulos quicumque aliquid contra fundationem meam moliri & attentare præsumpserit, divini judicii interminationem & maledictionem hoc compendio imprecor: Maledictus sit intentionis meæ & fundationis violator. In hoc etiam certifico & omni meliori modo coram Deo & republica protestor, quod ne in minimo ejusdem puncto anni* M. DC. XXXV. *constitutioni velim contravenire. Ceterum pro meliori & firmieri hujus fundationis meæ robore illustrissimos, & rev. perillustres magnificos & generosos dominos rogavi, ut præsenti fundationi meæ manus suas subscriberent, ac sigilla appenderent, quod ex gratia sua singulari non sunt dedignati facere. In quorum fidem manum meam propriam subscripsi, & sigillo communiri feci. Datum in bonis Pozayciæ die* III. *novembris anno Domini* M. DC. LXIV.

Ad has fundationis literas subscriptiones manuum tales. Christophorus Pac supremus M. D. L. cancellarius. Ad has fundationis literas rogatus & requisitus subscribo Georgius Biattozor episcopus Vilnensis. Requisitus ab illustriss. fundatore subscribo Uladislaus Wollowicz palatinus Vitebscensis. Ab illustr. fundatore requisitus subscribo Hieronymus Crispinus Kierszekteyn thesaurarius magni ducatus Lithuaniæ. Sigillaque quatuor adimpressa.

Ne quid desit, historiam fundationis eremi Montis-pacis concludimus duobus epitaphiis, quorum alterum pertinet ad parvulum filium Christophori

phori fundatoris, qui vix ad auras veniens occubuit; alterum vero ad illustrissimos fundatores. D.O.M. *Primus est liliorum flos, quem illustrissimus, ac excellentissimus Christophorus Sigismundus Pac supremus magni ducatus Lithuaniæ cancellarius, Wilhoviscensis, Kozienecensis, Kleszczelensis, Williensis, Trisciensis, Ostrinensis gubernator, silvarum Nemonecensis præfectus. Clara Genovefa Isabella Lascaris de Malli filia illustrissimorum dominorum Antonii comitis de Malli, & Claræ Genovefæ marchionissæ de Urffe, ducissæ Doanæ de Orovy in florentissimo Galliarum regno & alibi per varias christianissimæ domus Franciæ, imperatoriæ Palæologicæ, Mantuanæ, Sabaudiæ, Saxoniæ cognationes vere clara; parentes ut filium magnus ævo suo Stephanus Pac primum thesaurarius, mox procancellarius magni ducatus Lithuaniæ, ut avus nepotem edidere. Matura parentibus allaturus gaudia octavo primum post conjugales anno prodiit; & quidem inter arma per Patriam strepentia fortiter quondam acturus pro patria natum ad victorias diceres. Cum victorem recepto Caunensi fortalitio parentem natus salutat, & in obsidionalem coronam flos liliatus immigrat. Nec lædendus ab æstu fortunæ maligno timebatur, quia post meridiem hora prima decembris 20. præsenti nascentis 1661. comparuit in terris: sed heu breviter vivere jubetur hæres, & hic repente successus gaudia confudit cum dolore. Parentum luctus, fragilitatis exemplum.* Deposita est arcula cum debitis cæremoniis in sepulcro, & lapis marmoreus desuper cum hoc epitaphio appositus. *D.O.M. Præcisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me. Quis hic viator jaceat, & lege & luge, infans est P. Primus est post octennium connubii undequaque nobilissimi fructus, multis expetitus votis, multis exceptus lacrymis; quasi flos egressus est & contritus intra octiduum natus & denatus, dies 20. decembris anno 1661. natalis ei fuit, 28. fatalis, Christophori Pac cancellarii M. D. L. & Claræ Isabellæ Lascaris comitissæ de Malli præcipuarum familiarum ducalium, regiarumque sanguine in Gallia, Polonia, Sabaudia, Saxonia clarissimo primogenitus filius, inter triumphales patris ad Dzisnam, Vilnam, Caunam labores ad spem gentis ac triumphos natus, inter eosdem octavo a partu die Varsaviæ extinctus. Heu jam tantorum parentum dolor & umbra ex triumphalibus ignibus hic remansit cinis. Qui legis, hic effunde mœrentibus lacrymas, ut ex hoc cinere non unus renascatur phœnix.*

Epitaphium fundatorum: *D.O.M. in hoc Montis & Pacis æternæ thalamo rarissimum quiescit par conjugum. Vir Christophorus Pac trium regum annis* XXX. *M. D. L. cancellarius supremus, generis nobilitate præcipuis familiis par & affinis, natura, fortuna, virtute, vitæ, patriæ, Dei gloriæ natus, quod dedit Deo hac ipsa augusta, quam fundavit, loquente basilica dedit optimum, quod dedit patriæ, ingenio, prudentia, consilio, justitia, zelo, legum religionis commodo, fidelitate animi, fortitudine, studio, pacis gloria magnis major Poloniæ & M.D.L. oraculum dedit summum, consors Clara Isabella Eugenia de Mayli comitissa Condæi, Sabaudiæ, Saxoniæ, Aquitaniæ, Mantuæ, Burgundiæ principum coronæ Borbonicæ, orientis Cantacuzeni & Lascaris imperatorum serenissimus sanguis, omnium fœminarum forma, ingenio, comitate, fide conjugali, religione, quacumque virtute excelluerit compendium, ambo publicæ & privatæ pacis, quam præferebant in nomine, illustrissima sidera terras & cælo emerita admiratus in utroque pacis decora sol regum Johannes III. Poloniæ rex de suo sapientissimo influxu huic communi amborum thalamo istud affudit post humum epithalamium, auctores pacis vos pax æterna sequatur;*

hoc

ANN. CHR. 1661.

hoc monumentum posuit utrique gratus successor Casimirus Pac eques Melitensis M. D. L. notarius, Posnaniensis, Siwolovicensis commendator anno M. DC. XC. *mense januarii* X.

XXVII. Alterius Roreæ Lanzi in Pedemontio.

ALTERIUS in Pedemontio eremi fundatio est ad hunc annum referenda. Licet enim jam ab anno 1655. proposita fuisset eremitis Taurinensibus ædificatio eremi Roreæ in finibus Lanzi, & capitulum generale Camalduli habitum ab eremitis omnium congregationum eo anno revisionem & examen loci oblati commisisset, licet etiam anno 1656. interpellata fuisset facultas apostolicæ sedis pro donatione recipienda, variis nihilominus annis dilata fuit exequutio fundationis, tum ob facta objecta apud Romanum pontificem Alexandrum VII. tum ob exposita apud patres sacræ congregationis Concilii, tum etiam ratione contagii, & demum ob mortem archiepiscopi Taurinensis secutam anno antecedenti, cui commissa fuerat exequutio ab altera sacra episcoporum & regularium congregatione. Siquidem Alexander VII. negotium remiserat ad congregationem, congregatio autem ad nuntium apostolicum apud Sabaudiæ ducem, qui locum recognovit, literasque favorabiles scripsit ad eamdem congregationem. Sed pontifex consensum requirebat ducis Caroli-emmanuelis II. an pateretur in sua ditione fundationem eremi, cujus consensum exploratum habuit, sicut etiam ejus matris Christinæ a comite Laurentio Nomis residente in curia Romana pro duce Sabaudiæ. Iterum facta fuit instantia pontifici anno 1659. qui supplicem libellum tradidit non congregationi Concilii, ut antea, sed alteri episcoporum & regularium consultationibus & negotiis præpositæ, quæ per cardinalem Ginettum & per episcopum Camerinensem a secretis scripsit ad Julium Cæsarem Bergera archiepiscopum Taurinensem. Hoc demum anno mense majo integrum effectum suum sortita est fundatio per apostolicum delegatum Franciscum Castillionæum canonicum cathedralis Taurinensis & vicarium generalem, opera & sumptibus excellentissimi præsidentis publicarum rationum Sabaudiensis ducis, Gasparis nimirum Granerii comitis Mercenasci & Villaltæ, domini Orii, Publiciarum & Carpanetti, qui magnificam ecclesiam cellasque eremi ædificavit, redditusque assignavit pro habitatione duodecim eremitarum, & auxit hoc & insequentibus annis. Approbata fuit fundatio a sacra congregatione die XXVI. januarii. Distat eremus Roreæ quindecim milliaribus Italicis ab urbe Taurini. Apparitioni seu Epiphaniæ Domini dicata est ecclesia. Anno 1671. prioratus in ea eremo constitutus est. Super faciem exteriorem templi legitur sequens inscriptio: *D. O. M. ob multiplicem in se & in prolem beneficentiam. Hanc Camaldulensem eremum avito in fundo extructam, dotatam, ornatam, ut psalmodia, qua potest, qua non potest, silentio grates exsolvat, Gaspar Granerius comes Mercenasci &c. a consiliis status in Sabaudiæ curia præses, & maximus ærarii præfectus dicat, donat, dedicat, An. Dom.* M. DC. LXI. Ad altare majus legitur: *Regum regi humillima obsequia per reges offerens Gaspar Granerius dedicabat anno salutis* M. DC. LXIV. Ad altare sanctorum Romualdi & Bonifacii: *Romualdo in eremo manenti, ut homines ad cœlos duceret, Bonifacio egredienti, ut ab inferis educeret sacrum.* Ad altare sancti Francisci Salesii: *Sancto Francisco Salesio olim populos in solitudinem, ut audiretur, nunc ut colatur, trahenti sacrum.* Inscriptiones hæ sunt fœtus Hiacynthi Colini a Villa-franca Pedemontii eremitæ Camaldulensis.

XXVIII. Extensio cultus S. Bogumili in Polonia.

SED in Poloniam redeamus. Propagabatur hoc tempore, lateque extendebatur cultus sancti Bogumili, olim archiepiscopi Gnesnensis ex eremita

mita Camaldulensi. Edidit hoc anno Romæ typis Ignatii de Lazaris vitam ejusdem sancti archiepiscopi & eremitæ Bogumili Stephanus Demalevicius S. Th. D. canonicorum regularium congregationis Lateranensis ad sanctum Nicolaum Calissiensis præpositus, & per archidiœcesim Gnesnensem librorum censor ordinarius, ex antiquissimis gravium authorum chronicis, atque dicavit Matthæo Johanni Judicki S. Th. & J. V. D. protonotario apostolico, archidiacono Pomeraniæ, in ecclesia cathedrali Uladislaviensi, Gnesnensi, Varmiensi canonico, præposito Camenensi infulato; in qua hæc potissimum enuntiat de sancti Bogumili cultu a Judicki propagato: „ Delituerat, inquit, hactenus apostolici confessoris „ memoria solis Poloniarum terminis circumscripta, & nativis historia„ rum voluminibus conclusa; Tu ad Indias usque cultum & veneratio„ nem tui singularis patroni egregie portendisti, inter gentes immani„ tate barbaras Scythas & Turcas commorantes fideles Christi cultores „ docuisti. Magna religionis Christianæ propagatione zelosus Scytharum „ apostolus Philippus Stanislaus Nicopolitanus & Dobrogiorum, nec non „ Provadiorum ad litus Euxini Ponti episcopus, & uberrima fructuum „ salutarium consolatione in honorem sancti Bogumili erexit altare, plu„ rimosque Christo lucratus milites baptismi & confirmationis characte„ re insignivit patrocinio sancti Bogumili devotos, ut datis ea super re „ ad te literis significavit. " Capite vero XLII. quod est de morte sancti Bogumili refert, „ quod illustris & magnificus dominus Sebastianus „ Glembocki thesaurarius Brestensis annorum sexaginta quatuor juratus „ testis, ad requisitionem fiscalis curiæ Matthiæ Lubienscki archiepisco„ pi Gnesnensis (qui cum singulari propensione Sancto addictus esset, „ cujus ossa in urnam stamneam deposuit, volebat librum miraculorum „ per ipsius merita editorum divinitus typis orbi Christiano propalare, „ magna enim & plurima ibi fuisse descripta inaudierat, maxima dili„ gentia librum antiquitus scriptum conquisivit) ita interrogatus depo„ suit. Plurima, inquit, miracula a sancto Bogumilo facta scio; nam „ librum descriptorum diligenter a ducentis & ultra annis habui, qui „ cum incendio palatii mei miraculorum memoria, vel parochorum in„ juria, vel temporum iniquitate, maxime hostium variorum incursi„ bus, utpote Crucigerorum, qui per annos fere ducentos majorem Po„ loniam populati, oppida & pagos crebris incendiis miserrime afflixe„ runt, & Tartarorum, qui universam Poloniam ferro ignique atroci„ ter vastarunt, interiit. "

XXIX. Depositio SS. corporum in Vangaticia, & in S. Petro de Luco.

Dominica tertia maji hujus anni sollemnissime transtulit & deposuit Petrus Ferraccius abbas generalis Camaldulensis corpus sancti Gervasii martyris, quod habuerat e cœmeteriis Romanis, in ecclesiam cathedralem Abbatiæ Pollicinii, hoc est Vangaticiæ, quam pompam descripsit Carolus Tartalea Abbatiensis, & edidit Rhodigii ac dicavit Ægidio Ronzonio abbati & priori ejusdem Vangaticiensis monasterii. Dominica vero ultima octobris idem abbas generalis reposuit in ecclesia parthenonis sancti Petri de Luco corpus sanctæ Claricis virginis & martyris, cujus translationis historiam concinnavit Hiacynthus Salvinus Florentinus monachus & abbas Camaldulensis, publicique juris anno sequenti fecit Foro-livii typis Johannis Cimatti. Canonicus Salvinus Salvinus inter sua miscellanea opusculum collocaverat, quæ postea transierunt ad præpositum Antonium-franciscum Gorium. Auctor est Brochius in descriptione Mugelli [a] eumdem Hiacynthum abbatem efformasse historiam di-

[a] Pag. 107.

Ann. Chr. 1661.

cti monasterii Lucensis ex membranaceis chartulis, quibus abundat archivum monialium ejusdem loci.

Ann. Chr. 1662. XXX. Fundatio eremi Casimiriensis in Polonia.

FUNDATIONEM eremi Casimiriensis, sive sanctorum quinque fratrum martyrum in majori Polonia, quæ facta fuit hoc anno, nequimus clarioribus & fusioribus notitiis exponere, quam ex ms. relatione confecta a Silvano Bosello Veneto eremita, qui maxima, immo unica fuit ejus fundationis pars & causa. *Ad notitiam itaque*, scribit, *posteritatis super fundatione eremi Casimiriensis in majori Polonia, ubi corpora ex majori parte, sive reliquiæ sanctorum quinque patrum nostrorum eremitarum & martyrum Camaldulensium requiescunt, obmutescentibus aliis, antequam moriar, ego Silvanus ex debito servitutis, has volens literas mitto. Boni consulant præsentes & futuri, quos rogatos velim, ne de more, sicut alias, hanc brevem relationem, quod non sit æquum, tam facile comburant: Anno a virginali partu 1621. in Poloniam cum octo patribus missus, in eremo Montis-argentini primum cellerarius, deinde magister novitiorum resedi. Quo tempore ardenter agere cepi cum supremo regni mareschallo domino Wolscki nostro prædictæ eremi piissimo fundatore, ut inibi, ubi sancti nostri patres requiescunt, fundationem alteram procuraret, eo facilius obtinendam, quod reverendissimus domnus Erasmus Ktratkowski canonicus & officialis Cracoviensis ipsius conjunctissimus consanguineus cum sua nobili familia Casimiriæ & bonorum omnium ad eam civitatulam spectantium esset proprietate liber & absolutus dominus. Annuebat Ktratkorrski petitioni, & se acturum de hac re cum suis promittebat domesticis, tamen frigidiuscule. Dum igitur hæc consilia agitabantur, alteri fundationi Tencynianæ, sivæ Aureæ vocatæ in districtu Sandomiriensi & bonis Rittrittensibus palatini Cracoviensis piissimi itidem fundatoris conservandæ intenti patres, remissius de fundatione Casimiriensi negotiabantur. Verum enimvero, etsi ego anno 1623. Tencynianæ novæ fundationi fuerim destinatus, & per aliquot annos directionem & curam eremi istius habuerim maxime occupatus, nunquam intermisi tamen, quin & Casimiriensem fundationem sollicitaverim. Deo interim disponente anno 1627. in Italiam revocatus, & illico ad Ferdinandum II. imperatorem pro eremo Viennæ fundanda a religione remissus, conticui, nec amplius de Casimiriensi cogitabam. Cum ecce tibi anno 1631. iterum in Poloniam ire jussus sum visitator electus, ubi heu defunctum reperi anno præcedenti 1630. nostrum Wolschium munificentissimum fundatorem, qui non ære alieno, debita enim post se haud ulla reliquit, sed proprio marte eremum suam fundavit. Hinc post illius obitum, cui elogium grati animi pignus, & quidem splendide inscribi, & dignam factis ipsius memoriam insculpi, erigique curavi atque mandavi, post illius inquam obitum, de Casimiriensi fundatione agitata, factum summum silentium. Anno 1654. cum totius congregationis eremitarum Camaldulensium Major, uti vocamus, constitutus essem, tertio ex sacra eremo Camaldulensi primus, qui fuerit in Polonia eo nomine Major cum iis sociis tribunalis generalibus visitatoribus, ad meos prædilectos patres & fratres Polonos revisendos, visitandos & consolandos sum reversus, & excitatam reperi novam Varsaviæ regiam alterius eremi fundationem. At de fundanda alia Casimiriæ, & viciniores nos fieri sanctis quinque nostris fratribus ibi quiescentibus (sancti Christini corpus Olomucii erat, & Sveci projecerunt, aliquod tamen reliquiarum remansit) nec amplius vox, neque spes, nec alicujus alumni vel*

mentio

mentis audiebatur, nisi quod in meo pectore ardens desiderium illuc eremi excitandæ indelebiliter residebat. Anno denique 1661. a generali capitulo vicarius generalis in regno Poloniæ electus, in quo officio integris quatuor annis mansi, quo temporis decursu non una me Deus calamitate exercuit, sed eripuit, nullum non movi lapidem, ut eamdem in prædicto loco Casimiriensi fundationem assequerer. Ea civitatula cum suo amplissimo districtu & bonorum vastitate & amplitudine, jampridem ex familia Ktratkorrkiorum ad manus & proprietatem devenerat illustrissimi domini Alberti Kadzydlorroscki senatoris Poloniæ, castellani Junioladislaviensis & capitanei Radziejoviensis a secretis trium regum Sigismundi III. Uladislai IV. & Johannis-casimiri, viri doctissimi, & qui in aula variis functus muneribus & officiis, parcens luxui Polonico, frugalitate, moderatione, & aliqua naturali tenacitate ad eas divitias opesque pervenerat, ut in bonis stabilibus ipse coram me fassus sit se habere ad quadringenta millia florenorum. Hunc itaque dominum convenire statui, fulcitus etiam commendatitiis literis serenissimorum regis & reginæ, illustrissimi episcopi Cracoviensis Trzibeki, & aliorum procerum amicorum ejus, qui omnes præ nimia ejus in dando parcitate vix sibi aliquid me facturum boni apud eum promittebant. Suscepit ille me benevole, sed quod ad honorem debebat adscribere, ægre & moleste tulit, literas regias & aliorum amicorum interpretatus nos illum tali impulsu cogere velle, ad quam illi proposueram fundationem, illi suadens, non habenti uxorem, non prolem (nepotes habebat) ut in cœlo sibi domicilium pararet. Verba surdo faciebam, tergiversabat, excusabat se, non se tanti esse dicebat, & politice agens, nec patres, inquam, Bernardini (Socculantes observantiæ sunt isti, qui sancti Johannis conventum ibidem occupant, & olim occupabant) vos sic patientur, ne sitis eorum substentationi impedimento. Hæc audiens, patres illos bonos & optimos de nostro instituto minime mendicante informatos reddidi, & illos fautores acquisivi, præsertim vero patrem Antonium Kreszikovski Theologiæ lectorem ejus confessarium. Tunc Kadzidlorroscki, quandoquidem, ait, patres Franciscani non se opponunt, faciam ego vobis fundationem, sed ad nullam ego volo me vobis obligari substentationem. Petieram ego dari nobis montem & situm ad sanctum Barnabam uno milliari a Casimiria distantem, aliaque principaliter necessaria requisita, & tandem quod neminem inconsolatum a se dimitteret, ita se declaravit: Dabo itaque vobis pro fundatione fundum liberum circa sacellum sancti Barnabæ pro eremo excitanda; insuper & jus lignandi liberum, itidem & perpetuum in meis ibi contiguis silvis, & etiam jus liberum & perpetuum piscandi in lacu vicino Skompa denominato; ultra nec possum, nec volo dare. Addidit enim, quia vero domini confœderati milites in meis bonis contra fas & jus nobilitatis ad triginta millia florenorum intulerunt damnorum, & ego modo contra illos Leopoli in judicio meas ago causas, & repeto, quæ mihi perperam abstulerunt, & resarciri, proinde si ex illa summa fiat mihi justitia, quidquid mihi inde provenerit, totum vellem in hujusmodi fundationis beneficium & solatium contribuere. Si ergo vestris officiis ac interventu rem ad exitum & finem reducere possetis, & hæc vestra erunt, & huic fundationi assignabo, donabo, & consecrabo. Tunc, salva res est, dixi in corde meo, & sociis meis, ut bono essent animo, jam enim certa nostra fundatio erit. Magnifico domino immensas retuli gratias, & quia pro aliis expediendis religionis negotiis mihi Leopolim omnino erat eundum, obtuli obsequia mea, & commendatitias literarum ad ejus aliquem rogavi amicum, vel in ea causa agentem. Ille læ-

ANN. CHR. 1662.

tus audiens me illico Leopolim profecturum ad summum regium thesaurarium scripsit, ardenterque ei negotii expeditionem & me commendavit. Leopolim itaque cum pervenissem, humanissime me excepit illustrissimus thesaurarius, quem subinde de fundanda eremo KadzydlorrosKiana informavi, nobisque assignatum esse quidquid ex justitia in solatium domini Castellani offensi proinde recompensandi provenerit. Dominus KadzydlorrosKi, pater carissime, inquit, in rebus suis oeconomus plusquam nimius in inventario rerum sibi a confœderatis ablatarum & rapas, & caules, ut cetera pertranseam, magis ridicula & ejus tenacitatem indicantia, quam seria & substantialia posuit, propterea juste moderari & judicari inventarium oblatum judicio debet. Vestra paternitas itaque, ait, faciat partes suas, sollicitando in tanto controversiarum numero expeditionem. Quantum elaboraverim, sudaverim & officiis variis perfunctus Leopoli in hac expedienda lite ac prætensione fuerim, testis est ille, cui nihil absconditum, occultum nihil. Denique sententia lata ex tribunali fuit, ut ex stipendiis dominorum fœderatorum sex millia florenorum pro damnis KadzyllorrosKi restituerentur; quod & factum est in parata pecunia. Leopoli cum rege serenissimo egi de hac fundatione, immo & diploma obtinui sub die prima augusti 1663. tum cum illustrissimo archiepiscopo primate, in cujus diœcesi eremus erit pro ipsius benedictione & consensu. Jussus sum a rege serenissimo videre & perlustrare solitudinem illam Vigri nominatam in Lithuania, quia ibi eremum construere vellet. Jussis obtemperavi, & Domino bene juvante, & ibi eremus erecta est, & Deo inservitur. Alia ad viginti fere negotia satis ardua pro Monte-argentino superata expedivimus. Parta ergo Leopoli victoria in causa KadzydlorrsKiana, nos ad ipsum dominum, quem sperabamus benefactorem & fundatorem fore flexibiliorem, iterum nos contulimus. Thesaurarii & suorum agentium literas ei præsentavimus, in quibus rationes reddebantur, quare ipsius damna prætensa ad hanc summam sex millium florenorum (sunt 3000. Germanica) & non ultra judicia publica terminaverint ei satisfactum iri. Ægre sententiam tulit dominus KadzydlorrosKi, quasi exiguum esset in suæ injuriæ & damni recompensatione. Et cum ego subjungerem, immo illustrissime domine nostrum infortunium fuit, quod decreta summa haud esset major, quia alacrius in fundationem, cui illam idem dominus assignavit, progrederemur; ille natura tenax, aurique congregandi amator quasi jam oculis videret & palparet suis manibus, numeraretque 6000. florenos in sua jam jam gaza reponendos, denegavit se quidquam promisisse, præter fundum, & jus lignandi & piscandi. Ad hæc cum sociis animis consternatis obstupescentes enixe rogavimus, ut sese colligeret, consideraretque non tantum quod nobis, sed quod Deo obtulerit; sed verba surdo fecimus. His dictis conticuimus, ne exasperaretur, & sequenti die vocato ex conventu patre Antonio Bernardino ejus confessario, currus ascendimus ad loca nobis assignanda. Ac in primis transeundo ex Casimiria per publicam viam ostendit nobis silvulam oblongam quidem, sed minime latam, & ligna vel potius sarmenta nullius valoris habentem; & hic, inquit, jus lignandi, & non alibi vobis assigno. Vix ne risimus; devenimus ulterius ad parvam quamdam & exiguam planitiem duorum ad summum jugerum ad ripam magni ipsius lacus; & hunc fundum, inquit, pro monasterio condendo vobis concedo, & quia ad aliam partem est publica via, hic, inquit, tabernam ædificabo, ut visitantes ex devotione populi patres non perturbent illorum molestiis & superfluis expensis. At revera tabernam volebat, ut lucrum inde faceret. Tunc mi il-

lustris-

ANN. CHR. 1662.

lustrissime domine, ajo ad illum: Fortasse tua dominatio jocatur nobiscum? Non jocor, inquit; & ego: Montem & solitudinem petii ad sanctum Barnabam, non hanc exiguam planitiem insalubrem, rusticorum casulis habitatam & circumseptam, nec esset decorosum penes eremum habere tabernam, qui ex instituto fugimus mundi strepitus et rumores. Itaque pro monte et adjacente silva iterum rogamus; nam quoad pisces et piscationem sumus contenti, et si lacus, qui vocatur SKompa, dat signa se non esse piscosum. Antonius Bernardinus productis rationibus nixus est pluries removere illum, asserens tales assignationes esse contra eremiticum institutum, et rogans vellet melius et honorificentius sibi et patribus consulere; lapidi loquebatur, nihil ei persuadere ultra potuit. Allegabat Kadzydlorrski binas rationes, quod desideratum monticulum non posset, nec ullo modo vellet donare et assignare pro eremo in eo erigenda. Se non posse ajebat, quod ille mons non esset in sua libera jurisdictione, sed sub aliqua controversia et lite. Se deinde nolle illum dare, quia esset contra caritatem Christianam, cum in eo exaudiantur frequenter dæmonum, sive malignorum spirituum aut familiarium voces ingerentes timorem, ac proinde patres semper inquieti essent, pavidi, perturbati. Occasionem quærit, qui vult recedere ab amico. Nihil horum erat, sed quia mons ille erat totus quercubus consitus (rara res in illis possessionibus) et non mediocri pretio venduntur, bonus dominus fundator pecuniæ inhians nullo modo volebat se privare, nec ego debui alibi fundare, quia perlustrans saltus non inveni aptiorem pro nobis locum. Re igitur infecta, et vesperi ad ipsius domum reversi, quoad usque horam quiescendi, animis alteratis conticuimus; quod ego non debui, nec voluissem fecisse, sed homo sum, et dominus defecit infideli proximus, et verbo generosi viri, sed compatiendum fuit ejus tenacitati. Antequam ex Casimiria exeamus, meæ æstimo esse partis quasi sub parenthesi hac narratione texere, quæ ibi vidi, notavi et observavi. Inter has cum domino Kadzydlorrski negotiationes non sine divino nutu factum est, ut ego cum fratribus meis Benedicto & Gabriele Kieleocky in festo sancti Johannis-baptistæ Casimiriæ adessem anno 1663. Vix credidissem tantam hominum utriusque sexus multitudinem, quin & millia millium convenisse (idem fit, ajunt, XII. novembris in proprio natalitio & festo die Sanctorum quinque fratrum) nisi præsens vidissem & numerosissimum meis manibus indignis populum primum in ipso templo sancti Johannis eremitæ martyris, ac deinde præ nimia turba in publico cœmeterio sanctissimo Christi corpore, & mellifluo ac pretiosissimo sanguine communicassem. Tantam ad quinque Sanctorum in illis partibus devotionem & pietatem habent reverentiamque impendunt, quantum alibi, ubi maximus fit concursus, & licet solitariæ cellæ ligneæ quidem, et illorum perantiqua cella sint longe una ab altera separatæ, et in publicis campis diu noctuque expositæ latrociniis et militum insolentiæ, vel tempore belli incolæ et accolæ pretiosiora quæque in illis tamquam in certissimo sanctuario reponunt, et nullus audet vel quidquam inde auferre; puteum vidi et aquam bibi, et narrantes miracula audivi, et gratias infirmitatum, quas consequuntur ex illa bibentes, vidi et in fundo putei figuram piscis Salmonis semper extantem, ex quo puteo traditio est vetus, quod sancti fratres iis piscibus semper recrescentibus victitabant. E sacello sancti Johannis erectum fuit templum una cum conventu, quod a multo tempore possident patres Minores de observantia, Socculantes vulgo, et in Polonia Bernardini vocati, et sunt in maxima veneratione. Sacellum sancti Matthæi conversum est in ecclesiam paræcialem, sancti Martini vocatam, et sicut in ecclesia

ANN. CHR. 1662.

prædictorum patrum arca satis ampla cum alia arcula suprapofita sanctorum fratrum reliquiis, ut ajunt, refecta conspicitur, sic in ecclesia parœciali altera in suspenso arcula exposita videtur, & ego non semel in utroque altari & loco celebravi. In lateribus dictæ arculæ in capite & in calce duo sunt eremitæ in habitu albo monastico depicti, & in magno ejusdem ecclesiæ fornice supra chorum & altare majus sex conspiciuntur antiquitus depicti patres more monastico, & cuculla alba, laxatis manicarum fimbriis, sicut hodie incedunt nostri Camaldulenses monachi & eremitæ. Sacella sanctorum patrum Benedicti & Christini non longe a sancti Johannis templo sunt constituta, nec multum ab invicem separata. Quintum sancti Isaaci sacellum a Casimiria distat ferme medium milliare, Sancti vero Barnabæ milliario integro & eremo nostræ satis vicinum. Hæredes speramus domini Kadzyslorrski facile dono conferent, cum villula contigua Bieniszorrot sancti Barnabæ silvæ & territorio. Posnaniæ in cathedrali ecclesia duæ argenteæ conservantur arculæ reliquiis refertæ eorumdem quinque fratrum; vetitum sub excommunicationis maledicto, ne quis ex eis quidquam distrabat, alias libenti animo voluissent reverendissimi domini canonici mihi aliquid impartiri. Duas itidem arculas habent ligneas, deauratas tamen, in quibus eorumdem sanctorum fratrum vestimenta conservantur, in una quidem rubra, in altera vero nigra. Sed hic convenientia testimonia non erant; quommodo enim ostenduntur rubra & nigra, si antiquæ picturæ in albissimis vestimentis repræsentantur? nisi dicere velimus interiora fuisse, neque apparentia illa rubra & nigra. Olomucii in arca magna argentea diutissime conservatum fuit sancti Christini corpus, donec Sveci ex arca projectum, & intra rudera distractum (arca in Sveciam asportata) vix a dominis reverendissimis canonicis aliqua sacra ossula reperta in argenteo reliquiario condiderunt, quod habui ego in manibus meis non semel, sacras illas reliquias, uti fratris mei longe sanctissimi veneratus. Sed, ut eo revertamur, unde digressi sumus, mane facto sequentis diei, abeundi rogavi licentiam a domino Kadzydlorrski, gratias egi pro humana tractatione, ac indolui, quod non potuimus laudabiliter convenire, quia aliter in conclusione, & aliter in principio inter nos gestum fuerit, reliqua dicenda involvi silentio. Tunc ille numeravit nobis tercentos florenos ex mandato suorum agentium pro lite cum militibus definienda expensos, ut ad illum scripserunt, & nobis vere nescio quo titulo donarunt & concesserunt. Ego quidem eremo Montis-argentini obtuli, ut orarent pro domino Kadzydlorrski, qui & sexaginta addidit nobis florenos, pro itinere, dixit, ne quidquam videatur religio se ad me veniendo frustra expendidisse. Post discessum nostrum a Casimiria ulteriori spe eo remeandi sublata, Dominus Deus sollicitus fuit nostri, & nobis etiam absentibus benedixit, omneque impedimentum & obicem evidentissimo miraculo sustulit, & amovit, quo induratum cor domini Kadzydlorrski emollivit, & ad eremi fundationem inclinavit. Virgo enim beatissima Mater Dei puellam virginem ex villa Bockderra (pagus est patrum societatis Jesu) vocatam duxit super lacum & aquam ad destinatum montem, ubi per dies tres mansit, musico detenta concentu & religiosos in vestibus albis psallentes vidit, audivit, & in spiritu extra se fuit, parentibus interim flentibus. Restituta demum & interrogata, quod factum foret, quod triduo abfuisset, illa asserebat se tantum per horam, non ultra absentem fuisse, & mirabilia in tali monte vidisse, quæ patri Antonio in conventu Casimiriensi confessario jussa fuerit a matrona quadam, quæ illam duxit & reduxit, referre. In separato folio sub die XXV. januarii 1664. ex relatione

ne fideli ejusdem patris Antonii nostri pater Hieronymus Lithuanus, & pater Parisius totam hujus miraculi seriem descripserunt, & manuum suarum subscriptione sunt sancte attestati, ad cujus miraculi lectionem meos remitto lectores, quia plurima exemplaria hac de re confecta ad futurorum memoriam existunt, & de industria transmitti curavi. Audito miraculo mutatus in alterum virum dominus Kadzydlorroski serio cogitare cepit, quid hæc sibi velint? & sæpius cum patre Antonio suo itidem confessario colloquia habuit, & signa non modica pœnitentiæ dedit, quod nos admodum rigide nimis repulisset. Dum hæc Casimiriæ agebantur, in montem Argentinum vocatus pro aliquo expediendo negotio comparuit pater Hieronymus, qui supra, & audiens, quæ Casimiriæ acciderant, obtulit operam suam, si velim, speraretque se acturum cum domino Kadzydlorrski, ut montem & alia, quæ desideraveram, esset ea tandem concessurus. Annui plaudentibus aliis patribus ipsius promptitudini, & illum cum socio Casimiriam dimisi, prosperam fortunam ei comprecatus. Ita pater Hieronymus molliter, dulciter, suaviter egit cum domino Kadzydlorrski, semper eum etiam patre Antonio impellente, ut jam consiliis, rationibus & miraculis flexus montem quercubus frondosum a nobis petitum & volitum, non solum concesserit, donaverit, Deo consecraverit, sed illico in eodem monte, ac si statim patres essent ibi habituri domum, de more regionis ligneam satis amplam ad habitandum excitaverit, & suis expensis construxerit, & patres, ut jam advenirent, rogaverit. Consensum a patribus supremam religionis directionem habentibus fundandæ eremi Casimiriæ obtinui, & statim fratres destinavi ad capiendam possessionem loci, & juridice donationem fundatori declarandam, & ad inibi exemplariter in sanctitate & justitia manendum. Is assensus præstitus est a patre Silvano vicario generali in Polonia ex monte Argentino die x. julii anni 1663. Prima autem augusti amplissimum pro fundatione privilegium obtentum a Johanne-casimiro rege Poloniæ. *Vix igitur in eo monte patres posuerunt nidum suum, & fixerunt pedem, cum undique sive pietatis, sive novitatis ergo ceperunt concurrere hominum turbæ & turmæ, & quidem non vacuis manibus, sed eleemosynis, muneribus, oblationibus novam sanctorum Quinque Fratrum eremum singulis fere diebus Christiana & Polonica caritate & humanitate aucta ex devotione fulcire studebant, ut brevi curriculo temporis ecclesiastica in primis ac deinde domestica suppellectile novi nostri Camaldulenses fratres eo in loco abundarent, pro tunc temporis exiguæ familiolæ tenuitate. Resciverat hæc reverendissimus quidam & venerabilis longævæque ætatis senex canonicus, ni fallor, Gnesnensis, ex familia nobilitate clara, nempe Judicki, qui patres alloquutus insinuavit se non postremo loco, sed sub ipso initio velle eremo aliquando benefacere, obtinuerat ille ab illustrissimo archiepiscopo primate & reverendissimo capitulo Gnesnensi non pridem quidem precario pagum a nova eremo, si recte recordor, duobus distantem milliaribus, utcumque equidem devastatum & armentis ac pecudibus expoliatum, sed tamen qui facili negotio ad culturam & lacticiniorum fructus, immo & annuos proventus diligentia & œconomia solerti reduci in pristinum posset. Hunc pagum ad annos octodecim faciendum libere ei capitulum extradiderat. Itaque cum ego sim, inquit, in cadenti constitutus ætate, villam istam ad bosce octodecim annos (& a capitulo Gnesnensi confirmandum contractum) vobis patribus resignabo, (& dubio procul capitulum deinde requisitum in perpetuum concesserit) dummodo velit mecum aliqua honesta de facto contestatione convenire. Inito intra nostrates consilio deliberatum fuit numerandos pro omni & toto eo reverendissimo*

ANN. CHR. 1662.

dissimo domino Judiki florenos in parata pecunia & currenti moneta 1500. *erant tunc juxta cursum quingenti talari, quibus ille contentus fuit. At hoc opus, hanc reperire summam nihil habentes, nec ego quidem debita contrahere permittebam. Interim reverendissimus Judicki premebat, suam timens mortem. Dum igitur de modo inveniendæ pecuniæ sententiæ inter nos agitabantur, prosiliit in medium pater Parisius, quin, inquit, moramini, & frustra de pecunia solliciti estis? Mittatis me Leopolim, & si ibi justitia recta fuerit, vulneribus istis dabitur, quæ eis debetur pecunia. Fuerat iste miles egregius, & strenuus inter confœderatos illius & lacrymabilis tempestatis & temporis, nec sicut alii unquam ulla stipendia receperat, & parem portionem cum ceteris nobilibus ex publici ærarii retentam solutionem prætendebat, compositis tamen rebus cum militibus vinculatis me Leopoli etiam præsente illis diebus variis causis religionis distento aliquot centena florenorum, si non erro, sexcenta recepit. Remisimus itaque illum, & superiorem novæ Casimiriensis fundationis constituimus, industriæ ipsius relinquentes, et exhortantes, ut quæ desunt ad integram mille quingentorum florenorum summam ad satisfaciendum domino Judicki, quoad fieri posset, sine ullo religionis gravamine inveniret; quod ille fideliter et feliciter præstitit, & integram summam secum Cracoviam tulit, & domino Judicki, qui apud illustrissimum & reverendissimum episcopum Cracoviensem Trebiscki cum aliis sacerdotibus et nobilibus in publica mensa prandebat, enumeravit: Hic est dominus et reverendissimus Judicki, ille, qui fortassis, antequam nos familiarius agnosceret, in laudem Camaldulensium doctum et vere aureum libellum composuit; alterum olim et secularis adhuc, postea canonicus Cracoviensis composuerat in eodem genere doctissimus et æque magni nominis concionator nobilis vir dominus Simon Starrowolscki, ante annos quinquaginta et ultra in Poloniæ regno mihi longe amicissimus, quem Deus absolvat. In quo libello vulgato prælo dominus, inquam, Judicki nervosis et validis fundamentis probat, et suam in hac re doctrinam certam scientiam, non ut opinionem, sustentat, digitoque lectoribus ostendit atque demonstrat, religiosissimos atque doctissimos hodie sancti Pauli primi eremitæ religiosos a patribus olim in Hungaria Camaldulensibus derivare. Anno 1664. Deo omnia suaviter disponente Varsaviam sine luxu, et pompa et solitis quatuor equis sub curru ad comitia generalia, tamquam senator venit dominus et fundator noster Kadzydlorrski, et ad patres Bernardinos divertit, sed quia non erat ei locus in diversorio, præ hospitum multitudine, et ille alibi commodum invenire, marsupio prohibente, recusaret, coactus est in fumoso quodam angulo monasterii cum illorum fabro lignario consociari. Quod cum ego rescivissem, illico veredarium cum meis literis ad illum misi, et in domum nostram prope sanctum Franciscum, licet exiguam, invitavi illum, et omnimodam obtuli pro se, famulis et equis, curruque commoditatem, rogans, ne sperneret mea obsequia, et servitia et affectum erga se meum, meorumque patrum et fratrum eremitarum, quos ille Casimiriæ in domo et bonis suis permanenter suscepit. Vox mea ac si de cœlo venisset, fuit illi gratissima; venit illico, summas egit gratias, quod ex purgatorio, in quo positus erat, illum liberaverim, nunquam tantam obliturus humanitatem. De omnibus cum domino Kadzydlorrski gestis plenissime informaveram semper illustrissimum et reverendissimum episcopum Cracoviensem Trebiscki ejus amicissimum, qui hanc occasionem nactus promovendi res nostras ad convivium rogavit; postea seclusis omnibus serio cum illo egit, exhortans illum et rogans, ne esset cum fundatione*

domus

domus suæ tam parcus, sed munificentius ageret, & post fata sua de se ad Dei gloriam dignam relinqueret memoriam. Quid plura? Secretum demum meum, inquit, vestræ celsitudini pando: dabo patribus in parata pecunia decem millia florenorum, ea conditione, ne sint deinde mihi ulterius molesti; non sum adeo dives, nepotes habeo, sint patres contenti. Bona mea, dixit mihi, etsi sparsa, sunt quadringenta millia florenorum. Bonus episcopus summas ei gratias egit, quia nunquam illam summam sperabat. Dum vixit tamen, non valuit naturalem tenacitatem superare, & vincere, quoadusque jamjam morte instante, & conscientia ipsius reclamante, non solum hæc decem millia, sed etiam illa sex millia, quæ a confœderatis acceperat, & olim nobis promissa in arca occlusa pro nobis in sacrario parœcialis ecclesiæ reposuit, mandavitque, ut expirata ejus anima illico patres liberi essent, & domini illius summæ, sexdecim videlicet millium florenorum, quos pro eremi fundatione & patrum sustentatione Deo consecratas intelligit, sic se velle ita declarat, & omni meliori modo mandat, & præcipit; Dominus retribuat & eum absolvat. Defuncto domino Kadzydlorrski adfuit, ut inaudio, quidam nobilis obæratus satis, & ingressus sacrarium ecclesiæ arcam violenter fregit, pecuniam sacrilege abstulit, & patres & populos summo mœrore affecit, seque ipsum & familiam suam turpiter infamavit. Ad tribunal citatus, & contra illum criminaliter actum; audio etiam, quod timore publicæ infamiæ velit raptum restituere, & de facto aliquid paulatim ferat patribus. Utrum cum integra careant summa, non video, quo sibi comparare aliqua bona stabilia pro sustentatione, nisi respublica Polona insolentias nobilium coerceat, caveat sibi & sibi imputet flagella, quæ patitur, & nedum finis. De statu ergo hodierno illius Casimiriensis fundationis lectorem remitto ad relationem mihi sub die quarta januarii 1673. a patre admodum reverendo Roberto ibi superiore transmissam, & me in ætate LXXXII. annorum constitutum, & LXIV. religionis, plenumque miseriis, & si quod patimur, me pati candide confiteor, & denique vivum adhuc & ut defunctum adjuverint, suffragiisque velint juvare animam meam, rogo quoscumque atque iterum rogo. Scribebam hæc ego in festo sanctorum martyrum Johannis & Pauli fratrum anno 1674. in eremo Cæsarea Viennensi, quo itidem die mandatum a superioribus nostris ab Italia recipio, ut in gratiam excellentissimi domini Cancellarii supremi Pacyi piissimi fundatoris Montispacis in Lithuania, qui me votis omnibus requirit, eo proficisci debeam. Durus quidem sermo pro mea ætate grandæva, sed obediendum est usque ad mortem, & mortem etiam Crucis, si ita Deus sua providentia disposuerit. Prænominatus pater Robertus uti Visitator secundus hoc anno 1675. in hac eremo Cæsarea Viennensi retulit mihi prædictum nobilem esse dominum Gzudzienski Castellanum Brestensem, qui demum coactus convenit cum nostris patribus, & se obligavit illis de facto pro omnibus & toto eo restituere florenorum 25. millia in solidis moneta currenti pessima, & de regno exterminanda; condonarunt illi satis misericorditer boni patres florenos 900. alias 32. millia pro 16. bonæ monetæ ablatæ restituere debebat. Transeat, cum sit maritus olim uxoris filii domini defuncti Kadzydlorrski, & per consequens vitricus duorum fratrum privignorum hæredum & nepotum domini fundatoris. Frater Silvanus eremita Camaldulensis scribit.

Quoad miraculum visionemque superius indicatam, ob quæ dominus Kadzydlorroski promptior redditus est ad Casimiriensem fundationem perficiendam, sic describitur ex relatione Italica ms. Johannis Advogarii alte-

ANN. CHR. 1662.

alterius eremitæ Camaldulensis, quam in Latinum proferimus. „ In
„ vigilia Præsentationis beatæ Mariæ virginis XX. novembris anni 1662.
„ quædam juvencula decem & septem annorum, Sophia nomine, villæ
„ Bochlewæ subdita patrum Jesuitarum, ex honestis genitoribus nata,
„ bonæque famæ, quæ serviebat tamquam ancilla, volens se conferre
„ ad domum genitorum suorum, exiit ab illa domini sui tempore no-
„ ctis, & volens regredi ad dictam domum, cum pervenisset ad quem-
„ dam locum ejus villæ, obviam habuit quamdam venerabilem matro-
„ nam splendide indutam, clarissimam, fulgentissimam, quæ sic juven-
„ culam affata est stupentem & trementem: Agnoscis me? ipsa vero
„ respondit: Non. Subdidit illa: Cito me agnosces, sequere modo me.
„ Excusabat se Sophia ob metum domini sui severioris. Verum ma-
„ trona dixit: Ne dubites filia; & manu eam apprehendit, ac in de-
„ via ducens, ad urbem Casimiriæ asportavit. Pertransierunt simul ec-
„ clesiam sancti Francisci Minorum Observantium, inde ierunt ad la-
„ cum dictum SKapè, quem transfretavit matrona, & juvencula cum
„ ipsa siccis pedibus, usque ad culmen montis ad aliam regionem la-
„ cus, ubi erat planities altis quercubus consita, & in medio ipsarum
„ erigebatur altior pinus. Hic cum pervenissent, apparuit fulgida lux
„ illuminans locum, & auditi fuere concentus angelorum laudantium
„ Deum, visi autem religiosi multi in pulcherrima ecclesia albis vesti-
„ bus induti cum barbis prælongis, cantu monastico laudes Dei canentes.
„ Recreata Sophia depulso timore sibi videbatur in cœlo esse, & frui bea-
„ tifica visione. Tunc matrona Sophiæ intulit: Agnoscis tu patres istos?
„ Ipsa vero, nunquam, ait, vidi hujusmodi religiosos viros ita indu-
„ tos. Ad quæ verba, matrona dixit: Si recens sacramenta recepisses
„ pœnitentiæ & communionis, quæ in præterito paschate dumtaxat re-
„ cepisti, & religiosos agnosceres, & angelos canentes videres. Volo
„ tamen, ut quidquid vidisti & audisti, notum facias tuis, omnibusque,
„ ac scito in hoc monte habitaturos post tres annos religiosos albos,
„ locumque istum divino cultui consecrandum esse, ubi ipsi continuas
„ Deo laudes offerent. His dictis disparuit visio, & matrona juvencu-
„ lam reduxit iterum pertransito lacu, ad ecclesiam fratrum Minorum
„ Casimiriæ, ubi eam interrogavit, an sciret, ubi esset, & an ad do-
„ mum domini sui reverti valeret? Respondit, se nosse, ac sine duce
„ domum suam repetere se scire. Vade itaque, ait matrona, in nomi-
„ ne Domini, & ne omittas manifestare visionem hanc, ac time Deum,
„ quamprimum autem ad æternam vitam vocaberis. Evanuit ab ocu-
„ lis matrona, & stupens Sophia novitate rei orto sole domum re-
„ versa est. Dominus autem eam corripuit, immo eam cædere vole-
„ bat, eo quod tribus diebus absens fuisset, quod spatium famula pu-
„ tabat tres horas fuisse. Totam visionem recitavit domino suo,
„ qui eam duxit ad patres Jesuitas collegii Callissiensis, qui exami-
„ ne instituto eam transmiserunt ad patres sancti Francisci Casimi-
„ riæ theologos & doctos viros, & ad pastorem loci, qui erat Jo-
„ seph PeczKouski decanus Sampolensis, qui diligenter Sophiam exa-
„ minarunt, & maturo judicio, factoque discusso, concluserunt opus
„ esse Divinum, qui prænuntiare volebat aliquid novi in eo monte fu-
„ turum, ac de ea re admonuerunt dominum Albertum KadzydlorrosCKi
„ castellanum, opera patris Antonii Minoritæ ejus confessarii, qui con-
„ fessarius erat pariter Sophiæ, cum quo dominus Albertus frequenter
„ colloquens de dicta visione in cognitionem demum venit, Deum velle

„ fun-

Ann. Chr. 1662.

" velle fundationem eremitarum Camaldulensium in eo monte, quem
" eatenus dare eremitis Camaldulensibus recusaverat. Hujus autem mi-
" raculi testes fuerunt plures religiosi adhibiti in examen rei, & ipse
" parochus Casimiriensis, qui visionem ex auditu retulerunt eremitis
" Camaldulensibus, quando ad eam eremum incolendam missi sunt."

Hæc est fundatio eremi Casimiriensis, sive Quinque sanctorum fratrum eremitarum martyrum Polonorum Johannis & Benedicti, Matthæi, Isaaci & Christini in majori Polonia post sexcentos & amplius annos, ante quos ipsi primi invexerant eremiticum Camaldulense institutum in eo regno, missi a sancto parente Romualdo; cujus fundationis perfectio referenda est ad annos 1663. & 1664. Tempore cardinalis Georgii Radzivilii episcopi Cracoviensis editæ fuerant, & per synodum Petricoviensem in eodem regno approbatæ lectiones & oratio pro iisdem sanctis Martyribus, qui declarati erant Poloniæ patroni. Apud Martinum Baronium legitur, quod cum Stanislaus Nuccius frater ordinis Minorum conventus Casimiriensis hymnum componere vellet in honorem sancti Johannis martyris, cujus corpus quiescit in ecclesia dicti conventus, & manum adjecisset operi, nullo modo poterat progredi, hymnumque ad perfectionem ducere. Quare se commendavit præfato sancto martyri, qui se conspiciendum præbens: Stanislae fili, inquit, prosequere hymnum & comple. Quem summa facilitate ad umbilicum perduxit, & ipse hymnus quotidie post Vesperas in honorem sancti martyris canitur. Ceterum fraudandus non est sua laude Hieronymus Lithuanus eremita Montis-argentini, qui promovit multum eam fundationem, ut legitur in alia ms. relatione, in qua post aliqua habetur: *Qui postliminio tandem*, subintellige tractatus, *per R.P. Hieronymum eremitam nostrum Camaldulensem natione Lithuanum pietate & eruditione insignem, virum omnibus prælaturis & officiis in nostra congregatione perfunctum innovari & suscitari cepit. Vir enim divinus dilatandi religionem percupidus, ac propagandi cultum æterni numinis zelo inflammatus, cœlesti spiritu, ut pie credendum censemus, loci & istius soli notitiam habens, illustrium orbis Polonici luminum sanctorum martyrum a mentibus hominum deliquium abstersurus, venerabiles patres nostros in Monte-argentino ad Cracoviam existentes, multoties suis gravissimis rationibus et ponderosis excitavit, et incitavit persuasionibus cultum Divinum a sex et amplius retroactis seculis in eremitorio Casimiriensi collapsum et oblivione sepultum erigerent, ni strictam rationem negligentioris curæ severo judici Deo reddere malint. Quandoquidem hoc unicum in votis et desideriis antiquorum et recentiorum patrum erat, ac laudabilis eorum pietas hanc satagebat eremum, ubi lipsana sanctorum martyrum erant, fundare. Ad quam eorum intentionem exequendam novissimis hisce temporibus clementissimus Deus vota eorum ab alto respiciens, nobis januam aperuit, qua illuc intrare et fundare possemus. Piis patris ejusdem conatibus fit numen propitium, desiderio et tantæ ejus sollicitudini annuentibus patribus, ut se Christi athleta compotem voti sui esse incipiat, cum duo e collegio Argentino insignes fratres, pater scilicet Silvanus natione Italus, vitæ maturitate, et prudentiæ capacitate præcipuus, alter seraphico patriarchæ sanctissimo Francisco, ob sui in oculis Domini abjectionem comparandus, qui nunquam sacris initiari voluit, scilicet frater Gabriel Cielecius e majori Polonia illustri familia oriundus ablegantur ad magnificum dominum Albertum Kadzydlorscki Radziziovensem* &c.

Demum exscribimus hic loci epistolam ejusdem Silvani eremitæ scri-

ANN. CHR. 1662.

ptam ex monte Argentino die XXII. augusti anni 1663. ad Majorem, & ad Visitatores Montis-coronæ, quoad locum & ecclesias sanctorum martyrum. *Ad fugiendas lites cum dominis Cirtecki debitoribus nostris, transactis mensibus perreximus in majorem Poloniam, & duo-millia florenorum obtinuimus. Parum distat ab eorum domibus urbs Casimiriæ, olim solitudo Sanctorum nostrorum, qui in Polonia coluntur, ut fit de sancto Antonio Patavii, & de sancto Francisco Assisii. Diebus XXIV. junii & XII. novembris concurrit multitudo tanta populorum, ut ad sudorem usque eos sacro pane refecerim ad arcam sanctorum Johannis & Benedicti, & ego cum sociis in discrimine vitæ fuissem, nisi recessissem in cœmeterium patrum Franciscanorum, qui reliquias eorumdem Sanctorum custodiunt, ad prosequendam sacram synaxim. Inveni gratiam apud dominum harum regionum octuagenarium, qui eremum fundare in eo loco pro eremitis nostris destinavit. Sicarii, qui trucidarunt sanctos viros, non erant ex plebejorum ordine, sed ex nobili familia Slaborzcuscki, quæ modo bona sua possidet tribus leucis a Casimiria. Picturæ existentes in cathedrali Posnaniæ, & Casimiriæ exhibent hos sicarios indutos purpura & auro, & hæc est populorum traditio ex confessione etiam hæredum, qui in omni eorum generatione justa Dei vindicta stolidum menteveque captum semper habuerunt & habent. Transmitto ichnographiam horum locorum. Puteus, qui in ipsa visitur, est scaturigo limpidissimæ aquæ in burgo urbis Casimiriæ. Fert traditio hoc puteo ad bibendum usos fuisse sanctos Martyres, & aliquando piscem in eo reperiisse, Salmonem vocatum, qui pro cibo ipsis inservïit, cujus etiam caput in puteum iterum projecerunt, & sequenti mane alter integer piscis apparuit, quod repetitum est toties, quoties ipsius caput in aquam demiserunt toto eorum vitæ tempore. Post ipsorum mortem ad diem hanc permanet in fundo argillæ putei Salmonis imago indelebiliter impressa &c.*

XXXI. Plura collecta Camald. monumenta.

CUM multoties actum fuisset de unione congregationis monachorum Camaldulensium cum congregatione monachorum Montis-Virginis, & denuo circa hæc tempora suscitarentur iidem tractatus, sicut etiam alii proponebantur circa reunionem monachorum cum eremitis, Clemens Mencarellus abbas Camaldulensis, qui olim fuerat bis generalis, ad procuratorem generalem ordinis monachorum solidam & eruditam epistolam dedit mense septembri hujus anni, qua probatis rationibus ostendit nullum ex his unionibus emolumentum congregationi venire, quinimmo plura damna & incommoda. Extat ejus epistola ms. ad calcem synopsis vitarum SS. & BB. Camaldulensium abbatis Germani Bottæ.

In eremo Rhuensi obiit frater Mansuetus Patavinus conversus, qui præcipue ex oratione, & caritate laudatur. Inter monachos vero decessit Faustus Arditius Pisaurensis, quem ejusque opera memorat Mazucchellius[a].

a *Pag.* 982.

Edidit Cremonæ typis Petri de Zannis vitam sancti Theobaldi confessoris & monachi Camaldulensis Dominicus Portesanus Cremonensis abbas & visitator Camaldulensis, professus autem monasterii sancti Mathiæ de Muriano, abscondens nomen suum sub nomine nepotis sui Johannis-pauli Portesani. Ejusdem abbatis fœtus est catalogus Sanctorum Beatorumque Camaldulensium.

Imposuit hoc anno Romanus pontifex Alexander VII. taxam scutorum Romanorum tercentorum millium undecim congregationibus ob præsentissimas ecclesiæ indigentias. Bulla expedita fuit die XVI. aprilis, sed publicata tantum die XXIX. maji anni sequentis.

Maurus Cursius nobilis Florentinus filius Camilli Cursii & Victoriæ

Miniæ

Miniæ, ex monacho sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, & ex abbate ac visitatore Camaldulensi, adlectus est episcopus San-miniatensis mense julio ab eodem pontifice Alexandro VII. Vir erat literis cultus, & ad quæque agenda difficiliora natus, virtutibus quoque christiano & religioso præsule dignis valde ornatus, qui post administrata plura monasteria multa probitate & utilitate, concreditam sibi ecclesiam decem & octo annis pietate & utilitate paribus gubernavit.

ANN. CHR. 1662.

ANN. CHR. 1663.

XXXII. Coronensium eremitarum aliquot elogia.

IN eremo sancti Salvatoris de Neapoli cum opinione sanctitatis ad Deum transiit Urbanus a Neapoli eremita Coronensis, olim Ignatius Petruccius secularis sacerdos, dictus apud suos eremitas Urbanus II. ad distinctionem alterius Urbani de Divitiis. Dum in seculo commorabatur, excipiebat, jussu archiepiscopi Neapolitani, confessiones venerabilis monialis Mariæ Villani, quæ degebat, vivebatque cum odore optimæ famæ in parthenone Divini-amoris. Pariter eodem tempore Ignatius confrater erat societatis Alborum Neapoli institutæ ad reos in extremo vitæ momento confortandos, ut fidem facit N. Coppola episcopus ejus affinis. Sollemni professione se Deo dicavit in eremo octava maji anni 1655. Statim post ejus decessum nuntius destinatus fuit ad eamdem venerabilem Mariam monialem, qui referret Urbani obitum. At illa, antequam ad ipsam ingrederetur nuntius, astantibus dixit, se prænovisse mortem sancti eremitæ Urbani, olim Ignatii confessarii sui, quæ sibi revelata fuerat a Domino ea ipsa hora, qua animam Deo reddidit, quæ etiam post sex horas, quibus piacularibus flammis fuit addicta, evolaverit pura ad cœlum. Ut quieti sanctæ indulgeret, ante biennium impetraverat breve a Romano pontifice, ut per quinque annos non eligeretur ad aliquod munus obeundum; quod feliciter declinavit post duos annos in pace decumbens.

In altera eremo Montis-coronæ e vinculis corporis exsolutus fuit Herculanus a Perusio, de quo refertur in ejus elogio, quod propter admirabilem vitæ innocentiam anno 1660. præservatus fuerit ab incendio in abbatia Montis-coronæ, translatus per fenestram in hortum ab Angelo.

Decessit etiam in monasterio sancti Michaelis de Muriano Michael-angelus Superantius Venetus, qui in eodem cœnobio albas vestes indueerat anno 1607. sub Vitale Zuccolio abbate, cujus studiorum fuit assiduus comes. De suo exaravit Superantius descriptionem insulæ sancti Michaelis impressam ad calcem historiæ urbis Venetiarum Nicolai Dolleonii. Quatuor etiam & trecenta ænigmata octono metro Italice singula descripta edidit, quæ mss. asservantur in bibliotheca Classensi. Pluribus annis tum monialium sancti Parisii de Tarvisio, tum tironum in monasterio sancti Michaelis de Muriano curam laudabiliter egit.

Supremus etiam fuit hic annus Clementis Mencarellii Æsini, qui abbas generalis monachorum Camaldulensium bis fuerat, & procurator generalis in Curia, nonnullaque ordinis monasteria provide gubernaverat.

Eo quod ob incidentiam primæ diei Quadragesimæ festum sancti Romualdi hoc anno translatum fuisset ad diem sequentem, octavam februarii, Alexander VII. indulgentiam pro hac vice tantum ad eam diem remisit brevi suo dato die tertia januarii hujusce anni.

Cum Petrus Gallina abbas sancti Blasii de Fabriano ante biennium die xx. aprilis, permittente Æmilio Alterio episcopo Camerinense extraxisset ex capsula lignea existente super altare majus ecclesiæ sancti Blasii ossa septem corporis sancti Romualdi, unum ex iis ossibus, quod

Ann. Chr. 1663.

erat digiti, donavit anno antecedenti Alberto Giupponio visitatori, & abbati Camaldulensi, qui hoc anno die IX. junii ipsum recognitum ab Alexandro Mantuano vicario Georgii Cornelii episcopi Patavini reposuit ad fidelium venerationem in ecclesia sanctæ Mariæ de Carceribus.

XXXI. De Sacrario eremi Taurinensis.

Libet mentionem facere in his Annalibus de egregio opere, quod tum a civibus Taurinensibus, tum ab exteris adventantibus suspicitur in sacrario eremi Taurinensis, quodque merito existimatur unum ex rarioribus artis prodigiis Sabaudicæ ditionis. Insudavit assiduo miroque artificio in sacrario exornando toto vitæ suæ tempore Carolus-amadeus Botti Taurinensis & ejusdem eremi asceta, qui supremum diem obiit anno 1682. post plura etiam ex majoribus officia, quæ in congregatione Pedemontana gessit. Mirabiles nitidissimæque conspiciuntur elaboratissimæ sculpturæ in ligno; aliqua tamen loculamenta imperfecta reliquit, quæ nullus, licet excellens artifex, supplere voluit; solumque anno 1754. repleta ea sunt picturis ovatis Victorii-amadei Cignaroli. Advenarum etiam oculos ad se pertrahit tabula in refectorio cœnam Dominicam exhibens, opus Balthassaris Matthæi pictoris Antuerpiensis.

Ann. Chr. 1664. XXXIV. Veronensis eremi historia.

Jam ab anno 1620. Marcus Cornelius Episcopus Patavinus, simulque abbas commendatarius monasterii sancti Zenonis de Verona, impulsu Alexandri Secchii eremitæ Camaldulensis congregationis Coronensis proposuerat erectionem novæ eremi in diœcesi Veronensi; pollicitus propterea fuerat se ecclesiam & ædificia daturum pro eremitarum habitatione in loco subjecto eidem abbatiæ, dicto sancti Dionysii, tribus milliaribus distante ab urbe Veronensi, habueratque consensum etiam monachorum sancti Zenonis, qui majorem in partem tunc temporis Germani natione erant; promiserat insuper suis expensis constructurum sex cellas, cum sponsione annui redditus ducentorum scutorum toto vitæ suæ tempore. Accedebant promissioni episcopi Cornelii alia prædia oblata a nobilibus viris Veronensibus. Hæ oblationes exceptæ fuerant a capitulo Monte-coronensium patrum; sed dum lente manus postrema apponitur huic tractatui, supervenientibus Italiæ bellis & peste, supremum etiam diem obeunte anno 1625. eodem episcopo, nec non mutatis monachis sancti Zenonis, ad quos locus sancti Dionysii pertinebat, quique recedentibus Germanis erant Itali, irritum cessit consilium omne, præsertim quia novi monasterii incolæ ecclesiam præfatam concedere non ulterius consenserunt, sed loco illius obtulere anno 1661. aliam ecclesiam sancti Andreæ, membrum ejusdem abbatiæ. Verum difficultates etiam objiciente Grimano, qui electus fuerat post Cornelium abbas commendatarius, ea quoque oblatio in nihilum recidit. Contigit post parum temporis, quod Johannes-baptista Dottus nobilis Patavinus, filius comitissæ Aldæ Veronensis e familia illustrium comitum de Sancto-bonifacio, defuncta conjuge, & communicato consilio suo in urbe Viennensi cum patre Borroni S. J. anno eodem 1661. sub habitu oblati eremum Rhuensem ingrederetur, cum donatione situs sine ecclesia & sine adjunctis ædificiis, Gardam inter & Bardolinum, in monte dicto sancti Georgii diœcesis Veronensis, sibi provenientis ex dote matris. Annis 1663. & præsenti 1664. excepta fuit pia largitio viri. Annuentibus itaque Romano pontifice Alexandro VII. republica Veneta, & Sebastiano Pisano episcopo Veronensi, faventibus etiam Dominico Contareno Venetiarum duce, & Gregorio Barbadico S. R. E. cardinale episcopo Patavino, locus præfatus inhabitari cepit ab eremitis Rhuensibus, primamque

que

que hujus eremi cellam ædificari de suo ære jussit Johannes-casimirus Poloniæ rex hoc ipso anno ex epistola data die XXIV. augusti ad abbatem Donum suum internuntium Venetiis. Accessit donatio alterius loci contermini facta ab Aloysio Becellio nobili Veronense fratre Oddonis eremitæ super summitatem ejusdem montis cum sponsione ædificandi duas cellas, ita ut omnibus rite compositis constructio hujus Veronensis eremi inchoata fuerit præsenti anno. Super januam domus hospitum legitur hæc inscriptio: *Aloysius Becellus nobilis Veronensis desolatam divi Georgii arcem ad eremi structuram patribus Camaldulensibus non minus pie obtulit, quam prompte ære proprio coemerat anno Domini* M. DC. LXIII. Anno 1672. die XIX. aprilis in capitulo generali Montiscoronæ eremus Gardensis erecta fuit in prioratum, electo in primum priorem Oddone Becello. Seculo præcedenti, ex datione Matthæi Giberti episcopi Veronensis habitaverant super montem sancti Georgii clerici regulares Theatini, quos locum cedere coegerunt fures & latrones; adeoque in ædificatione eremi reperta fuerunt fundamenta veteris ecclesiæ sancto Georgio dicatæ, & sequens inscriptio inventa fuit in ecclesia parœciali de Gajone diœcesis Veronensis, a cornu evangelii altaris sancti Antonii abbatis: *Ossa Johannis-antonii Fabii Cremonensis diaconi, ac in monte sancti Georgii Gardæ heremitæ, viri sane moribus, omni disciplinarum genere pietateque in primis clarissimi* . . . .

. . . .

Anno ætatis suæ XXXIII. *immatura morte præventi* X. *kalendas julii* M. D. LXI. *ex testamento sub hoc posita extremum diem in somno pacis expectant*. Duæ lineæ hujus inscriptionis deletæ & abrasæ fuere jussu Marci Justiniani episcopi Veronensis in actu Visitationis; ex qua tamen inscriptione in cognitionem venimus post clericos regulares Theatinos in monte sancti Georgii consedisse eremitas, sed nullius probatæ religionis. Hæc scimus ex relatione ms. Basilii de Scledo eremitæ Rhuensis, primique rectoris hujus eremi, cujus industria & opera omnia peracta fuere. De hac fundatione verba facit etiam Ludovicus Morandus in sua Veronensi historia edita anno 1668. folio 537. Bartholomæus Gradonicus episcopus Tarvisinus insignes reliquias sanctorum Sisinnii & Floriani mm. donavit ecclesiæ eremi. Subjicimus licentiam fundationis eremi, quam impartitus est præsenti anno episcopus Veronensis Sebastianus Pisanus.

Ann. Chr. 1664.

Sebastianus Pisanus Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Veronæ & comes &c. atque in hujusmodi negotio executor & commissarius apostolicus specialiter constitutus & deputatus. Cum non sine magno divinæ providentiæ munere factum sit, ut venerandi ac religiosissimi patres eremitæ Camaldulenses ad hæc loca accesserint, eremitorium in hac nostra Veronensi diœcesi fundaturi, id quod accedente ac prævio sanctæ sedis apostolicæ, serenissimi nostri principis Venetiarum, necnon hujus magnificæ civitatis respective gratia, beneplacito & assensu incipere, ac Deo dante ad Dei omnipotentis gloriam & honorem, populique Veronensis spiritualem profectum perficere summopere exoptant: Nos prædictorum ven. patrum devotioni quammaxime propensi, fretique auctoritate apostolica nobis in literis sacræ congregationis eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præpositæ sub data Romæ XXX. *maji 1664. commissa, & qua fungimur in hac parte, constitoque nobis legitime de omnium & singulorum in supplici libello prædictæ sacræ congregationi parte & nomine antenominatorum ven. patrum exhibito narratorum*

ANN. CHR. 1664.

torum veritate, & quod redditus jam assignati & assignandi una cum piorum eleemosynis ad alendos & sustentandos in perpetuum saltem duodecim hujusmodi ordinis religiosos commode sufficere possunt, eisdem venerabilibus patribus eremitis Camaldulensibus, ut supplicatum ab eis, & a cunctis Christi-fidelibus valde expetitum eremitorium in loco prope Bardulinum & Gardam, dicto il Monte di san Giorgio, *hujus nostræ diœcesis fundare, & cum omnibus habitatiunculis juxta morem sui ordinis, ac officinis necessariis & opportunis ædificari facere, in eisque perpetuo commorari possint et valeant, prædicta auctoritate apostolica licentiam in Domino concedimus & facultatem impartimur &c. Datum Veronæ ex palatio episcopali nostro die* XXX. *julii* 1664. *ad præscriptum apostolicarum constitutionum.*

Sebastianus ep. Veronensis &c. executor apostolicus etc.

Loco † sigilli. Dominicus Uguccionus cancellarius.

XXXV. Monasterium SS. Trinitatis Filetti diæc. Sarzanensis oblatum Camaldul.

MARCHIO Johannes-baptista Aribertus patritius Cremonensis, eques ordinis sancti Jacobi, filiusque Bartholomæi liberi marchionis & domini loci Malgradi donavit Dominico Portesano Cremonensi abbati Camaldulensi titulari sancti Viti, vita sua durante, templum & monasterium sanctissimæ Trinitatis Filetti diœcesis Sarzanensis, sumptibus suis a fundamentis erectum una cum suis adnexis, & cum annuo redditu ducentorum nummorum aureorum, apposito onere quotidianæ Missæ, & cum declaratione, ut post mortem ejusdem Dominici abbatis monasterium devolveretur ad congregationem Camaldulensem sancti Michaelis de Muriano Galliæ Cisalpinæ. Datum Cremonæ in domo suæ habitationis posita in parœcia sancti Viti ordinis Prædicatorum sub die XXVI. novembris anni 1664. Hoc est unicum monumentum, quod de hoc monasterio extat in cœnobio sancti Michaelis de Muriano, sed nec majora reperiuntur in illo sancti Mathiæ, ubi professionem emisit Portesanus; quare pia intentio marchionis Ariberti, vel ex defectu ædificiorum & redditus necessarii ad effectum perducta non fuit, vel obeunte post biennium Portesano abbate, congregatio Veneta monasterium domino suo resignavit, præsertim cum nova monasteria ex decreto Innocentii X. sufficientibus redditibus pro substentatione duodecim monachorum provideri deberent, & marchionis Ariberti assignatio esset admodum tenuis.

XXXVI. Collectio historica monumentorum.

SEXTA maji Albertus Giupponius Venetus professionis sanctæ Mariæ de Carceribus in abbatem generalem creatus est cum Hortensio Laureggio Lendinariense, & Silvano Tannuccio a Stia visitatoribus.

Sebastiano Torrellio abbati sancti Laurentii de Massaccio concessa fuit licentia a sacra congregatione transferendi corpus beati Angeli martyris ex abbatia dicta sancti Angeli extra oppidum ad eamdem ecclesiam sancti Laurentii Massaccii, recens erectam in abbatialem ex præpositura, sed obeunte post duos annos Torrellio, hanc curam suscepit Andreas Vallemanius abbas ejus successor, qui pluribus negotiis præpeditus, cum parata essent omnia, neque ipse ad effectum perducere potuit, perseveratque ad hodiernam diem quiescere corpus beati Angeli in ecclesia campestri. Videantur, quæ diximus ad annum 1408.

Defuncto Georgio Cornelio episcopo Patavino abbate commendatario sanctæ Mariæ de Vangaticia in ejus locum suffectus fuit cardinalis Petrus Ottobonus Venetus.

Obiit etiam hoc anno Hiacynthus Salvinius Camaldulensis abbas sancti Michaelis de Burgo Pisarum, cujus scripta protulimus ad annum 1661. Ex eremitis Rhuensibus sensibus integris, veræ contritionis & resignationis signis

ſignis defunctus eſt Fauſtinus de Æmiliis e Brixia eremita Rhuenſis, olim viſitator generalis, qui reliquit ſermones ſpirituales, tractatum de ceremoniis Miſſæ, dicatum Dorotheo Veneto eremitæ amiciſſimo ſuo. Dorotheus Venetus octuagenarius vivebat in valetudinario Rhuæ poſt biennium, qui, teſte Fidentio Eraſma, tractatum de Agricultura compoſuit, inſcripſitque eidem Fauſtino herbarum inſigni & ſtudioſiſſimo cultori. Diſtinguendus eſt Dorotheus Venetus ab alio Dorotheo Cretenſe eremita itidem Rhuenſe, qui aliquanto ſerius floruit, & reliquit traductionem tractatus de diſciplina Clauſtrali PP. Carmelitarum Excalceatorum ad uſum novitiorum Rhuenſium.

Ann. Chr. 1664.

ALTERA eremus aſcetarum Coronenſium ſive Rhuenſium conſtructa eſt præſenti anno in colle Capreoli prope oppidum Conelianí diœceſis Cenetenſis, offerente locum & palatium in eccleſiam convertendum, ac ſubeunte expenſas piiſſimo & nobiliſſimo ſenatore Veneto Aloyſio Antonii proc. filio ex familia Canalia, qui nomen ſuum occultare cupiens, donationem ſub nomine Aurelii Rezzonico Veneta tunc in urbe reſidentis cum multa nobilitatis & divitiarum pompa, aliorumque Venetorum mercatorum abſcondit, quod tamen poſt aliquod temporis intervallum innotuit, cuique fundationem eremi Conelianenſis referunt acceptam iidem eremitæ. Proſtant ſub hoc anno in codice ms., ubi enarrantur fundationes eremorum collectæ a Baſilio de Scledo eremita Rhuenſe, chartæ omnes, inſtrumenta, poſtulationes, ſupplices libelli; oblatio loci, facultates ab Urbe obtentæ, relatio in ſcriptis Albertini Bariſonii epiſcopi Cenetenſis, & demandatio facta a patribus capituli Tuſculanenſis pro erectione ejuſdem ſolitarii receſſus, in quo conſtitutus eſt poſt biennium prioratus.

Ann. Chr. 1665. XXXVII. Fundatio eremi Conelianenſis.

ETIAM marchio de Aitona nobiliſſimus Hiſpanus propoſuit fundationem eremi ad favorem patrum Camaldulenſium Etruriæ, quam piam ſuam intentionem manifeſtavit in epiſtola ad cardinalem Volumnium Bandinellium Camaldulenſium protectorem, & in alia ad patres definitores ejuſdem capituli Tuſculi congregatos tum ex eremitis Montis-coronæ, tum ex illis Etruriæ, ſcriptis ex Matrito die XXX. januarii hujus anni. Locus, qui exhibebatur, diſtabat ab urbe Cæſaraguſtana novem milliaribus ſuper fluminis Iberi ripa in regno Aragoniæ, ibidemque donabat idem marchio eccleſiam fundatam ſub titulo ſanctæ Mariæ-magdalenæ, ac pollicebatur ſe ædificaturum duodecim cellas ſolitarias pro duodecim eremitis, cum oblatione vinearum & prædiorum. Acceptata fuit in eo capitulo oblatio. Die XXII. julii Vitalianus archiepiſcopus Epheſinus & nuntius apoſtolicus in Hiſpania epiſtola ſua tranſmiſſa ad eumdem cardinalem Bandinellium ex Matrito, nomine marchionis Aitonæ, gratias eidem habet pro facultate ſibi facta conſtruendi novam eremum in ditione Aragonienſe. Duodecima ſeptembris idem cardinalis protector Majori eremitarum Camaldulenſium ſcribens ſtimulos addit ad concluſionem hujus tractatus. Quarta-decima octobris Franciſcus Georgius orator pro Veneta republica ad regem Hiſpaniarum ſcribit Baſilio a Scledo eremitæ, qui hoc anno erat etiam viſitator congregationis, qua ratione idem marchio, accepto nuntio facultatis pro fundatione inchoanda, curet ſuperare aliquas difficultates, ad hoc ut locus liber evadat, receſſu aliquot religioſorum, qui modo ibidem habitant. Idipſum repetit die nona decembris idem legatus Georgius. Johannes Coſta venerabilis & dexterrimus eremita Taurinenſis, nomine ſuæ congregationis Pedemontanæ

XXXVIII. Aliæ fundationes eremorum in Hiſpania propoſitæ.

& Jo-

Ann. Chr. 1665.

& Johannis-philiberti prioris eremi sancti Salvatoris Taurini ad Majorem eremi Camaldulensis Etruriæ scribens die decima februarii anni sequentis, ipsum hortatur, & allicit ad suscipiendam fundationem, subjungens, quod si eremitæ Etruriæ ipsam detrectaverint, perfici, & ad effectum duci poterit per eremitas Pedemontanos, tamquam per filios eremi Camaldulensis Etruriæ. Ex hac epistola innotescit difficultates provenisse non ex marchione Aitonæ, sed ex patribus Dominicanis, qui in possessionem erant præfatæ ecclesiæ, ac monasterium adjunctum habebant; colligitur etiam eumdem marchionem eremum tradere voluisse eremitis Camaldulensibus Etruriæ, etiamsi solveretur eorum unio cum Coronensibus, prout fama jam vulgaverat rescindendam ad breve tempus esse unionem. Meminit idem Costa in eadem epistola alterius fundationis, quam meditabatur per hæc tempora regina Hispaniæ in suo regno, atque explanat difficultates omnes, quæ occurrere possent ad negotium perficiendum. Quod exploratum est, vel superare nequiverit marchio patres Dominicanos, vel Camaldulenses Etruriæ recusaverint transire in Hispaniam, utraque fundatio effectu caruit, eodem modo, quo caruerat alia proposita similiter in Hispania pro iisdem eremitis Etruriæ fundatio anno 1640. a Johanne de Moncada Hispano, quæ memoratur in præfata Costæ epistola.

XXXIX. Piissimi eremitæ Ludovici Romanini obitus.

Piissime decessit hoc anno die XXI. aprilis Ludovicus Romanini nobilis Cæsenas, qui sacræ militiæ nomen dederat in eodem Etruriæ Camaldulo anno 1605. die VII. junii, vixeratque in rigidissima vitæ eremiticæ observantia sexaginta annis. Scripsit *Alfabeto spirituale*, quod opus nuncupavit Dominico Rivarolæ cardinali & Romandiolæ legato, multaque in hoc libro reperiuntur perfectioni & amori solitudinis conducentia. In fronte hujus codicis aliena manu exaratum legitur hujusmodi elogium: *Ne pereat viri tam sanctitate, quam simplicitate conspicui opusculum recensetur inter mss.* Concinnavit præterea *Enchiridion servorum Christi fidelium*, respersum doctrinis Scripturarum & sanctorum patrum, ex quibus doctrina ejusdem eremitæ elucet. Hymnos etiam devotissimos addidit contemplationibus Idiotæ de Passione Domini, hoc est Peregrini Palaù Barcinonensis, cujus spiritus fuit director. Referunt cardinalem quemdam nepotem vel consanguineum sancti eremitæ collegisse illius memorias, ut causam ejus beatificationis in curia Romana promoveret. Renuit constantissime Ludovicus interesse capitulis, ne unquam ad aliquod officium subeundum adigeretur. Extremæ paupertati fuit addictissimus, ita ut post ejus obitum repertus fuerit idem pileus capitis, qui ante sexaginta annos tirocinii tempore deferendus ei datus fuerat.

XL. Monumenta simul collecta.

Inter Coronenses defunctus est die XVIII. januarii Johannes, olim Paulus Maurocenus patritius Venetus, qui post susceptam peregrinationem ad loca sancta, die XXXI. decembris anni 1623. professionem emiserat in eremo Montis-coronæ. Reliquit post se *compendium tractatus Obedientiæ*, qui compositus fuerat a beato Paulo Justiniano. In elogio ms. effertur de Mauroceno, quod fuerit solitudinis, modestiæ, orationis observantissimus. Ita adamussim constitutiones ordinis servavit, ut nunquam voluerit cum propria matre colloqui, nisi socio eremita præsente. Frater fuit Johannes Thomæ Mauroceni illustris classis maritimæ Venetæ imperatoris, de quo ad annum 1645. occasione eremi sancti Clementis Venetiarum. Sæpius electus noster eremita prior eremorum recusavit, vel flagitavit absolutionem ab officiis & dignitatibus. Locus ejus obitus fuit eremus Centralis prope Vicetiam.

Ex

Ann. Chr. 1665.

Ex monachis supremum diem explevit Thaddæus Tertius Pisaurensis, qui bis fuerat congregationis monasticæ abbas generalis, & procurator generalis, sed ob male administratam provinciam, multumque æs alienum contractum depositus a prælatura, Bononiæ in monasterio sancti Damiani privatam vitam egit.

Præsidente cardinale Bandinellio Camaldulensium protectore, celebratum fuit hoc anno capitulum generale omnium congregationum eremiticarum in solitudine Tusculanensi.

Ad solvendum pontificio Ærario subsidium jampridem impositum undecim congregationibus ab Alexandro VII. abbatia Classensis vendidit bona & castra Pergulæ & Quadratæ, quæ hactenus collata fuerant ab abbatibus in emphyteusim.

Cum sacra congregatio super Statu Regularium alias consulta; an episcopus visitans parvos conventus suæ jurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes ad præscriptum decreti sanctæ memoriæ Innocentii X. quod incipit: Ut in paucis, *possit a visitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia, duxerit expedire, ut sanctissimus Dominus noster decernat & declaret, non licere episcopo tales conventus visitanti quidquam accipere procurationis nomine; Sanctitas sua congregationis sententia audita, eam expresse approbavit, noluitque licere episcopis hujusmodi conventus visitantibus aliquid accipere procurationis nomine, seu in pecunia, seu in victualibus, & ita observari præcipit; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, etiam in corpore juris clausis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ die* XXV. *junii* 1665. *Marcus-antonius cardin. Franciottus.*

Prosper Fagnanus secret.

Ann. Chr. 1666.

XLI. Pedemontani eremitæ protecti a Sabaudiensibus ducibus.

CUM tentassent Coronenses multoties privare eremitas Pedemontanos suis privilegiis, dignitate nimirum Majoratus, jure pontificalium, sigillo columbarum &c. tum anno 1634. quando ab Urbano VIII. facta fuit unio nationum & eremiticarum congregationum, quæ unio perseveravit usque ad annum 1642. tum rursus anno 1652. sub Innocentio X. quando præcepta fuit apostolica auctoritate iterata unio, ita ut in utraque non alium titulum, quam prioris, concederent superiori eremi vel congregationis Pedemontanæ; præsenti anno nullum non moverunt iidem Coronenses lapidem, ut hæc eadem privilegia, quæ voluntate Sabaudiensium ducum affatim non fuerant ablata, omnino destruerent. Quare Carolus-emmanuel II. Sabaudiæ dux, ut pote patronus eremi Taurinensis fundatæ ab ejus avo Carolo-emmanuele I. scripsit epistolam ad Antonium Barberinum S. R. E. cardinalem, qua ipsius opem imploravit patrociniumque pro congregatione Pedemontana, de cetero testatus est se nunquam passurum, ut læderentur tituli sui patronatus & privilegia eremitarum Taurinensium. Electi fuere procuratores ad jura sarta tecta tenenda, hinc inde producta consulta celebriorum causidicorum, sed contentionibus finis non fuit impositus, nisi sequuta libertate & divisione congregationum, de qua uberius anno sequenti.

XLII. De Fidentio Erasma eremita scriptore.

FIDENTIUS Erasma Patavinus, olim Franciscus, natus sexta novembris anni 1603. eremita inde Rhuensis anno 1631. quo die prima januarii professionem emisit, scripserat ad hæc tempora in eadem Rhuæ eremo sequentia opera, quorum hic est syllabus: *Catalogus Sanctorum ac Beatorum omnium, quorum antiquitatis monumenta celebriorem reddunt memoriam in urbe Patavina, ejusque territorio ac diœcesi. Catalogus Sancto-*

Ann. Chr. 1666.

rum omnium regularium, de quibus celebratur divinum officium. Res gestæ a cardinalibus Patavinis. Res gestæ a cardinalibus etiam episcopis Patavinis. Res gestæ a cardinalibus ordinis Camaldulensis. Italice; *Cronologia universale dal primo anno di Cristo all' anno 1660. Cronica di cose particolari di Padova all' anno 1660. Le memorie degli eremiti Camaldolesi patrizj Veneti. Le memorie e notizie di tutti gli eremiti Camaldolesi Padovani. Narrazione breve della fondazione di tutti gli eremi degli eremiti Camaldolesi. Scriptores Patavini ecclesiastici veteres, necnon recentiores collecti, atque indice alphabetico dispositi. Le memorie degli eremiti Camaldolesi, che hanno scritto, de' quali si trova memoria. Padova santa, beata, ecclesiastica, divota, religiosa, sagra, Odorifero timiama. Giardino di delizie ec.* Ex collectionibus Fidentii, quæ mss. asservantur in eadem eremo, plura excerpsimus, & in medium protulimus in his Annalibus. Inter ceteros eremitas Rhuenses sctiptores recenset Gerardum quemdam Venetum, prius clericum, inde solitarium ab anno 1620. qui valde senex adhuc vivebat præsenti anno in eremo Brixiensi sancti Bernardi, quique pene innumeros libros composuerat super Evangelia, & super epistolas divi Pauli, ac exercitia tradiderat variarum virtutum, cujus Gerardi ignorantur annus & dies obitus.

Decessit Dominicus Portesanus Cremonensis abbas Camaldulensis ex professione sancti Mathiæ de Muriano, & plura, inter quæ illud sancti Gregorii de Urbe, & aliud sancti Blasii de Fabriano, rexerat monasteria, ac visitatoris officio functus fuerat. Ejus opera edita retulimus ad annum 1662.

Anno 1662. die tertia januarii pontificatus sui anno septimo Alexander VII. Romanus pontifex ad supplicationem tunc existentium definitorum dietæ generalis congregationis eremitarum Camaldulensium, ut provideret magno incommodo & detrimento ordinis Camaldulensium celebrandi scilicet capitulum generale quolibet biennio, secundo vero anno congregandi dietam, intra quod tempus commode ordo, & provincia præsertim Polonica visitari nequibat, neque accedere ad capitulum generale poterant ob itineris longinquitatem eremitæ Poloni, reduxerat dictum generale capitulum ad quadriennium, dietam vero ad biennium; verum commonefactus a moderno procuratore generali hujusmodi capitulo non interesse nisi Majorem, visitatores, procuratorem generalem & priores eremorum Italiæ, priores vero provinciæ Polonicæ non accedere nisi quolibet quadriennio, atque eremis Poloniæ datum esse vicarium generalem, cui concessa etiam est nominatio ad prælaturas, reducit hoc anno sub die XXVIII. januarii pontificatus sui anno XI. capitulum generale ad biennium, & dietam post annum, ut moris erat ante literas suas anni 1662. quas propterea revocat & irritat.

Die quinta maji hujus pariter anni sub pœna excommunicationis latæ sententiæ vetat quibuslibet mulieribus, etiam altioris conditionis & status, ingressum in eremos Anconitanam & Fanensem quacumque anni die.

Ann. Chr. 1667.

XLIII. Eremi Wigrensis in Lithuania historia.

JOHANNES-CASIMIRUS Poloniæ rex Sigismundi III. filius, Uladislai II. regis frater, postquam suppetias tulerat prædefuncto fratri in fundatione eremi Montis-regii prope Varsaviam, fratris æmulator, alteram expensis suis condere eremum Camaldulensibus solitariis moliebatur. Pii voti sui participem reddens Christophorum Sigismundum Pac supremum magni ducatus Lithuaniæ cancellarium, hic, qui novam his annis construxerat & construebat eremum in Lithuania, auctor ipsi fuit, ut

quam

quam fundare decreverat eremum, ædificaret in eadem Lithuaniæ provincia, tum ad consolationem eorum populorum, tum etiam ad majorem eremitarum commoditatem, suggessitque pariter situm, insulam nimirum exsurgentem in lacu Wigri territorii urbis Grodnæ dicecesis Vilnensis. In ea insula, quæ erat ambitus milliarii Italici, reges Poloniæ ligneum palatium possibebant, quod deliciarum loco tenebant, & ex eo venationes prospectabant, quæ fiebant in amplissimis silvis, quæ lacum circumdabant. Nullus locus eo lacu aptior esse poterat, tum quia ad ipsum non erat facilis accessus ob multiplices densasque silvas, tum quia insula nullo ponte jungebatur cum continenti, adeoque peregrinos & advenas arcebat, qui solitudinem eremitarum potuissent turbare. In medio insulæ elevabatur collis, qui ab arte potius, quam a natura formatus videbatur, super quem statuenda erant eremi ædificia. Lacus pisces in magna copia suppeditabat, silvæ vero proximæ ligna subministrabant. Itaque hoc anno idem rex in comitiis generalibus regni petiit a Polonica republica facultatem donandi locum, & aliquam silvarum portionem eremitis, quos advocabat, & ibidem invehere cupiebat, quia cum essent bona regiæ mensæ, ipsis inconsultis dynastis distrahere non poterat; atque edita constitutione copia facta fuit regi donandi insulam & silvas ad extensionem 75. milliarium longitudinis, latitudinis vero quindecim milliarium Italicorum; & ex constitutione emanavit regale privilegium datum die sexta januarii hujusce anni Francisco priori eremi Varsaviæ, qui venerat possessionem initurus, cum obligatione Missæ conventualis tum pro se, tum pro Ludovica consorte sua, tum pro Carolo fratre. Amplissimi tamen latifundii donati possessionem capere nequivere eremitæ, quia magna eorum bonorum pars obligata erat ad vitam cujusdam dominæ, viduæ subcamerarii regni, quæ nihilominus annualiter regi solvebat pensionem quatuor millium florenorum, qui statim assignati fuere a rege eremitis, donec dicta vidua viveret. Scripsit itaque Franciscus prior ad patres capitulares Coronenses, scripsitque rex vigesima-nona augusti ejusdem anni. Mense autem octobri ex capitulo generali celebrato Tusculi, obtenta prius facultate a sacra congregatione, data fuit licentia hanc eremum fundandi, constituto in primum rectorem eodem Francisco. Dilata fuere exordia ejusdem fundationis ob frigidissimam aeris & hyemis intemperiem ad annum sequentem mense majo, quo rex ipse cum pluribus magnatibus regni accessit ad eumdem locum, ubi cum pervenisset: Utinam, dixit, non amplius forem rex, eligerem locum hunc, ubi reliquos dies meos in quiete transigerem. Quæ regis verba ipsius animum alienum a seculi curis declarabant, ut reapse mirabili exemplo ipso anno abdicavit se regno & corona; quare etiam inceptum ædificium perficere non potuit ecclesiæ & eremi. Ante discessionem suam e Lithuania eremitas Camaldulenses commendatos fecit primatibus provinciæ & urbis Grodnæ; neque sine lacrymis ab eorum consortio & amplexu recessit. Obtenta propterea facultate ab episcopo Vilnense erecta fuit magna crux in summitate præfati collis; inde manus admota ædificationi eremi & ecclesiæ prius ex ligno, inde ex lapide. Magnam jacturam ipsis suis initiis, hoc est anno 1671. sustinuit hæc eremus, consumpto ob fortuitum incendium palatio regio, ubi habitabant eremitæ, & igne devastatis suppellectilibus, victuariis, & ipso regio privilegio, quod tamen confirmari statim curarunt ab altero Poloniæ rege Johanne III. Sobiescki anno 1676. XX. martii.

Subjicimus epitaphium gratitudinis ergo a Monte-regiensibus solitariis

Ann. Chr 1667.

erectum eidem Casimiro regi in eremo ipsorum. *D.O.M. & Augustæ memoriæ serenissimi & potentissimi Johannis Casimiri regis, qui post Uladislaum quartum, ut diadematis, ita & pietatis in hunc locum successor, regiam liberalitatem suam fraternæ olim munificentiæ voluit esse concentivam, dum Romualdinam hujus eremi familiam tam nova in Wigri M. D. L. colonia ampliavit, quam assignata duorum millium pensione quoad regnavit, substentavit, protectione regia firmavit, donatione villæ Zeran cum trajectis Vandali dotavit, assidua militis pro silvarum integritate excubantis custodia conservavit, demum cum religiosissimus princeps, rara seculis audita Metastasi, a solio ad solarium, a rationibus status ad rationes æternas, a deposita ad repositam coronam justitiæ se transferret, hæreditariæque fortunæ fragmenta, ceu graviores in via æternitatis sarcinas, sacris libaret usibus, piaque prodigalitate dispergeret, ut daret pauperibus, Nieporent bona regalibus quondam dicata accessibus religioso huic secessui cessit, pro quibus numerata a primigeniis hæredibus quinquaginta Florenorum millia in emptionem bonorum Boin conversa, regalis pietatis erunt monumenta, & necessariæ familiæ divi Romualdi alimenta, quæ cum religiosis viris terrenæ vitæ momenta prorogabunt, munifico largitori æternæ salutis lucrabuntur præmia. His perlectis abi viator, & ex hac tabula disce silentiarium divi Romualdi cœtum beneficia principum non tacere, cum pro eo lapis de pariete loquatur.*

XLIV. Dilatum capitulum eremitarum Camaldulensium.

Sacra *congregatio eminentissimorum cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præposita, ad quam sanctissimus Clemens IX. controversias & differentias in congregationibus eremitarum Camaldulensium dudum suscitatas remiserat, referente cardinale Laurentio Imperiali, dilata pro nunc causarum hujusmodi resolutione, censuit & decrevit capitulum generale dicti ordinis, quod celebrari debebat in Dominica tertia post Pascha, intimandum pro Dominica tertia octobris proxime futuri, & tunc celebrandum esse pro hac vice tantum in eremo Tusculana, cum assistentia alicujus cardinalis vel prælati deputandi, sine præjudicio tamen quarumcumque præeminentiarum eremi Camaldulensis Etruriæ; confirmandos insuper esse usque ad tempus dicti capituli Majorem, visitatores, procuratorem generalem, priores aliosque officiales, ac usque ad dictum tempus eligendum in priorem eremi sancti Salvatoris Neapolis patrem Primianum a Neapoli, qui omnes possint in dicto capitulo uti vocales intervenire in forma constitutionum, ac denique complendam esse visitationem provinciarum Etruriæ & Pedemontii per patrem Majorem & visitatorem Taurinensem, visitationes vero aliarum provinciarum per alios visitatores, cum facultatibus eligendi sibi socios & substituendi in casu impotentiæ, & ita harum literarum vigore decrevit sacra congregatio, servarique & exequi mandavit & præcepit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ* XXII. *aprilis anni* 1667. *M. card. Ginettus. Episcopus Camerinens. secret. Loco † Sigilli.*

XLV. Separatio congregationum eremitarum.

Cum vero querelæ, prætensiones, aggravamenta variarum nationum ex diversis partibus pervenirent ad Romanum pontificem Clementem IX. ad sacram congregationem, ad S. R. E. cardinales, sed præsertim ad cardinalem ordinis Camaldulensis patronum Petrum Vidonum, eadem sacra congregatio nullum aptius remedium censuit adhibendum, quam rescindere unionem omnium congregationum sequenti decreto, quod per extensum subjicimus.

Sacra Congregatio &c. mature & diligenter examinatis ac perpensis ex commissione sanctæ memoriæ Alexandri papæ VII. ad relationem eminentissimi

tissimi Imperialis, controversiis & differentiis dudum exortis ac suscitatis inter eremitas Camaldulenses, illos nimirum nationis Etruriæ, qui militant sub nomine congregationis eremi sacræ ex usu, & illos nationum status ecclesiastici, dominii Veneti, regni Neapolis, Poloniæ & Germaniæ, qui olim militabant sub nomine congregationis Montis-Coronæ ex altera, & illos nationis Pedemontanæ ex illa respective partibus, censuit, si Sanctissimo domino nostro placuerit, nullum aptius remedium adhiberi posse ad consequendam animorum quietem, & firmiorem caritatem, quam dictas nationes separare, & reducere ad formam regiminis, quo gubernabantur ante illarum unionem factam de anno 1634. nec non committere eminentissimo Vidono ordinis hujusmodi apud sanctam sedem protectori, ut separatione & reductione hujusmodi secutis, cuilibet ex dictis nationibus leges & consuetudines antiquas ex laudabili earum instituto statuat, exacteque observari faciat, jus unicuique tribuat, causas & lites decidat, & terminet auctoritate apostolica, ceteraque faciat, quæ ad majorem Dei cultum & gloriam, & dictarum nationum tranquillitatem conducere arbitrabitur. Et facta eidem Sanctissimo nostro relatione, sanctitas sua resolutionem hujusmodi approbavit, & in ejus exequutionem harum vigore respective separat, reducit, atque committit, non obstantibus fel. rec. Urbani VIII. brevibus apostolicis pro dictarum nationum unione de eodem anno 1634. uno sub die VIII. augusti, & altero sub die VIII. octobris expeditis, ceterisque contrariis quibuscumque. Romæ XXVIII. septembris 1667. M. card. Ginettus. Episcopus Camerin. secret. Loco † sigilli.

Ann. Chr. 1667.

Facta itaque fuit separatio congregationum, sed non animorum, retenta insuper promiscuitate & communione suffragiorum pro animabus eremitarum defunctorum inter eremitas eremi Camaldulensis Etruriæ, & inter illos nationis Pedemontanæ. Re enim vera unica fuit hæc via ad sedandas frequentes controversias, quæ oriebantur, ad tollenda enormia dispendia necessaria occasione capitulorum generalium, visitationum, mutationum eremitarum, ad stabiliendas rectas superiorum majorum electiones. Unaquæque propterea congregatio deinceps sua capitula generalia convocavit; & reperimus congregationem Pedemontanam mense novembri hujus anni inter cetera statuisse in capitulo generali recitationem officii beatæ Mariæ Virginis in choro in omnibus eremis ejus provinciæ ad mentem decreti sacræ congregationis die XXXI. julii anni 1665. Vigesima-quarta octobris prodiit apostolicum breve Clementis IX. relatum in Bullario Romano, quo separatur unio eremitarum facta ab Urbano VIII. cujus integrum tenorem referimus ad annum 1672. quo Clemens X. Clementis IX. successor ipsum non solum confirmavit, sed vim habere voluit, contra quæcumque nova iteratæ unionis tentamina. Petrus autem Vidonus S. R. E. cardinalis suffectus fuit in protectione ordinis Camaldulensis a Clemente IX. in locum Volumnii Bandinellii cardinalis defuncti die V. junii hujus anni, sicut Clemens IX. successor datus fuerat in Romano pontificatu Alexandro VII. e vivis erepto die XXII. maji.

XLVI. Obitus Gasparis Granerii fundatoris eremi Roreæ.

Proposita fuit hoc anno congregationi eremitarum Pedemontanorum acquisitio loci dicti *La Mantica* prope urbem Niciæ pro eremo ibidem fundanda, & suffragiis omnibus recepta fuit exhibitio a capitulo dictorum eremitarum, demandataque negotiatio hujus tractatus; sed quid actum fuerit, ignoratur, cum nihil supersit ulterius in paginis archivi Taurinensis eremi.

Maxima tamen jactura ejusdem congregationis fato functus est hoc

ipso

Ann. Chr. 1667.

ipso anno die XXI. januarii Gaspar Granerius præsidens in curia Sabaudiæ, insignisque benefactor, & fundator eremi Roreæ in finibus Lanzi. Corpus ipsius delatum fuit ad dilectæ suæ eremi ecclesiam, ejusque marmoreæ effigiei super ecclesiæ januam subjecta sequens inscriptio: *Hac in æde, quam sacræ Camaldulensium solitudini dicarat, tranquillum suis suorumque cineribus domicilium paravit Gaspar de Graneriis, Marcenaschi & Villaltæ comes, Orii, Publiciarum, Carpaneti dominus, qui vitam sine dignitate inutilem, dignitatem sine virtute noxiam ratus, in suprema Sabaudiæ Rationum curia præses, & summus rei quæstoriæ præfectus integritatem summam exercuit, prudentiam in sanctiore regii status consilio, comitatem cum auctoritate conjunctam erga subditos, caritatem in sublevanda pauperum omnium indigentia, virtutes denique omnes in perpetuo pioque vitæ tenore ad Dei cultum, reipublicæ utilitatem, filiorum documentum; ex quibus Marcus-antonius abbas beatæ Mariæ Inter-montium, & Thomas in Sabauda rationum curia eques, fortunarum hæres, dignitatum omnium successor, optimi parentis effigiem sibi venerandam, domesticum virtutis exemplar, & perpetuum pietatis excitamentum ad ejus tumulum collocarunt. Vitam ingressus anno* M. D. XCVI. *egressus est anno* M. DC. LXVII. Idem abbas Marcus-antonius eleemosynarius ducis Sabaudiæ, & comes Thomas, Gasparis filii & hæredes substantiarum, dignitatum & pietatis, eremi Roreæ fundationem prosequuti sunt ad mentem genitoris, & suis insuper expensis spontaneis.

Obiit etiam Marinus Bonettus Ferrariensis abbas Classensis, de quo cum laude loquuntur Fabrius in memoriis sacris Ravennatibus, qui etiam gloriatur se eum habuisse in magistrum sacræ Theologiæ, Papebrochius quoque & Mabillonius in suis Italicis itineribus ex epistola Cannetii ad Hieronymum Baruffaldum.

Synodum diœcesanam coegit hoc anno Maurus Cursius ex abbate Camaldulensi episcopus San-miniatensis, editis decretis Florentiæ in typographia Francisci Honuphrii in 4. cum hoc titulo: *Decreta synodi diœcesanæ Miniatensis habitæ in cathedrali ecclesia sanctorum Genesii & Mariæ ejusdem civitatis* XIII. *Kalendas junii per illustrissimum & reverendissimum dominum Maurum Cursium abbatem Camaldulensem episcopum Miniatensem anno Domini* M. DC. LXVII. Inter examinatores synodales recensentur Ignatius Contronius abbas Camaldulensis sanctæ Mariæ-angelorum Florentiæ, & Lælius de Ravellis lector sacræ Theologiæ Camaldulensis.

Ann. Chr. 1668.

XLVII. Proposita in abbatia S. Pontii fundatio eremitis Pedemontanis.

ALIA fundatio eremi exhibita fuit eremitis Taurinensibus hoc anno in abbatia sancti Pontii prope urbem Niciensem, in cujus comitatu tum temporibus Alexandri Cevæ, tum annis sequentibus quæsita fuerant loca, habitæ negotiationes, sed incassum. Ex visitatione apostolica inhibita fuerat monachis sancti Pontii propagatio in eo monasterio; quare ii non dissentiebant recedere, dummodo tamen secularizarentur, & honesto victu providerentur. Urbs Niciensis consensum præbebat, cupiebatque eremitas subrogari dictis monachis, & monasterium reduci ad eremum. Carolus-emmanuel II. Sabaudiæ dux favebat eremitis, epistolasque scripsit die XVIII. augusti tum ad primum præsidentem senatus Niciensis comitem Novarinam, tum ad antianos urbis. Ipse comes Novarina, olim patronus eremitarum in urbe Taurinensi, negotium urgebat cum ceteris civibus, quibus eremitarum substitutio arridebat, neque aliud desiderabatur, nisi consensus episcopi Carpentoratensis, qui abbatiæ sancti Pontii commendatione fruebatur. Confugium quoque habitum

bitum fuit ad sanctam sedem pro impetrando apostolico beneplacito; sed perficiendo negotio acriter obstitere canonici cathedralis Niciensis, qui, occurrente suppressione monasterii sancti Pontii, volebant ipsorum capitulo applicari redditus ejusdem abbatiæ, pro augendo numero canonicorum, vel pro impinguandis proventibus canonicatuum. Discussa fuit res multis epistolis ex utraque parte, & extat Johannis-baptistæ Costæ Majoris eremitarum Taurinensium epistola pro re concilianda ad eumdem comitem Novarinam, sed demum prævalente contraria opinione, & viribus canonicorum, subrogatio eremitarum, & fundatio eremi irrita cessit, aggregatis redditibus abbatiæ capitulo canonicorum, & inutiliter protracta negotiatione ad annum sequentem.

Ann. Chr. 1668.

XLVIII. Pauli de Solimes eremitæ Galli obitus.

Præsenti anno obiit Paulus de Solimes Arvernus, dierum plenus & virtutum in eremo sancti Johannis-baptistæ de Gros-bois, quam ope Caroli Valesii Engolismensis ducis fundaverat anno 1642. Septies fuit congregationis eremiticæ Gallicanæ Major ab eodem anno 1642. ad 1668. qui fuit postremus ejus vitæ ad diem XVI. septembris. Ante ipsum die XXVIII. februarii decesserat Joseph Royer ex provincia Borbonii, qui prius fuerat professus Societatis Jesu, vir doctissimus & piissimus, & prior tunc erat sanctæ Mariæ de Auxiliis sive de la Flotte in diœcesi Cenomanensi. Fuerat Major congregationis anno 1648. & ad tantam animi simplicitatem Divina virtute contra humanam sapientiam devenerat, ut malum ante oculos patratum vix credere vellet, & pro posse suo excusaret.

Die XXII. novembris Clemens IX. Romanus pontifex inhærens vestigiis felicis recordationis Sixti papæ IV. indulgentiam plenariam concessit visitantibus ecclesiam sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe monachorum ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensis in ipsorum sancti Andreæ apostoli, & sancti Gregorii festis diebus, in festo dedicationis ipsius ecclesiæ die secunda novembris annis singulis celebrari solito, & per octo dies immediate sequentes, quibus commemorationes fidelium defunctorum in dicta ecclesia fieri consueverunt. Sequens proinde ad perpetuam rei memoriam erectus lapis: *D. O. M. Clemens papa IX. Sixti IV. aliorumque antecessorum pontificum pietatem sectatus in diebus SS. Andreæ apostoli ac Gregorii Magni, dieque sollemni commemorationis Defunctorum, quæ est Dedicationis hujus ecclesiæ & octo consequentibus nulli alii ecclesiæ licitis sine pontificio privilegio ex decreto congregationis Sacrorum Rituum idibus augusti* M. DC. LXVII. *statuit in forma brevis indulgentiam plenariam perpetuam visentibus ecclesiam hanc sacra eucharistia refectis etiam applicabilem defunctis. Datum* X. *kalendas decembris anno D. N. J. C.* M. DC. LXVIII.

Ann. Chr. 1669.

XLIX. Officium S. Romualdi ex duplici semiduplex, iterum ad ritum duplicem elevatur.

Curantibus Garzia ab Ilua abbate generali & monachis ordinis Camaldulensis Clemens VIII. Romanus pontifex anno 1595. concesserat universali ecclesiæ recitationem officii & Missæ sancti Romualdi abbatis fundatoris ordinis Camaldulensis sub ritu duplici. Hinc in kalendario Romano sub eodem ritu statim appositum fuerat ejus nomen. In adnotationibus ad Martyrologium Romanum editis Venetiis anno M. DC. XXII. apud Petrum-mariam Bertanum legitur: *Romualdi abbatis. Ejus festum Clemens octavus pontifex maximus duplicis officii ritu hac die* (VII. *februarii*) *celebrari præcepit, qua ipsius corpus Fabrianum oppidum in Piceno translatum ibi honorifice conditum fuit in ecclesia sancti Blasii ordinis Camaldulensis, ubi magna veneratione pie colitur.* In diurno Romano

Ann. Chr. 1669.

mano edito Venetiis apud Junctas anno 1599. duplicis ritus effertur. In Missali Romano apud eosdem Junctas anno 1598. *Die septima februarii Romualdi abbatis duplex*. In alio Missali Antuerpiensi anno 1599. idem habetur. In Calendario Romano, cui titulus: *Ordo officii divini recitandi juxta ritum S. R. E. ad novam kalendarii restitutionem & ad decem futuros annos accommodatus*, Venetiis ex typographia Bonifacii Cieræ: *S. Romualdi abbatis & confessoris duplex*. Idipsum proferunt Breviaria ordinum fratrum Prædicatorum, & Carmelitarum. Hinc manifeste erravit Gavantus, qui scripsit Clementem VIII. præcepisse recitationem officii sancti Romualdi sub ritu semiduplici, ex decreto die IX. julii anni 1595. Progressu temporis sancti Romualdi officium, quod primo recitabatur sub ritu duplici, adnotari incepit sub ritu semiduplici. Supplicem itaque libellum exhibuerunt sacræ congregationi Rituum monachi Camaldulenses, ut restitueretur officium sancti Romualdi pristino ritui. Respondit sacra congregatio, Clementem VIII. post decretum anni 1595. pro sancto Romualdo abbate, anno 1602. reformasse Breviarium Romanum alia sua bulla, quæ incipit: *Cum in ecclesia*; in qua leguntur hæc verba: *Mandavimus nonnullis piis & eruditis viris, quorum consultatione & opera in hujusmodi rebus frequenter utimur, ut idem Breviarium nova adhibita diligentia accuratius inspicerent atque examinarent, & ea quæ depravata esse & recognitione indigere animadverterent, pro sua doctrina & pietate restituerent. Quod cum ab iis exacte ac profecto non mediocri cum emolumento præstitum sit, ita ut ex superiori illo incommodo per occasionem non parum utilitatis provenerit; Nos illud in nostra typographia Vaticana, quam emendatissime imprimi ac divulgari jussimus. Ut autem illius usus in omnibus Christiani orbis partibus perpetuis futuris temporibus conservetur, ipsum Breviarium &c.* Ea reformationis occasione officium sancti Romualdi redactum fuit sub ritu semiduplici, & ita deinceps adnotatum in Missalibus & Breviariis sub eodem ritu. Et licet Joseph Planettus scripturam satis elegantem scripsisset, qua probabat secundum Clementis VIII. breve non adversari decreto favorabili pro Camaldulensibus, exploratum tamen fuit a tempore secundi brevis plura officia Sanctorum, quæ recitabantur sub ritu duplici, ad ritum semiduplicis fuisse redacta, ut officium sancti Petri martyris, sancti Antonii Patavini, sancti Nicolai Tolentinatis, sancti Francisci de Paula. De hoc postremo hæc habet idem Gavantus: *Festum sancti Francisci de Paula mandat sub ritu duplici Sixtus V. anno 1585. Incipit decretum:* In cœli throno; *mutatum fuit a Clemente VIII. in semiduplici, ne officium Dominicæ impediret*. Quia tamen Paulus V. anno 1613. restituerat officium sancti Francisci de Paula ad ritum duplicem, eo quia fuerat ordinis fundator, bulla sua: *Nomen sancti Francisci de Paula*, eadem ratione Camaldulenses suppliciter expostularunt a sacra congregatione restitutionem officii sancti Romualdi ad ritum duplicem, quia etiam sanctus Romualdus extitit ordinis Camaldulensis fundator. Quod fuit sequenti decreto concessum.

Officium sancti Romualdi ordinis Camaldulensium fundatoris jampridem sub ritu duplici ab ecclesia universali, ex indulto sanctæ memoriæ Clementis VIII. recitatum ab anno 1595. & postea in reformatione breviarii Romani ad ritum semiduplicem reductum, denuo sacra Rituum congregatio, ad enixas preces totius ordinis Camaldulensium referente eminentissimo domino cardinale Vidono protectore ejusdem ordinis, censuit, si Sanctissimo visum fuerit, imposterum recitari posse ab omnibus Christi-fidelibus,

bus, qui ad horas canonicas tenentur, sub ritu duplici, hac die XVI. *februarii 1669. & facta de prædictis per me secretarium Sanctissimo relatione, Sanctitas sua annuit, & mandavit servandum esse breve Clementis VIII. datum sub die* IX. *julii* 1595. *Hac die* XXIII. *februarii ejusdem anni 1669. M. episcopus Portuensis card. Ginettus.*

Bernardinus Casalius sacr. Rit. cong. secretarius.

L. Eremitarum Camalduli & sanctimonialium pia mors.

IN eremo Nolæ supremum diem obiit Remigius Spatafora nobilis Abellinas eremita Coronensis. Tempore orationis ita in Deum ferebatur, & præcipue tempore incruenti sacrificii, ut necesse foret ipsum sæpius excutere, quatenus ad sensus rediret. Cum aliquando in choro oraret oculis in cælum fixis, nobilis advena ab eo, licet excusso, verbum vel motum ullum recipere non potuit; orationem, & genibus quidem flexis, adeo protrahebat, ut cum accessissent ministri post ejus mortem ad lavandum ipsius corpus, callos enormis magnitudinis obduxisse genua ipsius obstupuerint; taliter etiam silentio & amori solitudinis studuit, ut viginti annorum spatio propriam genitricem alloqui vel videre noluerit. Caritate eximia in proximum pollebat, ita ut graviter licet offensus summa pace & tranquillitate offensori pepercerit eo ipso offensionis momento. Piissimam vitam piissimo fine conclusit, nam, ut habetur in ejus brevi elogio, *Spiritu orationis singularis, moriturus per horas* XXIV. *assidue tenuit Crucifixum in dextera, osculando semper ejus manus & pedes, & sic expiravit.*

Alter magnæ sanctitatis & orationis vir decessit in eremo Viennensi Hieronymus Polonus sive Lithuanus, ille ipse, qui magnam præstitit operam pro ædificatione eremi Quinque-Martyrum. Audita ejus morte rex Poloniæ nuntios misit supplices cum rhedis & muneribus ad priorem Viennæ, pro ipsius corpore transferendo in Poloniam. Hieronymo adjungendus Gabriel Cielecki nobilissimus Polonus eremita, cujus annus emortualis ignoratur, qui contentus altissimæ contemplationis dono, quo fruebatur, sacros suscipere ordines præ humilitate semper detrectavit, piissime defunctus Cracoviæ.

Quartus in eremo Camaldulensi Etruriæ die XIII. januarii in pace quievit annum septuagesimum-quartum agens Laurentius Picchius, nobilis olim Burgensis & doctor legis, qui renuntiatis bonis paternis, & hæredibus imposito onere, ut feria V. in Cœna Domini induerent duodecim pauperes, professus fuerat vitam eremiticam anno 1620. Ejus fratres cellam condiderunt sancti Caroli in eremo anno 1631. Fuit visitator & superior ejusdem eremi, patientia & observantia regulari mirabilis.

Ex sanctimonialibus ad Sponsum evolavit quinta-decima augusti in parthenone sanctæ Catharinæ de Cæsena Justina Galleffi, quæ etiam fuerat abbatissa, sancteque seipsam & ceteras virgines rexerat, ita ut Deus duobus illustribus prodigiis pietatem & fidem ipsius comprobaverit. Signo enim crucis buttem vini vitiati sanam reddidit; eodemque signo ollam jam vacuam oleo iterum replevit. Frequentissimus ejus cibus erant fructus terræ marcidi. Glorificavit eam Deus etiam post obitum; anno enim 1698. quo ex veteri sepulcro in novum transferebantur ossa defunctarum monialium, post viginti-novem annos non dumtaxat corpus illius intactum repertum est, sed venusti etiam & vegeti inventi flores coronæ capiti ejus impositi die tumulationis. Eodem anno 1669. quinta-decima decembris in ipso sanctæ Catharinæ asceterio excessit e vita Helena Roverella abbatissa, quæ, licet luminibus orbata, summa diligen-

tia perseveravit in officio suo, pietate, humilitate ac observantia monastica singularis.

ANN. CHR. 1669.

Vivebat hoc tempore Aloysius Lazarus Bagnacaballensis monachus Camaldulensis ex professione Classis, qui hoc anno edidit duodecim sermones super sacram Lauretanam domum, qui Romæ lucem aspexerunt. Concinnavit etiam vitam sancti patris Benedicti, orationem panegyricam de sancto Romualdo, elegias, odes & poemata, quæ mss. custodiuntur cum quadragesimali cursu aliisque operibus in bibliotheca sancti Gregorii de Urbe.

LI. De Eusebio a Diruta doctissimo eremita.

Alter circa hæc eadem tempora florebat Coronensis eremita Eusebius a Diruta oppido agri Perusini, vir modestus, prudens, rerum gerendarum expertissimus, severusque monasticæ disciplinæ assertor, non semel congregationis Major, visitator & procurator generalis, qui scripsit tomos v. asservatos in hospitio eremitarum sancti Leonardi in via Lungaria de Urbe, quorum argumenta breviter hic subjicimus: Tomo I. Disputationes de Angelis, de Beatitudine, de Prædestinatione, de Justificatione peccatorum, de Merito bonorum operum, de Auxiliis gratiæ, de Justitia Dei. Tomo II. De Sacramentis in genere & in specie. Tomo III. De persona Patris, de persona Filii, de persona Spiritus-sancti. De Notionalibus, de Potentiis notionalibus. De modis loquendi; de Potentia Dei, de Angelis & de eorum natura & cognitione. De voluntate Dei & amore Angelorum, de Gratia & merito Angelorum. De Beatitudine, de Aureolis Sanctorum, de Actibus humanis, de Bonitate eorumque malitia; de Malitia morali actus interioris; de Bonitate & malitia actus externi; de Divisione peccati; de Partibus justitiæ integrantibus; de Religione & actibus exterioribus; de Oblationibus & primitiis; de Voto; de Juramento; de Adjuratione; de Laude Dei; de Superstitione; de Idololatria; de Divinatione; de Sacrilegio; de Simonia; de Statibus; de Statu episcoporum; de Statu religiosorum, functionibus, variatione & distinctione ipsorum; de Religionis ingressu & egressu; de Incarnatione. Tomo IV. Repertorium vulgare diversarum materiarum utriusque Testamenti per alphabetum dispositum. Tomo V. Miscellanea.

Die III. hujus anni Robertus prior Casimiriensis, sive eremi Quinque Sanctorum martyrum Polonorum obtinuit ab archiepiscopo Gnesnensi, ut in perpetuum consensu parochi Casimiriensis uniretur dictæ eremo ecclesia sive oratorium sancti Barnabæ, ab eremo milliario dissita, ad quam multus fit populorum concursus, singularis devotionis ergo, eo quod credatur fuisse ipsa cella, quam inhabitabat sanctus eremita una cum fonte aquæ prodigiosæ, quo vivens utebatur.

In capitulo generali monachorum Camaldulensium die XIII. maji electus fuit in abbatem generalem congregationis Johannes Marinettus Venetus, vel melius Murianensis, ex professione sancti Mathiæ de Muriano. Huic tamen electioni aliquo tempore adversati sunt præsules Etruriæ, quibus displicebat continuatio majoris dignitatis in provincia Veneta, ad quam spectabat Albertus Giupponius, qui immediate ante Marinettum eamdem dignitatem assequutus fuerat, adeoque supplicem libellum obtulerunt Romano pontifici, ut dignaretur electionem abrogare. Sed *sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præposita, utraque parte informante, referente eminentissimo Sancta-crucio, censuit patrem generalem esse manutenendum in sua possessione generalatus. Romæ* II. *julii* 1670.

Et

Ann. Chr. 1669.

Et die XXX. *julii ejusdem anni facta relatione Sanctissimo Domino nostro Sanctitas sua congregationis sententiam approbavit. M. card. Ginettus. Loco † Sigilli. C. de V. archiep. Athen. secret.* Verum ex eo tempore provisum est, ut dignitates majores ordinis imposterum ita distribuerentur, ut unaquæque provincia ordinate ad eas jus haberet, cum effectu sequuto, ut videbimus ad annum 1679. Additi sunt Marinetto generali in visitatores Andreas Vallemanius Fabrianensis, & Petrus de Petris Monsabinas.

Anno 1605. Paulus V. ad octo annos unierat beneficium sanctæ Mariæ de Bagnolo eremo Taurinensi. Requirebant hoc tempore eremitæ Taurinenses unionem perpetuam ejusdem beneficii; verum cum adjunctum fuisset ecclesiæ collegiatæ Clavennæ, contrarios experti sunt canonicos dictæ ecclesiæ, neque vi protectionum, neque ratione multarum expensarum obtinere potuerunt unionem; quare etiam tractatus omnes exinde prætermisere. Interea his annis post separationem a congregationibus eremitarum Etruriæ & Coronensium studebant condendis decretis, quæ vim legis haberent, & constitutionum corpus efficerent pro bono regimine suæ congregationis, quæ etiam annis sequentibus approbatæ uere ab apostolica sede, servanturque apud eosdem.

ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEPTUAGESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno CHRISTI M. DC. LXX.

ANN. CHR. 1670.

I. Clementis X. bullæ & brevia pro eremitis & monachis Camaldulensibus.

CLEMENS papa X. electus Romanus pontifex in locum Clementis IX. confirmavit hoc anno pontificatus sui primo die VI. augusti privilegium Leonis X. ut invitis monachis seu eremitis Camaldulensibus, episcopi locorum ordinarii in eorum ecclesiis divina celebrare non possent; quod quidem privilegium Clemens IX. die XIX. julii anni præteriti ratum habuerat; ipse vero ad instantiam procuratoris generalis addit privilegium hocce *necessarium esse ad conservandum solitudinis & silentii spiritum, attento, quod ejusmodi functiones episcopales fieri non soleant sine erectione baldachini, ac populi affluentia, unde præfatorum eremitarum inter silvas & nemora, ut plurimum, degentium monastica tranquillitas perturbaretur, simulque orationis atque contemplationis vigor relaxari posset*, &c.

Duodecima septembris idem Clemens X. ad hoc, *ut in congregatione eremitarum Camaldulensium Montis-coronæ fervor orationis conservetur, nec per inconsultas eremitarum vagationes tepescat, sed ipsi eremitæ, juxta laudabile institutum ac constitutiones a felicis recordationis Clemente papa IX. prædecessore specifice confirmatas, in suis eremis permanentes divinis obsequiis eo studiosius incumbant, quo minus eorum spiritus rerum temporalium tractatione, laicorum conversatione distractus fuerit*, præcipit, ut postquam a capitulo generali, vel a Majore & a visitatoribus dictæ congregationis familiarum in singulis eremis assignatio facta fuerit, eremitæ destinati ad sua loca pergant; intra annum autem nonnisi ad quinquaginta milliaria licentiam exeundi obtinere possint a suis superioribus localibus; ceteræ vero licentiæ egrediendi ad arbitrium sint Majoris dumtaxat & visitatorum congregationis.

Quoad cœnobitas Camaldulenses die III. octobris visitatoribus ordinis eamdem autoritatem tribuit, quam habet abbas generalis, ita ut generalis absque eorum consilio & assensu quidpiam alicujus momenti facere

re nequeat, utputa creare præsules, confessarios constituere monialium, & id genus reliqua; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum & inane; immo post biennium imperat, ut si generalis quindecim diebus post vacationem prælaturarum ad electionem venire supersedeat, ipsi visitatores ad ipsam deveniant, & ad ceterorum officiorum distributionem. Præterea, ubi pluribus in locis constitutionum Camaldulensium dicitur, quod pœnæ infligantur ad arbitrium generalis, vult, ut semper hoc intelligi debeat accedente etiam consensu visitatorum; visitatorum propterea munus ad normam literarum Clementis VIII. sub die IX. novembris anni M. DC. IV. in abbatis generalis adjutorium institutum probans & confirmans, alioque apostolico munimine roborans.

ANN. CHR. 1670.

Demum die VI. decembris ratas habet constitutiones Camaldulenses, in ea præsertim parte, ubi hæ volunt, ut decreta in capitulis & dietis facta a definitoribus per occulta suffragia approbentur ab omnibus prælatis, & si a duabus ipsorum partibus approbentur, valeant vim habere legis, sicut si revocentur, minime teneant, eaque decreta iterum subjiciantur approbationi, vel reprobationi futuri capituli. De electionibus etiam agit prælatorum, aliorumque officiorum, quæ impleri debent in casu obitus intra annum, vetans, ne visitatores ad gubernia monasteriorum eligantur, ita ut, quod absonum foret, ex tribus duo tantum remaneant electores, generalis nimirum abbas, & alter visitator.

II. Obitus Petri Ferraccii olim generalis, aliorumque piorum virorum.

DECESSIT hoc anno Petrus Ferraccius Cremonensis insignis monachus ordinis Camaldulensis. Is decem & octo annos natus monachum induerat in cœnobio Classensi sub regimine Frigdiani Malusardi abbatis Classensis anno 1620. Philosophicis & Theologicis apprime imbutus, divini Verbi prædicationi se totum addixit, Britonorii primum, deinde Burgi-sancti-Sepulcri, postea vero Faventiæ, Romæ, Bononiæ, Florentiæ, Ferrariæ, Mantuæ, Cremonæ, Perusii, Ravennæ, Spoleti, Pisarum, Pistorii, Arretii, Arimini, Firmi, Venetiarum, aliarumque illustrium Italiæ urbium suggestus implens, & summo cum plausu conciones habens, itaut inter sacros oratores nemini ætate sua secundus haberetur, & a Spoletanis honoris & venerationis gratia civitate fuerit donatus anno 1653. Abbas creatus, & ad regendum sancti Salvatoris Foro-livii cœnobium destinatus, ac procuratoris generalis munere insignitus, post breve tempus electus abbas generalis per breve apostolicum Alexandri VII. ipsam præfecturam supremam toto sexennio tenuit. Obiit octavum supra septuagesimum annum agens in monasterio sancti Gregorii de Urbe, ubi & humo traditum est ejus cadaver. Scripsit Quadragesimalem cursum duplicem, duos sermones de æde Lauretana, plures de Deipara Virgine, plurimos autem de Sanctis. Typis æneis arborem genealogicam familiæ sancti Romualdi impressit. De Ferraccio panegyrim texuit Jacobus Laderchius patritius & advocatus Faventinus anno 1659. editam Foro-livii formis Saporetti; odes in ejus laudem cecinere Franciscus Lollius Ravennas, & Faustus Arditius Pisaurensis Ravennæ & Lucæ impressas, Petrus Minotius in carmine Italico, cui titulus: *La virtù esaltata nel generalato di Pietro Ferracci*, ut ex bibliotheca Medicea ejusdem Minotii constat. Floruit Petrus inter academicos Apatistas Florentiæ, & inter Philoponos Faventiæ. Visitur ejus effigies in monasterio Britonoriensi; & in Faventino sancti Hippolyti in tabula cernitur sedens in Veneto Senatu a dextris serenissimi ducis. Hæ duæ ad vivum referunt Ferraccium, non vero illa, quæ picta est in academia Classensi, cum hac epigraphe: *Petrus Ferraccius Cremonensis abbas grneralis Camal-*

Ann. Chr. 1670.

Camaldulensis concionator celeberrimus, *ob maximam in rebus agendis prudentiam Hetruriæ principibus familiarissimus*.

Obiere ex eremitis, in solitudine Tusculana, cum Major esset congregationis Montis-coronæ, Joseph-maria Bissarus nobilis Vicetinus, mortificatione, & observantiæ zelo admirandus; in eremo Salvatoris prope Neapolim Irenæus a Valle-tellina, puritate, & oratione suspiciendus, sed præsertim simplicitate columbæ, quæ effectus erat mundissimæ conscientiæ ipsius; in abbatia Montis-coronæ Laurentius a Lotharingia magnæ austeritatis & solitudinis, qui futura multa prædixit. Conjungimus Laurentio alterum eremitam nomine Gaudentium, similiter a Lotharingia, aliquot annis postea defunctum, sed cujus mortis annum ignoramus, professum Montis-coronæ, hominem doctum, & plurium operum scriptorem, qui viginti annis reclusionis leges tenuit in pluribus eremis, sed præcipue in Tusculana annis 1668. & 1669. ad quam se contulere ipsius visitandi gratia cardinales Homodeus, Imperialis, Borromæus, Pius, Vicecomes, Robertus, & princeps Sulmonæ Burghesius aliique præclarissimi viri. Ex ea eremo ob varias infirmitates remotus, & Montem-coronam reductus, in hac postrema feliciter ad Deum transiit, & ante annos prædixerat ipsius corpus locandum prope cadaver cujusdam Fenicii Bardelli presbyteri curati ecclesiæ sancti Andreæ castri Sportacciani, qui longe antea ibidem sepultus fuerat, ut revera contigit. Solebat Gaudentius scripta sua in parietibus occulere, vel subtus terram. Tribuuntur ipsi nonnullæ piæ elegiæ & epigrammata: *Ad novitium instabilem*, *cui nomen Ambrosius*. *Ad fratrem Angelum tentatum de Bello*. *Ad monachum geographum*. *Christus ad Devotum*. *Pœnitentiæ forma*: *Ad novitium Salvatorem nuncupatum*. *Ad fratrem ad scribendum pigrum*. Insuper scripsit *excerpta quædam ex libris revelationum S. Birgittæ de Suecia circa historiam passionis D. N. J. C. De oratione S. Birgittæ a Deo revelata*, *de Infantia*, *conversatione*, *laboribus*, *morte & assumptione B. V. Mariæ* &c.

III. Monumenta plura simul collecta.

Johannes-maria Raynerius Nucerinus eremita Montis-coronæ & professus Rhuensis edidit hoc anno Patavii: *L' Ajo fedele all' Anima divota per l' acquisto della perfezione necessaria a tutti i Religiosi e Secolari*, tacito sui nomine. *Praxim quoque Missæ privatæ juxta rubricas Missalis impressas*. Fuerat sacerdos secularis, & appellabatur Augustinus, ac humaniores literas tradiderat publico ductus stipendio in oppido Castri-franchi. Ex Fidentii Erasmæ eremitæ monumentis pluribus annis novitiorum magistrum egit, & demum in Vicetina Centralis eremo decessit anno 1681.

Constitutiones congregationis Montis-coronæ lucem aspexerunt tertia vice hoc anno typis Romanis; nam prima editio prodiit Venetiis anno 1595. secunda Romæ anno 1639. tertia ibidem hoc anno, quarum una collecta fuit & edita a Valentino Mozzio patritio Maceratense & eremita ejusdem congregationis.

Maurus Cursius episcopus San-miniatensis sacris virginibus, quæ custodiebant ecclesiam sanctæ Catharinæ terræ Fucicli, habitum Tertiariarum, sive oblatarum ordinis Camaldulensis deferendum tradidit. Id colligitur ex sequenti memoria, quam scriptam reliquit Marcus Magnonus ipsarum sororum confessarius: *Venendo in visita l' Illlustriss. e Reverendiss. Monsig. Mauro Corsi abbate Camaldolense*, *e al presente per la Dio grazia e della santa Sede apostolica vescovo dignissimo di Sanminiato sino dall' anno 1662. e considerando esser bene decorare le Suore con abito monasti-*

nastico, venne egli in persona il giorno di sant' Anna con li suoi signori canonici e corte, e celebrando sollennemente vestì le predette di abito bianco, con tonaca, scapolare, cingolo, velo bianco in testa e sottogola, aggregando quelle sotto la protezione e regola di san Romualdo abbate, & a ciascuna di esse impose il nome a suo beneplacito, le aggregò a tal' Ordine, acciò a suo tempo possino esser monache sagrate. Del tutto se ne rogò istromento per mano del suo cancelliere. Et io Marco Magnoni loro Confessore ho scritto la suddetta memoria, essendomi trovato presente al tutto.

ANN. CHR. 1670.

Inscriptio in ecclesia sancti Gregorii de Urbe: *D. O. M. Clemens papa X. cultum Clementum VIII. & IX. imitatus, in hoc sancti Gregorii Magni templo, ubi* XXX. *Missis animam monachi ex igne purgatorio liberavit, ne Commemoratio omnium fidelium defunctorum, quæ octiduo hic celebratur, alibi celebretur sine pontificio privilegio, decretum Sac. cong. Rituum idibus augusti* M. DC. LXVII. *pontificio diplomate confirmavit* XVI. *kalendas novembris* M. DC. LXX. *& hoc iterum Sac. cong. Rituum decrevit* III. *kalendas novembris* M. DC. LXXXXV.

Cum eremitæ Bellimontis in provincia Pedemontana defectu planitiei & aquarum, eremum & ædificia transferre vellent ad proximum locum aquis perennibus redundantem, & planitie commodiorem, appellatum *le Mollie*, qui etiam turbinibus ventorum minus expositus erat, & jam inter se tractarent de erigenda ibidem nova eremo ex veteris, quam demolire meditabantur, maceriis, post quinquaginta & sex annos, quibus illam incoluerant, generale capitulum eremitarum Pedemontanorum, ut expensis gravissimis parceretur, vetarunt ipsis eam eremi translationem.

ANN. CHR. 1671. IV. Alia Clementis X. brevia, & historica aliquot Camaldulensia.

ROMANUS pontifex Clemens X. ad humillimas preces Ildephonsi de Mier monachi & procuratoris generalis congregationis Hispaniæ ordinis sancti Benedicti die XIX. decembris hujus anni, pontificatus sui secundi concedit plenariam indulgentiam fidelibus omnibus visitantibus aliquam ecclesiam monachorum vel monialium ejusdem ordinis diebus sancti Benedicti, sanctæ Scholasticæ ejus sororis, sancti Placidi martyris, sancti Mauri, & omnium Sanctorum prædicti ordinis die XIII. novembris. Idem mense martio pontificatus sui anno primo regulam & constitutiones congregationis sacræ eremi Thusciæ de S. R. E. cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, apostolica authoritate approbat & confirmat, atque observari mandat; mense enim novembri anni præteriti coacto capitulo generali apud Fontem-bonum, cui præsedit Thomas Salviatus episcopus Arretinus, post dissolutionem a Coronensibus, rejectis antiquis constitutionibus, novisque superadditis, typis quamprimum consignari novas constitutiones decretum fuerat a patribus congregatis, quæ concinnatæ & dispositæ exhibitæ fuere summo pontifici & congregationi cardinalium pro obtinendo apostolico robore.

Petrus Palanzinus monachus Camaldulensis Paulo-antonio Zaccarellio Meldulensi abbati Camaldulensi, scripto & edito Ravennatibus typis libello, demonstrat ex doctrina Andreæ Vallemanii abbatis itidem Camaldulensis obligationem recitandi officium parvum beatæ Mariæ Virginis, quam habent quotidie monachi Camaldulenses, simulque attingit, an ad quasdam preces horarias obligati sint religiosi laici ejusdem ordinis? Iterum Faventiæ formis Joseph Zarafallii post biennium anno 1673. idem abbas Vallemanius protulit: *Sacrum Deiparæ sertum ex asserto*

serto penso a Camaldulensibus ei debito ; adjuncta altera disputatione *de horariis precibus ac participatione religiosorum laicorum in bonis spiritualibus religionis.*

Obiit hoc anno Odoardus Baranardus Gallus e Burgo-Brixiæ abbas Camaldulensis professionis sanctæ Mariæ ad Carceres, qui præter officium procuratoris generalis in Urbe plura rexit monasteria. Reliquit *sermones de Immaculata Virginis conceptione*, *de Virginitate*, *de Humilitate*, *de Oratione*, *de Obedientia* jam prælo paratos.

Hæc primum superest memoria monasterii sancti Johannis-baptistæ de San-venantiis in archivo nostro sanctorum Cosmæ & Damiani de Bononia, scilicet quod Anicetus Dandus Foro-liviensis abbas & monachi dicti monasterii Bononiensis de bonis suppositis cœnobio & prioratui sancti Johannis-baptistæ de San-venantiis, nunc vero applicatis & unitis cœnobio præfato Bononiensi, sequendo formam antiquarum locationum, concedunt aliquot terras Francisco de Maminis ditionis serenissimi Mutinæ ducis, sitas in guardia Castri-franchi comitatus Bononiensis, loco dicto *il Borghetto*. Aliæ consimiles locationes extant sub annis 1701. & 1723.

V. Ædificatur ecclesia Casimiriensis eremi.

ÆDIFICATUR hoc anno ecclesia Casimiriensis eremi Quinque sanctorum martyrum Polonorum, lignea quidem pro regionis frequentiori usu, & dicatur Præsentationi beatæ Mariæ Virginis, in memoriam prodigiosæ visionis, quam ante decennium habuerat in vigilia ipsius diei Sophia Polona juvencula, ut fusius diximus ad annum 1662. licet eremus nomen retineat Quinque-Martyrum. Illata est in ipsam ecclesiam circa hæc ipsa tempora imago quædam beatæ Mariæ Virginis, cujus historicam relationem proferimus ex archivo ejusdem eremi. *Illustrissimus dominus Mniszek palatinus Sandomiriensis dedit filiam in sociam vitæ duci Moscoviæ. Post benedictionem matrimonii, & convivia sponsalium, prima noctis vigilia excitatus tumultus in exercitu satraparum tam valde magnus est, ut qui vigilias tenebant ad palatia, non possent prævalere & resistere, atque sedare tumultum. Violenter invaserunt satrapæ ducem, & crudeliter trucidarunt cum uxore neosponsa. Illustrissimus Mniszek pater in alio palatio seorsim consistens, cognita morte sponsorum, clauso ostio, accepta imagine beatissimæ Virginis Mariæ, quam secum semper portabat, posita in credentia, flexis genibus ante imaginem deprecabatur Dominum Deum pro animabus sponsorum, & pro se ipso, ut eum Beatissima de periculo eriperet. Interim sauciati satrapæ invaserunt palatium, volentes & illustrissimum dominum Mniszek palatinum Sandomiriensem e vita tollere; effractis foribus ad cubiculum invenerunt genibus flexis ante imaginem, & orantem pro sponsis. Satrapæ nimio terrore perterriti recesserunt, & postea liberum ad Poloniam dictum palatinum Sandomiriensem dimiserunt. Post mortem ergo pie defuncti Mniszek palatini, legato testamenti cessit hæc imago beatæ Mariæ Virginis principissæ Visniovvecensi, quæ principissa pro tunc in summa æstimatione & pietate habuit patres Camaldulenses in Monte-argentino, quibus hanc imaginem cum tota ejusmodi historia ad conservandum donavit. Patres Camaldulenses Montis-argentini videntes primam plantam eremi Sanctorum Quinque Martyrum miraculose propagatam, etiam pro speciali devotione ad dictum locum Visniowecensem præfatam imaginem beatissimæ Virginis Mariæ dono dederunt; exindeque infinitas gratias variis languoribus affecti confugientes ad patrocinium Beatissimæ gratiosissime reportabant, & hucusque reportant, quamvis imago sit combusta.*

Cete-

Ann. Chr. 1671.

Ceterum anno sequenti ad perfectionem fuit redacta eadem ecclesia Casimiriensis, ita ut ultima die mensis novembris tribus aris erectis divinis frequentaretur mysteriis, præter oratorium capituli, sacrarium & chorum, sacras præterea suppellectiles ecclesiæ adjectas. Adsunt insuper ecclesiolæ extra urbem Casimiriæ aliquantulum inter se distantes, quæ creduntur inserviisse pro habitatione sanctorum Quinque Martyrum, ad quas ex omni Polonia confluunt, præsertim ad diem duodecimam novembris, qua celebratur eorum natalitium, confertissimi populi, ita ut sacra eucharistica communio ipsis ministretur extra ecclesias, quæ eorum multitudinem capere nequeunt.

VI. Monasteriorum S Georgii in Braida & S. Angeli de Verona bona empta a monachis S. Michaelis de Muriano.

Cum Clemens IX. suo brevi apostolico dato Romæ sub anulo Piscatoris die VII. septembris anni *1668.* applicasset omnia bona, sacris exceptis, existentia in dominio reipublicæ Venetæ, quæ fuerant suppressarum congregationum sancti Georgii in Alga, fratrum Jesuatorum, & fratrum sancti Hieronymi de Fesulis sub regula sancti Augustini, in subsidium urbis & regni Candiæ, ac in expeditionem adversus Turcas, & insuper delegasset Laurentium Trottum archiepiscopum Carthaginiensem tunc nuntium apostolicum suosque successores legatos in dominio Veneto ad vendenda hujusmodi bona ecclesiis, monasteriis, locisque piis, die XXIII. martii hujus anni, monasterium sancti Michaelis de Muriano, & pro ipso Hortensius Laureggius a Lendenaria vigilantissimus & meritissimus abbas, solutione numeratæ pecuniæ sex mille ducentorum ducatorum, præter expensas instrumentorum, duorum pro centenario, & requisitorum ad ineundam possessionem, emit prædia in villa Bonadici cum quarta parte decimæ, & cum contigua domo in habitationem parochi ecclesiæ sancti Johannis-baptistæ dictæ villæ, quæ exinde tradita est ad jus & onus monasterii præfati sancti Michaelis, & propterea concessa fuit cum sacris ornamentis, juribus & privilegiis, & cum obligatione servandi & alendi in ea parochum. Antiquitus ea ecclesia erat archipresbyteralis. Apollonius Pajerini Brixiensis, rector antea sancti Andreæ Hortorum, permutavit beneficium suum cum Prosdocimo archipresbytero Bonadicensi; inde cedente Apollonio, bulla Leonis X. ad annum 1513. diem autem XIV. aprilis ecclesia sancti Johannis unita fuit monasterio sancti Angeli Gabrielis in Monte Veronæ, ordinis sancti Georgii in Alga, suppresso tandem eodem anno *1668.* Idem abbas Laureggius octava junii hujus anni a Pompejo Varese archiepiscopo Adrianopolitano Trotti successore in Veneta legatione, & a procuratoribus basilicæ divi Marci Aloysio Foscareno, Nicolao Sagredo equite & ab Andrea Pisano electis a Senatu Veneto assistentibus venditioni emit solutione quatuordecim millium ducatorum, bona, portionem decimæ, rationem & jurisdictionem in septimam partem manifestorum vicariatus Herbezi, & canones in villa Trebentioli territorii Veronensis, quæ fuerant monasterii sancti Georgii in Braida Veronæ eorumdem canonicorum sancti Georgii in Alga, vendente præfato apostolico nuntio tum vigore primi brevis Clementis IX. tum alterius brevis Clementis X. sub die XIX. septembris anni *1670.* nomine apostolicæ sedis. Demum die XIV. decembris hujus anni idem cœnobium sancti Michaelis ab eodem nuntio apostolico contractu emptionis obtinuit ipsum monasterium sancti Angeli in Monte, quod quidem emere cupiebat alter abbas Camaldulensis sanctæ Mariæ in Campanea Veronæ Horatius Correggius, ibidemque familiam monasticam transferre optabat, sed renuentibus supremis ordinis præfectis derelictionem monasterii sanctæ Mariæ in Campanea, liberum

 evasit

Ann. Chr. 1671.

evasit emptioni abbatis Lauteggii. Ita monasterium sancti Michaelis de Muriano locupletatum fuit adjectione bonorum Veronensium, jurium, canonum, ecclesiæ parœcialis Bonadicensis & monasterii sancti Angeli, in quo etiam parva familia monastica introducta est usque ad annum 1690. quo monialibus sancti Silvestri de Verona divenditum fuit.

Multa quidem deterrebant abbatem Laureggium ab hujusmodi acquisitione, multa etiam animabant, quæ fusius ipse describit in sua ms. narratione, quam posteris reliquit. Deterrebant gravissimæ expensæ tum pro emendis bonis, tum pro instaurandis & reficiendis ædificiis & prædiis, animabat proximitas bonorum Lemniaci in loco dicto *Cà di Polo* ante viginti annos permutationis jure acquisitorum, sed quod præcipue animum abbatis removebat ab emptione, erat vox, publica quasi fama dilatata, quod Romanus pontifex Clemens X. ordinem Camaldulensem extinguere & supprimere velle diceretur; imprudentiæ propterea adscribebatur nova bona acquirere ordini & congregationi fere periclitanti, vel saltem vacillanti. Accessit, quod cœlum ipsum quodammodo videbatur hujusmodi vocem & periculum comprobare, nam icta fulmine testudine templi sancti Michaelis die Dominica, trigesima prima maji, quo tempore partim confecti, partim conficiebantur tractatus venditionis & emptionis, tale momento incendium erupit, ut extremam desolationem tum ecclesiæ, tum monasterio minitaretur, præsertim quia situs erat inaccessibilis, & ad ipsum extinguendum impediebant aditum liquescentes plumbi fornicis, & quia etiam ingens ventus sufflabat. Dei tamen misericordia, industria etiam Pauli Faventini conversi monasterii, alteriusque famuli, qui periculum & ignem minime formidantes quinque horis noctis (quod habitum fuit pro miraculo) securibus, aliisque instrumentis cacumen testudinis disjicientes prohibuerunt communicationem ignis cum ceteris partibus ecclesiæ, extinctum fuit incendium. Similiter die xxv. junii alio fulmine percussa fuit summitas turris campanariæ; duo alia læserunt prædia ejusdem monasterii, præter grandinum procellas, quæ arva & segetes infestarunt; quæ omnia fatalia videbantur præsagia extinctionis congregationis Camaldulensis, cujus monasterium princeps erat illud sancti Michaelis, quod bona hujusmodi emere cogitabat, vel emerat.

Sed adversis & expensis nil territus pius & constans abbas Laureggius omnia superavit, totamque operam suam impendit in sartis tectis reddendis, tum monasterio sancti Angeli, tum ecclesia Bonadicense, tum in prædiis, juribusque defendendis. Familiam itaque monachorum in cœnobium sancti Angeli introduxit; parochum ecclesiæ parœcialis destinavit Franciscum Vignonium monachum expertissimum & probatissimum, qui juris decimarum strenuus vindex, atque privilegiorum monasticorum assertor odia in se plurimorum concitavit, qui vel ad necem ipsum conquirebant. Immissi aliquando sicarii reperientes eumdem Matutinas preces genibus flexis recitantem cum socio, deterriti, exequi impium facinus detrectarunt. Alia vice redeuntem e Lemniaco interimere proposuerant, & occultaverant aggressores in quadam via, unde erat transiturus, sed Divina protectus ope, dum currum regebat, repente equus claudicare cepit, neque ulla industria alium equum substituere ad perficiendum iter valens, coactus fuit coopertam rhedam ascendere, qua transivit invisus, neque agnitus ab aggressoribus. Tertia vice beneficio æris campani a villicis accurrentibus ereptus fuit a proxima morte, quam ei intentaverant maligni & factiosi homines. Injustis pariter & diris calumniis lacessitus, demum anno 1674. die septima aprilis a publicis rectoribus urbis Veronæ innocentia ipsius declarata, malignantium fraudes & odia detecta

fuere,

fuere, adversariis pœna mulctatis, aliis in exilium pulsis. Verum, ne ulterius pateret Vignonius insultibus & periculis, e re duxit abbas Laureggius ipsum anno 1675. ad monasterium revocare, & titulo prioris honestare, quo in officio pluribus annis multa præstitit utilia & decora monasterio sancti Michaelis, & subinde altero camerarii munere, quo promovit cœnobii sui emolumenta & ornamenta. Ipsis initiis, quibus concredita fuit Camaldulensibus monachis parœcialis ecclesia sancti Johannis-baptistæ Bonadici, contigit in ecclesia enormis homicidii casus, quo polluta fuit una cum cœmeterio. Quoad reconciliationem Sebastianus Pisanus episcopus Veronensis sibi soli fas prætendebat, sed abbas Laureggius scripturis productis, & privilegiis in medium allatis demonstravit jura sua, quæ etiam fassus est episcopus; reconciliationemque curavit magno populi concursu, & sollemnibus ritibus die XIII. septembris hujus anni. Iterum alia controversia inter episcopum, & abbatem orta est, an propter decimas acquisitas Bonadici & Trebentioli solvendum esset ab ipso abbate Laudemium, jure feudi episcopatus. Ostendens autem abbas Romanum pontificem esse primum, & absolutum dominum bonorum a se acquisitorum, & esse venditorem sine obligatione alicujus oneris & conditionis, jus feudi propterea quoque rescindi, obtinuit perpetuum litis silentium ab episcopo, quem etiam ita erga se benevolentiorem reddidit, ut ipsi abbati delegaverit ille sacram pro se ordinationem in minoribus clericorum suæ episcopalis diœcesis, quam abbas peregit sacro ritu in monasterio sancti Angeli die XXI. septembris anni 1675. datis patentibus literis nomine suo, & adhibito peculiari cancellario. Cetera, quæ egit Laureggius, pro reficiendis domibus & prædiis, pro ecclesia Bonadicense & pro monasterio sancti Angeli fuse enarrat ipse in sua peculiari relatione, quam conscripsit, pertinentque ad rem œconomicam.

Monasterii sancti Georgii in Braida mentionem fecimus ad annum 1046., ibidemque memoravimus amplam donationem, quam fecit Cadolus filius Ingonis Veronensis, in propria patria primum Vicedominus, inde episcopus Parmensis. Ne pereant monumenta hujus loci, qui a monachis & a monialibus ordinis sancti Benedicti, postea a canonicis ordinis sancti Augustini transiit ad canonicos seculares sancti Georgii in Alga, una cum proximo sancti Angeli Gabrielis monasterio, & post eorum suppressionem ad monachos Camaldulenses quoad bona (ecclesia siquidem cum monasterio concessa fuit monialibus sanctæ Mariæ de Reggio ordinis sancti Augustini) ea subjungimus ex veteribus paginis exemplatis & asservatis in nostro sancti Michaelis archivo, quæ etiam historiam supplere poterunt ejusdem sancti Georgii monasterii, quam in ecclesiis Veronensibus compilavit V. Cl. Johannes-baptista Blancolinius.

M. CCC. LXII. *Nota, quod medietas castri Paludis fuit donata ecclesiæ sancti Georgii in Brayda Veronæ per quondam dominum Catalum episcopum Parmensem de anno* M. XXXXVI. *alia vero medietas Paludis fuit empta per domnum Girardum tunc priorem sancti Georgii a quibusdam hominibus pro libris millibus & quingentis bonæ monetæ Veronensis. De hoc apparet instrumentum scriptum de anno Domini* M. CC. *quarto in parte.*

Item partem aliam dictæ villæ Paludis apud Trevenzolum donarunt Antonius filius quondam Marcirii de Palude M. C. LVII. *& Marchesius filius quondam Aldonis de Palude de anno Domini* M. CC. X. *ex octavo, & super hoc apparent instrumenta penes dictam ecclesiam sancti Georgii dicti.*

Item nota, quod dicta ecclesia tam ex privilegiis dominorum imperatorum ac regum Romanorum, quam ex roboratione facta per Romanos pontifices habet plenum jus & jurisdictionem in dicta villa Paludis apud Trenzolum super tota curia pertinentia dictæ Paludis decimandi, & decimam percipiendi unam partem de tredecim.

Item habitantes in curia ipsa Paludis sunt exempti & immunes ab omni solutione datiorum & angariarum temporalium.

Item dicti habitantes in villa Paludis immediate subsunt temporali gubernationi dictæ ecclesiæ sancti Georgii, itaut prior & ejus conventus habent instituere & destituere vicarium, potestatem & alios officiales, quorum interest jus dicere incolis dictæ villæ; & eos punire, mulctare, manifestare & bannire, sicuti de præsenti faciunt vicarii, potestates, & vicecomites instituti nomine & vice dictæ ecclesiæ, ut apparet per instrumenta & scripturas super hujusmodi jurisdictionibus de anno in annum, & hoc virtute dictorum privilegiorum antiquorum eidem ecclesiæ concessorum.

Anno 1156. Antonius de Palude resignavit Ubertino de Cereta, præsente domino Turisendo comite Gardæ, totam decimam veterem & novam, præsentem & futuram, & totum jus decimationis totius curiæ & territorii Trebentioli, excepto quartesio sanctæ Mariæ de Trebentiolo; ac ipse comes jure feudi hæreditarii investivit præfatum Ubertinum, consentiente etiam & confirmante Thebaldo episcopo Veronæ. Anno 1160. Ubertinus, præsente dicto comite, investivit Bertolinum. Anno 1199. Palmerius filius quondam Ubertini de Cereta investivit Girardum filium Bertolini. Anno 1220. transierat ipsius decimæ jus in canonicos sancti Georgii in Braida, ex sequentibus chartis, quas subjicimus per ordinem.

In nomine Dei eterni amen. Die jovis, qui fuit nonus dies exeunte mense augusti, presentia bonorum hominum; hi sunt Ardoinus advocatus, Botizerio Romanus, Henricus de Artuico assessores domini Turisendi .... Garde, Henricus de Bella, & Jacobus de Johanne Monteclo causidici, Rodulphus vicecomes, Zeno Zufetus Azeri de Bergomo, Finellus, Ugo de Preresaldo castellanus de Cereta, Prinipus, Petrus de Ponte, Pellegrinus & Zeno, atque Gandulphus viatores & reliqui in eorum presentia dominus Antonius de Palude refutavit in manus Wbertini de Cereta totam decimam veterem & novam, presentem & futuram, & totum jus decimationis presens & futurum, cum exemplatione super totum pro indiviso totius curie & pertinencie seu districtus vel guarde & territorii Trevenzoli, excepto quartesio sancte Marie de Trevenzolo, quam decimam & quod jus decimationis predictorum locorum Trevenzoli dicebant medietatem totius decime & juris decimationis suprascripti totum pro indiviso Canalis, & totam decimam novam presentem & futuram, & totum jus decimationis habebat & tenebat, vel alii pro eo jure feudi seu aliquo modo habebant & tenebant, & hanc refutationem fecit, presente domino Turiscendo comite Garde, & consentiente & parabolam dante, a quo dictus dominus Antonius & dicta jura decimationis ad feudum habebat & tenebat. Ibique dictus comes Turiscendus jure feudi hereditarii, sicuti ibi esse dicebant ad Petrum, & .... feudum investivit dictum Wbertinum de Cereta de omnibus suprascriptis decimationis predictarum terrarum, prout dicte sunt, & specialiter de tota decima vetere & nova, presente & futura, & jure decimationis presente & futuro omnium terrarum & vinearum Sortis Paludis, que dicitur Longero, presente domino Tebaldo episcopo Verone,

rone, & consentente atque confirmante refutationi, quam fecit dominus Antonius in dictum Wbertinum, quas omnes supradictas decimationes, & que jura decimationum prefatus comes ad feudum ab eodem domino episcopo Tebaldo pro episcopatu Verone, prout dicebat & protestabatur, tenebat. Actum in civitate Verone in sala domini episcopi Tebaldi anno Domini M. C. LVI. *supradicto die indictione quarta.*

Ego Ubertus notarius rogatus his omnibus interfui, &, ut supra legitur, scripsi.

In nomine Domini, amen. Die jovis, qui fuit quintus-decimus dies intrante mense decembri in civitate Verona, in domo domini Turiscendi comitis Garde, in presentia Ardoini advocati & Gerardi de Monte-aureo & Berrafonis. Ibique dominus Wbertinus de Cerreta, presente supradicto comite & ejus verbo investivit Bertolinum ad rectum feudum in heredes utriusque sexus sine fidelitate de tota sua decima Paludis & Trevenzioli, & de Galcignino suo vassallo cum medietate totius decimorum suprascriptorum pro indiviso Canalis & ejus pertinentie atque districtus, quam ab eo habet & tenet, & cum ea ratione & actione, quam in eo habet. Anni Domini M. C. LX. *supradicto die indictione octava.*

Ego Ubertus notarius rogatus his interfui, & ut superius legitur, scripsi.

In Dei eterni nomine. Anni Domini nostri Jesu Christi M. C. LXXXXIX. *indictione secunda die* XIV. *intrante decembri, in palatio communis Verone, in presentia domini Fagnini de Natale, Girardi de Soldatia, Ottonelli filii quondam Tregani, Jacobini filii Lusiani, Canuti Salaroli & aliorum ad hoc testium specialiter rogatorum. Ibique dominus Palmerius filius quondam domini Ubertini de Cereta investivit Girardum filium quondam Bertolini de suo recto feudo, & de omni decima specialiter & jure decimationis veteris & nove, quam & quod ipse & ejus pater olim habuerunt, & nunc habet, vel aliquo modo habere olim potuerunt, necnon ipse habet & habere potest, seu posset vel poterit in tota curte vel pertinentia, seu districtu atque guarda Canalis; & de eis omnibus novalibus, que modo sunt, & de cetero erunt vel poterunt inveniri in predictis omnibus terris & locis. Hoc facto ibi incontinenti infrascriptorum presentia testium predictus dominus Palmerius fecit finem, dationem, cessionem & refutationem in manu predicti Gerardi de omni jure, ratione & actione, reale & personale, corporale & incorporale, quod vel quam ipse & ejus pater habuerunt & nunc habet contra aliquam personam, que habuerit et non habet, vel habuerit et possedit, et non possidet vel possidebit terras in predictis curiis, seu pertinentiis vel districtis, guardis, et terratoriis atque locis predictarum terrarum Trevenzolis, et Paludis, atque Canalis pro decima et jure decimationis, ita tamen quod ipse dominus Girardus possit eam decimam predictam petere et exigere, scopere, luere, atque accipere, prout ipse dominus Palmerius posset, si eam haberet, et pro eo domino Girardo possidere manifestavit, et ipsum Girardum suum procuratorem tamquam in rem suam ad predictam decimam exigendam, scopendam, luendam atque accipiendam fecit atque constituit.*

Ego Henricus domini Friderici imperatoris notarius rogatus interfui et scripsi

In nomine Domini, amen. Die XVIII. *exeunte novembri sub porticu dominorum sancti Georgii in Braida, in presentia domini Saffi et Tebaldi et Azonis conversorum domus sancti Georgii, Ubertini de contrata de Sablo-*

Ann. Chr. 1671.

Sablono, Ubertini de Dongelmario de Capite pontis & aliorum testium rogatorum. Ibique domnus Vivianus Dei gratia ecclesie sancti Georgii prior, & domnus Morandus prepositus, & domnus Petrus, domnus Zambonus, donnus Wido presbyteri, donnus Paulus & donnus Vivianus & donnus Bonus diaconi, Mustus & Daviotus subdiaconi, & donnus Azo acolytus canonici & confratres ecclesie sancti Georgii in Braida pro se & suprascripta ecclesia sancti Georgii sub pena XXV. *librarum Veronensium pro stipulatione promiserunt domino presbytero Pellegrino syndico & procuratori plebis sancte Marie de Trevenzolo pro se recipienti, & vice ac nomine suorum fratrum, & plebis sancte Marie de Trevenzolo, stare & attendere preceptum & precepta Wasconi de Palude nominatim de quartesio decime de redditu sue rationis terrarum veterarum, quas homines Paludis pro eis dominis in Palude & in ejus curia laborant, & illud preceptum seu precepta, quod vel que dictus Wasconus de illo quartesio dixerit & fecerit per concordium aut per suum bonum arbitrium, quod ipsi domini sancti Georgii attendere, & ratum & firmum habebunt, & quod non venerint contra, & si attendere noluerint, & ratum & firmum non habuerint, quod ei domino presbytero Pellegrino pro se & suis fratribus emendabunt* XXV. *libras denariorum Veronensium nomine pene, & pena soluta pro ea attendere, & pro ita attendendo nomine pignoris tantum ... suprascripte ecclesie ei domino presbytero Pellegrino pro se & vice ac nomine suorum fratrum obligaverunt, quod duplum valeant de eo, quod dictus Wasconus preceperit, & pro eo se possidere manifestaverunt.*

Item die octavo exeunte novembris in Palude sub porticu domus dominorum sancti Georgii, in presencia domini Nigroboni notarii, Alberti notarii &c. *Ibique dominus archipresbyter Albertus de Trevenzolo, & dominus presbyter Crescentius, & dominus presbyter Pellegrinus, ac Petrus diaconus & Bonadormane clericus plebis sancte Marie de Trevenzolo pro stipulatione pro se & suprascripta plebe sancte Marie sub pena* XXV. *librarum denariorum Veronensium promiserunt domino donno Viviano Dei gratia ecclesie sancti Georgii presbytero pro se recipienti, & vice ac nomine suorum fratrum & suprascripte ecclesie sancti Georgii stare & attendere preceptum & precepta suprascripti Wasconi, nominatim de quartesio decime de redditu rationis suprascriptorum dominorum sancti Georgii terrarum veterarum, quas homines Paludis a dictis dominis in Palude & in ejus curia laborant, & illud preceptum seu precepta, quod vel que dictus Wasconus per concordium, aut per suum bonum arbitrium de dicto quartesio dixerit vel fecerit, quod predicti domini plebis sancte Marie de Trevenzolo ratum & firmum habebunt, et attendere et contra non venire, et si attendere noluerint, et ratum et firmum non habuerint* &c. *emendabunt* XXV. *libras denariorum Veronensium* &c. *Anno nativitatis Domini* M. CC. XX. *indictione* VIII.

Ego Marsilius sacri palacii notarius rogatus interfui et scripsi.

Anno M. CCC. II. *Designatio terrarum, quas habemus in Palude. Hic comprehenditur perticatum terrarum istius ecclesie sancti Georgii de Palude apud Trevenzolum de Manso Wasconi una petia terre cum casa et curte, et orto, que jacent in villa Paludis, ubi ipse Wasconus habitat, modo Semper-Bene et Jacobino.*

Item alia petia terre prativa, que jacet in dicto loco &c.

Item alia petia &c. &c. &c.

Originalia instrumenta delata fuere ex monasterio sancti Angeli in Monte ad cancellariam apostolicam Venetiarum tempore suppressionis.

Dis-

Ann. Chr. 1672.

VII. Clementum IX. & X. brevia rescissionis unionis eremitarum Camald.

DISSOLUTA semel per Clementem IX. anno 1667. unione variarum congregationum eremitarum Camaldulensium, vel sancti Romualdi, & irritatis brevibus Urbani VIII. quibus eadem unio annis praecedentibus fuerat efformata, aliqui eremitae zelo concordiae ducti iterato unionem moliebantur. Ne novis tractatibus rursus turbaretur quies & tranquillitas ordinis Camaldulensis, Clemens X. hoc anno non dumtaxat confirmavit dissolutionem unionis factam a suo praedecessore, sed sub gravissimis poenis cavit, ne de cetero amplius ageretur de formanda unione, sequens conficiens decretum, in quo integrum Clementis IX. breve inserens historicam nobis exhibet relationem sequutae dissolutionis, quod proinde subjicimus.

Clemens papa X. ad futuram rei memoriam. Ad pastoralis dignitatis fastigium &c. Alias siquidem, cum inter eremitas Camaldulenses nationis Etruriae sub nomine congregationis sacrae eremi ex una, ac nationum status nostri ecclesiastici, dominii Veneti, regni Neapolis, Poloniae et Germaniae sub nomine congregationis Montis-coronae respective militantes ex altera, necnon illos nationis Pedemontanae ex alia partibus, variae controversiae exortae et suscitatae fuissent, fel. recor. Clemens papa IX. praedecessor noster motu proprio &c. unionem, annexionem et incorporationem eremi Camaldulensis Etruriae sive provinciae Arretinae, ac congregationis Montis-coronae, earumque respective eremorum, monasteriorum, membrorum et aliorum locorum regularium invicem, uniusque congregationis ex illis sic unitis, annexis et incorporatis erectionem et institutionem dudum a fel. mem. Urbano papa VIII. praedecessore pariter nostro factas, necnon aliam unionem sive incorporationem eremi Camaldulensium prope Taurinum sitae, una cum aliis eremis, domibus et locis ab ea dependentibus, sive quoquomodo ad illam pertinentibus ad praefatam congregationem Camaldulensium Montis-coronae pridem factam, et ab eodem Urbano praedecessore confirmatam revocavit, dissolvit, irritavit et annullavit, ac nationes praefatas ab invicem separavit, easque ad formam regiminis, quo ante uniones respective gubernabantur, reduxit, et alias, prout uberius continetur in ipsius Clementis praedecessoris literis desuper in simili forma brevis expeditis, tenoris, qui sequitur, videlicet.

Clemens papa IX. ad perpetuam rei memoriam. Illius, qui caritas est &c. Dudum siquidem fel. recor. Urbanus VIII. praedecessor noster certis tunc expressis causis adductus eremum Camaldulensium Etruriae, sive provinciae Arretinae, ac congregationis Montis-coronae ordinis Camaldulensium, earumque respective eremos, monasteria, membra, et alia loca regularia ab eis dependentia invicem perpetuo univit, annexuit et incorporavit, ac ex eis omnibus sic unitis, annexis et incorporatis unicam dumtaxat congregationem, non amplius Montis-coronae, sed eremitarum Camaldulensium de cetero nuncupandam, cujus caput esset praefata eremus Camaldulensium Etruriae, similiter perpetuo erexit et instituit, ac insuper idem Urbanus praedecessor unionem et incorporationem eremi Camaldulensis in montibus prope civitatem Taurinensem sitae una cum aliis eremis et domibus, et locis ab ea dependentibus, sive quoquomodo ad illam pertinentibus praefatae congregationi Camaldulensi Montis-coronae sub certis tunc expressis conditionibus factas auctoritate apostolica approbavit et confirmavit, et alias, prout in binis ipsius Urbani praedecessoris literis desuper in simili forma brevis die VII. *octobris* 1634. *et die* VIII. *augusti* 1635. *respective expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum*

autem,

ANN. CHR. 1672.

autem, sicut accepimus, subinde inter dilectos filios eremitas Camaldulenses, illos nimirum nationis Etruriæ, qui militant sub nomine congregationis sacræ eremi ex una, et illos nationum status nostri ecclesiastici, dominii Veneti, regni Neapolis, Poloniæ et Germaniæ, qui olim militabant sub nomine congregationis Montis-coronæ ex altera, ac illos nationis Pedemontanæ ex alia respective partibus, variæ differentiæ ac controversiæ exortæ et suscitatæ fuerint; nos pro commissa nobis cælitus pastoralis officii cura, opportunum hujusmodi dissidiis remedium adhibere, et fraternæ caritatis amœnitatem inter eremitas præfatos, quantum cum Domino possumus, restituere atque firmiter solidare cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium præpositorum, qui controversias et differentias præfatas ex commissione recentis memoriæ Alexandri papæ VII. prædecessoris pariter nostri mature ac diligenter examinarunt et perpenderunt, consilio, motu proprio &c. *unionem, annexionem et incorporationem eremi Camaldulensis Etruriæ sive provinciæ Arretinæ, ac congregationis Montis-coronæ, earumque respective eremorum, monasteriorum, membrorum et aliorum locorum regularium præfatorum invicem, uniusque congregationis ex illis sic unitis, annexis et incorporatis erectionem et institutionem a memorato Urbano prædecessore factas, nec non alteram unionem sive incorporationem eremi Camaldulensium in montibus prope Taurinum sitæ una cum aliis eremis, domibus et locis ab ea dependentibus, sive quoquomodo ad illam pertinentibus, ad præfatam congregationem Camaldulensem Montis-coronæ factam, et ab eodem Urbano prædecessore confirmatam, ut præfertur, et prout illas respective concernunt, emanatas desuper ipsius Urbani prædecessoris literas præfatas ex nunc tenore præsentium revocamus, dissolvimus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, et ex nunc revocatas* &c. *declaramus, necnon nationes præfatas ab invicem separamus, easque ad formam regiminis, quomodo ante uniones hujusmodi respective gubernabantur, reducimus. Præterea dilecto filio nostro Petro ejusdem S. R. E. cardinali Vidono nuncupato, ordinis hujusmodi apud nos et sedem apostolicam protectori per easdem præsentes motu pari committimus et mandamus, ut cuilibet ex dictis nationibus leges et consuetudines antiquas ex laudabili earum instituto auctoritate nostra apostolica statuat, exacteque observari faciat, jus unicuique tribuat, causas et lites decidat et terminet, ceteraque faciat, quæ ad majorem Dei cultum et gloriam, ac dictarum nationum tranquillitatem conducere arbitratur: nos enim ipsi Petro cardinali et protectori quamcumque necessariam et opportunam ad præmissa facultatem harum serie, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, tribuimus et impertimur. Decernentes* &c. *Non obstantibus* &c. *Datum Romæ apud sanctam Mariam-majorem sub annulo piscatoris die* XXIV. *octobris* 1667. *pontificatus nostri anno primo.*

Cum autem, sicut pariter accepimus, nonnulli eremitæ nationum prædictarum novas uniones ipsarum nationum procurare, ac ad eum effectum subscriptiones quorumdam simplicium eremitarum dictæ congregationis Montis-coronæ emendicare moliantur, non sine notabili observantiæ regularis detrimento, ac recidivarum inquietudinum atque perturbationum periculo; nos ejusmodi malis ansam mature præcidere, ac religiosæ eremitarum præfatarum tranquillitati, quantum cum Domino possumus, consulere cupientes, motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, præinsertas Clementis prædecessoris literas cum omnibus et singulis in eis contentis, tenore præsentium, perpetuo confirmamus et approbamus, inviolabilis

bilis & irrefragabilis apostolicæ firmitatis vim, robur & efficaciam adjungimus; ac in omnibus & singulis memoratarum congregationum seu trium nationum eremis tam subditis, quam superioribus etiam Majoris officio fungentibus, seu alias quocumque gradu, dignitate, officio vel præeminentia præditis, nunc & pro tempore existentibus, ne de cetero de nova congregationum seu nationum præfatarum unione seu incorporatione, sive nova unius congregationis ex illis erectione & institutione per se, vel alium, seu alios, verbo vel scripto, seu alias quomodocumque & qualitercumque, sive directe, sive indirecte, sub quocumque etiam caritatis prætextu, colore vel ingenio tractare, ullosque tractatus forsan inceptos continuare, aut novos inire, seu quovis modo tractantibus consentire audeant & quomodolibet præsumant, sub excommunicationis ac privationis vocis activæ & passivæ, nec non officiorum quorumcumque per eos obtentorum, perpetuæque ad illa & alia sine aliquali declaratione incurrendis, a quibus absolutionem seu adversus illas rehabilitationem nemo præter nos, seu Romanum pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutis, quoad excommunicationem hujusmodi dumtaxat, concedere valeat, tenore præsentium districte probibemus & interdicimus; laicos vero seu conversos eremitas dictarum nationum respective, qui præsenti probibitioni contravenerint, præter & ultra excommunicationem præfatam, etiam pœna reclusionis in carcere ad decennium puniri & castigari volumus. Decernentes easdem præsentes & præinsertas literas semper & perpetuo firmas, validas & efficaces existere &c. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die XVII. *octobris* 1672. *pontificatus nostri anno tertio.*

J. G. Slusius.

Nihilo tamen secius post septem menses sequenti anno capitulum generale congregationis Pedemontanæ, in medium producto tenui numero suorum religiosorum, & eremorum, expetivit iterum unionem cum alterutra congregatione Montis-coronæ, vel Camalduli Etruriæ, ac ad eumdem Romanum pontificem supplices literas scripsit, ut prævia aperitione oris ob recens disunionis emanatum breve, ipse pro libitu suo dignaretur parvam Pedemontanam unire vel cum congregatione Coronensi vel cum Camaldulensi, destinatique fuere a definitoribus capituli sindici, qui de ea unione cum aliquot conditionibus Romæ agerent. Assensum etiam obtinuere agendi de ea unione a ducissa Johanna-baptista matre & regente Sabaudiæ tempore minoritatis ducis Victorii Amadei. Re tamen infecta Taurinum rediere eremitæ ad Urbem missi; & per id temporis nulla alia de procuranda unione mentio facta fuit, quamvis unionis voluntas post aliquot annos revixerit, ut alibi dicemus.

Die decima februarii pontificatus sui anno secundo devolvit idem Romanus pontifex ad apostolicam sedem electionem prælatorum, confessariorum, aliorumque monasticæ Camaldulensis congregationis officiorum, si intra quindecim dies a morte, vel ab amotione, vel a vacatione abbas generalis a visitatoribus admonitus negligat electiones, & post alios quindecim dies negligant ipsi visitatores supplere generalis negligentiam, quam eo casu supplere ipsis tribuit.

In hospitio eremi sancti Salvatoris de Neapoli felici sorte transiit ad Deum Bonaventura de Colletis a Latina in Campania-felici. Post studium literarum completum in urbe Neapolitana, eremiticum institutum amplexus est anno 1626. Pœnitentiæ, humilitati & orationi addictissimus eas virtutes ad senectam & mortem adamavit, quam læte suscepit

Ann. Chr. 1672.

ætatis anno LXXV. Qui extremam ipsius confessionem ex ejus ore recepit, exclamavit: *Sancta anima, beata anima*, deductumque fuit ejus funus ad eremum ex hospitio urbano.

Ann. Chr. 1673.

VIII. Piorum eremitarum decessus.

OBIERE hoc anno tres eremitæ Camaldulenses opinione sanctitatis clari. Primus die XIII. januarii Bonifacius Antonii, olim presbyter Lugdunensis, inde ex eremo Taurinensi propagator eremitici sancti Romualdi instituti in Galliis, ut vidimus præsertim ad annum 1626. Ejus autem missio in Gallias tam feliciter, Divina favente gratia, successit, ut ordinis Camaldulensis ibidem institutor pluribus eremis suscitatis, primusque superior extiterit. Naturæ cessit anno ætatis suæ fere nonagesimo-quarto, religionis virtutibus conspicuus, famaque sanctitatis celebris, sepultusque jacet in ecclesia eremi Vallis-Jesu Lugdunensis diœcesis. Ejus tunica & calopodia tamquam res sacræ asservantur in ecclesia, & loci inquilini frequentissime ejus precibus se commendant, novemdialiaque celebrant ad ipsius sepulcrum, ut impetrent sanitatem a quibusdam morbis. Alter vigesima augusti decessit in eremo de *Grosbois* Ludovicus de Grandis Burdigalensis, qui ex ordine Minorum de Observantia eremita factus Camaldulensis a confessionibus fuit Caroli de Valois principis fundatoris præfatæ eremi, quique scientiam in se cum austeritate & pietate vitæ conjungens, edidit duos libros Gallico idiomate, quorum primus: *Crucis triumphus*; alter: *Nuptiæ spirituales naturæ Divinæ cum humana natura*. Vitam cum morte commutavit ætatis anno LXXXIV. terque Gallicanæ congregationis annis 1655. 1656. & 1662. fuit Major. Tertius in Italia eremita in solitudine sancti Salvatoris de Neapoli ad Deum transiit Bonaventura de Apulia, abstinentia, paupertate, contemplatione rarus. Summa industria, exquisitisque adinventionibus cruciabat corpus suum, & laboribus immodicis atterebat, ter nihilo-secius in hebdomada jejunabat. Narrare consueverat cuidam religioso viro factam fuisse revelationem, quæ tamen creditur ipsimet manifestata, quadam die interiisse octuaginta millia Christianorum; in iis tres dumtaxat æterna salute donatos, ceteros misere in infernum dejectos, & in illis tribus unum fuisse Camaldulensem. Frequentissime utebatur his sententiis: *Sperne mundum, sperne nullum, sperne teipsum*. Displicebant quoque solitario viro eremi illæ, quarum quietem turbare consueverat nimia adventantium laicorum frequentia.

IX. Solemnis delatio imaginis S. Bonifacii archiep. ad regiam eremum Varsaviæ.

EX archivo Montis-regii apud Varsaviam sequens relatio ad hunc annum pertinens ad nos transmissa fuit, quam in honorem sancti Bonifacii martyris archiepiscopi, & discipuli sancti Romualdi, Poloniæ regni quoque patroni libenter subnectimus.

Introductio imaginis sancti Bonifacii episcopi & martyris Russiæ apostoli eremitæ Camaldulensis, serenissimo Michaele rege Poloniæ procurante, e civitate Varsaviensi ad regiam eremum die XIX. mensis junii M. DC. LXXIII. solemni apparatu peracta.

Pridie vespere imago sancti Martyris ad ecclesiam sancti Johannis collegiatam civitatis primariam delata, decenterque ornata in altari minori a latere dextero chori majoris exposita fuit; ante eam variis sacerdotibus a mane usque ad nonam diei horam ante meridiem processioni destinatam Missæ sacrificia celebrantibus, quousque diversi religiosorum ordines, ac illius ecclesiæ collegium canonicorum in unum convenissent, populusque adesset, qui cum adfuit frequentissimus, ac omnes comparuissent, e suggestu majori habuit concionem ad populum adm. rev. pater Onuphrius

ex

ex Piarum Scholarum familia , in qua sanctum Martyrem compendium sapientiæ proclamavit. Qua finita, processio per plateas ac forum civitatis ad patrum Prædicatorum ecclesiam tali ordinata est serie. Antecedebat Piarum Scholarum numerosa juventus cum sacratissimi Rosarii confraternitate. Religiosorum ordines , patrum scilicet Minorum Conventualium , tum eorumdem de Observantia, Prædicatorum, atque Augustinianorum eremitarum sequebantur. Quæque religio vestitos pluviali sacerdotes, & dalmaticis fratres habuit, qui alias imagines portabant. Hos sex religiosi ex diversis familiis bini electi superpelliciis & dalmaticis induti humeris imaginem divi Bonifacii sustentantes comitabantur, penes quos sequebatur longus ordo sacerdotum secularium & canonicorum, ac infulatus episcopus Plocensis, nominatus illustrissimus dominus Bonaventura Madalowlski thesauri regii supremus notarius, tum illustrissimi domini senatores , dignitarii & officiales regni , inter quos illustrissimus dominus Pac magni ducatus Lithuaniæ cancellarius, eremi Montis-pacis fundator, ac benefactor munificentissimus, magistratus civilis, & copiosa multitudo plebis, choro musicorum regalium dulcisonis nervorum vocumque cantibus, ductilibus tubis, chordis & organo, tibicinibus duodecim in tympano Deum in Sancto laudantibus. Hoc itaque modo per forum publicum iter conficiebat processio ad templum usque patrum Prædicatorum , quod eleganter variorum tapetum & auleorum erat ornamento præordinatum, ad quod importata icon sacra , ac in majori altari innumeris lampadibus, facibus, candelis ardentibus splendenter reposita, adeout pomposo & delectabili aspectu omnes ad devotionem commoveret, & in admirationem animos spectantium traheret. Ordinarius interim illius loci Verbi divini præco satis laudabiliter officio suo functus Divum e suggestu encomiatus est, quem nomine sancti Hiacynthi confessoris, cui illa ecclesia erat dedicata, salutavit, & in societatem patronorum regni invitavit. Finita concione, undique turba confluente, deducebatur imago ab ecclesia patrum Prædicatorum per plateam ad fluvium navigabilem Vistulam regni primarium, in quo ad ripam regium præstolabatur navigium, in quod illata est imago clero regulari & canonicis circumstantibus, tubicinibus dulci symphonia ad devotionem & ciendas ab oculis lachrymas populum commoventibus. Secunda itaque fluminis ad eremum uno milliari distans sacra imago pervenit, religiosis rhedas regias ad id ordinatas conscendentibus, populo catervatim iter pedestre continuante, aliis atque aliis vario navigiorum genere usis per Vistulam comitantibus . Ad locum eremi cum perventum fuit, relicto navigio pusillus grex eremitarum Camaldulensium tanto hospiti ivit obviam ad portam eremi , ex qua non sine molestia cacumen montis ardente Sole superatum est; & ecce tanto actui regiæ majestates cum senatoribus regni, dignitariis , officialibus , aula & clero universo , & supradicto infulato pontificalibus induto in occursum prodierunt ante portam eremi, splendoremque addiderunt , ac novi tutelaris regni in templum cum applausu & supplicibus populi universi votis importaverunt, locata in altari icone, ac sollemni celebrato sacro , benedictione episcopali impartita, aulæ regiæ majestatis ordinarius concionator adm. rev. pater Pachorki e societate Jesu in laudem sancti & religionis Camaldulensis effusus divum e sanguine regum Poloniæ, Dobromorum dictum, Præmislai filium e vetustissimis probavit fuisse radicibus Poloniæ Polonum, a sancta sede Romana in patronum regni ordinatum publicavit, tripartitamque festivitatis rationem exposuit ; primo a festo sancti patriarchæ Romualdi in eam diem incidente , secundo ab actu introductionis sancti Bonifacii , tertio denique a die anniversaria quadrienii elapsi electionis in

Ann. Chr. 1673.

regem Poloniæ sereniſſimi Michaelis , & prout horum Sanctorum interceſſione in regio ſolio poſita fuit majeſtas regia , ita utrorumque prece & ſuffragio de Paganis regnum invadentibus brevi regiam majeſtatem triumphaturam vaticinatus eſt . Poſt ornatam hanc concionem regii ſymphonarii hymnum Ambroſianum alternatim cum clero decantarunt. Sacris peractis in cella rev. patris prioris regia majeſtas cum præſentibus dominis ſenatoribus privatum conſilium de ablegato Moſcovitico expediendo habuit . Hoc peracto dominos ſenatores , canonicos , chorumque univerſum tam ſecularem quam regularem excepit regali prandio. A menſa itum eſt ſuo tempore ad veſperas ſollemnes , quibus abſolutis ſuper verba Pſaltis : Exurge pſalterium & cythara , *ad populum verbi divini orator pater Ranſteroart Soc. Jeſu egregie peroravit, in honorem patroni regni , demonſtrans etiam muſicæ ſanctorum Martyrum Polonorum modernam muſicam eſſe deformem , & provinciis enumeratis regnum univerſum, ac Ruſſiæ provinciam tutelæ & protectioni ſancti Bonifacii ab incurſu Othomanorum , cui expoſita eſt, commendavit & aſſignavit ; ac ſermonem, quem ſatis culte & ornate etiam in laudem religionis Camaldulenſis devexerat , finivit; poſt ſupplicationes ad expoſitum ſanctiſſimum Sacramentum fiebant, ſereniſſimo rege & aula in cantu adjuvantibus . His finitis epiſcopali benedictione accepta populus ad ſua rediit . Tali igitur modo ſollemnitas hujus actus terminata eſt .*

Quoad cultum & venerationem ſancti Bonifacii reperimus in tabulario ſancti Romualdi de Urbe faſciculo LXIII. numero 4. eumdem Michaelem regem & congregationem Camaldulenſem conjunctim præſenti anno ſupplicem libellum exhibuiſſe ſacræ Rituum congregationi pro recitatione officii ejuſdem ſancti archiepiſcopi & maryris ſub ritu duplici extendenda ad univerſalem eccleſiam .

X. Michael rex Poloniæ expetit reliquias S. P. Romualdi.

Hoc ipſo anno idem Michael Poloniæ rex in votis habuit ædificandi in ſuo regno eccleſiam in honorem ſancti Romualdi inſignis inſtitutoris ordinis eremitici, atque propterea expetiit portionem aliquam ſacrarum reliquiarum ejus corporis a Johanne Marinetto abbate generali monachorum Camaldulenſium, ut ex ſequenti epiſtola Italica , quam Latinam reddimus . *Michael gratia Dei rex Poloniæ , magnus dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ , Moſcoviæ , Samogitiæ , Livoniæ , Voliniæ , Podaliæ, Poclachiæ , Smolenſci, Savetiæ , Cimicroviæ &c. Venerabilis religioſe vir . Ab eremitis ſolitudinis proximæ huic noſtræ regiæ reſidentiæ certiores facti de propenſione tua pro communicanda nobis aliqua portione reliquiarum ſancti Romualdi , e re noſtra eſſe arbitrati ſumus declarare tibi eximiam animi noſtri devotionem erga Sanctum hunc , quem impenſe veneramur, tamquam unum ex noſtris patronis, cui conſtruere volumus eccleſiam, in qua condatur depoſitum ejus ſacrarum reliquiarum. Quare etiam notabilis debet eſſe hujuſmodi portio , id eſt medietas brachii ſuperioris prope humerum, eo magis, quia cogitamus deferre ipſam ſacram reliquiam cum exercitu noſtro ad fugandam Othomanicam rabiem a regnis noſtris , ſpem noſtram ponentes in Deum , & in Sanctos , quorum pignora nobiſcum deferemus; & orationibus tuis ceterorumque religioſorum virorum, qui tibi ſubjiciuntur, commendamus publicas, noſtraſque peculiares indigentias. Varſaviæ die* XVII. *maji* 1673. *Michael rex.*

Huic regiæ epiſtolæ Italico itidem ſermone ſic conſultus reſpondit Marinettus abbas generalis: Reſponſionem tamen Latinam facimus. *Sacra regia majeſtas. Hac die emortuali magni patriarchæ Romualdi accipio regiam epiſtolam Majeſtatis tuæ, quæglorioſa eſt ſancto viro , cujus pretioſum*

tiosum pignus requiris, colendum in templo ejus nomini dicato. In ipsis literis religiosam pietatem tuam admiror erga sanctum parentem nostrum, & egregiam humanitatem, qua honore afficis famulum demississimum ad complenda mandata tua. Officia mea instantissima statim dirigo prioribus Fabrianensibus, penes quos extat secunda clavis urnæ sepulcralis, eos excitans ad pretiosum præmium obedientiæ, nimirum ad propagationem cultus sancti viri, & ad firmam spem regiæ tuæ protectionis. Anxie responsionem priorum præstolabor, ut prima hac obedientia merear majora regiæ tuæ majestatis mandata, cui apprecor a Deo diuturnam vitam, quæ semper reddatur gloriosior ad tutelam fidei catholicæ, & ad patrocinandum Christianitati omni contra hostilem barbariem, & pronus deosculor solium, in quo coronantur regiæ virtutes Majestatis tuæ. Faventiæ XIX. *junii* 1673. *Humillimus, addictissimus, obsequentissimus famulus Johannes Marinettus Venetus abbas generalis Camaldulensis.*

ANN. CHR. 1673.

XI. Ejus mors & epitaphium.

NESCIMUS tamen, quo fato Michael rex sacri pignoris dono frustratus fuerit, quave de causa ex Urbe prodierit prohibitio magistratui Fabrianensi concedendi secundam clavem; quod displicuit tum regi, tum abbati generali, qui secum in Poloniam sacra pignora deferre decreverat. Intercessit etiam immaturus obitus ipsius Michaelis regis, sequutus die undecima novembris, ob quem rejecti voti sui apud Romanam aulam preces geminare nequivit. Moriens mandavit cor suum deferri in ecclesiam eremi Montis-regii, ibidemque tumulari, ubi Missarum sollemniis inserviens ante quatuor annos electus fuerat Poloniæ rex. Subjicimus epitaphium grati animi ergo ab eremitis Monte-regiensibus ipsius memoriæ inscriptum:

D. O. M. Magni Sarmatarum monarchæ Michaelis regis e Coributhea Wisniewieciorum prosapia augustum cor hoc sibi eremiticum penetrale delegit, tam vastæ orbis thecæ, ob quam impar & exile conditorium! voluit tamen hic esse, ubi vivus pluries cœlestium charismatum dulcorem prælibavit, atque uti Trimegistæ Dei matri Virgini illud empyreis pedibus subjecerat, ita Regii-montis silvano novi testamenti Israeli divinissimo Romualdo fidæ custodiæ mancipavit, ut vel moriens testaretur se corditus affligi, quod inchoatam regia munificentia basilicam abrapto præcocitate fatorum vivendi stamine, consummasse nequiret; grata tamen voti, & multorum beneficiorum conscia eremi hujus ascetica sodalitas exiguam hanc potentissimi principis, benefactorisque sacris lypsanis devotissimi cultus tesseram scribit, vota altaribus nuncupat, ac æternæ coronæ tænias humillimas precibus ab alto adspirat. Obiit Leopoli III. *idus novembris in die festo divi Martini ipso momento, quo ad Chocimum expugnatis, cæsis, deletis* XXX. *Turcarum millibus, exercitu R. & M. D. L.* (hoc est Regni, & Magni Ducatus Lithuaniæ) *gloriosissimam victoriam reportaret supremus dux & marescallus regni illustrissimus Johannes Sobiescki anno salutis* M. DC. LXXIII.

ANN. CHR. 1674.

XII. Concessum officium S. Romualdi in feria III.

PERTINET ad hunc annum pontificia concessio officii sancti patris Romualdi qualibet feria tertia non impedita, ex sequenti declaratione sacræ congregationis.

Romanus pontifex Clemens papa X. ad pias & enixas preces procuratoris generalis totius religionis Camaldulensis benigne annuit, atque concessit, ut omnes & singuli religiosi, nempe monachi, eremitæ & moniales præfati ordinis Camaldulensis in futurum & singulis annis recitare possint & valeant qualibet feria tertia, non impedita tamen festo dupli-

ci

ANN. CHR. 1674.

ci duodecim lectionum, & *excepto tempore adventus*, *quadragesimæ* & *vigiliarum*, *officium* & *Missam respective sancti Romualdi abbatis* & *confessoris præfatæ religionis fundatoris*, *sub ritu semiduplici. Hac die* XXIX. *augusti* 1674. *F. episcop. Portuensis card. Brancatius. Loco* † *Sigilli. Bernardinus Casalius S. R. congr. Secret.* Lectiones secundi Nocturni exceptæ fuere ex fusa vita sancti Romualdi scripta a sancto Petro Damiani, cum Introitu Missæ peculiari: *Ecce elongavi fugiens* &c. & anno sequenti: *Sacra Rituum congregatio*, *supplicante P. D. Petro de Petris abbate* & *procuratore generali congregationis Camaldulensis supradictas lectiones cum introitu Missæ*, *ut jacent*, *diligenter revisas* & *relatas per eminentiss. D. card. Vidonum recitandas in officio sancti Romualdi in feria tertia sub ritu semiduplici a monachis*, *eremitis* & *monialibus Camaldulensibus*, *approbavit*, *ac imprimi posse concessit. Die* XVIII. *maji* 1675. *V. episc. Portuensis card. Carpineus. Loco* † *Sigilli. Bernardinus Casalius sacr. rit. congr. secretarius.*

XIII. Clementis X. bulla pro Corona Dominica.

IDEM Clemens X. die XX. julii pontificatus sui anno V. amplissimas indulgentias concessit recitantibus Coronam Dominicam, dispensari solitam a monachis Camaldulensibus, ut videre est in Brevi [a] typis R.C.A. impresso, quodque etiam per extensum legitur in vita beati Michaelis eremitæ institutoris ejusdem Coronæ scripta ab Augustino Florio [b]. Ad majorem tamen propagationem Coronæ Dominicæ ipsum subjicimus.

a Pag. 268. T. VII.

b Pag. 212.

Clemens papa X. ad perpetuam rei memoriam. De salute gregis Dominici divina dispositione nobis commissi sollicite cogitantes, *Christi-fideles spiritualibus muneribus adjuvare non cessamus*, *ut eorum devotio ad omnipotentis Dei cultum*, & *pietatis opera in dies magis augeatur. Cum itaque*, *sicut accepimus*, *dilecti filii monachi congregationis Camaldulensis ordinis sancti Benedicti*, & *eremitæ Camaldulenses Coronas Domini nostri Jesu Christi jampridem fidelibus dispensare consueverint*, *nos laudabilem hujusmodi usum harum serie approbantes*, *easdem Coronas indulgentiis atque aliis spiritualibus muneribus*, *quæ infra sequuntur*, *ad spiritualem fidelium consolationem*, & *animarum salutem duximus esse decorandas. Qui vere pœnitens* & *confessus*, *seu firmum confitendi propositum habens unam ex dictis Coronis sibi a præfatis monachis vel eremitis Camaldulensibus immediate*, *vel mediante alia persona traditam recitaverit*, *quotiescumque id fecerit*, *ducentorum annorum; necnon quicumque Coronam hujusmodi secum deferens singulis secundis*, *quartis* & *sextis feriis*, *ac festivis de præcepto ecclesiæ servari solitis diebus recitaverit*, *dummodo confessus* & *communicatus fuerit*, *centum-quinquaginta annorum*; *qui autem solitus fuerit eam recitare quater in hebdomada*, *semel in anno*, *die per eum eligenda*, *si ea die confessus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserit*, & *dictam Coronam pariter recitaverit*, *plenariam*; *qui vero eamdem Coronam singulis diebus per mensem integrum etiam recitaverit*, & *subinde vere pœnitens* & *confessus*, *ac sacra Communione refectus pro Christianorum principum concordia*, *hæresum extirpatione*, *ac sanctæ matris ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit*, *quoties id egerit*, *itidem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam* & *remissionem consequatur. Quicumque solitus fuerit saltem ter in hebdomada dictam Coronam recitare*, & *in bello contra infideles*, *hæreticos* & *S.R.E. hostes dimicaverit*, *si eo vel antecedenti die eamdem Coronam recitaverit*, & *in actu dimicationis mentem ad Deum elevaverit*, & *peccatorum suorum pœnitens humiliter veniam postulaverit*, *si in dicta pugna occubuerit*, *plenariam indulgentiam pariter consequatur. Item quicumque infirmus unam ex dictis*

Coronis

Coronis sibi, ut præfertur, traditam apud se habens, eam prius hac intentione recitaverit, & in illa infirmitate delictorum suorum pœnitens & confessus in articulo mortis sanctissimum Jesu nomen corde, & ore, si potuerit, sin minus corde invocaverit, plenariam indulgentiam, & omnium peccatorum remissionem, si mors inde subsequatur, si vero mors non subsequatur, indulgentiam ducentorum annorum lucretur. Qui secum deferens unam ex Coronis prædictis sibi, sicut præmittitur, traditam, nomen Jesu invocando examen suæ conscientiæ fecerit, & ter orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam recitaverit, preces ad Deum pro tranquillo & felici statu S. R. E. effundendo, viginti dies indulgentiæ. Quique dicto examine peracto actualiter confessus fuerit, & post confessionem Deum optimum maximum pro augmento Fidei catholicæ, hæresum extirpatione, & sanctæ matris ecclesiæ exaltatione oraverit, viginti annos indulgentiæ lucretur. Et solitus se exercere in aliquo ex operibus, quæ fiunt in religionibus, sit particeps omnium & singulorum operum, quæ fient in dictis religionibus, si intentione hujusmodi participationis illud opus exercuerit. Qui apud se habens unam ex prædictis Coronis sibi traditam, ut præfertur, & legitime impeditus, Missæ sacrificio diebus festivis de præcepto ecclesiæ non interfuerit, si quinquies orationem Dominicam & toties salutationem Angelicam recitaverit, hujusmodi defectum suppleat; & si dicto Missæ sacrificio interfuerit, dictam orationem Dominicam & salutationem Angelicam recitando, quamcumque mentis vagationem similiter suppleat, dummodo dedita opera factum non sit. Quisquis secum deferens unam ex dictis Coronis sibi, ut supra, traditam, Missæ, aut prædicationi interfuerit, vel sanctissimum eucharistiæ sacramentum, dum ad infirmos, aut alias sollemniter processionibus defertur, associaverit, vel aliquem a prava ad salutis viam reduxerit, ut puta ab hæresi, blasphemia, detractionibus, vel pacem cum inimicis composuerit, vel aliquod aliud tam spirituale, quam temporale opus ad honorem Domini nostri Jesu Christi, vel gloriosissimæ virginis Mariæ, aut alterius Sancti pro cujusque devotione, vel ad temporalem aut spiritualem proximi salutem operatus fuerit, & ter Pater-noster *& totidem* Ave-Maria *recitaverit, decem annorum indulgentiam consequatur. Qui diebus Stationum ecclesiarum almæ Urbis, & extra illius muros absens ab illa, confessus, & sanctissima communione refectus, ac secum Coronam sibi, ut præfertur, traditam habens, ecclesiam ab ipso pro sua devotione eligendam visitaverit, vel urgenti causa impeditus dictam Coronam, ac septem psalmos Pœnitentiales cum litaniis & sequentibus suffragiis recitaverit, ducentorum annorum indulgentiam consequatur, ac eamdem etiam consequantur ii, qui in Urbe eadem opera peregerint, si legitime impediti easdem ecclesias visitare nequiverint. Denique quod omnes supradictæ indulgentiæ applicari possint animabus fidelium defunctorum, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, si ea intentione pro eis oretur, vel supradicta opera peragantur, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut supradictæ Coronæ nemini possint vendi, nec commodari, & si secus fiat, indulgentiæ prædictæ cessent, nulliusque sint roboris vel momenti, sed circa eas decretum a felicis recordationis Alexandro papa VII. prædecessore nostro die* VI. *februarii* 1657. *editum omnino servetur. Utque earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra ubi-*

Ann. Chr. 1674.

ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam-majorem sub annulo piscatoris die XX. *julii* M. DC. LXXIV. *pontificatus nostri anno* V.

J. G. Slusius.

Quod vetat summus pontifex Clemens X. ne Coronæ hujusmodi vendi possint alicui, intelligi debet post benedictionem; non enim prohibetur danda merces ipsarum artificibus, qui præsertim sunt oppidani Balnei in Etruria, neque etiam prohibetur monachis & eremitis earum venditio, cum & ipsi eas emant ab apothecariis. Re enim vera cum retulissent Romano pontifici Paulo V. eremitæ Coronenses haud leves expensas, quas subierant pro emendis, vel conficiendis Coronis Dominicis, annuerat, non obstante breve Sixti V. prohibentis venditionem earum, ut imposterum eas emere possent a secularibus, vel seculares possent eas deferre ad eremitas, ut indulgentiis pontificiis ditarentur; verum quia hæc facultas ipsis concessa fuerat vivæ vocis oraculo ope secretarii Cobellutii, qui non erat tunc cardinalis, & Gregorius XV. revocaverat omnes hujusmodi facultates, exceptis iis, quas impetraverant S. R. E. cardinales, tempore ejusdem Gregorii XV. confugerunt eremitæ præfati ad cardinalem Dominicum Rivarolam ordinis procuratorem, ut ejusdem facultatis confirmationem obtineret ab ipso Romano pontifice; quare idem Gregorius XV. vivæ vocis oraculo cardinalis petitionibus annuit. Idipsum confirmavit die XXVII. februarii anni 1673. sacra congregatio sequenti decreto: *Cum allata quæstio fuisset de indulgentiis, quas fel. rec. Sixtus papa V. patrum Camaldulensium precibus indulgens concessit Coronis Domini nostri Jesu-christi, sacra congregatio post iteratum quæstionis examen censuit in iis nihil innovandum, sed permitti posse, ut illæ divulgentur. Michael-angelus Riccius secretarius.* Anno sequenti 1675. die quarta februarii idem Clemens X. Petro de Petris procuratori generali monachorum Camaldulensium vivæ vocis oraculo facultatem impartitus est, benedicendi easdem Coronas Dominicas a quibuscumque personis ad monachos allatas. Qui vero propriam Coronam alteri commodaverit, ex decreto præfati Clementis X. mox allato in Brevi, indulgentiæ dono privatur, quod tamen restitutum habet, quando iterata benedictio profertur super coronam commodatam.

XIV. Pro B. Dominico Loricato allegationes.

Productae fuere hoc anno allegationes pro sancto Dominico Loricato, an ad familiam Camaldulensem spectaverit, & frater Raymundus Capisuccus magister sacri palatii apostolici jussu cardinalium sacræ congregationis sancti Officii attente perlegit librum inscriptum: *Discorso sopra l'ammirabile vita del glorioso S. Domenico Loricato dell'ordine Camaldolese*, qui concinnatus fuerat ab Andrea Vallemanio abbate Camaldulense, & judicavit prælo dignum. Subinde Prosper Myrensis archiepiscopus promotor Fidei censuram scripsit super lectiones ejusdem sancti, quæ desumptæ fuerant ex operibus sancti Petri Damiani; alias quoque addidit Petrus-franciscus de Rubeis alter promotor fidei, cum responsionibus Johannis Migesii, atque post biennium, ut dicemus, ejusdem Sancti officium cum lectionibus propriis Camaldulensibus monachis concessum fuit a sacra congregatione.

XV. Obitus Jo. baptistæ Costa eremitæ Pedemontani.

Sancte decessit hoc anno Johannes-baptista Costa eremita Taurinensis natus ex nobilissima familia urbis Camberii, cujus pater Johannes-baptista deputatus sæpius orator ad reges Hispaniæ & Galliarum præsidens erat cameræ Computorum in Sabaudia, quod officium etiam gesfit

ſit eremitæ noſtri frater poſt obitum patris; mater vero Petronilla Guirod ex alia percelebri familia. Plures virtutes effulgebant in eremita Johanne-baptiſta, ſingularis humilitas, qua refugiit dignitates & honores, ſumma paupertas rerumque vilitas, abſtinentia & pœnitentia admirabilis, contemplatio aſſidua, ſed præſertim vaſtiſſimum deſiderium ampliandi eremiticum inſtitutum ſancti Romualdi, non in ſola Sabaudia, ſed in Galliarum & Hiſpaniarum regnis; idque etiam ſine redditibus, in ſumma egeſtate & penuria, deſtinatis fratribus laicis ad emendicationem victus, ſi alio modo fieri nequiret propagatio ab ipſo concupita. Hinc decem ante obitum menſibus regem Chriſtianiſſimum adiit pro imploranda facultate erigendi eremos in Brittania minori, quam tamen non obtinuit ob regis conſilium de non fundandis novis regularium domibus, licet exceptus fuerit ab ipſo rege ſignis maximi honoris & affectus, facultatemque habuerit recipiendi loca jam fundata pro introducendis eremitis, quorum quatuor loca illi oblata fuerant, duo autem ex ipſis ſpectabant ad congregationem eremitarum Gallicanorum. Subſidia quoque & ſubſidiorum promiſſiones recepit, commoratus interea apud eremum *Gros-bois*; ut liquet ex ejus epiſtola data ex eo loco XIII. martii ad Modeſtum priorem Belli-montis. Verum fruſtra tempus terere in Galliis, & in Brittania-minori videns Johannes-baptiſta in Hiſpaniam tranſire conſtituit, & viam proſequebatur, ſed ibidem quoque impeditus fuit ei acceſſus & tranſitus per Pyrenæos montes, ob rumores belli inter regem Galliarum & inter domum Auſtriacam exardeſcentis. Quare coactus fuit ſiſtere in Prada villa Ruſcinonenſis comitatus, donec tranſitum in Hiſpaniam impetraret. Sed in eo loco ardentiſſima febre correptus ſublatus eſt ex vivis haud in multa diſtantia a monaſterio Cuxanenſi, in quo prima cum Petro Urſeolo eremiticæ vitæ fundamenta jecerat ſanctus parens Romualdus. Obiit autem die XXIII. ſeptembris, quadraginta & duos annos natus, eremiticæ converſationis vigeſimo-ſecundo, ſepultus in eccleſia parœciali ſancti Petri dicti loci. Teſtatur cancellarius ejuſdem communitatis in libris defunctorum præfatæ parœciæ titulum ei adjungi *Venerabilis*. Præſidens frater Johannis-baptiſtæ nil intentatum reliquit, & ſummam auri obtulit pro reducendo ejus cadavere in Sabaudiam. Luxit Taurinenſis congregatio ipſius jacturam, quippe quæ maximam nutriebat æſtimationem ejus doctrinæ, zeli & ſanctitatis vitæ; communiter credebatur inter eos Johannem-baptiſtam diſcretionem habuiſſe ſpirituum, Deum etiam & ſanctos Angelos illi communicaſſe internam hominum conſcientiam. Intima familiaritate uſus eſt Johannes-baptiſta cum Ven. Sebaſtiano Valfrè presbytero congregationis oratorii defuncto anno 1710. qui ſæpius ad eremum ſe conferebat, & ſocietate Johannis ceterorumque eremitarum delectatus eſt a ſua juventa ad decrepitam ætatem. Extant literæ Johannis-baptiſtæ ad Sebaſtianum, ex quibus dignoſcitur, quanto ſe invicem amore proſequebantur hi duo Dei famuli, tum pro zelo honoris Dei, tum pro ſalute proximorum, tum etiam reſpectu Bibliæ maximæ editæ Pariſiis ceterorumque librorum ibidem impreſſorum, qui correctionem exigebant. Natus fuerat Johannes, olim Ferdinandus, XXIX. auguſti anni 1632. habitum Camaldulenſem induerat XIX. octobris anni 1652. Suſpiciuntur ipſius ſcripta & conſilia in materia civili & canonica tamquam inſignis juriſconſulti. Recluſionem ad tempus ſervavit, a qua tamen motus fuit, ut obiret officia ordinis, quorum præcipua geſſit, & etiam ſupremum Majoratus, quo tempore Romam adire coactus, venerationem & amorem ſibi conciliavit apud multos purpuratos patres,

 & præ-

Ann. Chr. 1674.

& præsules, sed præcipue apud Fagnanum, qui admiratus est ejus scientiam & peritiam rerum canonicarum, & civilium, & etiam apud eremitas Camaldulenses Etruriæ, ad quos divertit. A fratre suo secundogenito, cui paternam omnem hæreditatem, & jus primogenituræ cessit, exigere volebat die suæ renuntiationis constructionem alterius eremi in Sabaudia; contentus tamen fuit, ut construeret cellam in eremo Bellimontis, & solveret duo millia nummorum eremo Roreæ in finibus Lanzi ad ædificationem cellarum. Subjungimus ipsius elogium fusiore calamo descriptum & ad nos ex ea eremo transmissum.

Nobilissimum Costæ familiæ genus per plura Europæ regna diffusum, etiam in Sabaudiæ ducatu radices suas portendit. Duo Johannis-baptistæ Costæ majores ducibus ejus ditionis se addixere; alter Augustæ Taurinorum, alter in præclara urbe Camberii. Johannes noster ex hac postrema propagine satus, Ferdinandi nomine accepto in baptismate, filius fuit Johannis-baptistæ Costa, qui post legationes ad Catholicum, inde ad Christianissimum regem, cameræ Computorum Sabaudiæ fuit præses, & Petronillæ Guirod pari nobilitate ex urbe Annesii progenitæ; qui ambo justi & coram Deo ac hominibus incedentes sine querela, sanguinisque claritatem pietatis operibus illustrantes, liberorum susceptorum educationi sancte indulserunt. Primogenitus iste, quem Ferdinandum adhuc nominamus, tanto virtutum semine procreatus, egregie ita cultus, docibilium Dei quoque indolem nactus, a primis annis futuri profectus non dubium specimen exhibuit, a ludis, nugisque nempe abstinens, nihil in infantia puerile gessit in opere, initialibus & pietatis elementis, & literaturæ genialiter addictus, a quibus ad majora conscendens puer subcrescebat ætate ac sapientia. Studiis completis universis, adolescens juris utriusque laurea merito donatus fuit, paternæque inclytæ sedis patria in curia successor præsumptivus designatus, qua postea germanus ejus comes Gaspar potitus est, genitori succedens, in filiumque proprium moriens transmisit, in quo decrepito sine generatione, currenti seculo, gloriosa gens illa in Allobrogibus deperiit, monumentis insignibus continue superstes & in Pedemontana provincia honore diutino reviviscens. Maluit nihilominus ad sublimiora contendens Ferdinandus, primogenitura dignitatibus, honoribus ac amplissimis quibusque pertinentibus sibi terrestribus posthabitis, Jesu-christi omnium Domini paupertatis, quam revera toto vitæ cursu arctissime imposterum servavit, imitandæ cupidus, humilis ejusdem servus effici in sacra Taurinensi eremo, cui adscitus, tam firmo celerique ad perfectionem cursu proficere non destitit, maxime ab eremitici habitus novique nominis assumptione, ut & innocentia, candoreque morum, pœnitentia, solitudine cellæque recessu, ac demum voce tum oris, tum cordis & meritis ad Deum clamante, ille, quasi dicam, videretur, cujus nomenclatura donatus fuerat: Johannes enim Baptista deinceps est nomen ejus. *Nedum ipse, sed & patrum desiderium ad professionis diem anhelabat, quo irrevocabili sollemnitate ordini aggregaretur strenuus aliorum in virtute præcursor, ut factum est denique, ac quidquid vovit Domino, fidelissime reddidit. Omnium legum diligens custos holocausto sui nihil unquam ademit; orationis vero studium præcipua ejus occupatio fuit, quam etiam in exterioribus quibuscumque sibi fecit familiarem, & ad contemplationis altitudinem erexit in meditando, præsertim sacrosancta coram eucharistia, cui post ceteros ecclesiæ gradus propinquior sacerdotio factus fuit. Tanto veri zeli, pietatis ac doctrinæ nomine coruscare tam cito cœpit, & magis magisque proficiendo refulsit, ut tametsi modeste reluctans, senioribus in prælaturarum variis muneribus fuerit præpositus, inque novitiorum magisterio, ad*

quod

quod sic a Deo factus videbatur eximie, ut supernaturali cognitione & discretione spirituum mirifice pollens, tironum dubia & internorum motuum ac tentationum aperitionem æqua salutarique responsione ac remedio sæpissime præveniret. Quemdam ipsorum in seculari veste adhuc proludentem, de quo in posterioribus, ejus scilicet obitus anno 1713. *gloriose erit sermo, reversionem ad seculum petentem, diabolica suggestione exagitatum, linei sola indusii præcepta mutatione firmavit, aliosque in vocatione nutantes, dicens tantummodo ut audivit :* Vade ; cellam repete in pace ; *tranquillos reddidit atque stabilivit. Fructus vero erant hujusmodi perpetuæ intimæque unionis ad Deum, ut fas ei fuisset dicere cum Paulo :* Nostra conversatio in cœlis est, *quam crebris jaculatoriis, meditationis exercitio, divinæque præsentiæ intuitu insomnis in orando, non raro pernoctans, fovit & auxit; utque speciosæ Rachelis hujus amplexibus uberius frueretur, voluntariam per quinquennium inclusionem ferre obtinuit, qua omni ab impedimento liber spiritum sic abunde contemplatione satiabat, ut divino fulgente lumine, ac igne superno æstuantibus ejusdem præcordiis visa sit a pluribus insolito ipsa cella splendore radiare, quod & aliis accidit occasionibus; reliqua huic recessui consueta, nedum servavit adamussim, sed & rigore adauxit arctiore; extraordinaria venerunt nobis confusa in genere, at quia distinctionem sustulit silentium, consultius omittimus. Internæ mortificationi, qua capax secretorum Dei fuit, pœnitentiam externam connexuit, quamdiu vixit, qualibet asperitatum inventione semetipsum excrucians, ad paucas horas somno pœnaliter indulgens, mox super nudam humum, mox duros super asseres, mox suppositis lignorum fascibus; reliquum noctis, quod a regularis psalmodia vacabat, sacræ Scripturæ lectioni, sanctorumque patrum dabat, aut ignitis certe meditationibus, in his quandoque deprehensus, flexis genibus, extensisque in crucem brachiis in hortulo suo aperto sub cœlo. Silentii amantissimus, de Sanctis, si loquendum erat, & cum Sanctis verba faciebat, aut scribebat, maxime cum venerabili, propius beatificando, Taurinensis oratorii presbytero Sebastiano Valfrè, prout mutuæ extantes epistolæ fidem faciunt. Romam pro eremitici sui cœtus negotiis, patre domno Jacobo-mauritio Boursier Sabaudo sociante, tamquam aptior directus domnus Johannes-baptista, cum apud purpuratos prælatosve, quibuscum sibi agendum in alma Urbe fuit, tum in itinere, & præsertim in sacra Etruriæ Camaldulo, cui tunc subalpina congregatio jungebatur, sanctitatis magnam, & scientiæ ac prudentiæ laudem promeritam est consecutus. Rebus penes apostolicam sedem omnium satisfactione confectis, dilectam repetiit solitudinem, sperans pusillum se requiescere posse, sibique soli vacare; ast lucernam hanc sub modio delitescere nationalia non sunt passa comitia, quæ illam oleo indeficienti refertam, ut cunctis, qui sunt in domo, illuminatione proficeret, jampridem supremum Majoratus super candelabrum collocarunt, ac de justitia gaudens, propria fruens utilitate Pedemontanus cœtus est admiratus. Postquam ita maximus moderator meritis supra ætatem provectus extitisset domnus Johannes-baptista, piam cupiditatem diu jam enutritam instituti Camaldulensis undique versum posset dilatandi, & ad primævum spiritum sanctorum deserti patrum, normamque revocandi obsecundans, benedictione impetrata tum in Allobrogensi patria, tum in Galliis tentavit incassum. Felicius, nec adhuc Major eremi, in finibus oppidi Lancei incunabula firmaverat; quatenus quondam Sabaudæ curiæ præsidi totiusque ducalis ærarii generali præfecto Gaspari de Graneriis dictæ Camaldulensis domus in proprio latifundio erectori simul & dotatori carissimus, & per supramemoratum ger-*

ANN. CHR. 1674.

manum fratrem præsidem Gasparem Costa illius generum, quadam necessitudine adhærens. Spe itaque Sabaudos penes & Francos ad nihilum recidente, alteram apud Iberos est amplexus, quo statim pedes, hyeme licet appropinquante, nudisque, ut plurimum, plantis, absque pecunia in zona sua, ultroneisque consanguineorum rejectis subsidiis, qui sic a carne ac sanguine abalienatus erat, ut vix una vice sciatur adventanti sacram eremum fratri prædicto super cellæ limen, nec introducto, obedientia cogente, paululum esse alloquutum; fundamenta jacturus ad ædificandam primam inibi eremum, quo genitor suus legatione Sabaudo pro duce functus fuerat, ire perrexit, conjunctorum, notorumque declinatis in Allobrogico transitu, sicut & alia vice jam fecerat, habitationibus, immensisque paupertatis, laboris, aerisque inclementiæ exhaustis incommodis, quæstusque injuriis, fido cum socio patre domno Petro a Corio Canapitii Provinciæ ad extremas septentrionem versus oras frequenti oppido, ad confinia prope pervenit Hispanica. Verumtamen belli rumore Christianissimum inter Borbonium & Austriacum Catholicum reges crebrescente, ad Villam-pradam Ruscinonensis comitatus vicum, per menses aliquot consistere coactus, victumque emendicans, febre ibidem correptus fuit, probabiliter contracta ob devotionem sub dio noctem transigendi, cubando & orando super ingens saxum SS. P. N. Romualdi, ut fertur, statione & dormitione consimili sacratum, dum solitudinem incoleret, non procul a Cuxanensi sancti Michaelis cœnobio, quod sancti Petri Urseoli olim Venetorum ducis, ejusdemque beati patriarchæ alumni Monastico-Camaldulensis, vita, pluribus miraculis & exuviarum veneratione clarificatur. In corpore alias delicato tot pœnalibus & laboriosis exercitationibus pene prostrato violenta vehemensque febris mortifera effecta est, qua remediis pertinace breviter confectus, omnibus rite sacramentis devote susceptis, ac se suaque desideria divinæ voluntati alacriter subjiciens, obiit in Domino, & secum pariter Hispana fundatio, sodali sacerdote domno Petro ad propria reverso, XXIII. *septembris anno* M. DC. LXXIV. *ætatis* XLIII. *ingressus, religiosæ vitæ* XXII. *egressus. Venerabilis titulo statim communi voce in prædicto, quo jacet corpus loco, donatus Johannes-baptista noster, prout juridica ipsius defunctionis & honorificæ tumulationis refert attestatio.*

XVI. Et Donati Milcetti monachi.

INTER monachos supremum diem obiit Donatus, olim Johannes-maria Milcettus Faventinus, monachus Camaldulensis, qui vitam suam fere totam transegit in ditione Veneta, & in monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres. Traditur in literis humanioribus instituisse celebrem Helenam Corneliam-Episcopiam Venetam nobilissimam virginem. Plurimis linguis eruditus Donatus totum vitæ curriculum in scribendo egit, Apolline tamen, Minerva, Musisque invitis & repugnantibus. Post mortem Severi Senesii historiam Camaldulensem ad annum 1661. protraxit, sed utraque caremus. *De libera necessitate* paradoxum academicum dicavit Marco Zeno episcopo Torcellano in memoriam sancti Dionysii areopagitæ; quod Venetiis lucem aspexit anno 1638. *Epistolas varii styli* Ravennæ edidit anno 1652. *Carmina*, cui titulus: *Clio*; Patavii anno 1662. *Odem panegyricam pro sancta Maria-magdalena de Pazzis*; Venetiis anno 1669. *Ruth Moabitidis dramma sacrum*; Patavii 1670. *Epistolas antiquorum heroum*; Patavii eodem anno. *Catalogum virorum illustrium integritate vitæ vel doctrina Camaldulensium, & duodecim abbatum generalium ab anno* 1620. *ad* 1670. cum Quadragesimali & cum epistolis varii generis ad doctiores viros sui temporis; quæ postrema mss. servantur in bibliotheca sancti Michaelis de Muriano, & in aliis bibliothecis.

cis. In Italicum etiam sermonem vertit primos decem libros sancti Augustini de Civitate Dei, & carminibus celebravit passionem Redemptoris.

Ann. Chr. 1674. XVII. Erectio eremorum de Rogat & Montis-valeriani in Galliis.

EFFECTUM suum sortita non est fundatio eremi, quam hoc anno eremitis Camaldulensibus Etruriæ proposuit Alphonsus Litta archiepiscopus Mediolanensis & S. R. E. cardinalis in diœcesi Mediolanensi. Sed alia pro Gallicanis eremitis fundata fuit eremus in comitatu *Rieux* in Brittania loco, ubi erat capella dedicata Salvatori mundi, vulgo dicta *Rogat*. Henricus de Guerugaud comes *Planci* & ejus uxor Elisabetha de *Choiseul Plessis-Pralin* fuere benemeriti fundatores. Jam ab anno 1669. proposita eisdem eremitis fuerat alia fundatio ad Montem-Valerianum prope Parisios, ad quam invitati fuerant ab eremitis sine regula, qui ibidem commorabantur, cupiebantque eam eremum cedere melioribus hospitibus; consensum reapse præbuerat etiam archiepiscopus Parisinus Harduinus de Perefixe, ut locum reciperent; verum eremitæ Camaldulenses ad eumdem locum se non contulerunt, nisi anno 1671. sub archiepiscopo successore Francisco Harlay Chanvalon. Sed cum necessariæ ceteræ facultates difficiliores redderentur, post incolatum duorum cum dimidio annorum novam Montis-valeriani habitationem penitus deseruere hoc anno.

Quinta-decima aprilis Romanus de Gandinis Laudensis e professione Classis eligitur in capitulo generali monachorum Camaldulensium abbas generalis congregationis, una cum Andrea Vallemannio Fabrianensi ex professione Avellanæ, & cum Johanne-baptista Berguntio Veneto ex professione sancti Michaelis de Muriano visitatoribus, & cum Petro de Petris Monsabinate ex professione Angelorum de Florentia procuratore generali, quos die XX. maji anni antecedentis pontificatus sui quarto Clemens X. brevi pontificio prælegerat, in possessionem immittendos statim ac abbas generalis Marinettus, ceterique duo Visitatores quinquennium officiorum suorum explerent. Romanus de Gandinis abbas generalis vix ab electione sua, XXVI. nempe die maji, efficaciter prohibuit abbatibus & monachis, ne subquovis titulo grammaticam, aliasque artes edocerent pueros seculares in monasteriis, immo nec in domibus laicorum exercitia hujusmodi exequerentur, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna suspensionis, aliisque suo arbitrio injungendis. Eidem abbati generali Magnus Etruriæ dux literis suis compertam fecit suam voluntatem, ut ad Etruriæ monasteria ditiora promoverentur abbates nationales, advenæ vero alteriusque provinciæ prælati præficerentur monasteriis exilioribus. Ceterum ex alio indulto ejusdem Romani pontificis emanato die XXXI. januarii hujus anni, in exonerationem expensarum consuetarum in celebratione capituli generalis congregationis demandaverat, ut capitulum haberetur in monasterio Fontis-avellanæ, ac in ipso interessent dumtaxat supranominati quatuor præsules, nempe electus generalis, electi visitatores, electus procurator generalis, ipsique cetera regimina inter absentes distribuerent. In eodem capitulo præceptum fuit jejunium feriæ sextæ qualibet hebdomada anni sancte & religiose observandum; monialibus insuper Camaldulensibus imposita recitatio trium officiorum Defunctorum in obitu sororum, sicut monachis sacerdotibus ab antiquo imposita erat celebratio trium Missarum pro quolibet monacho vel converso defuncto.

FRE-

Ann. Chr. 1675.
XVIII.
Pedemontana Silvæ-majoris eremus restituitur.

FREQUENTER in his Annalibus mentionem fecimus Pedemontanæ eremi apud urbem Clarasci in loco dicto Silva-majori, ubi jam vivente Alexandro Ceva primo in Sabaudiensi ditione propagatore eremitici instituti sancti Romualdi proposita fuerat nova fundatio, ad quam inchoandam sub die XXI. augusti anni 1611. facultatem dederat Honuphrio Vercellensi, & Placido a Clarasco alumnis suis eremitis. Hi tractandis & concludendis negotiis fundationis ad plures annos distracti, loci possessionem non inierunt, nisi anno 1623. Perseverarunt ibidem eremitæ per aliquod temporis spatium, amorem & venerationem urbis sibi conciliantes, pluribus etiam donationibus piorum civium ditati; verum cum angustiis rerum premerentur, occasione etiam contagionis, quæ grassabatur, & pariter bellorum, ob quæ palabundi milites eorum bona depopulabantur, non expectato consensu capituli eremitarum Taurinensium, ad quos pertinebat concedere hujusmodi licentiam, reliquerunt locum anno 1647. ii pauci eremitæ, qui ibidem residebant, & ad alteram Belli-montis eremum transierunt, suam tamen secum deferentes imaginem prodigiosam beatæ Mariæ Virginis, dictam Gratiarum de Silva-majori. In ea etiam fuga, ut aliquatenus rebus suis consulerent, cesserunt eremum urbi Clarasci, suaque bona in custodiam & protectionem deposuerunt ejusdem civitatis, nil magis cordi habentes, quam subripere se medio discessu ab insultibus aeris & militum. Anno 1669. Clemens Perlascus a Monte-regali celebris eremita, & visitator generalis tunc congregationis Pedemontanæ, invitatus fuit iterum a multis piis civibus Clarasci, & totum se accinxit recuperationi pristini loci, & restitutioni familiæ eremitarum; immo ipsa Clarasci civitas deprecatorias literas misit superioribus ejus congregationis anno 1672. die quinta junii, quatenus dignarentur remittere ad parvam ecclesiam Silvæ-majoris imaginem sanctissimæ Virginis, quam recedentes eremitæ secum sustulerant; idque ad consolationem & præsentissimam opem populorum, qui innumeras reportaverant gratias ab ea imagine tempore, quo penes ipsos residebat. Interea post primæ eremitarum ecclesiæ demolitionem, reædificata fuerat alia parva ecclesiola ex eleemosynis, cura Dominici Dogliani plebani parœcialis ecclesiæ sancti Gregorii, in cujus finibus erat fundata eremus, apposita hujusmodi inscriptione: *Voventium & Devotorum largitionibus a fundamento restituta, sic Deipara gratiis uberrima annuente, ab anno 1672. Dominico Dogliano plebano regente*. Plebanus etiam constituerat thesaurarium, qui colligeret vota & donaria oblata ecclesiæ. Statuerunt ergo eremitæ ex Belli-monte iterum reducere ad eremum Silvæ-majoris imaginem beatæ Virginis, quæ relata fuit anno 1675. eluxitque ea occasione devotio & veneratio populi, totius urbis exultatio, sed singularis præsertim pietas Angelicæ-Victoriæ Gabaleonæ Thesauræ uxoris Victorii-amadei Gabaleonis comitis Salmurii, consiliarii aulici, & peditatus præfecti generalis in Hungaria, quæ a longe prospiciens adventantem statuam, conscendens currum, intra ipsum eam recepit, & inter brachia retinuit, donec ad ecclesiam veniret, ibidemque detractis sibi inauribus statuam ipsam ornavit, omnique cultus genere tunc & semper Deiparam prosequuta est, cui etiam commendatum faciebat conjugem suum tempore bellorum. Pendent septem picturæ, in quibus describuntur varia præliorum discrimina, felicia semper & fortunata viro suo, quas devotionis gratia obtulit piissima comitissa ad perennandam memoriam in eadem eremitarum ecclesia. Relationem hujus translationis sacræ imaginis concinnavit pater Bonifacius Scotia Casalensis

ſis eremita Pedemontanus anno 1746. Poſt relatam ſanctiſſimam imaginem, innumeræ eremitis ſe objecere, difficultates pro recuperandis bonis, immo pro ineunda denuo poſſeſſione eccleſiæ; ſiquidem tempore abſentiæ eremitarum unuſquiſque licitum ſibi fecerat uſurpare bona, quæ ex largitione piorum virorum obvenerant eremo, immo demolire habitationes, ſaxa & tigna domus auferre, locumque omnino devaſtare. Urbs ipſa Claraſci prædia ceſſerat ſuis civibus, alii jure finium ſibi arrogaverant, neque amplius innoteſcebant, quænam eſſent eremi bona & jura. Acerrimum propterea adverſarium pro accipienda denuo poſſeſſione experti ſunt eremitæ eumdem Doglianum plebanum ſancti Gregorii, in cujus parœcia erat eccleſia, qui plures expenſas ajebat ſe ſubiiſſe in ædificiis novæ eccleſiæ, aſſentiente etiam & auctoritatem ſuam interponente epiſcopo Aſtenſe, in cujus diœceſi erat urbs Claraſci. Plebanus proinde confugiens ad Petrum Alberinum archiepiſcopum Nicomedienſem nuntium apoſtolicum apud aulam Sabaudienſem, obtinuit die XI. menſis januarii hujus anni citari eremitas ad cauſam dicendam, juraque ſua, ſi quæ haberent, exponenda, & interim a poſſeſſione abſtinere. Sed confugientibus eremitis ad eumdem legatum apoſtolicum, & rationes proprias adducentibus, revocatum fuit decretum die XII. februarii, ac menſe ſequenti compoſitione facta in aliqua pecuniarum ſumma cum plebano, eodem menſe ſollemnibus ceremoniis juſſu ejuſdem legati in pacificam poſſeſſionem introducti fuere. Verum novas adinventiones excogitante plebano etiam poſt compoſitionem, neceſſum fuit, ut apoſtolica ſedes interpellaretur, & juſſu Clementis X. & cardinalis Petri Vidoni protectoris ordinis, impetratis etiam literis Aloyſii de Acquino protonotarii apoſtolici, referendarii & auditoris generalis cauſarum palatii apoſtolici, menſe julio finis impoſitus eſt controverſiæ quoad eccleſiam & plebanum. Quoad vero bona, hoc & ſequentibus annis ad compoſitiones varias devenerunt cum emptoribus eorum bonorum, reſtitutionem quoque obtinuerunt aliorum, quæ uſurpata fuerant, confectis proceſſibus, & examinatis teſtibus, productis donationum chartis, recognitis eremi finibus, & innumeris exantlatis laboribus. Enituit tunc temporis benevolentia civium Claraſci, qui tum apud apoſtolicum legatum, tum apud Marcum-antonium Thomatum epiſcopum Aſtenſem inſteterunt tum officiis, tum epiſtolis in laudem & favorem Camaldulenſium eremitarum, Johannæ-baptiſtæ quoque duciſſæ tutricis & regentis tempore minoritatis filii ſui Victorii-amadei; commendatoris Florentii Zavaterii, aliorumque nobilium virorum, quibus perſpecta erat ſanctitas eorumdem eremitarum, & utilitas, quam afferebant locis, in quibus morabantur; qui propterea redierunt hoc anno ad incolendam eremum Silvæ-majoris, quæ de die in dies augmenta, & ſubſidia etiam recipiens tum a piis fidelibus, tum ab eremo majori Taurinenſe, floret nunc in Pedemontana provincia. Initio ſeculi ſequentis a malignis in dubium revocata fuit eorum legitima repriſtinatio, quare ſe purgare debuerunt eremitæ apud apoſtolicam ſedem, & apud congregationem cardinalium adverſus famoſum libellum contra ipſos exhibitum, perinde ac debitis licentiis, & facultatibus caruiſſent in aſſequenda iterata poſſeſſione, quas propterea in medium produxerunt. Erecta fuit hæc eremus in prioratum anno 1681. & anno 1684. a dieta patrum capitularium congregationis exceptus fuit, & præ ceteris laudatus typus conſtruendæ eremi efformatus a Franciſco Rachis, licet ad ſequens tantummodo ſeculum perfecta fuerit ædificatio.

XIX. De Aloyſio Maſſeo eremita Camaldu. li. majoris.

QUAMVIS Aloyſii Maſſei eremitæ Camaldulenſis Etruriæ juge exercitium

Ann. Chr. 1675.

citium foret mentalis oratio, Divinorumque contemplatio, in qua per tres diei partes distributa exercebatur fere omnibus horis, licet etiam acerbissimis continuis doloribus excruciarentur mens & corpus ipsius, proximorum tamen utilitatibus sua non denegabat officia caritatis & instructionis. Legimus hoc ipso anno eumdem deputatum fuisse a capitulo eremitarum in theologum moralem. Sæpissime concionabatur vel in publico refectorio, vel inter Missarum & officiorum sollemnia, pascebatque verbo Dei confratres suos. Ea de causa, ut faciliorem sibi redderet concionandi munus, familiaritatem epistolarum strinxit cum Johanne-paulo Oliva præposito generali S. J. quam ei suasit tum Cæsar Oratorii presbyter, tum Joseph ex eadem S. J. ejus fratres. Aliquot ex ipsis epistolis in medium protulit in vita Aloysii episcopus Falconcinius, ex quibus in cognitionem venimus, quanti faceret pater Oliva eremitam nostrum, quanta caritate conglutinarentur eorum spiritus; hinc generalis sermones suos domesticos, ceterosque libros ad Aloysium transmittebat, ac ex eorum lectione hic flores & fructus decerpebat non pro sui ipsius tantum, sed & pro ceterorum utilitate. Amicitiam pariter conjunxit cum Paulo Segnerio, quem invitavit & pertraxit ad exercitia spiritualia peragenda in eremum Camaldulensem, occasione missionum, quas Paulus susceperat primo anno Alexandri Strozzii episcopi Arretini in ejus diœcesi. Sermones quoque habuit Aloysius coram Nicolao Acciajolio S. R. E. cardinale die Assumptionis B. Mariæ Virginis, & cardinalis, qui in eremum secesserat anno 1678. & triduo omnia eremiticæ vitæ onera experiri voluerat, lacrymas cohibere nequivit in audiendis ejus concionibus, multaque spiritualia cum ipso contulit; alios habuit in præsentia alterius cardinalis Nerei Corsinii episcopi Arretini, & Hieronymi Boncompagni archiepiscopi Bononiensis, Pallavicini nuntii apostolici Florentiæ, Cherubini Malaspinæ episcopi Burgi-sancti-Sepulcri, Vicecomitis nuntii Florentiæ, Bonacursii equitis Melitensis, & Alexandri Strozzii episcopi Arretini. Inter ceteras tum editas, tum ineditas Massei epistolas extant datæ Alexandro Puccio vicario generali archiepiscopatus Florentini, Philippo Soldanio episcopo Fesulano, Friderico Martinozzio episcopo Sarsinati, cui instituta dat pro bene regenda diœcesi, principi Etruriæ pro regendo principatu. Sermones vero & tractatus in præcepta Decalogi mss. asservantur in bibliothecis eremi & Fontis-boni.

Clemens X. qui anno 1671. approbaverat novas constitutiones eremitarum Camalduli-majoris Etruriæ, hoc anno pontificatus sui quinto die XXII. februarii approbat constitutiones novas in capitulis generalibus post dissolutionem unionis factas ab eremitis congregationis Pedemontanæ, revisas prius & recognitas a cardinale Vidono protectore die XV. ejusdem mensis, cui tum Clemens IX., tum ipse Clemens X. anno 1672. XVII. octobris, tum demum sacra congregatio XVIII. januarii hujus anni commiserant revisionem & recognitionem. Pariter sexta februarii pontificatus sui anno quinto dilargitus est indulgentias præsentis anni Jubilæi monialibus, oblatis, puellis & mulieribus secularibus in monasteriis degentibus, ac anachoretis, eremitis, infirmis & in carcere detentis. Quoad Clementem X. & quoad regulas ab ipso approbatas tum pro eremitis Camaldulensibus Etruriæ, tum pro aliis Coronensibus & Pedemontanis, affirmare ipse solitus erat, quod, qui dictas constitutiones ad literam observarent, sine alio processu eosdem in Sanctorum canonem foret relaturus; ex quo etiam in cognitionem venimus, non

par-

parvam esse laudem, neque parvum meritum eorum eremitarum, quos frequenter diximus, & inferius dicemus fuisse exactissimos observatores regularum suarum vel minimarum. Idem Clemens, olim Æmilius Alterius Camerinensis] episcopus fatebatur generali Camaldulensi Johanni Marinetto, se olim recognovisse omnia ossa sancti Romualdi in urna condita ecclesiæ sancti Blasii de Fabriano, omniaque ibidem ea occasione inventa, præter duo brachiorum, quorum unum Æsinæ civitati, alterum Camaldulo-majori Etruriæ concessa fuere, & præter aliquot extremitates digitorum, & aliquas costulas spurias; se insuper devotionis gratia retinere parvam ejusdem sancti patris ossis portionem.

Ann. Chr. 1675.

Sacra cardinalium congregatio super negotiis regularium committit, ut in ecclesia sancti Petri de Corzano, quæ erat unita abbatiæ Camaldulensi sanctæ Mariæ de Balneo, sculpantur insignia ejusdem ordinis, quandoquidem regulares facultatem habent in ecclesiis & in beneficiis suis nominandi rectores, cælandi insignia, aliaque præstandi, ut legitur in tabulario sancti Romualdi de Urbe [a].

[a] *Fasc. V. n. 33.*

Altera *congregatio super Statu Regularium ex mandato ejusdem Romani pontificis sub die* XVI. *maji, inhærendo aliis decretis alias emanatis ex mandato summorum pontificum, disposuit, ac vetuit, ne superiores regulares in eorum monasteriis seu domibus recipiant hospites seu tertiarios ante legitimam & præfinitam ætatem, sub quovis prætextu, causa, quæsito colore, sub quovis habitu indutos, vel induendos, ad hoc ut splendor, & veneratio religionum augeatur, & omnis occasio scandali seu admirationis penitus removeatur. V. cardin. Carpineus. Prosper Fagnanus secr.* Præcipiens, ut clerici, nonnisi expleto quinto-decimo ætatis anno, conversi vero, nonnisi vigesimo, habitu religionis induantur; quotquot vero eam ætatem non attingant, in virtute sanctæ obedientiæ protinus expellantur, nec amplius recipiantur ad experimentum eorum vocationis faciendum, nec degant cum novitiis, neque titulo servitutis admittantur intra religiosa claustra.

Ann. Chr. 1676.

XX. Obtinetur recitatio officii S. Dominici Loricati.

CONCEDITUR hoc anno recitatio officii sancti Dominici Loricati ex sequenti sacræ congregationis decreto: *Sacra Rituum congregatio ad relationem eminentissimi D. Petri cardinalis Vidoni, supplicante P. D. Petro Petri procuratore generali ordinis congregationis Camaldulensis censuit posse concedi prædicto ordini tantum congregationis Camaldulensis facultatem celebrandi festum beati Dominici Loricati ejusdem ordinis congregationis Camaldulensis quolibet anno die* XVII. *octobris cum officio & Missa de communi Confessoris non pontificis sub ritu duplici, si sanctissimo D. N. placuerit. Hac die* XIII. *junii* 1676. *Et facto de prædictis verbo cum Sanctissimo per me secretarium, Sanctitas sua benigne annuit die* XVII. *ejusdem mensis junii & anni* 1676. *V. card. Carpineus. Bernardinus Casalius Sac. Rit. cong. secretarius.*

XXI. Piorum monachorum obitus hoc anno.

IN monasterio sanctæ Mariæ in Campanea Veronæ decessit Vitalis Perinus Patavinus abbas Camaldulensis ex professione sancti Michaelis de Muriano, qui incorruptissimis moribus præditus communiter habebatur pro Sancto. Fama ejus ita vulgata erat, ut moniales sanctæ Mariæ angelorum urbis Senarum epistolam scripserint pro habenda re aliqua, quæ ad ipsius usum inserviisset, & sacri pignoris loco tenenda, ut constat ex ipsa epistola.

Anselmus Martinengus nobilis Venetus & Brixiensis, eremita autem Coronensis, zelo pietatis & observantiæ regularis celebris, qui multum

Ann. Chr. 1676.

insudaverat pro fundatione eremi Brixiensis, decessit in eremo Rhuensi. Fuit filius comitis Nestoris, & testamentum condiderat ante professionem anno 1619. Alter eremita Benedictus a Nursia sancte obiit, cujus elogium paucis his verbis effertur: *Speculum virtutum omnium, præsertim singularis patientiæ*.

Secunda junii in parthenone sancti Johannis evangelistæ de Buldrone ad sponsum evolavit Catharina-angelica Ghinetti, quæ fuerat abbatissa, ætatis anno octuagesimo-secundo, ex admirabili patientia in infirmitatibus, atque ex religiosa perfectione in observantia regulari & in omnibus suis operibus laudata.

XXII. De Camaldulo Veronensi.

Jam ab anno 1598. monasterium sancti Michaelis de Muriano, debitis obtentis facultatibus, vendiderat equitibus Augustino & Francisco *del Bene* de sancta Euphemia Veronæ bona veteris alterius monasterii in suburbio Avesæ extra Veronam, appellati Camalduli-Veronensis, quod olim regulare, immo duplex monachorum & monialium, deinde commendatum, ab anno 1560. evaserat per resignationem commendatarii membrum præfati monasterii sancti Michaelis; vendiderat autem una cum ædificiis, domibus, molendino Avesæ, & cum jure patronatus super ecclesiam cœnobii, media solutione inter partes constituta quinque-millium & centum ducatorum intra certum tempus numerandorum. Verum cum emptores, eorumque hæredes morosi essent in solutione, & excrevisset summa non soluta una cum fructibus annorum decurrentium, anno 1647. sub die VII. septembris impetraverant monachi a Senatu Veneto permissionem emendi, sive permutandi cum hæredibus præfatorum emptorum tot bona in laico, sita in territorio Veronensi, vel Lemniacensi, quæ æquivalerent præstitutæ summæ. Comitissa itaque Paula *del Bene* uxor Johannis Bevilaquæ, & hæres Johannis patris sui, qui fuerat hæres Augustini & Francisci *del Bene*, habito tractatu cum Theodoro Soldati abbate sancti Michaelis, testamento condito anno 1647. tradidit in permutationem bona sua sita in villa sancti Petri de Lemniaco in loco dicto *Cà di Polo*, molendinum insuper alterum Avesæ, aliasque numeratas pecunias, quæ æquipararent debitum primæ permutationis, decursorumque fructuum. Monachi propterea sancti Michaelis confugientes hoc anno ad Venetum magistratum, appellatum Bonorum-incultorum, ut tutos redderent eos, cum quibus permutaverant, antiquissimas chartas possessionis molendini Avesæ coram produxere, ac confirmationem jurium aquarum expetiere ab eodem magistratu, quam reportarunt die XXIII. decembris, sicut ab anno 1648. & a sequentibus approbationem impetrarunt a Venetis aliis magistratibus permutationis bonorum monasterii Camaldulensis Veronensis cum bonis territorii Lemniaci. Atque ista fuere postrema fata Camalduli-Veronæ, quod seculis præcedentibus effulserat tum solitariæ vitæ, tum amœnitatis loci præstantia, de quo etiam multa perstringit in suis Balneis Calderianis Ventura Minardus monachus Camaldulensis. Anno 1418. die XVII. martii idem Veronense Camaldulum, appellatum etiam Camaldulum sanctæ Mariæ de Avesa, unitum fuerat ad instantiam Gregorii Donati prioris cum ecclesia & monasterio sancti Salvatoris de Curte-regia, in quo exercebatur cura animarum, quodque membrum erat abbatiæ Vangaticiensis; quam unionem ratam habuit Martinus V. Constantiæ die XV. aprilis anni primi sui pontificatus. Verum cum jam abbatia Vangaticiæ in commendationem recidisset, Daniel San-sebastianus canonicus cathedralis Veronensis, qui per mortem Benedicti Zane Veneti ultimi prioris Camaldulensis impetraverat in commendam monasterium sancti Salvatoris ab

abbate

abbate commendatario Vangaticiæ cardinale Roverella, ipsum anno 1486. renuntiavit monialibus Benedictinis, quæ morabantur in parthenone sancti Augustini, brevi Innocentii VIII. sub die XVII. julii. Tunc Camaldulum-Veronense ad suam pristinam conditionem rediit, ad longum tempus a commendatariis controversum & possessum, quorum postremus Peregrinus de Tosettis ipsum restituerat congregationi & monasterio sancti Michaelis de Muriano anno 1560. cui jam ab anno 1513. unitum fuerat a Leone X.

Ann. Chr. 1676.

In dieta celebrata hoc anno Faventiæ tractatum fuit, an consultius foret reducere capitulum generale de triennio ad triennium, ut erat antea, vel de quinquennio in quinquennium continuare, ut brevi Alexandri VII. statutum fuerat. Unanimiter patres decreverunt consuli magis bono regimini congregationis usu hujus brevis, semelque stabilitum quinquennii terminum esse observandum. Decretum pariter, ut in honorem sancti parentis Romualdi qualibet feria III. non impedita festo duplici cantaretur Missa de dicto Sancto, & sacerdotes omnes Missas privatas de eodem S. P. Romualdo celebrarent.

Ann. Chr. 1677.

XXIII. Lites provinciæ Venetæ cum capsa Romana Camaldulensi.

EMANAVERAT anno 1642. die XIV. junii prudentissimum & urgentissimum decretum Senatus Veneti, quo ad servandum optimum regimen monasteriorum Venetæ ditionis gravaminibus indebitis vexatorum, prohibebatur, ne de cetero quocumque titulo aut colore ipsa monasteria pecunias transmitterent extra Venetam ditionem, ad alienorum statuum urbes vel cameras. Verum, quia publica etiam deliberatione permissæ antea fuerant solutiones in Romana urbe Quindenniorum & Montium Novennalium institutorum a Romanis pontificibus Paulo III. Pio IV. Pio V. & Clemente VIII. ideo monachi sancti Michaelis de Muriano, nomine provinciæ Venetæ Camaldulensis, supplici dato libello, ab eodem Senatu expetierunt declarationem decreti hujus anni; quare ipso anno die XX. novembris alio Senatus statuto permissa ipsis fuit Quindenniorum & expositarum pontificiarum impositionum contributio, juxta consimilem licentiam factam monachis Casinensibus die XXVI. septembris anni 1624. Antequam progrediamur, ad clariorem controversiarum, quæ deinceps insurrexerunt, notitiam, non incongrue hanc œconomicam Camaldulensis congregationis historiæ partem illustramus, hoc in loco multa congerentes, quæ ad præteritos pertinent annos. Ut igitur aliqua de Quindenniorum, & pontificiarum impositionum institutione dicamus, antiquitus cum pontifices Romani providebant electos de beneficiis ecclesiasticis, certam sibi portionem fructuum beneficiorum reservabant pro se, & pro collegio cardinalium; anni scilicet primi vacantium episcopatuum & abbatiarum fructus ipsi percipiebant, quorum medietas pontifici, altera medietas cardinalibus applicabatur, & vocabatur Annata. Bonifacius autem VIII. medietatem etiam fructuum primi anni cujuscumque beneficii inferioris episcopatibus & abbatiis solvendam præcepit; dummodo fructus excederent XXIV. ducatos Cameræ, sub quo nomine veniebant quoque pensiones excedentes XXIV. ducatos. Hæc solutio vocata fuit media Annata; idque factum in recognitionem supremi dominii, quod habebat sedes apostolica super omnia beneficia & redditus ecclesiasticorum. Sed quia progressu temporum summi pontifices unierunt plures abbatias, prioratus & beneficia locis piis, quæ dicebantur ad manus mortuas, & etiam quia seculis XV. & XVI. media erectione congregationum monasticarum, regimina, quæ prius erant ad vitam, reducta fuere ad annum, vel ad triennium vel ad quinquennium,

Ann. Chr. 1677.

itaut abbates vel priores ad taxatum dumtaxat tempus perseverarent in monasteriorum guberniis, hinc ad reparandum damnum proveniens ex similibus unionibus, vel ex temporariis possessionibus; & ne sedes apostolica fraudaretur solitis emolumentis, captum fuit consilium fingendi respectu dictarum unionum in locis piis, & respectu regiminum abbatiarum mortem moralem, itaut decem vel pluribus annis transactis tam loca pia, quam monasteria tenerentur solvere seu renovare solutionem Annatarum, perinde ac vacarent morte naturali possidentium. Hanc annorum decem vel plurium varietatem reduxit Paulus II. ad quindecim annos bulla sua: *Decet Romanum pontificem*, facta anno 1469. sub die VI. junii. Hinc denominationis Quindenniorum origo, quæ perpetua sunt, redimi nequeunt, & quorum solutio a nullo non impeditur.

Quoad pontificias impositiones, Paulus III. Romanus pontifex ob indigentias Cameræ apostolicæ pro bello adversus Turcas, imposuit subsidium scutorum 300000. auri in auro, exigendum annualiter a solis laicis dominii ecclesiastici per triennium, vocatum propterea Subsidium Triennale, quod cum nimis grave foret laicis, ab eodem pontifice fuit minoratum, & redactum ad scuta 240000. Verum quia cameræ indigentiæ perseverabant, solutio reliquorum scutorum 60000. imposita fuit tum ecclesiasticis secularibus, tum duodecim congregationibus regularium non mendicantium, taxatis ecclesiasticis in decima omnium beneficiorum, & regularibus in quarta parte annuorum redditaum cujuslibet monasterii, appellata proinde hujusmodi impositione quoad regulares Quarta Fructuum. Legatur ejusdem pontificis bulla: *Ex debito pastoralis officii*, data die X. martii anni 1543. quæ in archivis nostris extat, & edita fuit in bullario Casinensi Margarinii pagina 164. Ob hocce gravamen duodecim congregationes se composuere cum Camera apostolica pro solutione, & Romualdus Veronensis procurator generalis monachorum Camaldulensium convenit cum cardinale Sanctæ-Floræ Ascanio Sfortia S.R.E. camerario, & cum Alvio thesaurario, spondens se soluturum quolibet anno per triennium, idest pro annis 1544. 1545. 1546. mille ducatos auri Cameræ ex nova impressione, qui constituebant ducatos auri in auro mille nonaginta, ut patet ex instrumento rogato in actibus Michaelis-angeli de Ripa-transona die XXVIII. junii anni 1544. Hæc erogatio ad triennium ab eodem pontifice prorogata fuit anno 1546. ad aliud triennium, & postea anno 1549. ad tertium ab eodem ipso, ad quartum anno 1552. a Julio III. & ad quintum anno 1555. a Marcello II. immo *ad sanctæ sedis beneplacitum, durantibus eisdem necessitatibus*, ut videre est in unica bulla hujus postremi pontificis: *His proximis diebus*, data XVIII. aprilis ejusdem anni 1555. apud eumdem Margarinium in bullario Casinensi pagina 174. Mortuo Marcello II. & suffecto Paulo IV. duodecim congregationes ob præfatam prorogationem alteram compositionem fecere cum ministris Cameræ, & convenerunt in scuta 30000. auri in auro, Juliorum decem pro scuto, ut ex instrumento confecto a Hieronymo Cecolo a Teramo die XVII. septembris anni 1555. de quibus facta fuit partitio inter congregationes, & Camaldulensi obtigit taxa ducatorum auri Cameræ novorum 1333. $\frac{1}{3}$. quam annue se soluturum pollicitus est congregationis procurator generalis die XVII. octobris in actibus ejusdem Hieronymi, qui ducati sunt ducati auri in auro 1453. obuli 40. Eodem anno 1555. idem Paulus IV. ut firmius provideret egestati Cameræ, erexit Montem, dictum Novennalem, quia ad novem annos dumtaxat produci debebat, in valore fundi scutorum auri 187000. in

in numero locorum 1870. cum assignatione annua scutorum octo auri pro quolibet loco, & in dotem dicti Montis applicavit etiam scuta auri 14960. partem dictorum scutorum 30000. pro quibus convenerant duodecim congregationes pro Quarta Fructuum, volens, ut reliqua scuta auri 15040. remanerent in eodem Monte ad multiplicationem faciendam, ad hoc ut promptam haberet ad finem novennii pecuniam necessariam ad efficiendam a se destinatam extinctionem dicti Montis Novennalis. Legatur bulla ipsius sub die XXIII. novembris anni 1555. apud Margarinium pagina 178. Ea spe continuarunt duodecim congregationes consuetas solutiones, quas convenerant, renovando obligationem quolibet triennio.

Sed Pius IV. Pauli IV. successor ad alium usum destinavit anno 1562. pecuniam solutam a duodecim congregationibus, quæ inservire debebat ad complendum, extinguendumque post novennium gravamen Montis Novennalis. Erexit siquidem alium Montem, appellatum Pium Recuperatum, sive Recuperationum, & in ejus dotem incorporavit prædicta scuta auri 15040. & propterea solutiones, quæ fiebant a congregationibus pro portione ipsis contingente 30000. scutorum auri, hac de causa divisæ fuere, & una portio applicata fuit Monti Pio Recuperato, alia remansit Monti Novennali, quæ postrema anno 1572. extincta fuit a congregatione Camaldulensi. Dos Montis Recuperati fuit scutorum auri 24500. in quibus comprehendebatur portio scutorum 30000. pro Quarta fructuum, immo quia hæc portio erat scutorum tantummodo 15040. voluit pontifex, ut augeretur ad summam scutorum 16000. pro annua assignatione locorum 1333. cum triginta tribus centesimis, & duobus tertiis, ad rationem juliorum duodecim pro quolibet loco, ut constat ex bulla: *Inter multiplices*, data VI. julii anni 1562. relata in bullario Casinensi pagina 186. Loca hujus Montis cum vacabant, præter quam per resignationem, vendebantur, & ipsorum pretium applicabatur ad extinctionem aliorum Montium, nempe Julii, & Thesaurariæ, nominatorum in prædicto Motu proprio pontificis Pii IV. quibus postea extinctis, & vacantibus aliis locis Montis Pii Recuperati, hæc non amplius vendebantur, sed remanebant extincta ipso facto, ut præceperat in sua bulla. Portio itaque, quæ computata fuit congregationi Camaldulensi in Monte Pio Recuperato, fuit scutorum 743. 6. 8. constituentium scuta auri in auro 810. solidos sex. Sed quia in summa Quartæ Fructuum comprehendebatur, præter portionem monachorum, portio etiam eremitarum Camaldulensium, & ex una parte eremitæ procurabant exemptionem suæ portionis a Pio IV. & prima vice eam obtinuerant, quæ postea revocata fuit, & iterum concessa, ut legitur in libro Privilegiorum nostrorum pagina 121. & in historia Fortunii prima parte libro III. cap. XXVIII. pagina 312. & ex alia parte procuratores generales monachorum caute procedebant in omnibus solutionibus pro ea portione, quæ spectabat ad eremitas, hinc ad finiendam litem, cardinalis Vitellottius S. R. E. camerarius jussu pontificis declaravit annualem portionem Quartæ Fructuum pertinentem ad eremitas adscendere ad scuta auri in auro 181. obulos quinque, nempe scuta 166. 1. 2. a quorum solutione absolvit auctoritate pontificia congregationem monachorum, ut legitur in concordia firmata Romæ 11. decembris anni 1566. rogato instrumento a Marco-antonio Peregrino notario Cameræ. Causa hujus minorationis, scuta, quæ monachorum congregatio solvebat Monti Pio Recuperato, redacta fuere ad scuta 577. 5. 6. quæ faciebant scuta auri

ANN. CHR. 1677.

ri in auro 629. 4. 8. veteris ponderis. Anno 1656. extinctus est Mons Pius Recuperatus, & prima aprilis ad Depositariam devolutus, & congregationi nostræ imperatum fuit a cardinale Barberino camerario, ut solverentur deinceps Petro Nerlio depositario Cameræ de bimestre in bimestrem ad finem duorum mensium ea scuta, quæ de trimestri in trimestrem anticipate solvebantur Monti Pio, & prima solutio facta fuit XVI. maji dicti anni, & solvitur ad hanc diem, media numeratione scutorum auri 629. 4. 8. ponderis veteris, quæ in auro conficiunt summam scutorum 613. 18. quæ solutio etiam crescit, vel minuitur, juxta augmentum vel decrementum scuti aurei Romani.

Mons Novennalis vetus a Paulo IV. erectus, postquam aliquæ ex congregationibus Regularium, inter quas Camaldulensis, se a sua portione redemerant, remanserat in solis locis 1444. $\frac{2}{3}$. pro aliis sex congregationibus, quæ non liberaverant suas portiones, nempe pro Casinense, Cartusiana, Lateranense, sancti Georgii in Alga, Cœlestina, & Crucifera, ut apparet in actis Tidei de Marchis notarii Cameræ sub die quinta februarii anni 1581. quorum locorum fructum sex dictæ congregationes, postquam variis temporibus fuit ipsis facta reductio scutorum auri septem in sex pro loco, & post aliam reductionem ad monetam argenteam, quam fecit Clemens VIII. die quinta maji anni 1594. solvebant annualiter in scutis 8666. 40.

Eodem anno 1594. eademque die V. maji idem Clemens VIII. ad subventionem ferendam imperatori in bello contra Turcas, imposuit congregationibus Regularium non Mendicantium subsidium sexaginta mille scutorum monetæ, & dictæ congregationes virtute facultatis bullæ impositionis auxerunt & applicaverunt dicto Monti Novennali loca 526. $\frac{13}{15}$. obligantes se ad solutionem annuam pro ipsorum assignatione ratione sex scutorum pro loco, scutorum 3159. 60. Dicta loca vendita fuere Laurentio Gavotti & Sebastiano Moretti pro scutis 114. pro loco, cum pacto casu extinctionis, ut restituerentur eadem scuta 114. quæ omnia ascendebant ad summam scutorum 60032. 40. Rogavit instrumentum contractus Lucius Calderinus notarius Cameræ eadem die quinta maji. Congregationi Camaldulensi attributa fuere scuta 144. 82. cum assignatione annua locorum 24. $\frac{13}{100}$. & $\frac{2}{3}$. pro quorum cumulo congregatio firmata fuit debere dicto Monti scuta 2751. 58. ad rationem scutorum 114. ad quam ea loca vendita fuerant.

Anno 1595. idem Romanus pontifex die XVII. junii iterum gravavit easdem congregationes alio subsidio 60000. scutorum auri in auro, quæ erant scuta 72000. monetæ, & eædem congregationes vigore facultatis bullæ auxere & applicavere eidem Monti alia loca 699. vendita Josepho & Vincentio Justinianis pro scutis 71997. ad rationem scutorum 103. pro loco, adstringentes se ad solutionem annuam scutorum 4194. pro fructu sex pro loco. Obtigere Camaldulensibus scuta 192. 17. annua autem assignatio locorum 32. $\frac{2}{100}$. ob quam formatum est eis debitum eidem Monti scutorum 3298. 91. In his duabus additionibus dictus Mons redimibilis fuit, ut ex bulla præfati Clementis.

Tertia additio facta fuit anno 1597. XIV. aprilis ab eodem Clemente VIII. ob easdem causas, requirendo a congregationibus regularium scuta 40000. monetæ, cum promissione *in fide & sub verbo Romani pontificis* restitutionis post annum, ut ex Motu proprio in actis dicti Calderini; & congregationes ex vi facultatis bullæ addiderunt & applicarunt eidem Monti alia loca 367. vendita pretio scutorum 40003. idest scu-

ſcutorum 109. pro loco, pro quorum fructibus ſe obſtrinxerunt ad ſolvenda annua ſcuta 2202. ad rationem ſex ſcutorum pro loco. Camaldulenſi congregationi in partitione obvenerunt ſcuta 100. 89. aſſignatio annua locorum 16. $\frac{81}{100}$. $\frac{1}{2}$. pro cumulo quorum, quæ ſingula vendita ſunt ſcuta 109. declarata fuit congregatio debere dicto Monti ſcuta 1832. 83. $\frac{1}{2}$. Reſtitutio nunquam effectum ſuum eſt ſortita, licet ſollemniter promiſſa.

Anno 1601. idem Clemens VIII. ſuperaddidit quartam impoſitionem ſua bulla diei XIX. aprilis: *Cum nobis* in Bullario Caſinenſe pagina 268. ſubſidium exquirens ſcutorum 50000. auri in auro, quæ erant 60000. monetæ. Auctus tunc fuit & applicatus eidem Monti numerus locorum 506. venditorum ſcuta 60011. 60. ideſt ſcuta 118. 60. pro quolibet loco, & congregationes ſe addixere ad ſolutionem annuam ſcutorum 3036. pro annua aſſignatione eorumdem locorum ad rationem ſex ſcutorum pro loco. Scuta 139. 14. impoſita fuere Camaldulenſibus, aſſignatio annua locorum 23. $\frac{19}{100}$. pro quibus ſingulis venditis ſcuta 118. 60. debitum contraxere ſcutorum 2750. 33.

Ratione harum quatuor additionum, quæ ſupervenere Monti Novennali, congregatio Camaldulenſis pro locis 96. $\frac{17}{100}$. evaſit obnoxia ſummæ ſcutorum 10659. 49. & annuæ aſſignationi ſcutorum 577. 2. in integrum.

Poſt Pium IV. Pius V. ejus ſucceſſor indigens pecunia pro bello navali fœderatorum adverſus Turcas expetiit a congregationibus ſubſidium 400000. ſcutorum, cum facultate erigendi, ſi opus foret, Montem, ut ex bulla: *In his extremis*, data XIX. martii anni 1570. in bullario Caſinenſi ad paginam 202. Sed quia erectio Montis, de qua cogitabant congregationes, multa damna ipſis afferebat, noluit pientiſſimus pontifex ipſam approbare, ideoque loco 400000. ſcutorum, taxavit eas in ſcutis auri 32000. annuis, quæ erant fructus dictorum 400000. ad rationem octo pro centenario, atque eam ſummam congregationes ſpoponderunt ſe ſoluturas inſtrumento rogato ab Andrea Martini notario Cameræ ſub die X. aprilis anni 1571. in bullario Caſinenſe pagina 209. ad effectum, ut idem Romanus pontifex aſſignaret hocce ſubſidium ſcutorum auri annuorum 32000. in dotem alicujus Montis erigendi, vel ipſe etiam diſponeret ad ſui libitum. Sed quia in dicta obligatione aderat pactum expreſſum, ut volens ipſe pontifex diſponere de dictis ſcutis auri 32000. ad conſtituendam dotem Montis, poſſet Mons poſt duos annos redimi a congregationibus in totum, vel in partem, pro ut commodius potuiſſet fieri; hinc Romano pontifici enuntiatum fuit, quod cauſa hujus pacti ægre reperiri poterant emptores locorum in dicto Monte erigendo, quod vertiſſet in grave præjudicium ſedis apoſtolicæ; propterea dictæ congregationes, ut rem gratam facerent pontifici, renuntiarunt juri redimendi Montem vel Montes erigendos, declarando ſe contentas, quantum ad ipſas, ut forent perpetui & irredimibiles. Cujus ceſſionis præmio placuit Pio V. concedere dictis congregationibus facultatem redimendi Montes Novennalem & Pium Recuperatum, ut in inſtrumento obligationis & conceſſionis rogato ad eodem Martini die XVIII. aprilis anni 1571. in bullario Caſinenſi ad paginam 212. In diſtributione Piana contigit Camaldulenſibus ſumma ſcutorum aureorum 1466. 88. quæ ad julios duodecim computata, ut firmum voluit perpetuo tempore reſpectu dicti montis Sixtus V. ſua bulla: *Ad Romanum Pontificem* data prima februarii anni 1589. in Caſinenſi bullario tomo II. pagi-

na

Ann. Chr. 1677.

na 501. conficiebant ex moneta scuta 1760. 40. fructum summæ scutorum auri in auro 18336. vel 22003. 20. in moneta. Hujus summæ portio assignata fuit eremitis Camaldulensibus, & quidem in scuta 2000. eremitis Camalduli, in scuta 400. eremitis Montis-coronæ. Appellatus fuit Pii V. Mons, Mons-Religionis-primus.

Anno 1620. Paulus V. ad opem ferendam imperatori in bello, quo decertabat adversus hæreticos, imposuit iisdem congregationibus subsidium scutorum 100000. monetæ, & erexit alium Montem vocatum Religionum, secundam nimirum erectionem pro iis religionibus, quæ ingredi voluissent. In partitione Camaldulensibus tributa fuerunt scuta 4584. 22. quæ in numerata pecunia soluta sunt reverendæ Cameræ.

Urbanus VIII. anno 1630. subsidium aliud constituit 100000. scutorum monetæ cum facultate data congregationibus augendi eumdem Montem. Facta distributione Camaldulensi congregationi imposita fuit summa aliorum scutorum 4584. 22. quæ erogata fuit Cameræ pro congregatione a Prospero Costaguti, cui, aliisque Montistis Camaldulenses polliciti sunt se soluturos assignationem annuam locorum 45. $\frac{3}{4}$. ad rationem scutorum 4. $\frac{3}{4}$. pro loco, quæ erant scuta 217. 92. monetæ. Anno 1673. sub die XV. novembris chirographo Clementis X. extinctus fuit dictus Mons, & annuæ assignationes datæ fuere Monti Salis secundæ erectionis, ut colligitur ex mandato facto congregationi Camaldulensi a cardinale Alterio camerario. Transiit inde dicta assignatio ad Montem sancti Bonaventuræ, & demum devoluta fuit ad Depositariam generalem Cameræ, cui incepta solutio die prima septembris anni 1678. De posterioribus ceteris pontificiis impositionibus addemus aliqua inferius.

Sed ex prolixo, injucundo quidem, sed forsan non inutili diverticulo ad rem nostram regredientes, post enuntiata Veneta decreta anni 1642. Venetias se contulit anno 1646. Clemens Mencarellius Æsinas abbas generalis congregationis Camaldulensis, & confugiens ad excellentissimum magistratum Provisorum super negotia Monasteriorum, quem specialiter ea super re de non deportandis pecuniis in alienas ditiones, deputaverat Senatus, institit humiliter pro exequutione postremæ permissionis, diei scilicet XX. novembris anni 1642. quam superius innuimus, & in medium attulit notulas solutionum Quindenniorum & impositionum pontificiarum, quas hactenus fecerant monasteria Camaldulensia Veneta. Quare idem magistratus die XXIV. martii ejusdem anni 1646. eas solutiones ratas habuit, determinavitque etiam de cetero faciendas juxta modulum notularum exhibitarum. Illud tamen exploratum erat, quod solæ impositiones pontificiæ Pauli III. Pii IV. Pii V. & Clementis VIII. minorem summam conficiebant, & e contra major exsurgebat summa in notulis assignatis & exhibitis, quia majora in istis comprehendebantur gravamina, relata in libris congregationis Camaldulensis sub nomine tum negotiorum publicorum, tum negotiorum privatorum, ad quæ obligata censebantur Veneta monasteria. Negotia publica sub titulo colorato erant impositiones Pauli V. anno 1620. ad Germaniæ favorem, & Urbani VIII. anno 1628. XXVIII. maji pro ædificatione ergastuli, tertiaque hujus pontificis anno 1635. duorum pro centenario. His impositionibus adjectæ fuerant aliæ summæ pecuniarum, quibus indiguit congregatio Camaldulensis ante supputationem redditυum, vulgo *Estimo*, anni 1637. Negotia privata erant debita residuorum tum quindenniorum, tum taxarum contracta ab aliis provinciis, quæ solvendis debitis pares non erant, & etiam nomine negotiorum privatorum veniebant pecuniæ ad

foe-

fœnus pro solvendis gravaminibus receptæ a peculiaribus monasteriis exteris, quarum debitum proinde erat tribuendum iisdem peculiaribus monasteriis. Cum Quindenniorum obligatione conjungebatur insuper antiquissima impositio unius pro centenario facta a congregatione Camaldulensi, quæ paulo post annum 1639. ob novam onerum repartitionem, cessare opinione multorum debuisset. Præterea anno 1641. sacra Romana cardinalium congregatio pro sublevanda in ducatis ducentis provincia Etruriæ, gravaverat monasterium sanctæ Mariæ ad Carceres ditionis Venetæ in ducatis annuis centum-quinquaginta, & monasterium Classis ditionis Ecclesiasticæ in quinquaginta, licet Classis abbatia ditior foret. Mulctatum quoque fuerat monasterium Carcerum in ducatis 60. pro equitaturis abbatis generalis, licet decretum hujusmodi obligationis factum a congregatione non reperiatur in regestis publicis. Atque hæc erant gravamina monasteriorum Venetorum, præter impositiones pontificias, quibus proinde ex vi decreti Senatus subjicere non debere videbantur.

Et hæc quidem usque ad annum 1646. Post conventionem eo anno cum magistratu Provisorum factam accessere taxæ anni 1654. impositæ a corpore congregationis pro solvendis debitis, pensionibus, quindenniis, fructibus censuum pertinentibus ad monasteria aliarum provinciarum, & ad indemnem reddendam capsam publicam Romanam congregationis, partitæ indiscriminatim inter omnia monasteria. Postea anno 1661. Alexander papa VII. obligavit religiones omnes non mendicantes ad solutionem sex decimarum ad favorem imperatoris, a qua exempti fuere Veneti ratione alterius gravissimæ impositionis subsidii adversus Turcas, quod principi suo erogabant; nihilo tamen secius anno 1664. ab eodem Alexandro VII. decretum fuit aliud subsidium generale tercentorum millium scutorum distribuendum inter congregationes, in quo comprehensi fuere & Veneti, & quidem *pro necessitatibus sanctæ Romanæ ecclesiæ*, ut in bulla legitur, licet inservierint voluntatibus Marii Ghigii fratris pontificis contra Galliarum regem. Demum anno 1673. Clemens X. imposuit tres decimas ad favorem regni Poloniæ, quæ solutæ statim Cameræ a ceteris provinciis Camaldulensibus, gravamen novum annuum non attulerunt, sed obligare etiam provinciam Venetam pro una vice dicebantur, & cum omnia supradicta onera adnotata forent in libris capsæ publicæ Romanæ Camaldulensis etiam pro provincia Veneta, ad enormem summam devenerant.

Porro præsules Venetorum monasteriorum, in primis Hortensius Laureggius abbas sancti Michaelis de Muriano, & Gregorius Cappasanta abbas sanctæ Mariæ ad Carceres rationibus validissimis moti, tum etiam transgredi publicam Senatus Veneti deliberationem pertimescentes, solvere detrectabant supradictam onerum summam, quam capsa Romana prætendebat, & quidem non juste distributam. Quare Petrus de Petris abbas & procurator generalis congregationis in Curia Romana die XXVI. octobris anni 1676. supplicem libellum exhibuit Innocentio XI. Romano pontifici subscriptum a pluribus prælatis Etruriæ, quatenus ipse opportunum remedium afferret, ac cogeret Venetos ad onera subeunda & satisfacienda. Hinc Sanctitas sua die XXVIII. octobris congregationem quatuor S.R.E. cardinalium deputavit, qui fuerunt Pius, Franzonus, Vidonus & Casanata, ac quatuor prælatorum Spinulæ, Augustinii, Nigroni, Fagnani, & noviter adjuncti Cursii, qui deciderent super hujusmodi controversia. Consentiente serenissimo dominio Veneto, & juben-

Ann. Chr. 1677.

te magistratu Provisorum super negotia monasteriorum die XXVII. februarii hujus anni 1677. destinati fuere procuratores, qui nomine monasteriorum Venetorum Romam se conferrent ad dicenda jura sua, Franciscus Vignonius prior sancti Michaelis de Muriano, & Bonifacius Sartorius procurator monasterii Carcerum, qui in Urbem pervenerunt mense junio cum debitis instructionibus, sed cum publica prohibitione, ne alicui tractatui & compositioni assentirentur, nisi prævia notitia communicata dominio, literis etiam publicis commendati Antonio Barbaro Oratori Veneto in Curia.

Propositiones autem & instructiones ipsis datæ hæ erant; ne numerus familiarum monasteriorum Venetorum diminueretur; ut ex redditibus eorumdem monasteriorum extraherentur prius summæ necessariæ victui, vestitui & ceteris gravaminibus ordinariis & naturalibus; ut partitio contentiosa taxarum reduceretur ad solas summas Montium Novennalium, & impositionum Pauli III. Pii IV. Pii V. & Clementis VIII. juxta decretum senatus Veneti anni 1642.; ut confirmaretur gyrus taxarum factus a congregatione anno 1670. appellatus *Raggiro*, inter duas capsas Romanam & Venetam; ut permitteretur monasteriis Venetis exactio veterum creditorum ad extinctionem decursorum debitorum; ut omnia denique agerentur & concluderentur cum adsistentia & auctoritate ac approbatione Veneti oratoris.

Pro quarum propositionum intelligentia sciendum est, quod monasterium sancti Michaelis, in quo opera Petri Donati abbatis, & auctoritate Veneti senatus fundata fuerat anno 1474. congregatio sancti Michaelis, adjunctione monasteriorum sancti Mathiæ de Muriano, sanctæ Mariæ de Carceribus, & sancti Apollinaris de Ravenna, ad quam etiam congregationem seculis XV. & XVI. per modum unionis accesserant ceterarum provinciarum monasteria, ratione hujus meriti, necnon in compensationem gravium expensarum, quas subierat pro redimendis pluribus monasteriis, quæ erant commendata, vel pensionibus obnoxia, pariter pro conficiendis bullis unionum, pro demum ineunda & perficienda congregatione, de communi ejusdem congregationis assensu id obtinuerat, ut ad differentiam ceterarum provinciarum tria loca tirocinii haberet in provincia Veneta, & septem prælatorum numerum in quolibet loco, dum ceteræ unum locum novitiatus, & septem tantum prælatos habebant, jusque ipsius Venetæ provinciæ foret destinandi abbates suos ad gubernium monasteriorum extra ditionem Venetam, & transmittendi ad septuaginta monachos in monasteria ceterarum provinciarum; quæ jura sublata tunc ipsi provinciæ erant opera aliarum provinciarum, quæ hanc gloriam Venetis invidebant, & principes provocaverant ad denegandum Venetis monachis aditum in suis ditionibus. Quare inter propositiones ea prima erat, ut servaretur usus Venetorum monasteriorum vestiendi novitios tripliciter, quam facerent ceteræ provinciæ. Neque illud pro secundæ propositionis intelligentia ignorandum, quod in supputatione redituum & in taxarum assignatione, vulgo *Estimo*, facta ab abbatibus deputatis cujuscumque provinciæ, confirmata a cardinale Julio Sacchetto legato Bononiæ anno 1637. & rursus comprobata a Marcello Cennino S.R.E. cardinale episcopo Faventino 1639. indebite gravata fuerant monasteria Veneta, neque juste attenta necessaria onera victus & expensarum naturalium ordinariarum, adeoque taxata fuerant supra æs & libram, ut demonstrarunt ad oculum procuratores Veneti Romam destinati; & insuper sacra congregatio cardinalium, ad instantiam præ-

sulum

ANN. CHR. 1677.

sulum Etruriæ, & ad eorum sublevationem novo onere prægravaverat, ipso non audito, anno 1641. monasterium Carcerum. Tertio loco, urgente sæpe dicto jussu principis, prohibebantur monasteria Veneta solvere taxas non examinatas congregationis, & impositiones pontificias posteriores, quæ decretis annorum 1642. & 1646. approbatæ non fuerant, quæ decreta inconcussa & firma observari præceperat novis statutis magistratus Provisorum super monasteria, minitans etiam revisiones & pœnas in transgressores. Ultimo loco gyrus taxarum stabilitus fuerat in dieta Camaldulensi anni 1670. sequenti decreto : *Ut facilitentur solutiones taxarum, decreverunt, ut taxæ, quæ a monasteriis extra statum Venetum debentur capsæ Venetiarum, transmittantur Romam, & capsa Venetiarum compensetur a monasteriis, quæ sunt in statu Veneto de eisdem pecuniis Romam mittendis, totidem pecuniis, quæ eadem monasteria status Veneti debent Romam mittere; ita ut si taxæ debitæ capsæ Venetiarum a monasteriis extra statum Venetum importent v. g. centum, & Romam mittantur, centum solvantur ipsi capsæ Venetiarum a monasteriis status Veneti, & reliquum, quod superest, taxarum ipsorum monasteriorum status Veneti, mittantur Romam. Appellantur hæ solutiones solutiones del Raggiro.* Sacra igitur congregatio cardinalium & præsulum deputata a Romano pontifice in hujusmodi controversiis, adunata primum fuit mense januario, & procurator generalis omnia exhibuit, quæ contra nationem Venetam faciebant; post adventum deputatorum, mense augusto ceterisque mensibus usque ad diem quintam novembris hujus anni variis vicibus simul convenerunt cardinales deputati, summæque debiti provinciæ Venetæ in medium adductæ & examinatæ, quæ tamen fuere solidissimis rationibus & scripturis impugnatæ a Venetis procuratoribus, qui cum urgerentur, ut ad aliquam compositionem devenirent, respondebant se non posse alicui tractatui subscribere, nisi notitiam Venetias transmitterent, præstolarenturque assensum principis; quapropter re infecta in patriam rediere, cum displicentia etiam Petri Vidoni cardinalis & protectoris congregationis Camaldulensis, qui in epistola ad abbatem Laureggium, *nil in levamen*, asseruit, *debitorum congregationis actum, provincia autem Veneta interea contribueret pro sua portione contingente summam, quæ difficultates non patiebatur, cum hæc solutio religionem & quietem conservare posset; aliæ vero contentiosæ res possent in proximo capitulo discuti & ventilari.* Morem gessit abbas Laureggius ceterique abbates Veneti, & portionem tangentem Romam transmisere. Dum autem securi in utramque aurem dormirent, mense majo anni sequentis archiepiscopus Edessenus nuntius apostolicus in dominio Venetorum decretum ejusdem sacræ congregationis exhibuit abbati Laureggio emanatum, ut legebatur, die XXXI. augusti 1677. sequentis tenoris : *In causa congregationis Camaldulensis contributionis faciendæ a provincia Veneta procuratoriæ generali ejusdem ordinis. Sacra congregatio nonnullorum eminentissimorum S. R. E. cardinalium per SS. Dominum nostrum specialiter deputata, patre procuratore generali ordinis, ac procuratoribus abbatum prædictæ provinciæ pluries auditis, reque mature discussa, censuit dictam provinciam teneri ad omnia onera dictæ congregationis in beneficium ejusdem contracta, pariterque ad taxas omnes per summos pontifices & per capitula generalia impositas, itidem ipsam provinciam teneri ad præstationes annuas ad præscriptum decretorum ab eminentissimo Sacchetto & Cennini, & a sacra congregatione negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præposita editorum debitas, & interim ab eminentissimo dicti ordinis apud sanctam sedem protectore deputandum esse pe-*

Ann. Chr. 1677.

ritum de consensu partium, alias ex officio, prout per eminentissimum de consensu ipsarum partium, ut constat, jam deputatus fuit. Romæ XXXI. *augusti* 1677. Quod decretum reverenter exceptum stuporem nihilominus attulit abbati Laureggio & deputatis, qui nil, dum in Urbe erant, subodorati fuerant, immo quiete & pace animorum suorum nil suspicati, nil commonefacti, & omnino ignari mense novembri anni præcedentis ex Urbe discesserant. Proinde abbas de nullitate decreti, quod subreptitium, & clandestinum judicavit, protestatus est, & cum magis magisque adigeretur tum a sacra congregatione, tum a cardinale protectore ad solutiones prætensas, & ex una parte impossibilitatem suam adduceret, ex alia contrarium principis imperium, eo raptus est, ut libentissime a regimine monasterii se abdicare vellet, quod tamen effectum non habuit, obeunte piissimo & constantissimo præsule, forte ex præconcepto dolore, mense novembri ejusdem anni 1678. Prosequutionem hujus controversiæ suis annis, sed parciter, usque ad annum 1696. quo firmata fuit concordia inter Venetum senatum, & inter capsam publicam Romanam Camaldulensem communi gaudio.

Decessit hoc anno quinto-decimo kalendas februarii in monasterio sancti Salvatoris Foro-livii Horatius Tarditus Romanus monachus Camaldulensis, expleto suæ ætatis septuagesimo-quinto anno. Sanctiori vitæ cum religiosis votis Deo sese mancipaverat anno 1617. in Classensi cœnobio sub Petro-victorio Herculanio abbate; post emensum stadium philosophicum & theologicum, totum se musicæ arti devoverat, quam assiduo excolens studio tantam in organis pulsandis & in modulationibus componendis sui famam excitavit, ut non solum ab Italis, sed a Germanis aliisque exteris populis multo exciperentur plausu; nec defuere principes viri, qui eum sibi addjicere optarent, inter quos cardinalis Cincius Æsii, & cardinalis Rossettus Faventiæ episcopi, qui tamen sibi, & amœniori ingenio suo vacare unice gaudens, nulli operam suam subjicere maluit. Typis edidit plusquam quinquaginta libros musicalium modulationum.

In eremo sancti Ægidii *de Besse* diœcesis Cenomanensis obiit Michael Gory ex provincia Velaniæ, plusquam octuagenarius. Vixit in rectitudine, & simplicitate magna erat donatus; octies ab anno 1644. ad 1664. fuerat Major congregationis Gallicanæ. In eadem eremo floruit Arnoldus *le Maire*, cujus corpus post decem annos incorruptum & sanissimum repertum fuit. Floruere alii, ut etiam in ceteris Gallicanis eremis, quorum conversatio erat cum Deo, quique reliquerunt exempla magnæ ædificationis & austerissimæ pœnitentiæ, traditione potius quam scriptis confirmata.

Innocentius XI. Romanus post Clementem X. pontifex die XV. julii facultatem facit prioribus localibus congregationis Montis-coronæ, ut accedente consensu capituli suorum eremitarum, valeant suis subditis licentiam impartiri pernoctandi extra eremos intra spatium quinquaginta milliarium.

Ann. Chr. 1678.

XXIV. Vita, scripta & mors Basilii a Schledo eremitæ Rhuensis.

In eremo Vicetina Centralis obiit Basilius eremita Rhuensis. Is ex prænobili comitum de Schledo familia Vicetiæ ortus anno 1598. & anno 1618. ad eremum Rhuensem confugiens totum vitæ suæ cursum impendit tum in scribendis libris, tum in propagando & augendo eremitico instituto. Fundatio eremi Veronensis originem suam ipsi refert; multo tempore inter patres Polonos, & Viennæ inter Germanos moratus, vel officio magistri novitiorum functus est, vel negotia eremorum pro-

promovit. Amicissimus fuit beati Gregorii Barbadici episcopi Patavini, ad quem non paucas scripsit epistolas, multaque dedit consilia. Edidit Basilius vitam beati Johannis a Schledo Vicetini, discipuli sancti Dominici, Romæ anno 1667. Fuerat Johannes Basilii gentilis. Sed in nostro ms. & autographo codice omnia collegit ex variis bibliothecis, ut demonstraret Johannem Vercellensem eumdem esse cum beato Johanne a Schledo. In eodem codice extant autographæ epistolæ patritiorum Venetorum, aliorumque nobilium virorum ad Basilium ejusque responsiones; sed præsertim supradicti B. cardinalis Barbadici, qui summo affectu diligebat Basilium, ejusque Rhuenses novitios, quorum deliciæ & animorum recreationes erant potissimum colloqui de sancto cardinale, vel de ejus virtutibus memorias exarare. Scripsit insuper Basilius vitam ven. Ghelii Ghellini sacerdotis secularis Vicetini ex notitiis collectis in processibus, qui formati fuerant Vicetiæ & Romæ, ac transmissi ad apostolicam sedem. En quid scripserit in præfatione vitæ ejusdem famuli Dei editæ Vicetiæ anno 1683. in 4. pater Gregorius Sala clericus regularis Theatinus: *A tal' effetto prima si dispose il Padre Basilio Schio eremita Camaldolese, uomo di non minore spirito, che di eccellente letteratura, il quale accintosi con gran lena all' opra, assai vi si affaticò, sebbene sul più bello del suo lavoro sopragiunto dalla morte, li venne costei insieme insieme a troncare collo stame della vita il filo della Storia. Dopo lui fui scielto io &c.* Demum Basilius narrationes compilavit fundationum plurium eremorum, quæ tempore suo contigerant. De Basilio mentionem faciunt Salomonius in Inscriptionibus agri Patavini, & Fidentius Erasma Patavinus in monumentis scriptorum Camaldulensium. Sed elogium prætermittere non volumus, quo Basilium ornat alter coeremita Silvanus Bosellus in epistola XCVII. ad eumdem scripta anno 1676. *Nisi*, inquit, *a sacris & profanis literis vetitum esset agere assentatorem, profecto Basilium ocellum animæ meæ unum ex illis dicerem, qui cum Mamante a pueritia ad senectutem usque, coronante Domino, longum in religione duxisti martyrium. Jubet insuper me tua tacere modestia, ne proferam, quos diu devorasti labores, ne unquam dispergerentur sub tuo sæpius vacillante regimine oves gregis, aut sub te capite in languorem pietatis solverentur membra. Interna virtus, & modesta cum hominibus conversatio religionis & religiosorum statum reddit commendatiorem. At quis præstat hæc, nisi ille, Deo bene favente, qui ubi regimen suscipit animarum, ascetis sibi commissis tam diligentem & sinceram præstat curam, ut quos in bono vincere non potest, multimodis studet exemplis? quia ille optimus habetur omnium pastor, qui aliis sese reficientibus ipse jejunus manet, ceteris dormientibus manet insomnis, quidquid in usum ipsius a benevolis deputatur, commune facit fratribus egenis, si quemquam ab ovili sacræ religionis aberrare contingat, opportune & importune eum ad revocandum instat, & qui demum in cunctis ejus actibus imitandus emicat. Illud, Basili, transire tamen nec debeo de te, nec volo, nam etsi multa in tuo vitæ decursu non sine laude æquanimiter supportaveris, maluisti tamen humiliore conditione ac subjectione vivere securius, quam ultra in fumoso dignitatum culmine casum pertimescere, memor illius Horatii ode X.* Sæpius ventis agitatur ingens pinus, & cellæ graviore casu decidunt turres, feriuntque summos fulmina montes. *Otiosus quod non vixeris tuæ peregrinationis tempore, testantur tot hominum ad meliorem frugem conversiones, inter discordantes secutæ paces, puerorum conservatæ innocentiæ, & quod maximum est, præcipuoque*

loco

ANN. CHR. 1678.

Ann. Chr. 1678.

loco habendum, insigne illud testatur opus, & tantorum studiorum diuturnarumque vigiliarum immensum volumen a te conscriptum de vita & miraculis beati Johannis Schii ordinis Dominicani suo tempore concionatoris eximii, qui vere extitit suæ religionis sydus, patriæ splendor, tuæ perillustris familiæ ornamentum. Hæc, quia sunt inter cetera, quæ te, Basili, adornant superstitem, dubio procul coronabunt & defunctum. Hucusque Silvanus. Remissus fuit Basilius postremis annis ad suam Vicetinam eremum, ubi prope octuagenarius cursum vitæ suæ beate consummavit hoc anno. Habebatur in magna sanctitatis opinione, & appellabatur communiter Venator animarum. Ad pœnitentiam reduxit plurima personarum genera, sermones texens æternarum veritatum, inducebatque homines ad expianda peccata per sinceram & humilem sacramentalem confessionem. Narratur, quod auctoritate sua persuaserit nobili cuidam juveni, ne momento differret peccata sua in tribunali pœnitentiæ sibi detegere, ut absolutionem ab ipsis perciperet. Vix peccatorum ille confessionem perfecit, quod repentine occubuit; habitumque fuit pro miraculo, & nullus extitit, qui prævisionem futurorum in Basilio non adnotaverit. Refertur etiam, quod ipse speciem oris sancti Romualdi præferebat, qua omnium venerationem sibi conciliabat.

XXV. Et Prosdocimi Murianensis alterius eremitæ.

Alter Rhuensis eremita Prosdocimus Murianensis per annos plurimos reclusus spiritum Deo reddidit in sancti Clementis Veneta solitudine. Familia ei erat Morata, & cum sub clericali veste in sancti Cypriani seminario patriarchalis Venetiarum ecclesiæ Muriani instituto degeret, ob quamdam satyricam compositionem, quæ putabatur ab ipso confecta, vel dolore intrinsecus concepto, vel timore perculsus, ad Deum conversus eremiticam vitam amplexus fuerat in solitudine Rhuensi anno 1622. XXIX. maji. Bis fuit magister novitiorum in Rhuensi, & semel in Montis-argentini Polonica eremo. Primus alteram sancti Joseph cæsaream eremum titulo prioris rexit, inde visitator generalis; anno 1645. reclusionem imploravit, quam ad tempus obtinuit, & tredecim annis servavit, denuo electus magister tironum in Rhuensi eremo. Anno 1657. XIV. junii brevi apostolico Alexandri VII. deputatus est visitator generalis; quod officium tamen anno sequenti dimisit ob reclusionis amorem, quam tum in solitudine Rhuensi, tum in illa sancti Clementis continuavit usque ad annum 1665. quo ad novam Conelianensem eremum fuit destinatus, ex qua demum rediit ad suam sancti Clementis insulam. Andreas Delphinus patritius Venetus aliquando audiens ejus sacrum, totalemque ipsius abstractionem a sensibus tempore tremendi sacrificii admiratus, post Missam expletam conscientiæ suæ reatus deponere voluit ad ejus pedes in sacramentali confessione, devotamque exinde vitæ rationem instituit, eamque semper de Prosdocimo opinionem retinuit, ut post ejus mortem oraret ad ipsius sepulcrum, tamquam ad cineres sancti viri. Tempore suæ reclusionis carminibus, aliquibusque operibus scribendis multas horas impendit Prosdocimus, quorum titulum excerpsit ex bibliotheca Rhuensi alter eremita Fidentius Erasma. Soluta ergo partim & ligata oratione composuit de Contemptu mundi librum unum; de Morte, de Judicio, de Inferno libros tres; Visitationum spiritualium tironum tres; Pugnæ militum spiritualium tres; Exercitationum emeritorum spiritualium tres; Sagittarum parvulorum tres; Adolescentium jaculorum tres; Telorum virorum tres; de Cruciatibus Jesu-christi novem; Magdaliarum lacrymarum unum; Sacri convivii unum; Horti Gethsemanici unum; Proditoris perditi unum; Petri dejecti & erecti unum;

unum; Prætorii injustitiæ unum; Golgothæ unum; Vulneris salutiferi unum; Elegiarum sacrarum unum; In annuntiatione B. V. Mariæ duos; in Nativitate Domini duos; Serti ad B. V. ex flosculis variis duos; de Immaculata conceptione unum; Vitæ S. Romualdi unum; Encomii S. Joseph unum; Vitæ sancti Laurentii unum; Apologetici pro suis operibus unum; Hymnos varios sacros; de præsentibus Christianæ reipublicæ periculis in expeditione contra Turcas anno 1645. Liberculum vario carmine exaratum occasione belli a Turcis contra serenissimam rempublicam Venetorum anno 1650. gesti. De Bello Germanico anno 1630. & sequentibus; Epistolas duas ad D. Athanasium Georgiceum & ad Bassianum Catenagum; de Laudibus Thomæ Mauroceni; de Laudibus Georgii abbatis Gottvicensis; Pro summis pontificibus Urbano VIII. & Alexandro VII. Hymnos de Johanne-baptista & de sancto Prosdocimo episcopo Patavino; Instrumenta bonorum operum præscripta a S. P. N. Benedicto; Invectivas in vitia; Pia exercitia; Funebria de viris aliquot illustribus; Silvam profanam de variis argumentis; De renovato fœdere Camaldulensium eremitarum opus imperfectum; De utilitate meditandi cruciatus D. N. J. C. Pias meditationes passionis Domini applicandas coronæ Dominicæ; Endologias sacras de eodem argumento; Sacram hebdomadam de mysteriis passionis D. N. J. C. Sacra elogia B. V. Mariæ; Scholia in vitam B. Laurentii Justiniani, res gestas, obitum, & miracula; Prælectiones de Theologia morali; Orationes, sermones, epistolas diversi generis; De funere Ferdinandi II. augusti imperatoris; Apologiam pro congregatione Montis-coronæ; Vitam Ven. Pauli Justiniani; Jesu Christi Expostulationem ad mortales, & præcipue ad populum Judaicum; quæ partim prosaica, partim ligata oratione composuit, sed ad umbilicum omnia non perduxit. Majora Prosdocimi haberemus, si maturius superioribus innotuisset eremitam humilem, quæ componebat opera, flammis absumere, qui id ubi resciverunt, vetarunt, ne deinceps lucubrationes suas igni traderet. B. Johannis Schledi Vicetini ex primis sancti patriarchæ Dominici alumnis sacra œconomia humili stylo ab anonymo religioso exarata: Vicetiæ 1660. ex typographia Jovitæ Botelli, est Prosdomici Morati Eremitæ fœtus. Mentionem honorificam de ipso cum aliis ascetis insulæ sancti Clementis facit in suis ecclesiis Venetis eruditissimus senator Flaminius Cornelius [a].

[a] *Dec. XII. pag.* 132.

In eadem sancti Clementis eremo obiit Archangelus a Mantua observantia & abstinentia illustris. Fuerat canonicus ecclesiæ Mantuanæ, de quo ad annum 1631.

XXVI. Ac Hortensii Laureggii abbatis.

HORTENSIUS Laureggius e Lendinaria abbas sancti Michaelis de Muriano dies suos clausit decima-sexta novembris, vir doctrina, regulari observantia, experientia rerum ac vera pietate illustris. Antonius Lupis hujus ævi orator celeberrimus orationem in ejus funere habuit, quæ inter opera Lupis edita legitur sub titulo: *Il Giglio di Lendinara*. Tumulatum fuit Hortensii abbatis corpus in sacrario ecclesiæ sancti Michaelis ad pedem sacelli cum hac epigraphe: *D. O. M. D. Hortensius Lauregi abbas hujus monasterii, doctrina, meritis, pietate clarissimus hic requiescit. Obiit* XVI. *novembris* M. DC. LXXVIII. Vestem monasticam in eo cœnobio induerat XIX. januarii anni 1626. Discipulus fuit celebris cardinalis de Lugo, cum Romæ esset, una cum Johanne Marinetto postea generali, & Marino Bonetto abbate Classensi. Tractatum scripsit de Vita spirituali, & alium de modo recipiendi novitios; nonnullosque

alios

Ann. Chr. 1678.

alios pro œconomica re servanda & augenda in congregatione Camaldulensi, & præsertim in cœnobio sancti Michaelis de Muriano.

In parthenone sanctæ Catharinæ de Cæsena ad sponsi nuptias pervenit hoc anno Hippolyta Toschi virgo perfectionis & puritatis eximiæ; vocabatur passim a confessariis Campana aurea, ob puritatem intentionis & pietatis, qua omnia sua munia exercebat; hinc frequentes extases patiebatur, & multoties ipsam conspexere ejus consorores splendescere & radiare in fronte. Obiit sexagenaria die VI. novembris.

Sacra Rituum congregatio ad majorem declarationem decreti editi die XXIX. *augusti* 1674. *ad preces procuratoris generalis totius religionis Camaldulensis, in quo indultum fuit, ut in futurum singulis annis recitare possint qualibet feria tertia, non impedita tamen festo duplici* XII. *lectionum, & excepto tempore Adventus, Quadragesimæ & Vigiliarum, officium & Missam respective sancti Romualdi abbatis & confessoris omnes & singuli religiosi, nempe monachi, eremitæ & moniales præfati ordinis, iterum declaravit prædictis non licere præfatum officium recitare, & Missam celebrare etiam qualibet feria tertia impedita festo semiduplici. Hac die* XXII. *januarii* 1678. *V. card. Carpineus. Loco ✠ Sigilli. Bernardinus Casalius Sac. Rit. cong. secret.* quod etiam confirmatum fuit ab eadem sacra congregatione anno 1706. sub die XX. martii in decretis generalibus & responsis ad dubia generalia.

Crucifixi imago depicta in quadam cella monasterii sancti Johannis evangelistæ de Buldrone, & inclusa ligneis asseribus cadens in terram, & strepitu suo moniales expergefaciens die quinta-decima martii, deprehendi fecit ignem, qui accensus erat in cubiculo ejusdem monasterii. Quare reposita imago intra tabernaculum ad hanc diem cum luminibus admotis colitur in gratam memoriam hujus beneficii.

Narrant seniores moniales sancti Parisii de Tarvisio se audivisse a magistris suis, venerabilem Johannam Bonhomi ordinis sancti Benedicti sanctimonialem in parthenone sancti Hieronymi de Bassano, pro qua declaranda in Beatarum numero diligentissime agitur, aliquando per epistolam sciscitatam fuisse a Francisca Bartolucci familiarissima sua degente in dicto sancti Parisii asceterio, quænam fuerit, quæve obierit tali die & hora in præfato monasterio sancti Parisii monialis, quam ipsa viderit recta in cœlum evolasse? institisseque, quanam in virtute excelluerit? cui responsum fuerit, quamdam monialem eo die & hora decessisse, in qua nihil singulare, præter exactissimam disciplinam monasticam, & perfectam regularum & consuetudinum observantiam, ac haud interruptam conformitatem suæ cum divina voluntate.

Ann. Chr. 1679. XXVII. De abbatia Calveti data eremitis Gallicanis.

HOc anno eremitæ Camaldulenses Gallicani possessionem inierunt abbatiæ in insula *Chauvet*. Monasterium hocce ab aliquibus creditur fundatum a Carolo Calvo rege Franciæ; sunt qui putant comites Pictavienses ipsum extruxisse. Insula sita est in paludibus inferioris Pictaviensis regionis, inter urbes *Beauvoir* super mare, *Garnache*, *Machecoul* & insulæ *de Bovin*. Spectabat ipsa abbatia olim ad monachos ordinis sancti Benedicti, sed in commendationem devenerat seculo XVI. abbatis Claudii *de Puy-du-Fou*; verum Beniaminus *de Rohan*, *Soubise* dominus, monachos eduxit, ut militum Calvinistarum præsidium locaret. Rex Ludovicus XIII. post reductionem arcis Rupellæ, ipsam abbatiam concessit cardinali Alphonso Richelieu archiepiscopo Lugdunensi magno Fran-

Franciæ eleemosynario, qui sacerdotes seculares ad divina officia celebranda ibidem constituit. Post cardinalis obitum anno 1654. Henricus Cauchon Maupeas abbas sancti Dionysii Rhemensis, episcopus inde Aniciensis & Ebroicensis abbatiam obtinuit, qui conventione facta die XXVI. maji hujus anni Camaldulenses eremitas vocavit & introduxit. Assensum præbuere episcopus Lucionensis, in cujus dioecesi abbatia sita est, & Vincentius Marzolle abbas generalis congregationis sancti Mauri ordinis sancti Benedicti die secunda decembris, agnoscens Camaldulenses inter filios juste computari sancti Benedicti; mense julio patentibus literis concordatum confirmavit Ludovicus XIV. rex, & literæ septima decembris recensitæ fuere in parlamento Parisino. Abbas insulæ Calveti in divisione bonorum abbatiæ tertiam partem cessit Camaldulensibus, tractatusque ratus habitus fuit ab ejus successoribus Gaspare-Alexandro Coligny, Leone Uslieres, Jacobo de Candeau, Amabile Carolo Turrenæ Aynac Sorbonensi doctore deputato a generali cœtu cleri Franciæ anno 1705. magno vicario Lucionense, & nominato ad hanc abbatiam anno 1707. qui postremus communes voluit has notitias auctori & scriptori excellentis operis de Ordinibus regularibus ecclesiæ, ex quo nos exscripsimus.

ANN. CHR. 1679.

Ad dictorum confirmationem non piget superaddere, quæ de hac abbatia ad Camaldulenses transeunte habent doctissimi Sammarthani in Galliæ Christianæ tomo II. col. 1432.

„ Insula, inquiunt, Calveti, Herensi (*Noir-moutier*) vicina, Oceani quondam insula, nunc mediis in paludibus sita, intra fines parochiæ sancti Stephani de Bosco-cœnato, vulgò *du Bois de Cenè*, Luciono septemdecim leucis, Namnetis novem, Bellum-visum inter & Machecolium (*Beauvoir sur mer & Machecou*) dioecesis Lucionensis, olim Pictaviensis, sub regula sancti Benedicti, & patrocinio B. Virginis in cœlos assumptæ monasterium est, cujus fundatores Absiæ monachi dicuntur, præcipui vero benefactores domini *de la Granache*; quodque Andreas Quercetanus in historia domus de Chasteigner fol. 2. erectum fuisse anno circiter 1130. opinatur. Funestum passa est incendium Insula-Calveti anno 1588. ex quo regularis observantiæ funestius experta est dispendium. Tandem vero monasterium instaurarunt reverendi patres Camaldulenses illuc introducti ab Henrico de Maupas abbate die XX. januarii 1680. pium opus maxime promovente piissimo præsule Lucionensi Henrico de Barillon, atque assentiente domno Vincentio Marsolle congregationis sancti Mauri præposito generali.

„ Series abbatum. Petrus I. abbas Insulæ-Calveti testis est in confirmatione eleemosynarum Giraudi de Tellio, facta Rainerio Absiæ abbati a Calone episcopo Pictaviensi anno 1156. indictione III.

II. Constantinus Petro successit.

III. Brunus 1187.

IV. Guillelmus 1427.

V. Alanus Loret archidiaconus Lucionensis & abbas regularis Insulæ-Calveti 1468.

„ VI. Petrus II. de Layre 1509. & 1524.

„ VII. Claudius du Puy-du-Fou abbas commendatarius 1561. & 1569.

„ VIII. Nicolaus Girard 1577. Erat etiam titularis domus eleemosynariæ B. Mariæ de Mauritania an. 1588. ex charta S. Petri de Mortagne.

ANN. CHR. 1679.

„ IX. Philippus Audiger abbas regularis 1622.
„ X. Alfonſus Ludovicus du Pleſſis de Richelieu cardinalis Lugdu„ nenſis anno 1633. campanam conflari juſſit cum hac inſcriptione: *San„ cte Benedicte ora pro nobis*. Reperitur adhuc an. 1643.
„ XI. Henricus de Maupas du Tour epiſcopus Anicienſis, & poſtea „ Ebroicenſis, necnon abbas ſancti Dionyſii Remenſis, poſt Alfonſum „ obtinuit abbatiam Inſulæ-Calveti, ad quam inhabitandam rev. patres „ Camaldulenſes admiſit die XXVI. junii an. 1679. & hi quidem bene„ ficii memores, ejus obitus diem anniverſarium recolunt. Deceſſit an„ no 1681. (*alias* 1680.)
„ XII. Gaſpar Alexander de Coligny Henrici nepos (*al.* pronepos) „ ejuſdem ceſſione facta in manibus regis, utramque abbatiam Inſulæ„ Calveti & ſancti Dionyſii Remenſis obtinuiſſe dicitur anno 1680. „ *al.* 1681.) menſe octobri, ac Inſulæ-Calveti poſſeſſionem accepiſſe „ an. 1684. tandemque abjeciſſe clericatum, ut genti ſuæ ſemen ſu„ ſcitaret.
„ XIII. Leo d' Illiers d' Entragues nominatur abbas die II. januarii „ 1687. Ceſſit anno 1693.
„ XIV. Jacobus de Candeau presbyter diœceſis Laſcurrenſis deſignatus „ eſt abbas XXXI. maji 1693. Obiit menſe martio anni 1707. abbas „ etiam Boni-fontis ordinis Ciſtercienſis diœceſis Convenenſis.
„ XV. Carolus Amabilis d' Aynac de Turenne doctor Sorbonicus & „ vicarius generalis epiſcopi Lucionenſis renuntiatur abbas die XXIII. „ aprilis 1707. *al.* XXIV. in feſto Paſchæ. "

Illud ex prælaudato ſcriptore Ordinum regularium addimus, eremitas prope burgum ſancti Severi in inferiore Normandia, qui ſolitudinem incolunt, & conſtitutiones Camaldulenſes obſervant, juxta Cornelium in ſuo Dictionario Geographico, improprie dici Camaldulenſes. Sacerdos quidam Guillielmus nomine, poſt tirocinium poſitum undecim menſium ſpatio in eremo Camaldulenſium, videns auſteritates ejus inſtituti graviores eſſe, quam paterentur ſuæ vires, ab ipſis abſceſſit, & cum aliquot ſociis ſe contulit prope dictum burgum, ubi ordinationes ſcripſit tractas ex conſtitutionibus Camaldulenſibus, & approbatas ab epiſcopo Conſtantienſe. Verum his eremitis Severianis licet, quando ipſis libet, exitus; eorum habitus differt ab illo Camaldulenſium; in communi dormitorio habitant, non in cellis ſeparatis; utuntur lineis; carnes manducant ter in hebdomada; vota non emittunt; ex quibus omnibus liquet ſpiritum eremitarum Camaldulenſium ipſos non poſſidere, neque proinde ad ipſorum familiam pertinere, licet aliquibus conſarcinatis Camaldulenſibus conſtitutionibus utantur.

XXVIII. Obitus Silvani Boſelli eremitæ præclariſſimi.

VIENNÆ-AUSTRIÆ in eremo ſancti Joſeph hoc anno obiit Silvanus Boſellus eremita & fundator ejuſdem eremi. Is natus in urbe Veneta anno 1593. die XIII. februarii, oriundus ceteroquin ex comitibus ſacri imperii de Boſellis in urbe Bergomenſi, ſortitus in baptiſmate nomen Johannis-baptiſtæ, relicto ſeculo ætatis ſuæ anno XVIII. Chriſti autem 1611. eremiticam togam induit in eremo Rhuenſi. Ex illa translatus eſt ad Tuſculanam, ubi primum Sacrum litavit anno 1617. tum factus in Rhuenſi primum, deinde in eremo Montis-argentini novitiorum magiſter. Anno 1628. miſſus eſt tamquam procurator commiſſarius & fundator eremi Viennenſis ſub auſpiciis Ferdinandi II. imperatoris, ut ad annum 1627. narravimus, cui etiam eremo ſæpius præfuit, ſicut Polonicæ nationis fuit generalis vicarius, & anno 1655. ac ſequenti lau-

dabili-

dabiliter officium Majoris gessit in congregationibus unitis Etrusca, Taurinensi & Coronensi. Apud Ferdinandum II. & successores augustissimos tantam gratiam iniit, ut liber illi semper ad eos patuerit aditus, ejusque consilia libenter requirerentur & acceptarentur. Promovit matrimonium archiducissæ Austriæ Eleonoræ cum Michaele Poloniæ rege, quem etiam excitavit ad jungenda arma cum Austriacis contra Othomanicam portam; B. Gregorii Barbadici cardinalis & episcopi Patavini conscientiam sua prudentia moderatus est. Pro Veneta etiam republica mediator intercessit apud Ferdinandum II. & III. & apud Sabaudiæ ducem anno 1654. Bis fuit legatus Leopoldi I. imperatoris penes regem Poloniæ, & semel penes ducem Mantuæ. Extat ejus epistola scripta ex eremo Camaldulensi anno 1653. decima decembris, qua se mediatorem exhibet inter rempublicam Venetam, & Sabaudiense dominium ducissæ matris regentis Christinæ, & Caroli-emmanuelis II. Sabaudiæ ducis. Temporis fuit Silvanus vindex acerrimus, otii perpetuus osor; viginti-quinque opuscula ingenio & studio suo conscripsit, quorum octo asservantur in bibliotheca eremi Viennensis; nempe *Conversatio innocens, innocua, insons. Cœmeterium Defunctorum. Horologium eremiticum. Gazophylacium aureum. Il medico interiore. La Perla. Tractatus de vita monastica, ascetica, religiosa. Multifariam multisque modis* &c. In Gazophylacio ait: *Multa scripsi, excerpsi, candidi mei lectores, ut plane intelligatis nos haud in culcitris noctes contrivisse, aut animam me meam in vanum accepisse, aut otiose aut vitiose vixisse.* Quod plane mirandum, virum tot itineribus, exterorum conversationibus, gravibus religionis muneribus & negotiis distractum, atque plerumque adversa valetudine pressum, tanta valuisse conscribere. Caritate in Deum & in proximum excelluit, vel etiam in persecutores. Orationis singulari dono obtento eidem instanter vacabat, ut fidem facit ejus opusculum, cui titulus: *Trium dierum via*, in quo de purgativa, illuminativa & unitiva vita subdivisis meditationibus agit; ex quo jugis orationis exercitio proculdubio emanavit insignis humilitas, fortis patientia, sui contemptus, continua mortis memoria, quibus opuscula sua jugiter redundant. Inter morborum molestias, & negotiorum curas chori frequentationem nunquam prætermittebat. Secundam post quinquaginta annos professionem emisit, secundas item sacras primitias anno 1667. in festo sacratissimi Corporis Christi, in præsentia Eleonoræ Gonzagæ imperatricis viduæ, cui erat familiaris & a consiliis, nec non totius Cæsareæ aulæ obtulit. Demum annum agens octuagesimum-sextum ad præmia æterna evolavit in eadem sancti Josephi eremo.

XXIX. Et Aloysii Massei pœnitentis eremitæ.

SUBJICIMUS Silvano Bosello alterum insignem eremitam Camalduli-majoris in Etruria, qui die XXVIII. augusti pœnitentiarum & virtutum suarum præmium a Deo accepit. Is fuit Aloysius Masseus Lucensis, de quo annis præteritis plura collegimus, qui quinquagesimo-septimo ætatis suæ anno, trigesimo autem quarto suæ conversionis, probatus a Deo tamquam alter Job, mortem suam ante aliquot dies prævidens, orationi assiduæ insistens vel ipsis gravissimæ infirmitatis diebus, feretro illato in cellam ad faciliorem mortis meditationem, e strato surgens hora proxima mortis, & sedi innixus, supra quam omnes fere noctes vitæ suæ insomnes duxerat, atque acerbissimos cruciatus perpessus fuerat, placidissime expiravit hora XIX. ejusdem diei. Sanctum Ludovicum Galliarum regem, cujus devotissimus erat, ætatisque etiam annos gerebat, instantissime oraverat, ut die ipsius natalitia contingeret sibi

 exces-

ANN. CHR. 1679.

excessus ex mundo, quietumque sibi imploraret transitum, quandoquidem tremenda Dei judicia cum ingenti metu expavesceret. Primam petitionem Deus non exaudivit, vitamque Aloysii ad tres post sancti Ludovici festum dies prorogavit; secundam autem plane audivit, cum spiritum exhalaverit tranquillo hilarique vultu, quem ad sepulcrum usque retinuit. Cum ad lavandum de more corpus accederent famuli, non sine stupore sanguine aspersa tunicellam interiorem & femoralia conspexerunt, licet neque catenis, neque ciliciis constringeretur, sed sanguinem expresserant ab omni parte corporis animalcula, quæ pungebant ejus membra, absque eo quod ullum unquam signum doloris vel impatientiæ dedisset, dum viveret, neque auderent ea insecta contingere eos, qui patienti servitutem præstabant, sicut posteaquam lotum fuit ejus corpus, totam cellam infestare, continuarunt, itaut alter eremita Evangelista a Bucena, qui eamdem cellam devotionis gratia inhabitandam requisierat, post quatuor menses ipsam deserere coactus fuerit. Repererunt quoque ministri corpus Aloysii fasciis totum cingulisque pannosis constrictum; quibus solutis apparuit scheletum cum ossibus & arida pelle, in aliquibus etiam locis macera. Aperto cadavere intestina omnia & præcordia inventa fuere marcida, & durus lapis in cista fellis, obstupueruntque omnes, qua ratione vivere ipse tamdiu potuisset, & quomodo tot horis super pedes insistere valuisset, dum sacris aderat mysteriis divinisque officiis, nullo fulcro innixus. Forte eo tempore, quo nondum demandatum fuerat terræ corpus Aloysii, ad solitudinem Camaldulensem pervenit Paulus Segnerius insignis missionarius S. J. qui tunc Puppii verbi Dei concionatorem agebat, sed sancti eremitæ audita morte, convolaverat ad eremum, & expostulatione facta, quod admonitus non fuisset, ut interesset dormitioni carissimi amici sui, sacram ejus faciem exosculatus est, inde genibus ad terram positis, & oculis in cœlum elevatis, ad præsentiam cadaveris, continua lacrymarum effusione per integram horam perstitit, & silentio ac oratione ad Deum ei parentavit, ac denuo osculi signo impresso illius fronti abscessit. Alter eremita digitum ejus pedis osculatus, eodem momento a tentatione, qua eatenus vexatus fuerat, liberatus est. Humatum fuit Aloysii cadaver ad suppedaneum altaris capituli a cornu epistolæ in capsa abiegna, & super membranam reconditam in tubo plumbeo exarata fuit hæc simplex memoria: *Questo è il corpo del M. R. P. D. Luigi Massei de Lucca sacerdote eremita di Camaldoli, morto nella cella dell' Annunziazione, a ore 21. del XXVIII. agosto 1679. di età di anni cinquanta-sette, avendo tenuto per lo spazio di anni 34. in circa vita di racchiuso, coll' aver dato nel fine della sua vita segni probabilissimi di sua salute.* Non defuere miracula post ejus mortem, vel ipsius nomine invocato, vel applicatis rebus, quæ ad ejus usum inservierant, quæ brevi calamo collegit episcopus Arretinus Falconcinius vitæ Aloysii scriptor anno 1718. sed ante illum eremitæ Camaldulenses solliciti de illustrando nomine & gestis sancti viri, literas dederunt tum Cæsari congregationis Oratorii, tum Josepho S. J. Aloysii fratribus, tum etiam Francisco Guinisio generali congregationis Matris Dei, qui fuerat ipsius confessarius, spiritusque moderator, ut vel monumenta communicarent, vel vitam exararent pii eremitæ. Prodiit ergo Florentiæ anno 1689. typis Martini vita Aloysii Massei descripta a Josepho Manuccio sacerdote Puppii, cum aliquot piis & salutaribus epistolis, quam tamen conqueritur præfatus episcopus Falconcinius breviorem fuisse, neglectis ab abbreviatore pluribus,

bus, quæ ſanctitatem eremitæ Maſſei illuſtrare potuiſſent. Cum inſtauraretur anno 1735. capituli pavimentum, inventum eſt incorruptum ejus corpus, & intra nuceam capſulam cum inſcriptione membranacea fuit iterum depoſitum.

ANN. CHR. 1679.

XXX. Et Innocentii Matthæji abbatis.

TERTIUM addimus obitum viri, ſed inter monachos, quo orbatus fuit hoc anno ordo Camaldulenſis, Innocentii nimirum Matthæji abbatis. Innocentius Matthæjus originem ducens ex oppido Vectiano haud obſcuro apud fluvium Macram in Liguria, Romæ natus anno 1626. ex Matthæo patre, decimo-ſeptimo ætatis ſuæ anno cum Aloyſio conſobrino monaſticam togam induerat in Claſſenſi monaſterio, & profeſſionem emiſerat anno ſequenti 1644. coram Auguſtino Meloſio Romano theologo doctiſſimo, abbate tunc Claſſenſi pridie idus junii. Romam reverſus ſtudia ſua omnia in Mathematicas contulit diſciplinas, in quibus adeo profecit, ut Clemens X. & Innocentius XI. ſummi pontifices Innocentium in Geographum ſuum ſibi adſciverint, & ſacris monumentis inveſtigandis deſcribendiſque præfecerint; Camillus vero Pamphilius princeps, antea cardinalis, ei tradiderit imbuendos filios ſuos Johannem-baptiſtam, & Benedictum, qui poſtremus cardinalis evaſit. Periere, quæ vaſtam Innocentii eruditionem doctrinamque declarabant, opera, pauca autem ſuperfuere ex fœdiſſimo incendio, igne voratis fortuito prope Ariminum ceteris ejus lucubrationibus cum ſuppellectili, libris, inſtrumentiſque mathematicis, dum ex Umbria in Æmiliam veherentur. Pridie kalendas februarii anni 1673. a Clemente X. abbatialibus infulis ornatus, in comitiis Romæ habitis hoc anno 1679. Peruſino ſancti Severi monaſterio præficitur; die XVII. julii ejuſdem anni viſitator electus, ex Peruſio, ubi non modicam de ſe opinionem excitaverat, Faventiam concedit, ibique octobri menſe e vivis immature rapitur in divi Hippolyti cœnobio, ubi, & tumulatus fuit. Quæ ſuperſunt hæc ſunt: *Tabula antiqui Latii & novi agri Romani* Sigiſmundo Chiſio Urbis priori Hieroſolymitano (poſtea cardinali) dicata Romæ typis æneis Johannis-Jacobi de Rubeis. Hanc vero tabulam Athanaſius Kirkerius e S. J. ſuo in antiquo Latio non ſine auctoris laude tranſcripſit. *Tabula topographica agri Romani cum eorum omnium deſcriptione, quæ ad profanam ſacramque hiſtoriam, præcipue vero ad Martyrum agones illuſtrandos pertinent*, erudito ac ingenioſo compendio appoſita, ad Aloyſium Matthæjum marchionem pontificiarum legionum imperatorias vices gerentem; Romæ apud ſucceſſorem Maſcardi anno 1674. *Deſcriptio geographica univerſæ ditionis pontificiæ, urbis Avenionis & comitatus Venaiſini, nec non Beneventi atque Etruriæ*, ſervatur ms. in archivo ſancti Hippolyti Faventiæ. *Tractatus de architectura militari* ms. *Tractatus de arithmetica* ms. *Tractatus de geometria* ms. *Iſagoge de ſphæra* ms. *Introductio ad rem meteorologicam* ms. *Series chronologica de Romanis pontificibus uſque ad Alexandrum VII.* ms. *Series chronologica imperatorum & regum Italiæ eorumque uxorum cum brevibus notis ad rem nummariam ſpectantibus* ms. *Miſcellanea aſtrologica & alia quamplura fragmenta mathematica*; quæ non ſecus ac pleraque ſuperius recenſita aliquot foliis conſtant ſemiuſtis; pauca enim integra omnino e flammis ſana prodiere. Aſſervantur hæc omnia in eodem archivo. *De Horologiis orizontalibus, verticalibus & inclinatis cum tabulis aſtronomicis*: Extat hoc opus in bibliotheca ſancti Gregorii de Urbe. *Eruditum & ingenioſum non minus quam doctum* Innocentium Matthæjum appellat Nicolaus Nardinus in apologetico de cathedra epiſcopali Nepeſina; Antonius autem de Effectis in monumentis

ſancti

ANN. CHR. 1679.

sancti Nonnosi & Montis-Soractis scribit Matthæjum *ingenio, studio, ac sedulitate mirabili edidisse tabulam geographicam agri Romani*; Augustinus Oldoinus *virum maximi ingenii, ad virtutem, dignitatem & gloriam natum, inter nostri seculi doctrina præstantes viros merito connumeratum*. Demum ipsius meminit cum multa laude Prosper Mandosius eques sancti Stephani in Bibliothecæ Romanæ volumine II. centuria X. numero 33.

XXXI. Aliquot monumenta collecta.

INNOCENTIUS X. die XXII. aprilis pontificatus anno III. confirmat decretum dictæ Camaldulensis congregationis editum anno 1676. ut deinceps suprema quatuor officia ordinis, generalis abbatis, duorum visitatorum, & procuratoris generalis distribuantur alternatim & æque in omni provincia, ita ut ea provincia, quæ habuerit generalem abbatem, sequenti capitulo habeat visitatorem, ita tertio capitulo procuratorem generalem, quarto alium visitatorem, quinto denuo habeat abbatem generalem, & sic imposterum. Pariter anno præsenti die XXV. februarii concedit indulgentiam plenariam visitantibus ecclesiam sancti Romualdi de Urbe, in qua ad diem XXII. aprilis & sequentes celebrandum erat capitulum generale monachorum Camaldulensium, in quo electus fuit XXVI. aprilis in abbatem generalem Silvanus Tannucius a Stia cum Augustino Magni Ravennate, & Johanne-maria Rossino Veneto visitatoribus. Obeunte Silvano generali die XVII. novembris brevi pontificio suffectus fuit Benedictus Georgius Monsabinas, sicuti ob mortem secutam Augustini Magni die XXVI. julii in visitatorem cooptatus fuit Innocentius Matthæjus, & in locum hujus defuncti mense octobri Gabriel Benedicti Faventinus, & demum defuncto Gabrieli anno 1681. die XXIV. junii subrogatus est Romualdus Felinus Bononiensis.

Bonifacius Sertorius Patavinus monachus Camaldulensis edidit Patavii orationem, cui titulus: *In columbarum gemitu discedenti e præclarissimi Carcerum monasterii gubernio optime gesto reverendissimo ac præstantissimo P. D. D. Gregorio Cappasanta Vicetino abbate*. Ejusdem Bonifacii extant carmina etiam de corpore sanctæ Argyridis, ut adnotavit Cannetus.

A capitulo generali eremitarum Taurinensium concessa fuit hoc anno aggregatio eorum congregationi, & participatio bonorum spiritualium confraternitati Disciplinantium sanctissimæ Trinitatis Villæ-franchæ Pedemontii.

XXXII. Epistola nobilium Polonorum pro conservando ordine eremitarum Camald.

GUM rumor excrevisset in Polonia sanctissimum pontificem Innocentium XI. ut suppetias ferret ei regno ad arma movenda contra Othomanicam rabiem, decrevisse supprimere eremos hoc seculo fundatas ordinis Camaldulensis in regno præfato Poloniæ, & convertere earum redditus in beneficium militarium copiarum, sequentem supplicem, sed fervore plenam epistolam ad eumdem pontificem dederunt palatini, & optimates regni; ex qua in cognitionem venimus, quanto amore prosequerentur ipsi cœtum eremiticum Camaldulensem hoc seculo in eorum regionibus instauratum.

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater
Domine, domine clementissime.

Post oscula beatorum pedum Sanctitatis Vestræ, nostri Senatus tam regni, quam magni ducatus Lithuaniæ humillimam commendationem. Paternam Sanctitatis Vestræ circa rem christianam, præsertim vero circa

ca regnum nostrum sollicitudinem, ut nos tot ab experimentis filiali veneramur cultu, ita constanti fama orbis christianus dum celebrat, passim illi percrebescunt rumores, Sanctitatis Vestræ consiliis hoc quoque insinuari, ut suppresso eremitarum Camaldulensium ordine, bona & proventus bello Turcico, regni vero hujus subsidio impendantur. Dici vix potest, Beatissime Pater, quos animorum motus in regno hoc ciet memorati consilii rumor, cum tanta sit silentiarii cœtus inter liberas gentis nostræ voces veneratio, tanta candoris Romualdini cum ingenuitate Polona affinitas, ut non nisi tristi divortio ab iis divelli valeant, quorum, quo pauciora in regno hoc eremitoria, eo cariora. Vivunt hucusque primarii regni hujus proceres, aut eorumdem filii, qui hæreditarias opes ad fundanda dicti ordinis eremitoria pro gloria Dei, pro salute animarum suarum quanto liberalius profudere, tanto acerbius (ceu raptis catulis tygrides) ferrent hanc suppressionem; potius, ut nobis disertis declararunt verbis, pro ea, qua gaudent, auctoritate, & vetandi potestate, bellum Turcicum, tractatumque Zoraunensem toleraturos, quam tantam pro animabus suis suffragiorum subituros jacturam. Et quamvis Sanctitatis Vestræ in dictum ordinem indubiam eamque supremam venerentur potestatem, ad bona tamen hæreditaria, si ordo sup. primatur, justum se credunt habituros regressum. Cum vero nonnisi unicum Polonia recenseat exemplum; suppressum quondam, justissimo summi pontificis decreto, Templariorum ut per orbem, ita apud se ordinem, bonaque eorum ad hæredes rediisse suos, tanto dolentius ad præsens ferunt, hominum mitissimos, religiosorum modestissimos, humana a societate abstractos cœtus, ne brutis quidem sylvestribus molestos viros, sceleratorum quorumdam hominum interire fato, in tantum ut sacro horrore credant militem non attrectaturum stipendia, quæ inde pararentur. Fastidirent profecto Sanctitatis Vestræ aures, si cunctas memoratorum procerum hac in materia recensere querelas contenderemus: innuisse hæc altissimo Sanctitatis Vestræ judicio sufficit, non esse tanti exiguum, quod ex suppressione paucarum harum & tenujum in Polonia fundationum oriretur subsidium, ut ejus causa tot difficultatibus, tot perplexitatibus pientissima Sanctitatis Vestræ in juvanda Polonia intentio impleatur, opportunaque gerendarum pro christianitate inturbetur occasio. Quod ipsum filiali fiducia dum reverentissime exponimus Sanctitati Vestræ, consilia, quæ procerum & popularium nostrorum animos ad revolvendum pium sacrumque bellum, ad strenue gerendum, & gloriose terminandum, sine motu & metu sint accensura, maximique Sanctitatis Vestræ nominis amorem & reverentiam in cordibus eorumdem plantatura. Longævum interea orbis christiani regimen Sanctitati Vestræ devotissime apprecamur.

Sanctitatis Vestræ obsequentissimi & humillimi filii regni Poloniæ & magni ducatus Lithuaniæ utriusque status senatores.

Stephanus episcopus Posnaniensis.
Andreas Trzebisci episcopus Cracoviensis.
Stanislaus episc. Luconensis.
Casimirus episc. Samogitiæ.
Stanislaus episc. Chelmensis.
Stanislaus episcopus Kyoviensis Ezerniechoviensis.
Casimirus Johannes coadjutor episcopi Posnaniensis.
Stanislaus princeps Lubomiscius magnus regni Poloniæ mareschallus.
Christophorus Pac supremus magni ducatus Lithuaniæ cancellarius.

Michael

ANN. CHR. 1679.

Michael Pac palatinus Vilnensis supremus magni ducatus Lithuaniæ exercituum dux.

Benedictus Sapieka supremus thesaurarius magni ducatus Lithuaniæ.

Uladislaus regius palatinus Lublinensis.

Casimirus Sapieka palatinus Sadonensis.

Martinus de Kozielsko Oginski palatinus Trocensis.

Venceslaus a Leszno palatinus terrarum Podlachiæ.

Johannes Antonius Chrapocoichi Vitebuensis palatinus.

Stanislaus Potoschi palatinus Chioviensis.

Johannes Opalinski palatinus Posnaniensis.

Petrus Opalinski palatinus Loncisensis.

Nicolaus Priezdziescki castellanus Novo-gradensis.

Præcipuus promotor hujus epistolæ fuit Christophorus-sigismundus Pac, qui etiam prius literas dederat cardinali Vidono protectori regni Poloniæ, & protectori simul congregationis Camaldulensis, & etiam scripserat regi & reginæ Poloniæ, ne regnum Poloniæ privarent eremis & præsentia eremitarum Camaldulensium, protestatus nomine suo & ceterorum fundatorum, nunquam se passuros ipsorum dispersionem, vel applicationem reddituum ipsorum in usum belli, quinimmo omnia facturos, ut Camaldulenses eremitæ in pacifica possessione retinerentur. Pactio respondit cardinalis Vidonus rumorem diffusum verum fuisse quoad suppressionem aliquot religionum, sed non profecto religionis antiquissimæ & exemplarissimæ Camaldulensis, quam summus pontifex nunquam animo proposuerat delere.

Cum die XIX. decembris anni 1671. Clemens X. indulgentiam plenariam concessisset omnibus fidelibus visitantibus ecclesias monachorum & monialium ordinis sancti Benedicti die XXI. martii, sacra eidem sancto Benedicto, & cum aliquando contingeret & contingat festum hujusmodi occurrens in hebdomada majori, vel in subsequente resurrectionis Dominicæ debere transferri post octavam Paschatis; Innocentius XI. die XXVI. septembris pontificatus sui anno III. transferendam decernit etiam indulgentiam acquirendam eo die, ad quem contigerit festum sancti Benedicti transferri; idque concedit pro instantiis sibi præsertim factis a procuratoribus generalibus congregationis Casinensis, & Hispanicæ.

ANN. CHR. 1680. XXXIII. Mors Mauri Cursii episcopi San-miniatensis.

MAURUS Cursius patritius Florentinus, & ex abbate Camaldulensi sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia episcopus Sancti-miniatis, post decreta synodi diœcesanæ Miniatensis edita Florentiæ ex typographia Francisci Honufrii anno 1667. post restauratum episcopale palatium, & cathedralis ecclesiæ sacrarium refectum & ampliatum, diebus ac meritis onustus nonagenarius obiit die XXX. decembris hujus anni, cadavere ejus in sepulcro, quod vivens sibi præparaverat in cathedrali ejus urbis condito, & posthabito altero familiæ, quod itidem instauraverat in capitulo monasterii sanctæ Mariæ-angelorum, adjecta inscriptione, quam subjungimus ex Ughellii Italia sacra [a]. *Mauro Cursio Florentino, in baptismate Antonio vocato, Camilli Cursii filio, ex ordine Camaldulensi abbati, qui per tres & triginta annos varia fortuna in suo ordine diversa gubernacula cum administrasset, ab Alexandro VII. summo pontifice suæ Camaldulensis familiæ visitator generalis factus, tandem ab eodem pontifice episcopus hujus civitatis in publico consistorio renuntiatus fuit anno* M.DC.LXII. *qui mensæ prædia quammaxime excoluit, & redditus auxit, aulam episcopalem resarcivit, capitulo suorum canonicorum reddi-*

[a] T. III. col. 281.

redditus perpetuos reliquit cum onere celebrandi quolibet anno tria anniversaria sollemnia, ut ex instrumento rogato Philippi de Franchinis curiæ episcopalis cancellarii anno Domini M. DC. LXIV. *Cursum tandem consummavit tertio kalendas januarii* M. DC. LXXX. Subdimus & alia Cursii monumenta diligentia illustrissimi & doctissimi Dominici Poltri episcopi San-miniatensis viventis ad nos humanissime transmissa. In lapide marmoreo episcopalis palatii legitur: *Hanc superiorem partem episcopalis aulæ prorsus in maceriem redactam Maurus Cursius abbas Camaldulensis Sancti-miniatis episcopus restauravit, & cameras laterales, & scalam cocbleam extruxit, & frontem resarcire curavit anno Domini* M. DC. LXIII. In ecclesia collegiata Castri-franci diœcesis San-miniatensis sequens matri epitaphium posuit: *D. O. M. Victoriæ Miniæ Stephani filiæ, quæ Camillo nupsit, & ex eo filios suscepit, qui cum hujus terræ pro serenissimo Cosmo secundo M.D. Etruriæ præfecturam gereret, puerpera obiit cal. maj.* M.DC.X. *& in hac venerabili ecclesia sepulta, Maurus Cursius, in seculo Antonius, abbas Camald. & episcopus sancti Miniatis, primus ejus filius dulcissimæ matri monumentum ponendum curavit, & fundo pacto pro celebrando anniversario in perpetuum pro ejus, ipsius, & suorum anima R.R. D.D. præpositum & canonicos obligavit, ex rogitu ser Philippi de Franchinis Miniat. A. D.* M.DC.LXV. Sed & versu præstabat episcopus Cursius, quandoquidem ipsius fœtus credimus duas sequentes inscriptiones ad instar inscriptionum seculi XII. & XIII. concinnatas. In conventu itaque patrum Cappuccinorum prope urbem San-miniatensem legitur hujusmodi monumentum.

ANN. CHR. 1680.

Secula bis octo tredecim quoque lustra secutus
Annus post partum Virginis unus erat.
Sol mense octavo decies recessus ab Indis
Festivum afflabat ore micante diem.
Cum templo hoc divo Miniati aramque sacravit
Antistes Maurus Cursius ore, manu.
Hic monachos abbas, & clerum præsul honorat
Præfulgens meritis, nobilitate, mitra.
Ipse quadrageniam veniæ hic dedit esse quotannis
Cursius ut cursum liberum ad astra daret.

Alterum simile in pariete ecclesiæ monialium sancti Pauli urbis San-miniatensis.

Jam sexto & decimo revoluto in tempora sæclo
Annus erat supra septuaginta prior.
Cum Maurus Corsi præsul triduo ante calendas
Octobris templum hoc præbuit esse sacrum.
Annua sed celebri peragit sollemnia ritu
Ultima in Augusti mense dies Domini.

XXXIV. Et aliorum piorum eremitarum.

OBIERE etiam circa hæc tempora plures eremitæ Coronenses, quorum sequentia verba leguntur in elogiis piorum virorum. Michael-angelus de Sancto-angelo a Scala eremita Neapolitanus in eremo sancti Salvatoris, *a dignitatibus summe alienus, qui factus prior ab officio se abdicavit, fuitque constitutionum eremiticarum etiam minimarum exactissimus observator;* Frater Arsenius conversus in eremo Montis-coronæ *abstinentia & tolerantia singularis;* Petrus-jacobus Romanus *summæ tranquillitatis, & omnibus ob eximias virtutes amabilis;* Paulus Perusinus *in omnibus artibus ingeniosissimus, & vix imitabilis, sed animi dotibus subli-*

Ann. Chr. 1680.

blimior; in Monte-corona frater Antonius a Castro-ficardo *integer, sceleristque purus, & admirandæ abstinentiæ.*

Quinta januarii in monasterio sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone ad sponsum evolavit Angela-plautilla ex nobilissima familia Incontria, filia Michaelis-angeli patritii Volaterrani, professa ab anno 1623. die XX. augusti, undecim cum esset annorum. Vixit in eodem parthenone LXII. annos. Pulcra facie, sed corpore ita attracta, ut deformis esset, & ossa laterum conjungerentur cum stomacho, ita pariter ab infirmitatibus incurvata fuerat, ut in postrema sua ætate capite quasi pertingeret ad terram. In tantis incommodis numquam exiit ab ejus ore vox impatientiæ. Anno sexagesimo-quinto suæ ætatis in abbatissam electa, promptissima fuit ad omnia munia. Post expletum hocce officium cumulata doloribus, quinque annis lecto decumbens supervixit, frequentia orationis, humilitatis & patientiæ singularis. Viginti annis post obitum inventum fuit ejus cadaver incorruptum, immo ipsa tunica, & flores coronæ venusti & vegeti, qui marcescere imprimis debuerant, perinde ac ipsa die sepulturæ tradita fuissent.

Ob homicidium inter duos laicos sequutum in monasterio sanctissimæ Trinitatis Montis-herculis decrevit sacra congregatio ad episcoporum & regularium negotia constituta, episcopum Montis-feretri nullum jus habere in examine hujus causæ, sed eam omnino spectare ad abbatem generalem Camaldulensem, ad cujus jus pertinebat idem monasterium.

Alia congregatio Cardinalium super statu Regularium præcepit abbatibus Camaldulensibus, ne juvenes monachos e tirocinio educerent, nisi post ipsorum ordinationem ad diaconatum, sub pœna amissionis vocis activæ & passivæ ipso facto incurrenda. Datum die XVII. martii anno M.DC.LXXX. cardinale Cæsare Facchinetto ponente, Benedicto Panciatici a secretis, ut eruitur ex epistola ejusdem sacræ congregationis ad abbatem generalem ordinis. Si vero aliquando contingeret, ut ante diaconatus officium necessum foret aliquos e tirocinio extrahere, vetitum, ne id fieret sine licentia prædictæ congregationis.

Ann. Chr. 1681.

XXXV. De Johanne-maria Raynerio eremita & Antonello abbate, eorumque scriptis.

DECESSIT hoc anno in Vicetina Centralis eremo Johannes-maria Raynerius Nucerinus eremita Coronensis, professus autem in eremo Rhuensi Patavina. Scriptum reliquit, & Patavii apud Petrum-mariam Frambotto edidit anno 1670. tacito sui nomine: *L'Ajo fedele all' anima divota nel corso di questa vita mortale per il vero acquisto della perfezione necessaria a tutti i religiosi e secolari.* Ejus quoque fœtus est: *Praxis Missæ privatæ juxta rubricas Missalis impressas*; alter pariter tractatus *de Alienationibus.* Fuerat Johannes-maria sacerdos secularis, appellatus Augustinus, & humaniores literas tradiderat, publico ductus stipendio in oppidis Scledi, & Castri-franchi, cujus postremi loci civitate donatus etiam fuerat.

Aurelius pariter Antonellus Pisauriensis abbas Camaldulensis ex professione Fontis-avellanæ demortuus est hoc eodem anno 1680. Ejus scripta adservantur in bibliotheca Classensi; nempe *excursiones in tres hymnos sancti Patris Romualdi ad Petrum Ferraccium abbatem generalem. Sanctissimæ Deiparæ Rosarii meditationes. In canticum canticorum Salomonis brevis & dilucida explanatio. Carmina extemporanea. Ad Julii-cæsaris Scaligeri epidorpidem ad heroici carminis metrum traductam libri sex. Hippolito, tragedia di Lucio Anneo Seneca in lingua e rima Toscana trasportato, e di annotazioni adornato. Satyrarum liber unus. Missarum &* Anti-

Antiphonarum in cantu Gregoriano liber unus. Typorum, vulgo *del Disegno*, artem didicerat Antonellus a celebri pictore Guido Renio. De ipso cum laude loquuntur Crescimbenius tomo V. pagina 279. Grandius, Mazzucchellius pagina 852. Ziegelbaur in Centifolio, aliique; mentio quoque ipsius fit in Collectione Calogeriana opusculorum tomo xxxv. pagina 391.

Ob mortem Petri Vidoni S. R. E. cardinalis electus fuit in protectorem ordinis Camaldulensis, sed ad breve tempus, cardinalis Michael-angelus Riccius; post ipsum vero cardinalis Franciscus Nerlius Florentinus.

XXXVI. De Herculano Fundano eremita, Eleonoræ imperat. legato.

Die vii. januarii hujus anni Eleonora imperatrix commendavit patribus Coronensibus Herculanum ab Itri vel Fundis eremitam Camaldulensem suorum negotiorum gestorem sequenti epistola: *Honorabilibus, religiosis, devotis nobis, dilectis patribus Majori & visitatoribus generalibus eremitarum Camaldulensium Romæ. Eleonora Divina favente clementia Romanorum imperatrix, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ regina, archiducissa Austriæ, nata princeps Mantuæ, & Montis-ferrati salutem & benevolentiæ nostræ affectum. Honorabiles, religiosi, devoti, nobis dilecti patres. Jam dudum nota est paternitatibus vestris Cæsarea fiducia nostra, quam in personam patris Herculani religionis vestræ filii, utpote viri prudentis, pietate, moribus & rerum gerendarum experientia & dexteritate præstantis collocavimus. Jam rerum nostrarum, quarum etiam aliarum exigentibus curis eumdem patrem Venetias & alio per Italiam duximus ablegandum, quo illæ sine publico strepitu & apparentia facilius perfici valeant & promoveri. Id quod tam Cæsare dilectissimo filio nostro, quam etiam hujusce eremi superiore præsciis & approbantibus, per nos resolutum est, ac demandatum. Placet proinde hoc ipsum etiam paternitatibus vestris insinuare, certa spe fretæ, ut eædem non solum id sint consensuræ, sed in personam prædicti patris Herculani, prout impense requirimus, publicam obedientiam cum antedata expedituræ, qua per verba generalia servitium nostrum nedum exprimentia, quinimmo sub ea generalitate religionis negotia inibi gerenda comprehendere ac designare valentia, Venetias & alio per Italiam se conferre jubeatur. Sumet exinde congruum erga religionem vestram augmentum Cæsarea propensio nostra, quam data opportunitate actu exhibere paratæ, prospera omnia paternitatibus vestris exoptamus. Datum Viennæ die* vii. *januarii* 1681.

Eumdem patrem Herculanum anno sequenti tamquam suum ablegatum commendavit cardinali Carolo Pio Germaniæ protectori Leopoldus imperator epistola, quam subnectimus: *Leopoldus divina favente Clementia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Chroatiæ, Sclavoniæ rex, archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wittenbergæ, comes Tiroli, reverendissimo in Christo patri domino Carolo S. R. E. tituli sanctæ Mariæ Trans-tyberim presbytero cardinali Pio, nationis Germanicæ, regnorumque & dominiorum nostrorum hæreditariorum apud sedem apostolicam protectori, amico nostro carissimo salutem ac benevolentiæ nostræ affectum. Reverendissime in Christo pater & amice carissime. Plurimis rerum argumentis edocta affatim novit reverendissima paternitas vestra, quam sollicite consultum cupiamus iis, qui de ecclesia catholica, tum reipublicæ bono & salute acriter mereri student. Ex eorum numero est pater Herculanus Camaldulensis vir doctrina, pietate, aliisque virtutum ornamentis instructus, quorum dum hic primum, ac deinceps Venetiis apud oratorem nostrum illic ageret, diversa egregiaque experimenta dedit. Post-*

Ann. Chr. 1681.

quam nunc Romam se confert, negotia, quæ sibi incumbunt, explicaturus, hisce eum comitari, ac reverendissimam paternitatem vestram amice requirere voluimus, velit dicto patri Herculano, ubi id postulaverit, favorem suum commodare, ut rebus suis rite peractis, eo promptius ad nos reverti queat. Nil dubitantes, quin reverendissima paternitas vestra desideria nostra alacriter explendi voluntatem haud interruptam servet; gratiam & benevolentiam Cæsaream eidem propense confirmamus. Datum in civitate nostra Viennæ die XXVIII. *mensis octobris anno* 1682. *regnorum nostrorum Romani* XXV. *Hungarici* XXVIII. *Bohemici vero* XXVII. *Leopoldus. Leopoldus Guillielmus comes in Kinigseggs.* Memoriam facit ipsius D. Basilius. *Taceo*, inquit, *R.P. D. Herculanum Vigna, Fundis in Italia oriundum, in sacra eremo Montis-coronæ anno* 1663. *die* XXI. *novembris professum, & Viennæ anno* 1671. & 72. *necnon* 76. & 77. *prioratu laudabiliter & utiliter functum, ac linguæ Hispanicæ & Germanicæ, præter linguam Italicam nativam ex asse gnarum, de quo noster venerabilis pater Silvanus Bosellus tantam habuit opinionem, ut animi sui fœtus lectu & doctrina dignos, scriptaque sua ejus censuræ judicio submiserit, eumque in dubiis magistrum coluerit, ut videre est in epistola* 81. *quam illi inscripsit his verbis:* „ *Adm. rev. patri Herculano Vigna, patria Fun-* „ *dano, domicilio Siculo, affectu Hispano, eremi Cæsareæ priori &c. Tu,* „ *mi Herculane, si aberro, in viam reduc, & doce &c.*" *Qui ubi & quando mortuus sit, non invenio, nullus tamen dubito, in patria sua vita functum ad patriam illam feliciorem transivisse.* Sed decessit Herculanus Romæ in hospitio sancti Leonardi ad viam Lungariam de Urbe die XXIII. julii anni 1683. meritis plenus, officium ablegati sustinens, quem etiam veneno ex invidia illi propinato sublatum perhibent.

Petrus Petra, sive de Petris Monsabinas congregationis Camaldulensis monachus, sancti Officii consultor, aliquot sui ordinis cœnobiis pie prudenterque rectis, olim visitator generalis, in præsens autem procurator generalis in curia Romana, electus fuit episcopus Collensis die XXVIII. julii hujus anni. Præfuit laudabiliter suæ ecclesiæ usque ad annum 1703.

Nicolaus Bartholinius, sive potius Bertholinus Bargensis clericus regularis congregationis Lucensis Matris Dei, Florentiæ ac Lucæ apud Marescandolos fratres hoc anno ex codice chartaceo bibliothecæ publicæ Mediceo-laurentianæ, hortante eodem Magliabechio, qui dederat, & notas paraverat, edidit Hodoeporicon Ambrosii generalis Camaldulensis.

Ann. Chr. 1682.

XXXVII. Synodus in abbatia Galeatana, aliaque monumenta.

Congregata fuit hoc anno synodus abbatiarum sancti Hilari de Galeata & sanctæ Mariæ de Insula, cujus acta anno sequenti typis impressa fuere cum hoc titulo: *Constitutiones & decreta synodalia insignium, & venerabilium abbatiarum sancti Hilari de Galeata, & sanctæ Mariæ in Cosmedin de Insula celebratæ ab eminentissimo & reverendissimo D. D. Urbano tituli sancti Nicolai in Carcere diacono cardinale Sacchetto & earumdem abbatiarum abbate magno ordinario, & commendatario perpetuo anno Dñi* M. DC. LXXXII. *die* XIII. *maji in ecclesia plebis sanctæ Mariæ de terra Civitellæ, præsidente in eis illius nomine perillustri & reverendo domino Ulysse de Gentilibus J. V. D. protonotario apostolico, & ejusdem eminentissimi abbatis superintendente & vicario generali. Foro-livii apud Joseph Silvam impressorem abbatialem S. Hilari de Galeata.* M. DC. LXXXIII. *in* 4. Ad paginam 46. leguntur nomina examinatorum synodalium, qui fuere: Archipresbyter Galeatæ; abbas Vultræ J. V. D., plebanus Civitellæ; plebanus S. Sophiæ; plebanus

nus Campo-sonaldi; plebanus Podii-lastræ; plebanus Corneoli; archipresbyter Ridiracoli; prior Seggii; prior Strabatentiæ; prior Peretulæ; prior S. Sophiæ; prior Meleti; plebanus perpetuus S. Hilari; prior Biserni; rector Nespoli; rector S. Crucis Labeglii.

Eremitæ Pedemontani decreto omnibus suffragiis excepto in dietali congressu hoc anno festum Conceptionis beatæ Mariæ Virginis extulerunt ad gradum sollemniorum festorum, uti celebrabatur apud ipsos festum Nativitatis ejusdem Deiparæ. Obiit apud ipsos die XIX. augusti Carolus-Amadeus Bottus Taurinensis, insignis sculptor lignarius, de cujus excellentissimo artificio egimus ad annum 1663. sed insuper religiosissimus eremita, & virtutibus singularibus ornatus, professus ab anno 1642.

Fortuito incendio conflagravit hoc anno die quinta decembris una ex duabus cellis ædificatis in eremo Camaldulensi a piissima & serenissima familia Farnesia, quæ nimirum dicata erat immaculatæ Conceptioni beatæ Mariæ Virginis, quæque inserviebat pro habitatione prioris eremi. Refecta fuit expensis sacri loci, eo quia in relatione incendii & in fundatoris nomine exprimendo erraverant eremitæ. Alia cella Farnesiana vocabatur sanctæ Mariæ-magdalenæ; extabat in hac postrema insignis pictura Guidi Renii, quam expetiit magnus princeps Ferdinandus Mediceus, & collocavit inter ceteras insignes imagines sui palatii Florentiæ, substituens pro ipsa aliam celebris, sed inferioris pictoris. Farnesia domus præterea ditaverat dictas cellas vestibus sacris, quæ tum ad decorationem altarium, tum ad amictum sacerdotum facerent; in iis erat vestimentum sacerdotale coloris violacei, acu textum, sed interspersum figuris Angelorum, quas depinxerat celebris Annibal Carraccius Bononiensis; superest planeta, nam stola & manipulus furtim sublata alibi translata fuere; alterum vestimentum ex pannis villosis & laciniosis multo artificio contextum adhibebatur ab eremitis in vigilia pentecostes.

Frequenter memoravimus propositiones fundationum factas eremitis præsertim Camalduli Etruriæ præsenti seculo tum in Italia, tum extra Italiam, quæ effectu caruerunt. Etiam sub hoc anno exhibita fuit ipsis eremi fundatio ad Montem-fegatesium, alia pariter circa hæc tempora in comitatu Cæsenæ inter Fractam & Formignanum; verum quia vel ex parte fundatorum, vel ex parte eremitarum irritæ cesserunt, idcirco super iis non immoramur, contenti dumtaxat eas innuere. Camaldulenses Etruriæ minus se extenderunt quam Coronenses, adeoque eorum eremi, præter insigniorem in jugis Apennini cum suo monasterio Camalduli-majoris, reducuntur ad eremum Fontanæ in agro Mantuano, ad Scardavillanam in territorio Meldulensi, ad Cortonensem, ad Januensem sanctæ Theclæ, & ad Senensem in Monte-cellesio, nisi computare velimus Taurinensem, quæ fuit propagatio Camaldulensis Etruriæ, ex qua prodiere aliæ tres Pedemontanæ coloniæ apud Clarascum, apud Bellimontem, & apud Lanzum. E contra Coronenses octo in Statu pontificio, sex in Veneto, sex in regno Neapolitano, sex in Polonia, unumque in Germania eremos fundaverant, quibus adjungendæ erunt, quæ in Hungarico regno præsenti & sequenti seculo erexerunt.

Commendationem abbatiæ sanctæ Mariæ de Fullina obtinebat hoc anno S. R. E. cardinalis Benedictus Pamphilius, qua gavisus est usque ad annum 1730. Obierat autem Franciscus Barberinus alter S. R. E. cardinalis anno 1679. qui eam possederat ab anno 1633.

FAMA

Ann. Chr. 1683.

XXXVIII. De eremo Viennensi tempore obsidionis urbis.

FAMA est hoc anno obsidionis urbis Viennensis visam fuisse albam columbam discedentem ab eremo Camaldulensi sancti Joseph quinque milliaribus ab urbe distanti, quæ circumvolavit, ubi erat dispositus exercitus Christianorum ad defensionem urbis, quod præsagium habitum fuit vicinæ liberationis ab hostili exercitu, quæ contigit die duodecima septembris. Id testatus est frater Marcus ab Aviano ordinis Cappuccinorum concionator & vir singularis bonitatis. Ea obsidionis occasione scriptum reliquit prior ejusdem eremi, appellatus Cerbonius, se multoties dimissionem petiisse ab onere prioratus, ad quem destinatus fuerat, sed ad meritum obedientiæ pervenisse Viennam feria II. die V. julii; sequenti die in finibus Hungariæ visos fuisse circumquaque ignes & flammarum globos, quibus Turcarum exercitus regiones devastabat, & comburebat castella & oppida, planitiem autem prope Viennam conflagrasse feria IV. quare ipse prior nil moratus, scripturas, libros, sacras reliquias, res sacrarii statim occultavit sub sua cella, & sub secunda, secumque tulit pecuniam, & librum prædiorum eremi una cum imperialibus privilegiis, & fugiit cum novem eremitis Lintzium, sed cum etiam in eo loco tutum se non crederet, descendisse narrat in Italiam, ceteris Bavariam versus iter dirigentibus, & aliquibus hinc inde palantibus. Post recessum hostium rediit prior Cerbonius cum sociis, omniaque, quæ absconderat, salva reperiit cum duabus cellis, licet cetera ædificia combussissent Turcæ, qui ibidem duobus mensibus stationem fixerant, & quamvis hostibus fugatis milites Christiani, & etiam villici regionis, pavimenta & muros fregissent, pro suffurandis absconditis rebus. Reditus ipsius ad eremum fuit die sexta novembris, & post purgatas cellas restaurationi loci operam impendit, prosequutique sunt nova ædificia ejus successores, Cæsarea etiam munificentia adjuti, ac ceterorum loci benefactorum. Duo adnotat memorabilia ad hæc tempora quoad eam eremum, humanissimus eremita noster Viennensis pater Basilius du-Vergius; alterum, quod cum eremus Viennensis quinquaginta ac eo amplius annis fontis beneficio aquarumque in usum religiosorum necessariarum, licet quæsitarum magnis laborum & sumptuum expensis, eatenus caruisset, in ipsa tamen beatissimæ Virginis Mariæ ad Nives festa die ultro fons scaturiverit ea tempestate, quo religiosa familia non modo, verum & imperatoria regiaque aula, & magnates quamplurimi, ac alii diversæ conditionis homines etiam a longinquis partibus ex medicorum præscripto dietim cum effectu salubri solatium & beneficium hauriunt, eo quidem mirabilius, quo arx sancti Leopoldi olim ab ejusdem incolatu & pio obitu percelebris, parumque dissita ab eremo, hujusmodi aquarum fonte usque modo maneat destituta.

Alterum, quod hoc anno obsidionis Paulinus unus ex eremitis extrema necessitate adactus cum sociis Silvano sacerdote, & ejusdem germano fratre Ignatio oblato, natione Austriacis ad serenissimam Bavariæ domum profugit, ibique benigne susceptus, locum solitarium Schleisheim vocatum, & ad inhabitandum ipsi gratiose deputatum, exemplari sua conversatione, non modica omnium ædificatione illustraverit. Extat folium typis tunc impressum continens carmen Italicum devotum, dicatum illustrissimo & excellentissimo comiti Gaunitz legato Cæsareo ad Bavarum ducem & electorem, occasione sollemnitatis sanctissimi patriarchæ Romualdi ibidem celebratæ, cui interfuit serenissimus elector. Profligato hoste postposuit Paulinus novam eremum Schleisheim, & Viennam rediit; eremus autem Bavarica conversa est in sumptuosissimum virida-

ridarium, quod delicias facit Bavaricæ ejusdem domus, erecto ibidem palatio, adjuncto patrum Cappuccinorum conventui.

Ann. Chr. 1683.

XXXIX. De Academia Concordium erecta Ravennæ.

In indice Magliabecchianæ bibliothecæ adnotantur sub numero 759. classis octavæ epistolæ Hortensii Bubanii monachi Camaldulensis ad ipsum Magliabecchium ab anno 1676. ad 1683. Sunt quinque epistolæ, in quarum postrema Bubanius die sexta aprilis hujus anni admonet Magliabecchium academicos Concordes monasterii Classensis ipsum elegisse in eorum socium. Academia Concordium erecta est siquidem circa hoc tempus in eo cœnobio sub auspiciis Fabii Guinisii archiepiscopi Ravennatis, ac hoc ipso anno collectæ fuere compositiones recitatæ in primo academicorum congressu, impressæ Foro-livii sub sequenti titulo: *Primizie delle Api dai più segreti fiori delle virtù di Romualdo il Santo*. Majora de ipsa Academia dicemus ad annum 1687. immo ipsius originem aperiemus.

Andreas Vallemannius abbas Camaldulensis synopsim vitarum nonnullorum Sanctorum Camaldulensium edidit Foro-livii hoc anno apud Josephum Sylvam.

Decessit Pancratius-maria Savius Florentinus monachus sanctæ Mariæ-angelorum, quem magnum scriptorem appellat, cujusque opera recenset Grandius in epistola ms. ad Petrum Cannetum anno 1700.

Circa hæc tempora proposita fuit fundatio eremitis Pedemontanis facienda in territorio Peveragni haud multum distanti ab urbe Cunei, exhibita a sindicis ejusdem loci in situ appellato *la Madonna del Borghetto*, sicut constat ex acceptatione hujus loci facta a patribus in capitulo generali hoc anno congregatis, qui animadvertentes alteram oblationem in territorio Pralormi, de qua inferius, subsidiumque promissum a commendatore Florentio Zavatterio, quo substentarentur quinque aut sex eremitæ, in nihilum recidisse, amplexi sunt novam, quæ ipsis objiciebatur, occasionem. Deputati ergo fuere eremitæ duo, Clemens Perlascus, & Melchior a Cuneo, qui locum examinarent, & referrent, an probabilis esset hujusmodi fundatio. Reapse duo deputati ibidem se contulerunt, excepti tamquam duo Angeli, per annum commorati sunt, exercitia vitæ eremiticæ eo modo, quo poterant, peregerunt, tum quoad nocturnam synaxim, tum quoad austeritates silentii & ciborum; præsertim Clemens, qui spiritu rigidiore ferebatur. Verum cum ex una parte exigua esset spes auxilii ab incolis Peveragni; ex alia autem eremus Taurinensis obnoxia tunc foret gravissimis expensis pro facta restitutione eremi Silvæ-majoris, duo eremitæ domum rediere, derelinquentes omnino conceptam fundationem. Patres Cartusiani Pesii quatuor milliaribus distantes se adstrinxerant ad subsidium vestium præstandum, sed pro formatione eremi, exilis erat hujusmodi contributio. Quoad alteram fundationem Pralormi, hæc exhibita fuerat prope ecclesiam sanctissimæ Virginis dictæ de Spina anno 1679. & iterum anno 1681. ab eodem commendatore Florentio Zavatterio, insigni ordinis Camaldulensis benefactore, qui plurimum insudaverat pro recuperatione eremi Clarasci. Verum mutato consilio, loco novæ fundationis, ædificavit in eremo Belli-montis cellam pro habitatione eremitæ, & altare marmoreum in ecclesia eremi, & instituit quotidianam Missam perpetuam, ac in ea eremo humari voluit indutus veste eremitica anno 1687. quo decessit, ubi etiam sequens apposita fuit memoria. *D. O. M. D. Florentius Zavatterius religionis SS. Mauritii & Lazari eques commendatarius, ut sibi & D. Camillæ amatissimæ conjugi anticipato suffragio prospiceret, inter*

Ann. Chr. 1683.

ter ceteras piorum operum institutiones libras decem mille argenteas monetæ Pedemontanæ pro quotidiano & nunquam intermittendo in hac ecclesia sacro annuatim & in perpetuum patribus eremitis erogandas mandavit, prout in novissimis ejus tabulis penes notarium D. Jacobum-antonium Canellum die prima januarii 1687. eodemque anno, dum adhuc in humanis uterque ageret, utriusque cineribus hoc sarcophago quietem præventiva destinatione paravit. Haud multum fraudatus est commendator Zavatterius hoc privilegio, defunctus die quarta novembris ejusdem anni 1687. & sepultus habitu eremitico ad pedes altaris sanctissimæ Conceptionis & sancti Romualdi, quod fundaverat. Conjux ipsius Camilla ad alias nuptias transivit. Ceterum ecclesia sanctæ Mariæ *del Borghetto* in territorio Peveragni, ubi eremitica statuenda erat solitudo, concursu populorum, & intercessione beatæ Virginis celeberrima evasit ob quotidiana ibidem patrata miracula, & custoditur modo a presbyteris secularibus, qui ei ecclesiæ inserviunt.

Vitam & obitum beati Nevolonis Faventini eremitæ descripsit & edidit Faventiæ hoc anno Julius-cæsar Parini lector ordinis sancti Augustini congregationis Lombardiæ. In alia vita ms. ejusdem Beati, quæ posteriori tempore exarata fuit, leguntur recentia miracula, quæ seculo XVIII. contigerunt intercessione ejusdem sancti viri.

Decessit Romanus Gandini Laudensis ex professione Classis, qui fuerat congregationis monachorum Camaldulensium præfectus generalis.

Ann. Chr. 1684.

XL. Historica plura simul collecta.

In tabulario sancti Romualdi de Urbe legimus sequentem officiorum recitationis concessionem factam Camaldulensibus: *Sacra Rituum congregatio ad pias preces eminentissimi & reverendissimi D. cardinalis Nerlii protectoris congregationis Camaldulensium ordinis sancti Benedicti porrectas pro R. D. Francisco-maria Ricci procuratore generali præfatæ congregationis, nomine etiam monialium ejusdem, benigne inclinata indulsit eisdem facultatem recitandi officium & celebrandi Missam respective nonnullorum Sanctorum monachorum ejusdem ordinis sancti Benedicti, nec non celebrandi festum sancti Benedicti, & sanctæ Scholasticæ cum octava, ad instar concessionis alias congregationi Casinensi factæ de mense februarii 1680. & de mense decembris 1683. congregationi Vallis-umbrosæ. Hac die XXIII. septembris 1684. N. card. Ludovisius. Benedictus Casalius Sacr. Rit. congreg. secret.*

Altera sacra congregatio per cardinalem Homodeum die prima octobris significavit per literas abbati generali Camaldulensium, ut observaretur breve Pauli V. sub die XXIV. aprilis anni 1607. §. *Præterea*; nimirum ut in monasteriis destinatis pro recipiendis novitiis, admitterentur illi dumtaxat, qui essent oriundi ex provincia, in qua forent novitiorum tirocinia. Cum tamen breve Paulinum utpote subreptitium, & sine assensu congregationis extortum, ab ipso anno, quo prodiit, vigorem in congregatione Camaldulensi non obtinuerit, revocatumque subinde fuerit per aliud Urbani VIII. nec circumstantia illa vestiendi novitios oriundos ex propria provincia vim legis habuit in eadem Camaldulensi congregatione tum præsenti, tum subsequenti seculo.

Johannes Marinettus Venetus abbas sanctæ Luciæ de Vicetia brevi pontificio emanato die quinta maji pontificatus Innocentii XI. anno octavo, secunda vice in capitulo generali apud sanctum Romualdum de Urbe eligitur in abbatem generalem ordinis Camaldulensis die secunda junii, datis ei in socios eadem apostolica authoritate Benedicto Geor-

gio

gio Monsabinate, qui cursum sui generalatus complebat, & Paulo-antonio Zaccarellio Meldulense abbate Classis, Francisco quoque Maria Riccio in procuratorem generalem confirmato, ceterisque capituli generalis definitoribus ab eodem Romano pontifice per idem breve electis. Die duodecima novembris anni præcedentis Gaspar cardinalis Carpineus ex decreto sacræ congregationis epistolam transmiserat ad Benedictum Georgium tunc temporis abbatem generalem, in qua ob solutiones capsæ Romanæ omissas ab abbatibus Venetis, Sanctitas sua vetabat accessum ad capitulum generale omnibus iis, qui integre non satisfecissent, declarando ipsos privatos voce activa & passiva, & adimendo cuicumque facultatem ipsos dispensandi, relinquens de cetero licentiam capitulo generali deveniendi ad exequutionem, & ad pœnas etiam contentas in aliis epistolis & decretis sacræ congregationis.

Ann. Chr. 1684.

Vigesima-sexta aprilis decessit in asceterio sanctæ Catharinæ de Cæsena Clara Maraldi sanctimonialis anno suæ ætatis LXXXI. Orationi & silentio jugiter vacabat, & non paucis vicibus conspexere ipsam ceteræ moniales a terra in aera sublevatam, dum orabat. Ad cœcitatem perducta summa patientia infirmitatem suam toleravit, quo tempore etiam seipsam exhibuit ministram pro advocandis aliis monialibus ad matutinas preces, quod munus ad mortem strenue implevit. Quadam nocte ante opportunum tempus e lecto surrexit, sed mirabiliter ab invisibili manu fuit ad cellam reducta, & convenienti tempore iterum voce supernaturali expergefacta. Dæmon, assumpta canis figura, frequenter super ejus crura se sternebat, dum noctu preces ad Deum fundebat ante matutinam synaxim; sed Dei famula ipsum objurgans & vilipendens, quod figuram canis assumeret, cogebat discedere, seque quietam relinquere. Pariter dum campanas pulsare volebat, idem dæmon funes sublevabat, sed Clara beatæ Virginis opem implorans obtinebat, ut funes relaxarentur, & gaudens eas pulsabat; tunc increpans dæmonem oblectabatur, quod signo campanæ excitarentur sponsæ Christi ad Deo laudes persolvendas, quas malignus hostis impedire volebat.

Marcus-antonius Pagius eremita Camaldulensis typis Januensibus Antonii Casamata ex Gallico in Italicum sermonem convertit librum inscriptum: *La vita nascosta con Gesù in Dio, composta da Enrico-maria Budone dottore in teologia, grande arcidiacono di Eureux*. Nescimus, an Marcus-antonius pertinuerit ad Camaldulenses Italiæ, vel ad Galliarum eremitas? sed facilius ad primos.

Inter Gallicanos eremitas decessit Simeon Dournel, in eremo sancti Ægidii de Besse, ubi erat prior, qui mortem suam præsentiit, quo obeunte populus omnis, qui ad ejus funus cucurrit, conquestus est magnis gemitibus Sanctum fuisse defunctum, rapuitque omnia ejus indumenta & quæ ad ipsum pertinebant.

Episcopus Monte-feretranus & consiliarii oppidi sanctæ Agathæ Montis-herculis obtulerunt congregationi monachorum Camaldulensium arcem dicti loci, ad ædificationem novi monasterii cum ecclesia, quod ob senium & antiquitatem fatiscebat.

Ann. Chr. 1685.

XLI. De imagine B. M. V. de Lacu, aliaque monumenta.

IMAGO beatæ Mariæ virginis de Lacu prope Britonorium solebat in publicis civium necessitatibus transferri ex sua ecclesia prope viam regiam, ad cathedralem urbis super montem. Ita translata fuit annis 1636. 1653. 1661. & 1672. ut constat ex publicis instrumentis, notariorum manu firmatis. Cum aeris siccitas hoc anno ureret arva & se-

Ann. Chr. 1685.

getes, ad exorandam necessariam pluviam, translatio contigit die XIX. maji, constitutis capitulis inter abbatiam Uranensem, ad quam spectabat ecclesia sanctæ Mariæ de Lacu, & inter consiliarios urbis & clerum. Deportata est igitur imago cum interventu cleri secularis & regularis prius ad abbatiam Urani, inde ad cathedralem, & similiter post aliquot dies reportata ex cathedrali ad abbatialem ecclesiam, & demum ad suam sedem, ipsam imaginem sustinentibus abbate & monachis Uranensibus, & eam comitantibus magistratu urbis, militibus & civibus; ac publicum confectum fuit instrumentum super præfatis capitulis observandis in ea translatione.

Obiit hoc anno Fabriani in monasterio sancti Blasii, ubi erat abbas, Andreas Vallemanius nobilis Fabrianensis, patruus cardinalis Josephi Vallemanii. Multa ipsius opera variis annis edita alibi retulimus, quibus addimus epistolas ad Danielem Papebrochium, & ad Godefridum Henschenium S. J. collectores vitarum Sanctorum, ad illustrandas Camaldulensium Sanctorum memorias.

Alter decessit Gallicanus eremita in solitudine Gros-bois Arsenius de Schamps Rotomagensis, die XXIII. septembris sanctitate magis quam nobilitate conspicuus, qui omnium in se desideria trahebat, & præsertim suæ congregationis, ob singulare regularis observantiæ studium. Quater fuit congregationis Gallicanæ Major. Ante biennium alii defunctum faciunt.

Benedictus Neapolitanus eremita Montis-coronæ tacito nomine scripsit *Adnotationes in vitam sancti Romualdi a Johanne de Castagnizza concinnatam, & a Timotheo Balneensi ex Hispanico in Italicum idioma translatam.* Neapoli typis Hieronymi Fasuli 1685. Franciscus autem de Lauri alter insignis eremita, cum esset congregationis Major, epistola sua ad Anellum Pignatellum Montis-corvini principem & sancti Mauri ducem easdem adnotationes nuncupavit.

Jam ab anno 1681. jussu Romani pontificis Innocentii XI. cardinalis Gaspar Carpineus præceperat per epistolam Benedicto Georgio abbati generali Camaldulensi depositionem abbatum, qui taxas infra præscriptum tempus non exsolvissent; quam quidem depositionem ipse faceret sine assistentia visitatorum, & procederet sine ipsis ad electionem novorum abbatum, loco depositorum. Die pariter duodecima novembris anni 1683. declarati fuerant privati voce activa & passiva in futuro capitulo iidem abbates, qui non solvissent. Hoc anno nona februarii idem cardinalis Carpineus ex benignitate ejusdem Romani pontificis prorogavit tempus usque ad totum mensem junii pro integra & totali solutione. Demum die undecima julii decreto ejusdem sacræ congregationis declarati fuere non solum voce activa & passiva, sed omni prælatura & dignitate privati novem abbates, quorum octo ex provincia Veneta, & redacti ad conditionem ceterorum monachorum. Conficta tunc fuit a malevolis epistola Latina sub nomine & sigillo Benedicti Panciatici secretarii sacræ congregationis ad doctores Sorbonæ, commendata archiepiscopo Parisiensi, continens petitionem super dubium, an Romanus pontifex devenire possit ad depositionem abbatum, priusquam audiantur? Hanc epistolam transmisit secretariæ status, apostolicus nuntius Franciæ, quæ etiam pervenit ad oculos summi pontificis, qui in consistorio narrans cardinali Francisco Nerlio protectori ordinis, quid contineret epistola, statim jussit, ut conficerentur literæ depositionis eorumdem abbatum. Purgavit factum generalis Marinettus, ostendens validioribus rationibus id malignorum hominum fuisse commentum, cum

nullus ex reis abbatibus ad hanc insaniam præsumptionis devenisset. Scripsit etiam supplices literas sanctissimo pontifici, & reipublicæ Venetæ, sed cum irrefragabiliter urgeret Venetum decretum, ne præter consuetas & statutas taxas aliquid pecuniæ Romam transmitteretur, duodecim annorum spatio privati remanserunt dignitate abbates, quorum aliquos interea mors sustulit, interdicta etiam in provincia Veneta vestiendorum novitiorum libertate. Recruduit quinimmo post degradationem abbatum simultas, ita ut vetitæ fuerint transmissiones pecuniarum etiam permissarum ex veteri deliberatione, quæ interim loco depositi Venetiis servabantur; interclusa fuit communicatio Venetæ provinciæ cum ceteris, detentæ provisiones consuetæ abbati generali & visitatoribus, & impeditæ electiones novorum abbatum loco depositorum. Interea tamen tam ex parte Venetorum, quam ex parte totius congregationis proponebantur varia remedia pro concordia firmanda, quæ tandem inconcusse & solide firmata fuit anno 1697. inter Romanam cameram, & rempublicam Venetam.

ANN. CHR. 1685.

ANN. CHR. 1686.

XLII. Origo eremi *Dell' Avocata* in regno Neapolitano.

REFERTUR ad hunc annum fundatio eremi sanctæ Mariæ, vulgo dictæ *L' Avocata* in regno Neapolitano, Principatus Citra; vel saltem eremitæ Coronenses ejusdem regni ante triennium evocati manus dedere hoc anno receptioni efficaci ejusdem loci, sicut post aliud triennium pacifice habitaturi possessionem inierunt. Extat eremus hæc super montem Falesium in pertinentiis urbis Majuris, quatuor milliaribus circiter in altitudinem se extollens a præfata urbe, sed difficiliore ascensu; minus difficilis alter ascensus porrigitur ex urbe Cavensi, sed longior. Mons Falesius ad Meridiem & ad Occidentem habet urbem Amalphitanam, a parte Orientis urbem Salernitanam, mare vero alluit montem. Servatur quoddam informe chronicon originem pandens hujus loci & ecclesiæ sanctæ Mariæ, auctorque ecclesiæ ipsius dicitur fuisse ad annum 1485. quidam custos caprarum, vocatus Gabriel Cinnamus casalis Pontis-promari, qui pascens gregem, die XX. novembris anni 1470. ex hedera, quæ circumvestiebat montem, prodire viderat silvestrem columbam. Signato loco reperiit ibidem cryptam; dormiens autem in visu conspexit beatissimam Virginem Mariam, quæ ei præcepit, ut in eo loco ædificaret sibi oratorium, pollicens se futuram semper ipsius Advocatam, unde nomen factum est eidem oratorio. Perrexit statim Gabriel Amalphim, & obtinuit a Pinto Staibano abbate sanctæ Mariæ de Olearia, cujus erat mons Falesius, præfatum situm, cum canone unius libræ ceræ, instrumento confecto die XXI. aprilis anni 1483. alioque superaddito anno 1505. die XVIII. junii pro jure lignandi & pascendi, & pro alia portione nemoris, sub annua pensione unius tareni & granorum decem; assensum etiam præbente archiepiscopo Amalphitano. Post aliquod tempus ecclesiam erexit Gabriel, & sumpto eremitico habitu, qui dicitur ordinis sancti Benedicti in paginis eo tempore conscriptis, ita promovit devotionem erga beatissimam Virginem, cujus imaginem collocavit in oratorio a se ædificato, ut ex vicinis territoriis confflueret multitudo virorum & mulierum, qui vota & donaria afferebant, & nautæ se commendarent protectioni ejusdem Virginis. Spiritum Deo reddidit anno 1521. Gabriel, qui etiam ibidem justum sociorum numerum collegerat, & Johannem quemdam discipulum suum in priorem eremi post se constituerat; sed quidam presbyter major-domus archiepiscopi Amalphitani Hieronymi de Janderonibus multas in ea ec-

Ann. Chr. 1686.

clesia congestas divitias perspiciens impetravit ab archiepiscopo loci possessionem, qua donatus intra paucos dies omnia expilavit & abduxit, desertumque iterum locum reliquit. Post recessum presbyteri rediens Johannes eremita paulatim devotionem restituit, populosque revocavit ad cultum sanctæ imaginis. Successere Johanni plures custodes ejus ecclesiæ usque ad annum 1609. quo deficientibus eremitis, archiepiscopus Julius Rossinus aggregavit ecclesiam præfatam capitulo canonicorum sancti Andreæ suæ Amalphitanæ urbis, & pontificio beneplacito ab abbatia sanctæ Mariæ de Olearia separavit. Verum opera patris Bernardi a Ponte S. J. insignis concionatoris, archiepiscopus consilium mutavit, & eremitas iterato, qui dicto oratorio inservirent, advocavit. Interea anno 1626. die XIII. aprilis visa est imago beatæ Virginis lacrymas effundere, & ex facie sudorem emittere, cujus prodigii juridicum instrumentum confici fecit idem pater Bernardus. Cum enim tempore, quo sacras conciones habebat in ecclesia sanctissimo Jesu nomini dicata Neapolitanæ urbis, ipsi relatum fuisset hujusmodi miraculosum factum, turbatus est, artemque in eo, vel saltem illusionem sensuum dubitavit; quare propius ad locum veniens, examen instituit, testimonia collegit & interrogavit, imaginem ipsam perscrutatus est, ac archiepiscopo retulit, nil humanum, nil fictitium fuisse in ea operatione, ac supernaturali virtute lacrymas & sudorem imaginem emisisse. Patrata fuere progressu temporis alia miracula ope ejusdem beatæ Virginis, restitutusque fuit loco antiquus cultus, plures obsessi a dæmonibus liberati sunt, votivæ tabellæ & donaria aucta, omniumque gratiarum & rerum mirabilium conscriptus fuit libellus usque ad annum 1683. quo ad promovendam majorem devotionem evocati fuere a Carolo Imperato postremo eremita custode, & a ceteris laicis eremitis una cum ipso degentibus apud dictam ecclesiam sanctæ Mariæ sub die secunda octobris eremitæ Camaldulenses Montis-coronæ, qui morabantur in eremis regni Neapolitani. Conventum itaque fuit, ut patres Camaldulenses quotannis solvere tenerentur capitulo ecclesiæ Amalphitanæ consuetos canones Carolenorum sex, quodque jus lignandi & affidandi in monte Falesio reservatum favore domini directi in concessione facta anno 1483. nunc penitus extincto antiquo pacto, cederet omnimode ad plenissimam dispositionem Camaldulensium, itaut capitulum nullum jus lignandi, pascendi vel affidandi amplius habere posset, & insuper patres Camaldulenses convenere, quod pro hac juris remissione, nec non pro quindenniis præteritis & futuris, ac pro laudemio præsentis contractus persolverentur eidem capitulo pro una vice tantum ducati triginta-quinque, atque etiam, quod cessantibus ipsis a solutione canonis per biennium, aut rem emphyteuticam alienantibus, sive contingente casu illorum recessus ab eremo, tunc omnia bona etiam meliorata redire deberent ad capitulum Amalphitanum, cui in hisce casibus, quibusdam rebus pro ecclesia jam constructa exceptis, liceret bona ammensare, ac tandem, quod onus esset Camaldulensium propriis impensis beneplacitum apostolicum impetrare sub conditione resolutiva concessionis, & quatenus obtineri ex quavis causa nequiret, contractus invalidus remaneret, & conventiones stipulatæ fuere eodem anno 1683. mense octobri inter capitulum Amalphitanum, & inter eremitas Camaldulenses; atque ii postremi statim manum apposuerunt pro impetrando beneplacito apostolico, præsertim quia quidam Horatius Caso, lue in Neapolitana civitate anno 1656. grassante, se jam moriturum agnoscens, & cupiens animæ

suæ

suæ & conjunctorum prospicere, sacram eremum sanctissimi Salvatoris eremitarum Camaldulensium hæredem instituerat, decreveratque, ut ejus hæreditas aliquando in novæ alicujus eremi constructionem intra vel extra regnum Neapolitanum erogaretur. Videbantur proinde iisdem eremitis oblatio facta ab urbe Majurense, cessio eremitarum laicorum ecclesiæ præfatæ, conventio cum capitulo canonicorum Amalphitanorum, omnia confluere ad ædificationem eremi stabiliendam in eo loco. Supplicem itaque libellum obtulerunt Romano pontifici Innocentio XI. qui ipsum remisit ad sacram congregationem episcoporum & regularium; congregatio autem proponente cardinale Crescentio, rem transtulit in Franciscum Nerlium cardinalem Camaldulensium protectorem, & relatione audita ipsius, petitam facultatem pro suo arbitrio & prudentia oratoribus impartiri posse concessit die decima maji anni 1685. Licentiam ædificandæ eremi impartitus est cardinalis Nerlius, sed ob quædam capitula statuta a Majore & visitatoribus in regno Neapolitano, quæ tamen a sacra congregatione annullata fuere, suspensa fuit exequutio ejusdem fundationis. Iterum porrectus est alius supplex libellus ab eremitis anno 1687. ad hoc ut permitteretur cardinali exequutio facultatis, quam olim obtinuerat, quem supplicem libellum eadem congregatio remisit eidem cardinali, *ut postquam ipsi constiterit de paritione decretis ipsius sacræ congregationis, pro suo arbitrio & prudentia mandaret exequutionem dictæ fundationis, reservata tamen facultate, si ita cardinali videbitur, proximo futuro capitulo generali præscribendi formam ejusdem fundationis. Romæ* XIII. *martii* 1687. *G. cardin. Carpineus. B. Pantiaticus secr. Attentis* propterea *narratis, & stante relatione patris Majoris ac patrum visitatorum ordinis super paritione decretis sacræ congregationis a religiosis ordinis petitam licentiam* elargitus fuit cardinalis Nerlius protector *capitulo generali proxime habendo, ut ad suprascriptam eremi fundationem devenire posset & valeret, ita tamen, ut ea omnia, quæ per sacros canones & sacrum concilium Tridentinum, constitutiones apostolicas & ordinis circa novarum domorum regularium fundationes dispostita sunt, integre & omnino servarentur; ipsiusque fundationis forma, & personarum ad eam perficiendam deputatio ab eodem capitulo præscriberetur. Datum extra portam Flaminiam die* XX. *martii* 1687. Ita demum superatis omnibus impedimentis constructioni apposita fuit manus, introducta clausura, cincta muris eremus cum ampla janua versus viam ad urbem Cavensem, & mons Falesius in jus concessit eremitarum; anno 1689. erecta fuit eremus in prioratum, primusque destinatus prior pater Primianus Morales Neapolitanus, qui cellas fundavit, familiamque duodecim religiosorum introduxit, juxta normam datam a cardinale Nerlio. Pacifice triginta annorum spatio commorati sunt ibidem eremitæ, sed anno 1716. vexationes sustinuere a capitulo canonicorum Amalphitanorum, qui beneplacitum apostolicum minime intercessisse causati sunt, litemque contra eremitas moverunt apud sacram congregationem, licet hi approbationem & consensum obtinuissent ab archiepiscopo Amalphitano jam a die ultima apriiis anni 1686. ineundi pacificam possessionem ecclesiæ. Causa tamen expedita, & sententia pronuntiata in favorem eremitarum. Camaldulenses consederunt in eo loco, & consident ad hodiernam diem apposita anno 1719. sequenti inscriptione super faciem ecclesiæ: *D.O.M. Ædem hanc, quam post repertam anno Domini* M.CCCC.LXX. *indicio columbæ hic subjacentem cryptam Gabrielis Cinnami cœlitus edocta pietas Deiparæ Virgini omnium Advocatæ struxit, erexitque anno Dñi* M.CCCC. LXXXV.

Ann. Chr. 1686.

LXXXV. ac deinceps integerrimi simili pietate viri coluerunt usque ad annum Dñi M. DC. LXXXVIII. quo deferentibus Majoritanis Camaldulensis ordinis eremitæ gubernandam, colendamque acceperunt, tandem iidem sancti patris Romualdi filii tantæ Advocatæ clientes ampliorem, ornatioremque reddiderunt anno Dñi M. DCC. XIX.

XLIII. Piorum mors. Jo: Paulus Invrea eremita fit episcopus Adjacensis.

Decima-quarta novembris ad Deum transiit Petrus-maria Venetus eremita Coronensis vir extremæ paupertatis, abstinentiæ & contemplationis. Infirmus cum esset, totam diem & totam noctem fere transigebat in ecclesia, vel in cella, quotidie duo vel tria psalteria decurrebat, consuetam pictantiam ad duos vel tres dies protrahebat. Mortuus est signum Crucis in fronte sibi imprimens. Mense vero februario decessit alter eremita professus Montis coronæ Pantaleon Peragallus Januensis annorum septuaginta. Fuit prior eremi Camalduli Etruriæ eo tempore, quo congregationes eremiticæ erant invicem unitæ, ubi etiam ad multos annos reclusionis leges servavit. Adstitit ei morienti Johannes-paulus Invrea in hospitio sanctæ Theclæ urbis Januensis.

Ex monachis in cœnobio sanctæ Mariæ ad Carceres excessit e vita Marcus-antonius Molinus professus ejusdem monasterii a die XIII. novembris anni *1639.* qui per longum tempus vitam duxerat in prioratu sanctæ Mariæ Terræ-arsæ diœcesis Patavinæ. Typis Venetis ediderat Marcus-antonius ante triennium orationem funebrem sub titulo: *Marmorectum in obitu Marci Molini senatoris Veneti* patrui sui; stylo tamen infelici ejus seculi. Originem in ipso sermone aperit nobilissimæ Venetæ patritiæ familiæ Molinæ, & ejus stemmatis, quod erat molendinum aureum.

Supramemoratus Johannes-paulus Invrea nobilis Januensis & professus in eremo Cæsarea sancti Joseph prope Viennam, ex qua postea transitum fecit ad eremitas Camaldulenses Etruriæ, apud quos dignitatem etiam Majoris assequutus est, directionemque habuit spiritus Aloysii Maffei eremitæ aliquo tempore, prior quoque fuit eremi sanctæ Theclæ in patria, promotus est hoc anno a Romano pontifice Innocentio XI. ad infulas ecclesiæ Adjacensis in Corsica ad preces rispublicæ Januensis. Fertur invidos quosdam apud pontificem notasse electum episcopum de scientiæ defectu; pontificem vero ejus doctrinam & scientiam examinasse, reperiisseque aptum & idoneum ad tale onus subeundum, præter veræ scientiæ & sanctitatis opinionem, qua pollebat.

Franciscus Mediceus Etruriæ princeps Camaldulum hoc anno venit devotionis loci gratia.

Ann. Chr. 1687.

XLIV. Vita, scripta & obitus Jo. hannis Advogarii eremitæ, &c.

In eremo Centralis prope Vicetiam vitam cum morte commutavit Johannes Advogarius doctissimus & piissimus eremita Rhuensis. Ipsius gesta ex monumentis clarissimæ familiæ suæ concinnavit brevi stylo ejus pronepos Rambaldus de Azzonibus Advogarius canonicus Tarvisinus, vir literatissimus, de patria sua optime meritus, & nobiscum humanissimis officiis semper perfunctus. Natus est Johannes anno *1634.* die IV. maji in villa Onigi ad appendices montium Tarvisinorum. Ludovicus, Herculis filius, fuit ejus pater ex nobilissima familia de Azzonibus, dicta de Advogariis ob feudum Advocatiæ Tarvisini episcopatus, quo donatus fuit Altenerius VI. hujus nominis, ad instantiam Francisci Danduli Venetiarum ducis anno *1396.* a Nicolao Beruto episcopo, interveniente confirmatione Bonifacii IX. Mater fuit Angela Passetti ex locupletioribus familiis Tarvisinis. Nomen, quod sortitus est in baptisma-

te,

te, fuit Augusti. Post studia in patria & Patavii humaniorum literarum, inter quas Græcam linguam didicit, se totum scientiis legalibus & theologiæ studio addixit. Laurea doctorali insignitus habitum ecclesiasticum induit, sacerdotio a Johanne Lupi episcopo Tarvisino initiatus fuit, & brevi tempore canonicatum in patria obtinuit. Romam inde profectus est, ubi licet gauderet protectione cardinalium Sfortiæ, & Petri Ottoboni, decrevit seculum derelinquere, & in aliquo religioso recessu dies suos claudere. Eo temporis, nimirum circa annum 1665. fundabatur eremus Coneliani in provincia Tarvisina; Divina inspiratione motus se ibidem contulit, & voci internæ obsecundans flagitavit in eorum numerum recipi. Prior Conelianensis ipsum ad Rhuensem eremum destinavit, ubi eremitarum vitam professus est die XXVII. maji anni 1669. mutato Augusti nomine in illud Johannis. Cognita ejus doctrina, pietate & dexteritate, post biennium magister novitiorum factus est in Rhuensi solitudine; prior inde sancti Clementis Venetiarum anno 1673. visitator anno 1676. Sequenti anno prior Gardæ; anno 1679. ad gubernium eremi imperialis Viennæ fuit delegatus, licet ab illo se abdicaverit. Anno 1680. visitator Germaniæ, Lithuaniæ & Poloniæ ac vicarius. Rursus anno sequenti prior eremi Viennensis, postea visitator generalis Italiæ anno 1683. Simplex demum eremita decessit hoc anno die XIX. octobris cum ad quinquagesimum septimum annum ætatis suæ pervenisset. Extant ipsius fœtus, dum canonicum agebat, liber Carminum tum Latinorum, tum Italicorum, tractatus aliquot theologiæ moralis; sed præsertim duo volumina, in quibus excerpta dat duarum millium paginarum membranacearum archivi capitularis. Idipsum præstitit quoad archivum episcopale, sed maximam operam suam impendit in conficiendis excerptis tabularii publici urbis Tarvisinæ, vulgo appellati Cancellaria Communis, ob antiquarum membranarum copiam celeberrimi. Illustrandas etiam assumpserat nobiles familias Tarvisinas documentis authenticis, contra librum Nicolai Mauri doctoris Tarvisini & præsertim nobilissimam familiam Caminensem; sed multa imperfecta reliquit ob voluntariam fugam a seculo. Eremita factus tanta scripsit, ut post ejus obitum repertus fuerit cumulus ingens operum mss. partim de rebus historicis, partim de asceticis & mysticis, inter quæ postrema confutat duobus libris orationem Quietis recenter introductam a presbytero Molinos. De eremitarum origine & vita scripsit, ubi probat eremitas sancti Pauli propagationem esse discipulorum eremitarum sancti Romualdi in Hungaria; relationes compilavit eremorum Coronensium Italiæ, sed præsertim Polonicarum & Germaniæ. Vitas etiam parabat venerabilium eremitarum, opinione sanctitatis & pietatis in pace defunctorum, a tempore beati Pauli Justiniani ad sua tempora. Deo gratus & hominibus ac suæ religioni, obsequentissimus vixit eremiticarum legum, silentio plurimum vacavit & orationi, reclusioni etiam ad tempus se addixit. Adeo zelavit dilatationem eremitici instituti, ut obtinuerit ab imperatore Turcarum Mehemet IV. ope Veneti Legati CP. residentis diploma, quo ipsi fiebat potestas fundandi eremos in vastissimo Turcici imperii dominio; quam rem etiam apud sacram congregationem de Propaganda fide urgebant cardinales Petrus Basadonna & B. Gregorius Barbadicus; jam enim promiserat magnus Turcarum imperator fundos pro extruendis ædificiis, & terras etiam pro dotandis eremis & pro sustentatione religiosorum; quod tamen consilium effectu caruit, quia non accessit superiorum congregationis eremiticæ consensus, adhibita præser-

Ann. Chr. 1687.

tim

Ann. Chr. 1687.

tim ab ipsis opera Advogarii in aliis religionis negotiis, aliis etiam de causis notis cardinali protectori Petro Vidono, cui sacra congregatio de Propaganda remiserat hujus missionis opus. Zelum pariter suum declaravit pro universali religione Christiana, quando supplicem libellum paravit exhibendum summo pontifici Innocentio XI. expostulantem facultatem suscitandi Cruciatam in auxilium imperatoris Leopoldi adversus Turcas, obtinendique privilegium ad cooptandos in militiam sacram religiosos cujuscumque ordinis & instituti; ad quem finem opusculum quoque composuit continentem capitula, regulas & constitutiones observandas a Cruce-signatis; sed humillimus eremita libellum non obtulit in venerationem sui regularis superioris, qui epistola data prima augusti anni 1682. piam ejus intentionem impedivit. Ceterum carissimus fuit idem Advogarius præfato imperatori Leopoldo, Eleonoræ imperatrici, regi Poloniæ Johanni III. reginæ Poloniæ filiæ Eleonoræ imperatricis, marchioni del Re Fleury camerario, comiti Suarzemberg majori equorum stabuli regii præfecto, equiti Andreæ Camillo comiti Locarno, aliisque præstantissimis & nobilissimis viris. Obtinuit, ut nepos, filius fratris sui apud Eleonoram imperatricem foret ephæbus honorarius, quem tamen imperatrix maluit destinare ephæbum in aula reginæ Poloniæ filiæ suæ, adhoc ut educaretur in servitium regiorum principum ipsius nepotum, ut liquet ex epistola ejusdem imperatricis ad patrem Herculanum eremitam, data die IV. januarii anni 1682. quam Latinitate donatam subjungimus: *Pater Erculane noster carissime. Licet ex instructionibus & documentis habitis circa originem Augusti Advogarii de Azzonibus una cum productione Arboris genealogicæ, & aliarum scripturarum, quæ ipsum denotant esse familiæ ex nobilioribus Italiæ, utpote provenientis ex illa Saxoniæ, libenter eum excepissemus inter ephæbos hujus nostræ Cesareæ aulæ, tamen habita attentione ad ejus tenellam ætatem, decrevimus ipsum collocare pro nunc in aula reginæ Poloniæ, ducissæ Lotharingiæ dilectissimæ filiæ nostræ, ut ibidem educetur in servitium principum nostrorum nepotum. Hocce consilium nostrum indicamus paternitati vestræ, ut suis literis id deveniat ad notitiam ejus genitoris, & hic cum filio vivat securus de nostra imperiali gratia, perinde ac actualiter nobis inserviret, & paternitati vestræ optamus abundantiam cœlestium benedictionum. Viennæ IV. januarii 1682. Eleonora imperatrix. Johannes-willelmus de la Bresch rector*. De Advogario eremita illud non silendum, quod cum quidam nobilis patritius Venetus hæreditatem suam legasset eremo sancti Clementis ob devotum animum, quem gerebat erga illum tunc dictæ eremi priorem, renuit ipse hæreditatem recipere, ne privarentur nepotes legatarii, contentum se asserens paupertatis religiosæ, qua ipse & sui eremitæ fruebantur, & misericordia motus erga nepotes privatos hæreditate. De Johanne Advogario eremita fit mentio cum laude in bibliotheca Scriptorum Italorum cl. comitis Mazucchellii [a].

[a] Pag. 1266.

In altera eremo sancti Salvatoris Fani obiit etiam, dum Majoris dignitatem obtineret in Coronensi congregatione, Johannes-paulus a Venetiis, observantia regulari, & mortificatione insignis.

Sacra Rituum congregatio universum ordinem sancti patriarchæ Benedicti, qui in ecclesia Dei singulari quodam splendore refulget, specialibus gratiis & favoribus prosequi volens, ad pias humilesque preces P. D. Andreæ a Neapoli Casinensis congregationis abbatis & procuratoris generalis, ab eminentissimo & reverendissimo D. cardinali Casanate delatas, omnibus ejusdem ordinis congregationibus, monasteriis, collegiis, domibus

& locis,

& locis, necnon cunctis & singulis monachis & monialibus, oblatis sub ejusdem sancti Benedicti vexillo quomodolibet militantibus & in quibuslibet orbis partibus existentibus benigne facultatem attribuit recitandi sub ritu semiduplici, in qualibet hebdomada feria tertia sive alia, die festo duplici vel semiduplici non impedita, extra tamen adventus & quadragesimæ tempus, officium præfati sancti Benedicti congregationi Casinensi die XVI. *julii* 1672. *concessum, & ab eadem Casinensi congregatione recitari consuetum. Et insuper omnibus & singulis supra expressis & nominatis indulsit, ut semel in mense, feria similiter non impedita festo duplici vel semiduplici, sanctæ Scholasticæ virginis ejusdem sancti Benedicti sororis officium, quod habetur in ejus festo die decima februarii, sub ritu semiduplici, libere & licite recitare valeant, ac præsens decretum imprimi posse concessit, hac die* XXII. *februarii* 1687. *N. card. Ludovisius. Bernardinus Casalius Sac. Rit. Cong. Secret.*

ANN. CHR. 1687.

Academia Concordium Ravennæ hoc anno dicavit Leopoldo I. Austriaco Romanorum imperatori Miscellaneam poeticam suorum academicorum editam Bononiæ; anno vero sequenti epigrammatum aliarumque venustatum miscellanea eminentissimo principi Benedicto cardinali Pamphilio. Extant editæ epistolæ Petri Canneti, qui erat a secretis Academiæ, inscriptæ utrique Mæcenati, aliæque lectoribus. In his postremis originem pandit Cannetus hujus Academiæ, quam ante duo lustra fundatam asserit in urbe Ravenna ex veteri Academia Informium, & ex privato congressu Humaniorum literarum ab antiquo erecto in studio publico monasterii Classensis; in quo etiam novissime erectæ fuerant aliæ Academiæ *Certantium*, vulgo *Gareggianti*, *Fidentium & Pacificorum*. Tribuit ejus institutionem Paulo-antonio Zaccarellio Meldulensi visitatori congregationis Camaldulensis, simulque abbati Classensi, & summo præfecto publici studii, qui plures cathedras cum laude impleverat. Is ergo austeritates monasticæ disciplinæ temperare gaudens cum amænioribus facultatibus, promovit laudabile institutum, Musisque locum aperuit, privatum quidem suis initiis, sed unione Informium academicorum auctum & locupletatum, quod deinde dilatatum per celebriores Italiæ urbes, & per insigniores doctrina, nobilitate, literatura viros, communi consensu Concordium academicorum nomen promeruit. Prædefunctos nominat, qui nomen dederant huic Academiæ, Johannem Caramuelem, Franciscum Macedo, Speciani ducem Antonium Muscettolam & Nicolaum Beverinum Lucensem, episcopum Saluthiensem Nicolaum Lepori, Blasium Cusanum, Jacobum-albanum Ghibbesium, Johannem-baptistam Ricciardium, Hippolytum marchionem Bentivolum, Petrum-franciscum Minottium, Stephanum Pignatellum, Nicolaum Stenonem episcopum Hannoverensem, & suffraganeum Monasteriensem, Fulgentium Arminium episcopum Nuscanum, Franciscum-mariam Suarezium episcopum, Franciscum-fulvium Frugonium Januensem, Cyprianum Bosellum abbatem Montis-oliveti, & alterum Lateranensem Philippum Picinellium, quorum honorariæ imagines servabantur, vel monumenta humaniorum literarum in aula & in scriniis Academiæ. Catalogum deinde texit viventium, quorum dumtaxat opera in medium proferuntur. Plurimum ejus academiæ honorem promoverunt iidem Zaccarellius, & Cannetus ac Romanus Merighius monachi & abbates Classenses hoc & sequenti seculo.

Ann. Chr. 1688.

XLV. Innocentius XI. definitores capituli generalis Camald. creat.

INNOCENTIUS XI. motu proprio eligit hoc anno die XVII. novembris definitores capituli generalis celebrandi anno sequenti; in iis Paulum-antonium Zaccarellium Meldulensem ex professione Classis, qui etiam sit eo tempore abbas generalis, Johannem Marinettum Venetum ex professione sancti Mathiæ de Muriano, & Romualdum Vallemannium Fabrianensem ex illa sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, qui sint visitatores, Franciscum-mariam Riccium Florentinum ex professione sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, qui sit procurator generalis ordinis in Urbe, quique una cum ceteris a se Romano pontifice designatis definitoribus distribuere debeant gubernia aliorum monasteriorum; vult etiam, ut hæ majores dignitates & officia in supradictis perseverare valeant toto eo tempore, quo hujusmodi officia juxta regularia congregationis Camaldulensis instituta per sedem apostolicam jam approbata durare consueverunt, nempe per quinquennium.

XLVI. De piis eremitis, qui obierunt.

SANCTE decessit hoc anno mense junio Severus Puoti ab Arienrio, quod oppidum est ducum Magdalonæ Caraffæorum, ex clerico factus eremita Coronensis in solitudine Coronatæ raptus a singulari modestia, eximiaque pietate eremitarum dicti loci. Is tempore pestis anni *1656.* illæsus, ceteris eremitis in solitudine Turris servitia christiana præstitit, solusque e communi morbo evasit; deinde electus anno *1665.* prior eremi Vici-equensis, a Deo enixe petiit anno *1669.* ut infirmaretur potiusquam aliis præesse deberet; quare ab ipso exauditus per decem & novem annos in Nolano recessu ita plagis & morbis vexatus fuit, ut neque in sinistro, neque in dextero latere movere se posset, sed supinus in lecto jacere cogeretur, & chiragra ulterius adveniente neque cibum ori proprio applicare valeret, neque muscas abigere æstatis tempore. Sitim ardentissimam patiebatur ad longum tempus, cum ex se eam explere nequiret, & multoties ad ipsum infirmarii accedere differrent. Præter summa patientiæ exercitia, ore, mente & corde assiduus orabat; modico & regulari cibo utebatur, cujus etiam portionem pauperibus distribuendam relinquebat; larvas quoque dæmonum frequenter invicto animo substinebat, quos recitatione litaniarum beatæ Mariæ Virginis fugare consueverat. Multa referuntur ab ipso spiritu prævisionis annuntiata, antequam evenirent. Denique in cruciculo tamquam alter Job probatus, serena hilarique fronte mense junio feria VI. hora XXI. animam exhalavit. Tempore sui obitus muscæ, quæ eo vivente in cella ipsius erant frequentissimæ, omnes abscesserunt, arborque amygdalarum hortuli sui, quæ eousque viridis fuerat, momento penitus exsiccata est. Sanctum exiisse e corpore omnes una voce protulerunt, & adstantes diripuerunt cellam, resque ad ipsum pertinentes servandas devotionis gratia.

Alter ad Deum transiit die nona septembris in eremo Camalduli Etruriæ eremita oblatus Johannes Laurentii Nenci Florentinus quinquagesimo religionis, & septuagesimo-quinto ætatis anno. Is post matutinas preces assiduus persistebat in capella Rosarii usque ad horam primam. Nunquam ascendit cubile, sed dormire consueverat sedi innixus. Semper cilicio indutus est, nullamque regularium legum observantiam unquam omisit. Ut pauperes aleret, cibum ori proprio subtrahebat consentientibus superioribus, quorum etiam permissione pedes per villas Casentini bis vel ter in hebdomada pergebat ad doctrinam Christianam rudibus populis explicandam. Devotissimus erga Deiparam ab ipsa instantissime efflagitavit repentino obitu deficere. Nona ergo die septembris, cum jam sacro pane die antecedenti refectus fuisset, post auditam Tertiæ Missam, multasque alias, quibus ut minister inserviit, dum progrede-

grederetur ad refectorium, procidit humi, & paulo post expiravit, sanctitatis famam relinquens. Plures ejus intercessioni se commendarunt, expetitasque gratias se retulisse gavisi sunt. Refertur sub hoc anno obitus etiam Caroli Spadæ a Britonorio, in sufferendis infirmitatibus patientissimi, professi sacerdotis in eremo Camalduli-majoris ab anno 1664.

Ann. Chr. 1688.

Ob mortem cardinalis Francisci Nerlii optimi protectoris Camaldulensis ordinis, datus est in patronum congregationum Camaldulensium ab Innocentio XI. Romano pontifice cardinalis Ferdinandus ab Abdua Mediolanensis singulari humanitate & benevolentia erga ordinem præditus.

Ann. Chr. 1689.

XLVII. Translatio reliquiarum B. Guidi Pisani.

PRÆSENTI anno sacra lypsana beati Guidi a Gherardesca translata fuere ad altare sancti Rainerii Pisani in ecclesia metropolitana Pisarum, quod altare a Cosmo III. magno Etruriæ duce concessum est familiæ comitum de Gherardesca; translatio autem peracta fuit, interventu archiepiscopi Pisani & canonicorum, magnaque populi frequentia die XIX. maji. Ea occasione recognitæ fuere ejus sacri corporis reliquiæ, nimirum caput, costulæ, duæ coxendices, humeri brachii, aliæ duæ partes costularum, quatuor femoris, sex ossa digitorum, quæ partim in busto argenteo, partim in argentea capsa depositæ fuere, super quam cælata hujusmodi inscriptio: *D. Guidoni gentili suo Guido ex comitibus Gherardescæ Pisarum prætor dicavit anno Domini* M. DC. LXXXIX. *præturæ* XI. Grati animi ergo viri hospitalis Misericordiæ Pisarum publicam actionem comitati sunt, eo quod comes Neapoleo beati Guidi parens fuisset unus ex duodecim fundatoribus ejusdem hospitalis, & comes Bonifacius Novellus ejusdem familiæ donasset Castrum-novum dicto hospitali, atque etiam rogaverunt publicum instrumentum, obligando eorum officiales ad oblationem anniversariam cerarum ad sancti viri sepulcrum.

XLVIII. Referuntur obitus eremitarum, monialium & monachorum.

MAGNO pietatis & observantiæ vigore effulsit inter Camaldulenses eremitas Etruriæ Petrus Ravaglius Marradiensis, qui cum esset vir doctus & scientiis instructus, seculo terga verterat anno 1666. & XIX. maji institutum eremiticum professus fuerat. Conversioni ipsius stimulum addidit sequens casus. Cum in universitate Bononiensi magistrum ageret, quadam nocte rediens domum, & volens clave aperire januam, cecidit in terram clavis. Dum autem Petrus se reclinaret pro sublevanda clave, repente percussa fuit ejus domus janua ictu sclopi, qui pertransiit supra ejus caput. Nil moratus, rebus suis prospexit, & asylum tutum animæ suæ requisivit in eremo Camaldulensi. Extitit magister novitiorum & prior eremi; officia tamen omnia dimisit ut reclusionem peteret, quam eodem animo reliquit, cum iterum superiorum voluntate inter apertos eremitas ad alia munia subeunda destinatus est. Obiit XVII. junii hujus anni ætatis LXVII. quem collector ejus vitæ non dubitat primoribus accensere Camaldulensis eremi piis ascetis. Extremæ paupertatis virtus adnotatur in alio eremita Augustino Vallis-arni, qui die prima octobris hujus anni excessit e vita in eadem eremo.

Ex eremitis Gallicanis decessere Angelus Martinet, qui tempore, quo incoluit eremum sancti Salvatoris de Roga apud Britones, maximam sibi conciliavit venerationem, ut haberetur tamquam Sanctus, & non tantum vulgares homines, sed & primates provoluti in genua se ipsius commendarent precibus; professus ab anno 1651. mortalitatem exuit XVI. octobris hujus anni in eremo sancti Ægidii de Besse: & Paulus Picquelin in eadem eremo XXIX. maji, cujus erat prior. Hic rara pietate præditus, & non vulgari fervore addictus proprii sui corporis mace-

Ann. Chr. 1689.

nibus & pœnitentiis, momentum suæ dissolutionis prævidit; quare convocans ceteros eremitas, preces pro agonizantibus, quibus magna fiducia respondit, pro se dici jussit, & inter discipulorum manus expiravit.

Inter moniales sanctæ Catharinæ de Cæsena nomen Hortensiæ Schiavini, quæ in pace quievit die XXV. novembris, memorabile est ob Dei intensum amorem, quo æstuabat, obedientiam insuper, solitudinem, caritatem erga infirmas, exactamque omnium regularum observantiam.

Denique inter monachos in urbe Augustæ Taurinorum immaturo fato ereptus est quadraginta-quatuor annos natus Hiacynthus-maria Crucettius monachus sanctæ Mariæ-angelorum Florentiæ, qui in illustrioribus Italiæ urbibus verbum Dei disseminaverat, corrupta tamen infelicis hujus temporis elocutione; anno 1677. Venetiis præsertim, in ecclesia sancti Zachariæ, iterumque Venetiis in ecclesia sancti Laurentii anno 1681. Bononiæ in ecclesia sancti Petronii anno 1680., & Taurini anno 1686. ubi etiam sub eo anno orationes suas panegyricas sex de sanctissima Syndone in lucem protulerat. Hoc anno sub larvato nomine Tirinti opera ad scenicum theatrum accommodata typis edidit; cecinit etiam contra poetas lascivos; lamentationes Jeremiæ prophetæ paraphrasi illustravit, ac sequentiam *Dies Iræ*. Vitam sancti Romualdi Venetiis prælo commisit anno 1685. De Hiacyntho Bartholomæus de Dottis in carminibus Italicis, Cannetus in centuria epigrammatum mentionem cum laude faciunt.

Migravit pariter e vita circa hunc annum Alexander Rhodiginus eremita Rhuensis, qui cum esset reclusus, renuit colloqui cum beato cardinale Gregorio Barbadico episcopo Patavino, cujus tamen virtutes & merita præstantissima suspiciebat.

Paulus Zaccarellius a Meldula ex decreto pontificio electus fuit prima maji abbas generalis Camaldulensis cum Johanne Marinetto visitatore professionis sancti Mathiæ, altero autem visitatore Romualdo Vallemannio Fabrianensi ex professione Avellanensi. Sed per mortem Marinetti anno sequenti suffectus Petrus Rodulphius, qui obiens undecima junii anni 1691. locum fecit Johanni-chrysostomo Arrigonio, hic autem renuntians Petro-francisco Gallicio Veneto. In Zaccarellii laudem orationem recitavit Romanus Merighius a Mordano abbas Camaldulensis in academia Concordium Ravennæ, quam Magliabecchio Magni ducis Florentiæ bibliothecario dicavit Cannetus monachus Camaldulensis in abbatia Classis, editam Bononiæ hoc anno.

Aliquot episcopi Gallicani constituerant priores eremorum Camaldulensium in Galliis in magnos pœnitentiarios, multum fidentes pietati & zelo ipsorum. Verum iidem eremitæ in eorum capitulo generali hujus anni parciter admodum utendum hoc privilegio decreverunt, & sensim se ab hoc onere exemerunt, ne quies eremi turbaretur nimia affluentia devotorum & devotarum contraria ipsorum solitudini.

Ann. Chr. 1690. XLIX. Johannis Marinetti abbatis olim generalis mors.

Die prima julii hujus anni in monasterio sancti Blasii de Fabriano vivere desiit Johannes Marinettus Venetus, vel potius Murianensis, tunc visitator, qui bis fuerat Camaldulensis ordinis abbas generalis, præter alia conspicua officia, quæ in congregatione gesserat, aliaque administrata summa prudentia monasteria. Supersunt inter edita ejus opera: *Vicetina exemptionis pro confessariis regularibus in civitate Vicetiæ ejusque diœcesi approbatis ac idoneis repertis*; Vicetiæ 1683. *Gemina exemptionis Vicetina in eadem causa contra Vergesippum Fontanam*

Madia-

Madianitam; ibidem typis Bartholomæi Crivellarii eodem anno. *Tergemina Vicetina in eadem causa*; hæc adhuc est inedita. *Corona del Signore e vita del beato Michele eremita Camaldolese*; Faventiæ 1672. & Tarvisii 1680. *Panegirico in lode di San Romualdo abbate*; Vicetiæ 1684. *Discorso politico nel capitolo 1664. dedicato al signor cardinale Volunnio Bandinelli legato di Romagna, e protettore della congregazione Camaldolese. Problemi academici, orazioni, panegirici e prediche*; *Consilia ex utroque jure varia partim impressa, partim mss.* Insuper Marinettus collegerat plura documenta ad monasteria Carcerum, & Vangaticiæ spectantia, quæ postea Petrus Cannetus abbas transmisit ad Ludovicum-antonium Muratorium inserenda Antiquitatibus Estensibus. Vitam Marinetti, dum fuit abbas generalis prima vice, descripsit Donatus Milcettus in historia sui temporis, eumdem memorat Maurus Ruggerius, ipsum laudat idem Cannetus in epigrammatis, & Cinellius in Bibliotheca volante.

Ann. Chr. 1690.

Ex eremitis, & quidem Camaldulensibus Etruriæ XIV. decembris obiit Simon e castro Delci de Ardoceto oblatus, qui vitam suam fere totam transegit in cella sancti Alberici, horrido & montoso loco, frigiditati & humiditati obnoxio, nivibusque & glacie semper obsito. Quotidie, quando sacerdotes non accedebant celebraturi ad sacellum sancti Alberici, quod frequenter contingebat, duo & tria milliaria hujusmodi itineris conficiebat pro audiendo sacro; victum vero & necessaria substentationi vitæ emendicabat. Quadam die tentatus ab impudica femina, & in domum ab ipsa clausus, ut a præsentissimo castitatis periculo se immunem servaret, per fenestram in viam præcipitem se dedit, fugaque consuluit saluti animæ suæ. Ad ultimam decrepitatem veniens Camaldulum rediit, ubi inter pietatis & orationis, ac abstinentiæ exercitia reliquos suos dies agens, nonagenarius vitam cum morte commutavit.

L. Et Bernardi Poloni exemplarissimi eremitæ.

Ex Coronensibus mortuus est Placidus Tridentinus in eremo Coneliani die VI. januarii. Sed majori sanctitatis opinione obiit Bernardus Polonus Curevodiensis eremita Coronensis in solitudine Nolana. Is, parochus cum esset in Polonia, eremiticum institutum professus fuerat die secunda junii in Monte-argentino; anno 1671. electus fuit visitator generalis una cum Primiano de Morales Neapolitano Majore, & cum Johanne-maria Veneto altero visitatore. Anno sequenti instantissime petiit reclusionem in eremo Nolana, quam decem & septem annis cum magna constantia servavit. Victus ei parcissimus, vestitus cilicium, oratio assidua. Eremita minister, qui consueverat ei inservire in sancto Missæ sacrificio, non leve vulnus contraxit in manu; reclusus sacerdos Bernardus ceram candelarum altaris applicavit loco vulneris cum benedictione, manumque fasciis ligavit, quæ sequenti die sana & incolumis reperta est. Cuidam clerico seculari statum eremiticum, quem amplexurus erat, prædixit, & eo quidem tempore, quo de ipso amplectendo neque cogitabat; reversionem navilii intra quinque dies futuram manifestavit. Senior factus quandoque contingebat, ut inter dormiendum æs campanum ad matutinas preces non exaudiret; imago beatæ Mariæ virginis, quam in cella tenebat vitris obseratam in capsula lignea, servum Dei expergefaciebat, vitrum manu percutiens. Hæc imago postea donata fuit ducissæ Montis-nigri sorori Caroli de Tassis principis. Dæmon aliquoties ipsum in ignem projiciebat, repertusque fuit patiens consodalis a ceteris eremitis vultu ridenti jacere inter prunas, quamvis ignis tunicam & tunicellam concremasset, signaque adustionis reliquisset in ejus carne.

Refer.

Ann. Chr. 1690.

Refertur etiam de ipso, quod dum multiplicibus cœlestibus visionibus frueretur, ne e mente exciderent, penicillo eas parietibus cellæ imprimebat. Effœtus demum viribus, & infirmitatibus pressus ad Deum transiit hoc anno mense junio, accurritque multitudo populi ad ejus funus. Prope obitum extraxit Bernardus coronam Dominicam, quam ad cingulum gestabat, eamque in manibus suis involvit, quas plicatas super pectus reclinavit; volebant eremitæ defuncto detrahere e manibus præfatam coronam, sed Divina virtute ita tenaciter eam intra manus retinuit, ut nulli licuerit ipsam eripere. Tempore siquidem, quo languebat in valetudinario, eam pollicitus fuerat cuidam oblato Dominico, qui per eos dies aberat ab eremo. Redux oblatus domum cruciabatur, quod privatus fuisset corona; descendens ergo in sepulcrum magna fide coronam promissam postulavit; extollens itaque defunctus manum eam illi porrexit, quæ postea ab oblato donata cuidam moniali sorori suæ in parthenone Sapientiæ Neapolis, ibidem magna devotione asservata fuit. Reliquit Bernardus scripta *de oratione mentali*, *instructionem spiritualem ad tirones & provectos*, aliaque spiritualia opera Latina lingua exarata, quæ dispersa fuere ad fidelium virorum manus.

Ex monumentis Buldronensibus die IV. martii hujus anni Maria-cajetana Carducci Florentina soror conversa ejus parthenonis cum hydrope laboraret, & viribus ac loquela destituta esset, commendans se sancto Cajetano, vertit faciem innixa brachio sinistro ad parietem, & colloqui visa est a ceteris monialibus, perinde ac adesset persona aliqua; inde e cubili surgens, seque induens visitavit moniales dicens, sanctum Cajetanum id sibi præcepisse; & statim convaluit, ut constat ex fide jurata Laurentii Porcellini medici, qui sequenti mane ad visitandam infirmam accesserat. Idem fere instantaneum miraculum, contigit in alia sanctimoniali ejusdem monasterii Maria-electa Pistelli a decem & septem annis infirma anno 1705. die XIX. aprilis, statim ac osculata est sacram reliquiam sancti Cajetani, qua fuit signata.

LI. Venditio monast. S. Angeli facta a monachis S. Michaelis.

Monachi sancti Michaelis de Muriano, qui jam ab anno 1671. a Veneta republica pretio emerant plura bona, quæ pertinuerant ad religiones suppressas ante paucos annos a Romano pontifice Clemente IX. pertæsi facile ob emptionem aliquot bonorum, ex quibus parum emolumenti percipiebant, obtinuerant anno 1684. ab eadem republica facultatem vendendi saltem emptum a se monasterium sancti Angeli in Monte de Verona, olim congregationis canonicorum sancti Georgii in Alga cum suis claustris, hortis & ecclesia. Hoc proinde anno die prima martii ipsum vendiderunt monialibus sancti Silvestri Veronæ, accedente etiam permissione sacræ congregationis episcoporum & regularium sub die XVIII. novembris anni elapsi. Moniales vero sancti Silvestri post mensem ipsum cesserunt episcopo in constructionem seminarii clericorum, quandoquidem obtinuerant incorporationem veteris seminarii proprio parthenoni, cui erat contiguum, nimirum hospitium ecclesiæ sancti Antonii abbatis, in quo commorabantur clerici. Porro clerici seminarii episcopalis sedem habuerunt in monasterio sancti Angeli usque ad diem XXVI. februarii anni 1695. qua die tam cœnobium, quam ecclesiam concesserunt patribus ordinis Servorum sanctæ Mariæ de Scala, a quibus hodie possidetur. Atque hæc postrema sors fuit monasterii sancti Angeli in Monte, quod erectum seculo octavo in honorem angeli Gabrielis, primum monialibus ordinis sancti Benedicti, inde monachis tributum, tum commendatum, anno autem 1419. traditum secularibus canonicis

con-

ANN. CHR. 1690.

congregationis sancti Georgii in Alga, duobus seculis cum dimidio possessum ab ipsis fuit. Anno 1441. beneficium curatum ecclesiæ sancti Petri in Castello cum redditibus, anno sequenti ecclesia & monasterium sancti Georgii in Braida unita illi fuere. Videatur cl. Blancolinius [a] in historia ecclesiarum Veronensium.

[a] *Lib. I. pag. 387. & Lib. III. pag. 6.*

Petrus Cannetus monachus Camaldulensis cœnobii Classis prope Ravennam, patria vero Cremonensis, & a secretis Academiæ Concordium ejusdem urbis panegyrim texuit Johanni-francisco Albano, & Jacobo Cantelmo Urbini a Latere legato, qui albo adscripti fuerant ejusdem academiæ, & recens in purpuratorum patrum numerum cooptati ab Alexandro VIII. Romano pontifice, recitavitque eam orationem die VII. januarii anni sequentis in dicto academicorum cœtu coram Dominico Maria Corso Æmiliæ legato a Latere altero S. R. E. cardinale, editam Arimini eodem anno.

Extant etiam ab eodem Canneto nomine ejusdem Academiæ scriptæ gratulatoriæ epistolæ ad eosdem cardinales hoc anno, quinto nonas martias ad Albanum, & idibus julii ad Cantelmum, quibus illum laudat ex virtutibus, quæ ipsi conciliarant amorem Christinæ Suecorum reginæ, & summorum pontificum Innocentii XI. & Alexandri VIII. hunc vero ex vetustissima regia stirpe, & ex officio nuntiaturæ Polonicæ, quod exequutus est sub Innocentio XI.

LII. Suppressio abbatiæ Carcerum.

PROPOSITI fuerant reipublicæ Venetiarum redditus unius vel alterius monasteriorum sitorum in Veneto dominio, ad sublevandas gravissimas expensas, quas subire debebat in bello adversus Turcas in Peleponneso. Ditiori ipsorum, & extra urbes sito, monasterio nimirum sanctæ Mariæ ad Carceres in territorio Patavino ordinis Camaldulensis contigit sors, infausta quidem Camaldulensibus, sed necessaria reipublicæ; quare porrectis instantiis Alexandro VIII. Romano pontifici post Innocentium XI. idem Romanus pontifex, ut gratificaretur dictæ Venetæ reipublicæ, in qua ex illustri familia ortum traxerat, ipsum monasterium suppressit, redditus & bona vendenda applicavit indigentiis Venetorum, ut liquet ex sequenti decreto, quod depromptum ex authentico monasterii sancti Michaelis de Muriano subjicimus.

„ Alexander papa VIII. ad futuram rei memoriam. Cum dilecti filii nobiles viri dux & respublica Venetorum inita dudum cum charissimis in Christo filiis nostris Leopoldo Romanorum in imperatorem electo, & Johanne Poloniæ regibus illustribus, adversus perfidissimum, immanissimumque Turcarum tyrannum, qui tunc cuncta plane Christianæ ditionis regna incendiis, ferro, cædibus aliisque omnis generis malis subjugaturus atque expugnaturus videbatur, non minus salutari quam necessaria belli societate, pro eximio, quo flagrant, catholicæ religionis tuendæ zelo, formidabiles teterrimi hostis conatus reprimere, & communem Christiani nominis causam terra marique strenue ac fortiter agere hactenus studuerint, insignesque ac plurimas de eisdem Turcis victorias Domino benedicente reportaverint, necnon multas eorum civitates, arces & loca munitissima cum immortalis nominis Veneti gloria feliciter expugnaverint. Et, sicut accepimus, præfati dux & respublica tam maritimas, quam terrestres copias, ut cæptam contra infestissimos hostes præteritas ignominias pro viribus abolere meditantes ac molientes, expeditionem prosequantur, summis viribus summa diligentia comparare atque instruere de præsenti non cessent, ac proinde ingentes, majoresque quam antea expensas facere compellantur: Hinc est, quod nos considerantes hac

in

Ann. Chr. 1690.

in re non minus Dei & ecclesiæ, quam ducis & reipublicæ prædictorum causam agi, ipsius vero reipublicæ facultates tot sumptibus in causam diuturni belli hujusmodi facti attritas tantum opis, quam præsens necessitas exigit, subministrare nequire, ac propterea eisdem duci & reipublicæ pro pastoralis officii divinitus nobis commissi cura ac sollicitudine in adeo urgenti & necessaria causa omni, qua possumus, promptiori expeditiorique ratione subvenire cupientes & eorum singulares personas excommunicationis *&c.* sententiis *&c.* absolventes *&c.* monasterium sanctæ Mariæ Carcerum nuncupatum provinciæ Venetæ congregationis Camaldulensis ordinis sancti Benedicti, in eoque abbatis dignitatem, ac officia, ministeria & loca monachalia quæcumque, omnemque conventualitatem, titulum & essentiam, ac denominationem monasterii tenore præsentium perpetuo supprimimus, extinguimus & abolemus, ac ad statum secularem reducimus, ipsumque monasterium, ac ejus ecclesiam seu ecclesias, bona, fructus, redditus, proventus, emolumenta, & jura universa ab omni proprietate, dominio, superioritate, jurisdictione, & alio quocumque jure superiorum & monachorum quorumlibet congregationis prædictæ itidem perpetuo, ac penitus & omnino eximimus, & plenarie liberamus. Ne autem ejusdem monasterii sic suppressi & extincti, aliæque forsan annexæ & unitæ, seu ab eo dependentes ecclesiæ debito interim destituantur servitio, sed sartæ tectæ custodiantur, ordinariis locorum, in quibus ipsæ ecclesiæ sunt sitæ, per præsentes committimus & mandamus, ut vicarios & cappellanos respective deputent cum competenti mercede, etiam super re certa de bonis præfatis assignanda, per quos curæ animarum, Missis & aliis oneribus satisfiat, ac ipsis ecclesiis debitus cultus & veneratio conservetur, donec a nobis seu sede apostolica aliter provideatur. Monachi vero ipsius monasterii, ut præmittitur, suppressi & extincti a superioribus dictæ congregationis per alia provinciæ Venetæ supradictæ monasteria pro arbitrio eorumdem superiorum juxta dictorum monasteriorum vires distribuantur; ipsique monachi sic in aliis monasteriis distributi & collocati monasteriis hujusmodi respective incorporentur, ac omnibus & singulis monachorum professorum juribus, prærogativis, præeminentiis, privilegiis, gratiis & indultis, ac etiam præcedentia juxta antiquitatem eorum professionis fruantur & gaudeant in omnibus & per omnia, perinde ac si in iis ab initio respective professi seu collocati fuissent. Porro omnia & singula memorati monasterii, ut præmittitur, suppressi & extincti bona in statu dictæ reipublicæ Venetiarum existentia (exceptis sacris & salvis detractionibus ut infra faciendis) in causam & in subsidium belli præfati, ac expeditionis contra Turcas perpetuo similiter applicamus. Decimis tamen ad dictum monasterium quovis modo spectantibus in suspenso relictis, quas nostræ & sedis prædictæ dispositioni, in usus per nos & eamdem sedem, sive per eos, quibus id a nobis & dicta sede concessum fuerit, præficiendos convertendas reservamus. Præterea venerabili fratri Josepho archiepiscopo Thessalonicensi moderno & pro tempore existenti nostro & apostolicæ sedis in dominio Venetorum nuncio per easdem præsentes committimus & mandamus, ut per se ipsum vel per commissarios ab eo specialiter deputandos omni & quacumque appellatione, exceptione, reclamatione, recursu, excusatione, mora, dilatione, tergiversatione penitus & omnino remotis & postpositis, bona præfata in causam, subsidium & expeditionem hujusmodi, ut præmittitur, applicata, meliori, qua fieri poterit, conditione, etiam absque consensu interesse ea in re haben-

Ann. Chr. 1690.

habentium, immo illis licet invitis, dissentientibus & reclamantibus, nulloque facto processu in forma in evidentem utilitatem, nec servata ulla alia juris, & constitutionum seu privilegiorum apostolicorum, seu alias in similibus servari solita forma, quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus tam ecclesiasticis, quam laicis auctoritate nostra apostolica vendat, distrahat & alienet, detractis tamen prius detrahendis pro servitio & manutentione ecclesiæ seu ecclesiarum dicti monasterii, atque onerum quorumcumque ecclesiis & monasterio præfatis respective quovis modo incumbentium supportatione, & pretium inde redactum deponi faciat penes ædem sacram, seu personam fide & facultatibus idoneam, ita ut inde extrahi seu amoveri minime possit, nisi cum mandatis ejusdem Josephi archiepiscopi moderni, seu pro tempore existentis nuncii manu subscriptis cum expressione causæ & usus, in quem pecunia erit eroganda, qui quidem usus non sit alius, quam pro causa [& subsidio & expeditione antedictis *&c.* Decernentes *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris XXX. januarii M.DC.XC. pontificatus nostri anno primo."

J. F. Albanus.

Narrat Gregorius Sguarius monachus Camaldulensis in epistola ad Antonium Magliabechium [a] se ex copiosissimis libris bibliothecæ Carcerum implesse septuaginta-octo saccos, ex quibus decem & octo periere ab alienis manibus asportati, ceteros autem in promptuarium quoddam Venetum jussu principis depositos fuisse reddendos monasteriis Camaldulensibus; furtim etiam ea secunda occasione plurimos ablatos, antequam ipse cogitaret de illis reponendis in tutum locum. Requirebat siquidem a Sguario Magliabechius, epistolas Petri Delphini, quarum quatuor exemplaria aderant in bibliotheca Carcerum divite librorum in quacumque sacra & profana disciplina. Gregorius Sguarius Patavinus monastico Camaldulensium ordini nomen dederat in monasterio eodem Carcerum. In Florentino sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia sacræ theologiæ magistri munus magna cum laude impleverat, & in Magliabechii amicitiam se insinuaverat. Dynastam etiam de Bordenauxen aliosque magnates Florentiæ sibi devinxerat, donec suppressa abbatia de Carceribus, ad cujus familiam fuerat destinatus, usus consilio cardinalis Gregorii Barbadici episcopi Patavini, monastico relicto presbyterorum habitum recepit hoc anno. Præter libros ex suppressa abbatia Carcerum devenerunt ad monasteria sancti Michaelis & sancti Mathiæ de Muriano insignes reliquiæ, quæ ibidem colebantur, aliquot etiam argentea vasa; bona vero & prædia divendita fuere cum assistentia patriciorum Venetorum a nuntio apostolico Josepho Archinto, distributa prælatorum & monachorum familia suppressi cœnobii inter alia Venetæ ditionis monasteria. Luxerunt ad multum temporis circumvicini populi subtractum sibi fuisse ea occasione quotidianum subsidium, quod percipiebant ex abundantibus eleemosynis, quas dicta abbatia erogabat. Prope monasterium ab antiquo tempore ædificatum fuerat hospitale ad suscipiendos advenas, pauperes & infirmos, quod propterea hujusmodi suppressione desiit. Ita extincta est post sex fere secula a sui fundatione abbatia Carcerum, quorum tria sub canonicis regularibus ordinis sancti Augustini, tria fere sub monachis Camaldulensibus elapsa erant.

[a] T. II. pag. 348. Cl. Venet.

ANN. CHR. *1691.* LIII. Fundatio eremi Zobor in Hungaria.

ZOBOR mons per totum Hungariæ regnum notissimus, ab antiquis Sembor, Sobor & Sambor dictus, itineris circiter horam distat ab antiquissima episcopali urbe Nitriensi, habens e latere locum rivis & scaturientibus fontibus, nec non densissimis silvis jucundissimum, quem anno DCCCC. II. primitus ad habitandum elegere tres ex Moravia viri, sanctitate & virtutibus conspicui, erigente ibidem, ad instantiam sancti Methodii Olomucensis, & Wichingi Nitriensis episcoporum ecclesiolam Suatobogio Moraviæ rege piissimo, & post depositam coronam felicissimo incola ejusdem solitarii loci. Morte ejusdem regis & ceterorum eremitarum mons & locus ad pristinum statum rediere, immo spelunca latronum evasere usque ad tempora sanctissimi Stephani I. Hungariæ regis, qui tum Adalberti Pragensis archiepiscopi, tum Romualdi, tum etiam Polonorum martyrum & confessorum Andreæ & Benedicti Romualdi discipulorum asseclas fovit, coluit, & monasteriis donatos voluit in monte sancti Martini in honorem hujus Sancti dicato; ad radicem Montis-ferrei in honorem sancti Benedicti; & demum in monte Zobor in honorem sancti Hippolyti. In hoc postremo monasterio eremiticum institutum propagarunt Andreas & Benedictus Zoerardi Poloni, institutionibus jam edocti Johannis, Benedicti, Matthæi, Isaaci, Christini, Barnabæ Polonorum, ut fusissime diximus ad annum 1010. Temporis progressu eremitica ibidem propagatio defecit; quare bona & possessiones monasterii Zoborensis transierunt in utilitatem canonicorum Nitriensium. Blasius Jaklin piissimus Nitriensis episcopus ob singularem affectum, quo semper prosequutus est Camaldulensium eremitarum ordinem, restituere cupiens in diœcesi sua post fere septingentos annos antiquissimum ascetarum solitariorum institutum, hoc anno 1691. verba fecit cum eremitis Kallenbergensibus, qui Viennensem Cæsaream sancti Joseph eremum incolebant, animique sui intentionem exposuit; quare missus fuit ad Nitriensem urbem Johannes-felix Bononiensis tamquam novæ eremi superior cum aliquot sociis, tum ad fundationem inchoandam, tum ad redditus stabiliendos recentis coloniæ. Primum igitur Blasius episcopus in consortium suæ voluntatis vocavit & traxit fratruelem suum Nicolaum Jaklin liberum baronem de Elephant, & ambo die XXVIII. junii anni sequentis in recognitionem beneficiorum, quæ a Deo acceperant, & in refrigerium animarum suarum polliciti sunt instrumento scripto se erecturos, continuaturos, & ad perfectionis statum reducturos eremum sancti Hippolyti Zoborensis pro Camaldulensis ordinis incolatu, alimoniæ insuper dotem fundaturos pro duodenario numero eremitarum æqualibus expensis, & apposita stricta promissione, ut una parte defuncta pars superstes donatorum ex suis, & ex defunctæ partis bonis complementum daret & perfectionem eidem eremo. Antequam tamen instrumentum ambo conscriberent, Cæsaream majestatem Leopoldi imperatoris adiit episcopus Blasius, & ab ipso expetiit facultatem fundandi eremum, & assignandi interim, donec aliis fundis providerentur eremitæ, in ipsorum dotem abbatiam Pilisiensem, quam ex regia collatione possidebat. Consensum præbuit imperator, libenterque subscripsit die quinta septembris anno M.DC.XCI. regnorum suorum, Romani XXXIV. Hungariæ & reliquorum XXXVII. Bohemiæ XXXV. Accessit etiam beneplacitum Georgii Szeishingi archiepiscopi Strigoniensis, primatis regni Hungariæ, & cancellarii regiæ majestatis, legati nati &c. Datum Posonii die XXVII. mensis decembris anni M.DC.XCI. quo assensum præbuit erectioni novæ eremi, & applicationi pro dote abbatiæ de Pilis. Vigesima-

Ann. Chr. 1691.

sima-quarta januarii anno 1692. eremitæ Kallenbergenses convocato capitulo a Mauro priore, acceptarunt cum votis omnibus favorabilibus eam fundationem & dotationem. Anno itaque licet calamitoso, & bello adversus Turcas molesto ædificationi initium dare constituit episcopus, & interea eadem die, qua admota fuit manus constructioni ædificiorum, assignavit bona dictæ abbatiæ Pilisiensis pro substentatione quatuor eremitarum, donec pax rediret, quo tempore dotem sufficientem pro duodecim solitariis efformaret. Decima-tertia februarii anni 1693. benignum obtentum fuit rescriptum a sacra congregatione, quo copia fiebat fundationis, & decima-quarta martii decretum cardinalis Leopoldi Kolonitz, quo permittebatur missio quatuor eremitarum ad servitium & cultum exsurgentis eremi. Sequenti anno 1694. sub die nona maji definitores capituli generalis Coronensis congratulatorias literas dederunt ad episcopum, gratias agentes, quod temporibus tam sævis hilariter ædificationem prosequeretur, ac confirmatum declararunt Johannem-felicem Bononiensem eremitam in superiorem eremi Zoborensis, dantes insuper ei in socium Cajetanum Moravum peritum in lingua Illyricana pro audiendis confessionibus populorum devotionis ergo adventantium ad novam eremum. Sed post tam fausta auspicia sinistro fato decessit piissimus episcopus Blasius Jaklin anno 1695. post sex administrationis annos; licet pro suo amore sollicite providerit, & consanguineis suis religiose præceperit in testamentariis tabulis, ut pecuniam, quam relinquebat, impenderent in ædificatione & prosequutione eremi. Post episcopi obitum Nicolaus Jaklin oblitus promissionis suæ, & instrumenti, quod una cum fratruele confecerat, resiliit a contractu, renuens contribuere ratam medietatis, ad quam se obligaverat. Citatus comparuit coram archiepiscopo Strigoniense S. R. E. cardinale tituli sancti Hieronymi Illyricorum Leopoldo Kolonitz, & tenaciter recusavit, donec post varias exhortationes factas a cardinale, & ab omni cœtu convocatorum dominorum iterato primam suam pollicitationem confirmavit, & se ad prosequendam eremi ædificationem adstrinxit. Illud tamen fatendum est Nicolaum nimia rerum egestate pressisse Camaldulenses eremitas, ita ut prope cogerentur Viennam regredi. Nihilominus feria secunda post dominicam primam Adventus ejusdem anni 1695. spopondit tam nomine suo, quam nomine Judithæ Gellerth conjugis suæ, se toto vitæ tempore quotannis solutionem facturum sexcentorum florenorum, qui impenderentur in continuatione constructionis eremi, fidejussore adhibito capitulo ecclesiæ Nitriensis, & obligatis omnibus suis bonis castri Also-Elephantesiensis, quam promissionem anno sequenti 1696. Leopoldus imperator die prima julii approbavit, ratam habuit, ac sigillo suo secreto, quo ut rex Hungariæ utebatur, signavit & roboravit. Illud tamen non prætermittendum novam hanc Zoboriensem eremum suis initiis, calamitosissimis turbarum Rakoczianarum casibus fuisse obnoxiam, sæpius expilatam, & gravissimis infidelium excursionibus exagitatam. Solertiæ nihilominus, zelo, & industriæ Chrysostomi Urmeny eremitæ Viennensis, paulo post destinati superioris hujus eremi, debentur omnia ædificia, quæ in angustia temporum, & in lacrymabili rerum facie perficere potuit, & adjumenta, quæ ex gratia benefactorum sollicite conquisivit, & præsertim Ladislai Hunyadi secretarii, & postea referendarii, ac Ladislai Mathyasowscki episcopi Nitriensis post Blasium Jacklin; perfectio tandem ejusdem eremi, quam pluribus annis rexit, ipsi est tribuenda.

LIV. De Pedemontanis eremitis.

FOEDERE fracto inter regnum Galliarum, & ducatum Sabaudiæ, rex

ANN. CHR. 1691.

rex Gallus anno elapso in Pedemontium potentissimum exercitum transmiserat sub ductu generalis Gatinat, qui inundans eam provinciam, omnes in consternationem posuerat. Sibi & bellorum stragibus avertendis consulentes eremitæ Taurinenses decreverant pretiosiora eremi transferre in tutiorem urbis Taurini locum; inde scripserunt eremitis Etruriæ, & aliis Montis-coronæ, ut si necessitas exigeret, dignarentur, quousque furor arderet belli, recipere eremitas Pedemontanos in eorum eremis, & licet primi visi fuerint ærumnas ipsorum potius compati, quam asylum polliceri, Coronenses tamen exhibuerunt se promptissimos ad eos recipiendos, si necessitas id requireret; id quod confirmarunt aliis literis anno 1694. quo adhuc vigebant exercitus Gallici depopulationes & exterminia, ac preces suas geminaverat congregatio Taurinensis. Loco se tamen non moverunr Pedemontani, cum bellum illud non esset religionis, sed civile; neque aliquid damni vel in personis, vel in rebus sustinuerunt ab exercitu Gallorum, sicut etiam nullum perpessi fuere detrimentum post quindecennium anno 1706. quando obsessa fuit urbs Taurinensis, licet Galli stationem elegissent in eremo, cujus potius custodes, quam temeratores fuerunt.

Fratris Maximini conversi Pedemontani vitam, & hoc anno sequutum obitum, elogio ad nos inde trasmisso narramus.

Frater Maximinus, in seculo Andreas, patre Claudio Chariers, seu Ceniers, Blanca la Croix matre, in Mornesii, gallice Mornès, *Avenionensis comitatus Pontificii viculo diœceseos Arausicanæ, honeste natus, catholiceque instructus ac educatus, adolescens arma regis Christianissimi gregario stipendio amplexus in bellicis nonnullis certaminibus, strenue se gessit atque feliciter. Divina super eum illuxit providentiæ tutela in generali quodam conflictu anni 1633. quo Gallico exercitu succumbente, prostrataque ingenti hominum copia, ex cæso, cui adscriptus erat Andreas, manipulo, ipse propemodum solus ex sodalibus, cum centurione suo, evasit a morte atque captivitate, quamvis firmiter in statione propria constetissent. Periculum exemptionisve gratiam sagax miles considerans aliud aliquid a se cælitus intendi, quam castra sequi, animamque bonam ex utero sortitus, Deo se deinceps uni, qui eum servaverat, religiose militaturum constituit. Cui autem instituto nomen daret atque acciperet, dum incertus mente revolveret, lumen e superis implorans, honestaque missione a ducibus obtenta, hac illacve discurrens aptum sibi nidum quæritando, non casu, sed sic Deo disponente, Pedemontem venit, Augustamque metropolim, Sacram inde Taurini eremum, ut quidem assolent advenæ, ipse vero ductante numine ascendit, ibique cito sanctæ vitæ odore suaviter illectus, locique nova sibi specie fortiter captus, divinam voluntatem animadvertens, superiorum pedibus tamdiu jacuit provolutus, quoadusque omnibus de more mature perpensis examinatisve atque probatis ad seculare experimentum fuit admissus, post quod secundi scrutinii favore promerito intrante decembri conversi habitum, & Maximini nomen assumpsit; exactoque anno intermediorumque victoria capitulorum propter clarum virtutum exhibitum specimen ad solemnia vota omnium gratulatione receptus, hæc flagranti animo in spiritu exultationis emisit. Sciens insuper Maximinus melius esse non vovere, quam post vota non reddere, tota ea terrenæ suæ peregrinationis tempore perfecte implevit. Obedientia fuit tanta, ut non sciatur unquam in ea vel parum defecisse, quod imo ex voluntate, cognitave præpositorum suorum inclinatione nihil omisit, quin statim adoriretur atque perficeret; majoribus, æqualibus, junioribusve ultro se subjiciens omnium infimum se*

repu-

reputabat. Castitatem loquendo, tractando, incedendo, sensuum custodia, mentisque recollectione mediantibus in assidua Dei præsentia immotus, beatæque Mariæ virgini & custodi angelico sibi dato sæpe commendans tenuit illibatam, eo magis quod modesta externa ipsius compositio gravitate pari sociata castimoniam aliis visu solo ingerebat consulebatque. Paupertatis amantissimus semper se satis ac nimium in utensilibus, in vestibus, in alimentis, aliave quacumque in re accommodatum habebat; parceque & accurate sibi concessis utens jacturam quamlibet parvæ rei, aut detrimentum inevitabile tamquam vulnus dilecto voto inflictum lamentabatur; quæ votivæ duæ virtutes in officio, ut videbimus, Maximino dato, periculis damnisve plurimis esse possunt obnoxiæ, nisi fideliter asserventur. Caritas vero præcipuus pii fratris nostri character fuit, cum ad Deum, quem ubique, sicut diximus, in omni objecto fide illustratus aspiciebat, diligebatque spe filiali & amore, tum erga proximum. Ostiarius factus eremi misericordiæ in primis impensam dedit operam, nulli parcens labori ad peregrinos, egenos, debilesve, tamquam vile mancipium factus, inserviendos, fovendos, recreandos, munda semper hospitii alimentorumve pro tempore subministratione consueta, additis quibusdam xeniis ac blanditiis. Oleo quodam pharmaceo ad sanandas exigentium plagas gratis utebatur, cujus parvum vas ex divina proculdubio largitate supercreto diu abunde suffecit, ipsomet admirante. Originaria sanguinis vivacitate repressa, neminem unquam quoquomodo læsit voce vel facto, nullum a se tristem dimisit, nemini defuit; nam si quando impotentia quidquam denegare cogeretur, hoc tam humanis consolatoriis verbis condiebat, ut rudioribus ipsis admirabilis evaderet, duriores emolliret, pervicacioribus humiliter mansueteque cedendo satisfaceret, adeout quidquid regula constitutionesve de Portario suggerunt, in se uno Maximinus cumulaverit. Importunum aut indiscretum appellavit nullum, neque facie, neque gestu pro tali habendum ostendit, quod si non ex miti corde venisset, aliquando in repentinis indicium subreptione dedisset: Si quis autem rustice vel injuriose comitati ejus corresponderet, sicut in fastidiosa omnis generis nationisve concurrentium copia eremi januam obsidente contingere potest & evenit, dum sine murmuratione Maximinus ferebat, illorum potius culpam excusabat. Necessaria pro suis hospitibus & pauperibus petiturus, commune promptuarium vel coquinam adiens, ad ingressum, in constitutionum Camaldulensium obsequium subsistens flexis genibus manibusve junctis, quod regulæ non dicunt, in eleemosynam ipse, quæ ad opem illorum erogaturus erat, impetrabat. Floruit in Maximino religio, cum ad Deiparam, Angelos & Sanctos quotidianis precibus exoratos & diligenter pro suo posse imitatos, obsequiis frequentibusque aspirationibus invocatos, tum erga res sanctas & ad divinum cultum, aut ecclesiarum pro sui status conditione spectantes, Missæ præsertim adorabile sacrificium, cujus devoto servitio præsto semper aderat, si non in communi templo, ne ab assidua laboriosæ januæ statione nimium elongaretur, exteris profecto sacerdotibus persæpe adventantibus in oratorio ad ingressum eremi posito, quod concinne adaptatum instructumque tenebat, rogatis insuper ipsis eremitis, ut ad inibi celebrandum dignarentur accedere. In secularibus castris olim edoctus optimus noster nunc Romualdi miles, quod usque dum arcium vallorumque propugnatoribus exteriora, quæ vocant, opera vigili excubia strenuave defensione sunt salva, mœnium validiora munimina de hoste non timent; ad vota ipse altioresque virtutes tute servandas, regulam, constitutiones atque statuta ordinis, velut quoddam antemurale præsidium, fideli-

Ann. Chr. 1691.

fideliter sibi custodienda proposuit, & quatenus qui fidelis est in minimo, & in majori est, nihil in iis prætereundum, nil pro exiguo reputabat, sed communitatem adamussim sequens noverat sanctificationem suam in hoc & salutem esse positam, quæ sic præstabat, ut eluceret aperte, quo spiritu ageretur, quove ordine, quo studio, quo fine quæque facere oporteret dignoscens aut omittere, aut devitare. Silentii præcipua erat ei cura, a confabulationibus longe declinans & alloquiis superfluis, nec aurem, nec aditum præbens, immo & agenda innuebat quandocumque hoc sufficeret & signis dabat responsa, & si comis alioqui, ubi loquendum foret, conversatio illius esset, atque ad omnes blanda servitus ejus & infatigabilis, & officiosa. Hæc omnia perfecte complebat pius frater fastidiosum in coxa dolorem alacriter sustinens, quo difficulter gradiebatur, nec omnino eum sedere permittebat, sed tota die stans, aut genuflexus esse coactus, quas ipsas brevi somno indulgebat horas, unum super latus decumbens integras noctes transigens. Non itaque mirum, quod universim amaretur domi, & foris distinctissimis personis honorabilis fuerit in consideratione; carus probatusve, innominatis aliis, fuit venerabili presbytero & præfecto congregationis Philippinæ Taurini Sebastiano Valfrè, alibi recensendo, quem super altaria rite colendum cito speramus. Priusquam ad pretiosam fratris Maximini mortem referendam deveniamus, inopinati eventus narratio locum habeat, episodio, quod omnipotentis gratiæ ad laudem visum est opportunum, implorata venia. Quodam anno dum bonus iste conversus prælaudata ratione in officio suo versaretur, congregationibus nostris eremiticis pro tunc non sejunctis, Itali duo selecti patres Taurinensem sacram eremum regulari pro visitatione convenerunt, quo intrante unus eorum janitorem videns fixe hunc demirabatur, a quo & ipse firmo erat intuitu contemplatus, oculos a vicario aspectu non dimoventes, comminiscens quidem uterque intra se novam sibi non fore alterius faciem, persona tamen, locus & tempus notionis anterioris neutri memoriæ prodibat. Modesto fratre interrogare non audente, sciscitari tandem ab hoc humaniter placuit visitatori, ut patriam atque primævæ transactum vitæ institutum sibi portarius edisseret, aliave minutiora, ex quibus renasci comminiscentia valeret, quove pacto se jam novissent, dilucidaretur, cui humiliter obsequens Maximinus, a Mornexio in Avenionensi districtu ortum se traxisse, pro Galliarum rege militasse, ducibus, legione, decuria, manipulo, bellicaque ipsius nomenclatura diserte recensitis, pugnæ huic, & huic, cladi notanter suprememoratæ de 1633. adfuisse, seque ab universa viciniorum commilitonum strage protegente Altissimo evasisse cum paucissimis & capitaneo candide per omnia fassus est. Et ego, lætabundus inquit pater, centurio ille tuus eram; causam occasionemve propter eamdem sanctissimi Christi ducis Romualdi vexilla sequor, distincto licet eremitico in agmine, parique, ut memineris, divina miseratione servatus, nec minore, quod nesciebat, mentis illustratione donatus cœlesti regi milito pro terreno. Moxque Maximino visitatoris iterum dexteram presse osculante, iste fratris collo dans ulnas, eum amanter in osculo caritatis amplexus est, consolationis lacrymas utroque invicem commiscente. Ad Maximini præclara gesta jam ultima redeuntes e porta eremi ad valetudinarium, quo ex diu passo coxali morbo incurabili facta fistula transferri debuit, sequamur eum, ubi necessaria omnibus ad reportandas promissiones patientia illum est egregie comitata, utque generosam ejus constantiam in crebris acutisve tolerandis cæsionum doloribus admiremur, ad imitandum saltem in paucioribus. Plures in menses nulla infirmi querula voce, aut gemitu,

aut

aut suspirio, aut ægre ferentis nutu curatio duravit acerbissima, illo potius patientem Jesum sibi mente propositum actibus piis invocare, seque ei conformari studente, nec tamen ferri causticique repetiti cruciatus chirurgico tormentoso subsidio cancrena arceri potuit, sed tardius tantummodo compulsus est mori, diutius patiendo ad coronam augendam: mortem ad se currentem tranquillo animo, exhilarata fronte conspiciens, non quia dolentis vitæ finis erat, sed ut summo bono, quod semper optaverat, unitus frueretur, imploratis omnibus decedentium sacramentis, ignitis verbis ad cujusve administrationem a se devota consuetudine accommodatis, anno M. DC. XCI. *duodecima die octobris feria sexta, ut in reddenda etiam anima redemptorem omnium expirantem sequeretur. Obiit in senectute bona, cadaveris facie non, ut assolet, horrente, sed quamquam annis octoginta supercompletis, diuturnisque gravibus ægritudinis afflictationibus extenuata, venustum quoddam decus induente, viri meritum ostendente spiranteque sanctitatem.*

Duodecima junii in eremo sanctæ Mariæ de Auxiliis, ubi erat prior, ad Deum transiit Macarius Genest eremita Gallicanus ab anno 1674. cujus vita fuit continuata Dei præsentia, quam præsertim inquirebat in sanctissimo sacramento altaris, ante quod dies noctesque fere integras insumebat. In itineribus cum ad aliquem locum perveniebat, oculis percurrebat, ubi turres essent campanariæ ecclesiarum, & in genua statim provolutus vel absens diu perstabat in veneratione & meditatione ejusdem divini sacramenti.

LV. Vita communis introducta inter moniales S. Catharinæ de Cæsena.

SUB piissimo Cæsenate episcopo Johanne-casimiro Denoff S. R. E. cardinale introducta fuit præsenti anno vita communis in parthenone sanctæ Catharinæ ejusdem urbis ordinis Camaldulensis, in quo jam reflorebat pietas, & regularis observantia, ut liquet ex tot sanctimonialibus, quæ odore sanctitatis ibidem defunctæ sunt, quorum brevia, sed frequentia elogia attulimus annis antecedentibus, & magis magisque refloruit in annos sequentes, ut dicemus. Extat elegans narratio hujus introductionis scripta anno 1718. a Maria Columba Pepuli moniale ejusdem monasterii, quam compendio referimus. Animadvertit itaque ipsa scriptrix in eodem monasterio eatenus sanctimoniales solitudini potissimum & perfectæ abstractioni a seculi commerciis incubuisse; exercitia spiritualia sancti Ignatii quotannis percurrisse; orationi mentali, lectioni sacrorum librorum, examini conscientiæ vacasse; culpas, publicasque pœnitentias & dixisse, & peregisse in capitulo & in refectorio, obedientiæ, paupertati & abstinentiæ studuisse. Dei præsentia, jugis oratio, inviolatum silentium, actus frequentes caritatis, patientia in infirmarum cura erant continuata exercitia earum monialium; sola proinde deerat introductio vitæ communis, ut per ipsam majoris perfectionis apicem attingerent, cujus etiam prima tirocinia posuerant sub cardinale Vincentio-maria Ursino episcopo Cæsenate & sub ductu pii sacerdotis Antonii Bariletti; sed cum post breve tempus idem purpuratus transiens ad Beneventanam reliquisset anno 1686. ecclesiam Cæsenatem, ejus successor cardinalis Denoff stabilire eamdem vitam communem tum consiliis & hortationibus suis, tum ope vicarii generalis sui abbatis protonotarii apostolici Jacobi Evelliardi viri piissimi & honoris Dei zelantissimi, qui quidem in Germania natus fuerat, sed Parisiis enutritus, quammaxime satagebat. Post semina jacta, venit cardinalis ad monasterium sanctæ Catharinæ die octava decembris, & auditis singillatim omnibus monialibus, non solum facilem plantationem vitæ communis

Ann. Chr. 1691.

munis reperiit, sed omnes promptas & suppliciter expetentes eam introduci in suo monasterio. Quare ipsis monialibus præcepit, ut nulla diceret alteri super quibus interrogata fuisset in examine, multoque minus propalarent secularibus. Iterum eas audivit die XXVIII. ejusdem mensis una cum suo vicario; & vocato Johanne-antonio Pirini cancellario, ac testibus adhibitis rogatum fuit instrumentum, quo consentiebant moniales inductioni vitæ communis, & triginta-novem moniales chorales, & quatuordecim conversæ omnibus substantiis suis se expoliantes, & redditibus abrenunciantes detulerunt ad pedes suæ abbatissæ etiam res minutissimas, utputa acus, & fila, ipsæque seniores immediate se subjecere prælatæ suæ, suisque officialibus, omnem curam in eas rejicientes; id quod peractum fuit a die sanctorum Innocentium usque ad diem epiphaniæ Domini, quo rediens cardinalis mensa eucharistica eas pavit, & comestibilia donavit ad mensam communem corporalem. Qualibet hebdomada redibat ad monasterium, & tum verbo Dei, tum interpretatione Regulæ eas reficiebat. Typis edidit opera sancti Francisci Salesii, & etiam regulam sancti patris Benedicti, & plura exemplaria monialibus dono dedit. Demum declarationibus in formam interrogationis & responsionis illustravit regulam, quæ mss. asservantur in dicto monasterio. Die XVIII. maji anni 1692. viginti-septem ex iis monialibus sacravit, quæ 25. annum ætatis superabant, duasque superaddidit post aliquod tempus seorsum, quæ proximæ erant ad eam ætatem, quasi præsagiens earum vicinum obitum, ac cucullis omnes induit, cum antea tres dumtaxat moniales cuculla uterentur; velum etiam earum capitis reformavit, quod prius gestabant more matronarum viduarum. Ipsa die consecrationis duæ moniales, quæ unicæ detrectaverant vitam communem, ceteris se adjunxere, proprietatem omnem in manu cardinalis abjicientes, & aliarum exemplo se conformantes. Sacerdotem pium destinavit, qui moniales in cantu exerceret, officinas deputavit monasterii, tirocinium nimirum, locum educandarum, infirmariam, & vestiariam, aliaque communia loca, quæ eorumque ordinem minutissime describit eadem sanctimonialis, superaddens singularem methodum, qua utebatur cardinalis ad directionem spiritus ipsarum; narrat proinde aliquando unam ex ipsis contulisse in viam consilii cum theologo cardinalis intimum dulcedinis sensum, quem ex divina gratia experiebatur circa præsentiam Dei; theologum autem eum sensum tribuisse infirmitati capitis, & facilitati phantasiæ sanctimonialis, cardinalem vero contrariæ fuisse opinionis, qui etiam consuesceret inculcare monialibus, ne nimis faciles etiam cum ipsis confessariis forent in aperiendis interioribus charismatibus, sed ope humilitatis hæc dona effunderent coram Deo, & pariter conferrent dumtaxat cum probatissimis conscientiarum directoribus. Demum concludit ipsa pia scriptrix narrationem suam pretiosa morte sanctimonialium, quæ ab hoc anno usque ad annum 1718. ad Deum transierunt, quæ spiritu cardinalis imbutæ ejusque proxima directione, virtutibus & dono orationis excelluerunt in præfato parthenone. Prima post inductam vitam communem obiit anno 1693. VIII. decembris octuagenaria Flavia Gualagnini exemplaris vitæ & integerrima morum, quæ maximam diei partem impendebat in adoratione SS. Sacramenti. Anno sequenti die X. maji Rosa-maria Bolognini juvenis annorum XXIV. quæ obiit ex obedientia contracta in adimplendo officio coquinæ in venerationem regulæ sancti patris Benedicti, quæ neminem excipit ab eo officio. Anno 1695. VIII. augusti Hippolyta-hieronyma Pasini anno-

rum

rum XXXIII. una ex directis immediate a cardinale, sui contemptrix, & quæ hilariter occasiones inquirebat, ut sperneretur, & humiliaretur. Anno 1696. XII. februarii Rosa Cleria Claruccia annorum LIII. Eodem anno die IX. decembris Constans Generosa conversa. Anno 1697. XXVII. januarii Maria-Alexandra Dei abbatissa septuagesimo-secundo suæ ætatis anno; inde Antonia-Francisca Guidacci XXIX. martii & Maria Radegundis Penelopes Dandini; sed de hac postrema ceterisque sanctimonialibus ad annum 1697. & sequentes. Germanus Botta abbas Camaldulensis in epistola ad Guidonem Grandium data ex Britonorio XXXI. martii anni 1693. scribit easdem sanctimoniales ad instantiam abbatis Camaldulensis Romualdi Felini cingulum Camaldulensium proprium assumpsisse, quo eatenus usæ non fuerant, permittentibus earum superioribus.

ANN. CHR. 1691.

ANN. CHR. 1692.
LVI.
Canonica Tudertina erecta in eremum a Monte-coronensibus.

CANONICA sancti Michaelis-archangeli de Tuderto, quantum conjicitur ex vestigiis & superstitibus maceriis, efformabat antiquis temporibus oppidum seu villam aliquot domorum rusticanarum, dissitam ab urbe Tudertina duobus milliaribus, uno autem a castro Pontis-acuti. Exurgebat ibidem monasterium cum ecclesia adnexa, cui inserviebant canonici regulares, a quibus factum fuit loco nomen Canonicæ. Monasterium, sive præpositura vel beneficium progressu temporis in commendationem devenit, ut alibi vidimus, Galeatii Gabriellii Fanensis patritii, inde Petri eremitæ Coronensis & discipuli beati Pauli Justiniani. Ad vitam ipsius Petri, & postea ad vitam alterius eremitæ ab ipso nominandi, & demum in perpetuum dicta canonica unita fuit a Clemente VII. & a Paulo III. congregationi eremitarum Coronensium. Prioratus titularis sine residentia, & sine familia ob tenuitatem redditaum, sed cum voce capitulari primitus ibidem constitutus est, sed proventibus postea auctis, & ædificiis adjectis, opera Petri Giampedi Fabrianensis & eremitæ Coronensis, & favorabili relatione Josephi Planetti episcopi Tudertini ad sacram congregationem anno 1688. decretum est in capitulis generalibus annorum 1687. 1688. 1689. & 1690. ut ibidem fundaretur habitanda eremus. Demum die secunda maji hujus anni 1692. necessaria facultas obtenta fuit a sacra congregatione, accedente præsertim instantia facta eidem congregationi a Leopoldo imperatore per epistolam scriptam die tertia januarii. Sed quia eremus ædificanda erat non in veteri canonica, sed prope ipsam, ubi erat ecclesia parœcialis sancti Michaelis archangeli, permisit Innocentius XII. ut perpetuo uniretur eidem eremo beneficium alterum sine cura sancti Petri de Uncinis, ad quod postremum translata est cura animarum, cum annuo onere scutorum quadraginta-quinque solvendorum possidenti beneficium, ut ex bulla ejusdem Romani pontificis sub die XXI. aprilis 1694. Sensim ædificata fuit eremus Tudertina, sed perfectæ non fuere habitationes nisi anno 1714. & iterata facultate a sacra congregatione facta episcopo Tudertino S.R.E. cardinali Philippo-antonio Gualterio Planetti successori introductus est numerus religiosorum. Verum attentis tum redditaum tenuitate, tum aliis ærumnis, supplicatum fuit eidem sacræ congregationi pro diminuendo numero eremitarum ad tempus, itaut sex vel etiam quatuor dumtaxat eremitæ ibidem degerent; & demum ad perfectionem integre redacta eremo ejusque ædificiis, decreto sub die V. octobris Hieronymi Formaliarii episcopi Tudertini judicis delegati ab eadem sacra congregatione die XI. septembris anni 1750. Anno sequenti electus fuit iterum Tudertinus prior, & deputati duodecim eremitæ

ANN. CHR. 1692.

ad servitium præfatæ ecclesiæ & eremi, restituto post septingentos & quinquaginta annos in eo territorio eremitico instituto, quod sanctus pater Romualdus, teste Petro-Damiani, in iis partibus ita disseminaverat, ut putaretur totum mundum velle in eremum convertere.

Franciscus de Perefixe archiepiscopus Parisiensis ad petitionem prioris sancti Johannis-baptistæ de Gros-bois die XXVII. martii permittit, ut sanctissimum Sacramentum altaris, quod videri non poterat ab eremitis psallentibus in choro sito retro altare, suspendatur sub tabernaculo apte ornato, ita ut pateat ipsorum oculis, simulque adducit antiquum hujusmodi decretum: *Sanctissimum Jesu-christi corporis sacramentum super altare majus sollemniter suspendatur, juxta antiquum totius ecclesiæ Gallicanæ ritum in concilio* II. *Turonensi Pelagio summo pontifice præside statutum his verbis: Corpus Domini in altari, non in armario sub Crucis titulo componatur, sed ad basim Crucis in medio in altari erectæ collocetur; quod in sacro-sancta ecclesia Metropolitana Parisiensi rite & religiose servatur, & in multis aliis tam in urbe, quam per diœcesim. Ideoque ubi viget illa laudabilis & antiqua ecclesiæ Gallicanæ & Parisiensis consuetudo, retineatur; & ubi fieri & observari potest, restituatur; juxta statuta synodalia Parisiensia sub Eustachio Belajo Parisiensi episcopo anno* 1555. *art.* 30. *de Eucharistia his verbis: Hostia vero sacra eminenti servetur loco tuto, honesto, sera rite obfirmato, quæ jugi religione populo pateat, ut adoretur.*

Lælius Ravellius Brisichellensis monachus Camaldulensis ex cœnobio Classis Latine & Hebraice doctus decessit hoc anno in monasterio sanctæ Catharinæ de Cremona. Edidit cursum philosophicum ms. integrum, alium cursum in compendium redactum, & in tres partes distributum Ravennæ protulit anno 1658. typis hæredum de Johannellis; cursum pariter theologicum ms. conciones quadragesimales, orationes academicas & sacras, conciones plures adversus Hebræos; funebrem in obitu Cherubini Malaspinæ ex ordine Prædicatorum episcopi Burgi-sancti-Sepulcri orationem, aliam in obitu Clementis Mencarelli Æsinatis, qui fuerat abbas generalis Camaldulensis, carmina demum plura vario metro.

Ita etiam in abbatia Vangaticiensi supremum diem obiit Mathias Bugagnatus abbas & monachus ex professione sancti Michaelis de Muriano ab anno 1660. cujus extat oratio Venetiis impressa & habita in eodem cœnobio in adventu Petri Ferraccii abbatis generalis Camaldulensis, de cujus laudibus copiose ibidem differitur.

LVII. Ædificatur valetudinarium eremitarum Taurinensium.

CUM Carolus-emmanuel I. dux Sabaudiæ fundator eremi Taurinensis cogitasset eam eremum condere ad instar Camalduli-majoris & Montis-coronæ, prope quas eremos ædificata est abbatia, sive monasterium aut hospitium, in quo recipiuntur pauperes & egeni, & insuper commorantur eremitæ infirmi vel convalescentes ad valetudinem confirmandam; quod tamen præstare nequivit, tum ob immaturam mortem sancti institutoris eremi Alexandri Cevæ, tum præpeditus continuis præliis, quæ cum regibus Galliarum & Hispaniarum sustinuit, progressu temporis visum est eremitis Taurinensibus e re sua esse ædificare prope eremum habitationem, quam infirmariam vel valetudinarium appellarunt, ubi in optime dispositis cubiculis reficiuntur & foventur omni caritatis genere eremitæ infirmi. Speciosissimum, & quibuscumque necessariis rebus ditissimum est hocce ædificium, habens oratorium in meditullio, quod prospectari potest ab omnibus infirmis degentibus in suis cubiculis, completum hoc anno. Benedictus papa XIV. anno 1752. die

die XV. januarii dilargitus est plures indulgentias huic oratorio sequenti decreto: *Sanctissimus Dominus noster Benedictus XIV. benigne concessit, ut clerici ceterique religiosi monasteriorum congregationis eremitarum Camaldulensium provinciæ Pedemontanæ aliqua corporis infirmitate detenti, ac ætate provecti omnes & singulas indulgentias eorum ordini respectivisque monasteriis & ecclesiis quomodocumque concessis consequi valeant, dummodo opera in respectivis brevibus vel concessionibus injuncta adimpleant, excepta corporali visitatione seu exercitio, pro quo confessarium consulere debeant. Gratis. Fr. S. Card. Portocarrero præf. A. M. Erba protonot. apost. secret.*

ANN. CHR. 1692.

ANN. CHR. 1693.

LVIII. Mors Julii-cæsaris Carenæ abbatis Classensis.

DIE secunda mensis julii miserabilem hanc vitam cum meliori commutavit Julius-cæsar Carena abbas Camaldulensis, cujus vitam conscripserunt Jacobus Laderchius presbyter oratorii una cum epistola Timotheo dicata, & Florianus-maria Amigonius abbas itidem Camaldulensis, quæ extant mss. cum adnotationibus etiam Petri Canneti Camaldulensis præsulis in bibliotheca Classensi. Legitur quoque vitæ ipsius Carenæ compendiolum ad calcem alterius vitæ venerabilis Paulæ a Voluntate Dei haud multum pridem Venetiis editæ; agitque de ipso Franciscus Arisius in Cremona Literata Tomo III. pagina 210. Julius Cæsar ex nobili Cremonensi familia natus Cæsare patre, anno 1655. vestem monasticam induit in cœnobio Classensi Ravennæ. Tanta profunditate & ingenii acumine in scientificis disciplinis & in speculativis philosophiæ & theologiæ quæstionibus excelluit, ut ad multum temporis ejus dumtaxat scripta traderentur in Camaldulensibus scholis, & scribens Cannetus ad Arisium dixerit, Cæsarem esse virum, qui seculum illustraret, si ipse pateretur in publicum prodire opera sua. Sed pietatis & humilitatis, potiusquam magni nominis sollicitus vir Dei semper renuit. Æstimatur potissimum tractatus de Cœlo, quem labore pene improbo & omnibus numeris absolvit, vocatis in subsidium Arithmetica & Optica, ut Astrorum motus & intervalla metiretur exactissime, ac eorumdem magnitudinem, phases & id genus alia observaret. Exercuit etiam se in specillis cujuscumque generis & in optimis tubis opticis extruendis. In theologicis vero methodum divi Thomæ sequutus est, de Natura Dei ejusque attributis, ubi de Scientia Dei acerrime tutatus est sententiam patris Molinæ & Societatis; de Trinitate, de Angelis, de Actibus humanis, de Virtutibus theologicis, de Gratia actuali ejusque necessitate, de Verbo incarnato, de Sacramentis in genere & in specie. Scripsit de potestate prælatorum; & stimulos addente cardinale Laurentio Raggio Æmiliæ legato, quatuor sollemnes propositiones facultatis Parisiensis in Italiam sparsas theologicis resolutionibus confutavit anno 1682. septimo pontificatus Innocentii XI. Enchiridion ad usum Pontificalium composuit. Exorsus fuerat theologiam dogmaticam, sed aliis distentus perficere nequivit, sicut etiam novum commentarium in summam divi Thomæ, hortante, immo rogante Thoma-maria Ferrario tunc sacri apostolici palatii magistro, mox cardinale, qui profunditatem & mentem Carenæ itidem ac pietatem quammaxime suspiciebat. Spernendæ quoque non sunt adnotationes, authorum allegationes & castigationes, quibus quamplures libros canonicos & morales illustravit & auxit, præsertim Tamburinum, Lezanam, Platellium. Romæ, ubi in monasterio sancti Gregorii ad clivum Scauri, post Ravennam theologicas institutiones tradidit, passim vocitabatur communis magister a primariis Urbis theolo-

Ann. Chr. 1693.

gis, Fabii Guinigii archiepiscopi Ravennatis fuit præcipuus examinator synodalis, cardinalis Raggii theologus, quem in gravissimis difficultatibus consulebant. Hæc munera sibi obeunda fuere etiam Romæ, ubi fuit expetitus a multis cardinalibus, & Patavii a cardinale Gregorio Barbadico, & quamvis ipse solerti modestia refugeret quæcumque honorem vel dignitatem præseferebant, ubique tamen ad ipsum veluti ad oraculum confugiebant quamplurimi cujuscumque conditionis viri in abstrusioribus casibus & dubiis, quibus omnibus occurrebat prudentibus & opportunis consiliis; siquidem in canonicis & moralibus maxime enitebat. Licet enim in altiorum speculationum profunditate videretur absorptus, multam tamen operam impendit etiam in iis studiis, etenim semper legebat, semper scribebat, semper docebat, semper speculabatur, semper orabat, ut legitur de venerabili Beda.

Et hæc quidem de doctrina Carenæ; modo aliqua de ejus insigni pietate & sanctimonia. Vivacissima erat ejus indoles & patientiæ, ut ita dicamus, nescia, pro atrabilari temperamento ejus constitutionis, iram tamen prorsus domuit, & mitissimum se præbuit omnibus. Ingenuus maxime ab omni simulatione abhorruit, linguam ita rexit, ut quemcumque levissimum lapsum durissime castigaret, & nonnunquam ad genua procideret collegarum veniam expostulans, si quid acerbius sibi excidisset ex ore inter disputandum. Nunquam se suosque commendabat, nec tamen accusabat defectus. Cum autem tanta niteret morum innocentia, pessimam tamen de se ex corde semper retinuit opinionem, ut diceret neque Judam, neque Luciferum aliquod commune vel æquiparandum cum se habere. Cum alia ratione monachus se dimovisset e loco mensæ, quo proximus illi erat, non potuit se cohibere, quin familiariter eidem aliisque diceret, illum ea de causa se dimovisse, eo quod ferre amplius nequiret fœtorem scelerum suorum. Ab Innocentio XI. promotus ad infulas abbatiales, & ad sancti Severi monasterium in urbe Perusina destinatus, post paucos menses se a regimine & a dignitate abdicavit, & ad cathedram theologicam rediit. Duabus horis quotidie mentaliter orare consuevit; præter Divinum & Marianum, alia officia genuflexus ingeminabat, & coronas & Rosarium beatæ Mariæ Virginis. Somni parcissimus, flagellis interea corpus affligebat & ciliciis; in ciborum abstinentia non relaxanda nullum etiam sollemniorem diem excepit, atrocissimis interea cruciabatur doloribus capitis & dentium. Sed quod merita Carenæ magis magisque commendat, per triginta-trium annorum spatium, quot fuerunt ejus monachatus, semitam Crucis spinis septam immensis calcavit ex crudelissimis dæmonum impugnationibus, qui ipsum tentabant vehementissimis blasphemiarum & indignationum in Deum passionibus, quas tentationes brevissimæ tantum consolationes alleviabant, ita ut aliquando dixerit spiritum suum asperis durisque assuetum dulcia non admodum gustasse, & externis internisque afflictionibus ac conflictationibus desolatum hoc unum firmabat ipsius animum, divinum scilicet beneplacitum, Deique summe boni meritum infinitum. Familiare quoque illi erat terribile sacrificium perficere quoad æternam sui salutem, quod si Dei voluntati aut justitiæ placuisset ipsum æternis adjicere suppliciis, & in perpetuum beatitudine cœlesti privare, acquiescebat in voluntate & justissimis judiciis Dei. Vir tam excruciatus in suo interno, serenitatem adeo amabilem ac devotam, dum ipsi cum proximis agendum erat, induebat, ut solo intuitu exhilararet, verbis vero summa energia præditis, ac dulcedine quamplurimos e profundissimis

mis mœstitiis in divinæ suavitatis spem erigeret. Hoc spiritu discretionis adfuit opportunus pluribus monasteriis, quibus tranquillitatem & pacem restituit. Sed Carenam prosequamur Roma Ravennam redeuntem, ut ibidem denuo theologiam publice doceret. Cum Ribanum pervenisset, prædium monasterii Classensis in agro Ariminensi, ne ultra progrederetur, prohibitus est vi morbi nimium ingravescentis. Defuerunt corpori infirmo vires, non tamen spiritus, licet corpus doloribus multis & atrocibus vexaretur, spiritus autem recrudescentibus dæmonum impugnationibus. In tanta lucta hoc sibi suggerendum in agone optavit: *Christus meus, spiritus meus*, quod ex magna Gertrude didicerat. Sensibus integris, donec expiravit, vixit, & licet tribus horis circiter loqui ante mortem desierit, semper tamen audivit, & nutibus interroganti hortantique respondit. Agonem ingressus est actu heroico. Ardebat piissimus pater febri vehementissima, & frigidam enixe petiit. Magnus ac plenus crater porrectus fuit, cumque ori jam apposuisset, paululum substitit velut secum deliberans, ac sibi veluti indignabundus in hæc erupit œstro vehementiori: Erubesco, quod tam frigide Deum diligam, ut hoc modicum refrigerium ipsi nequeam offerre. Quo dicto craterem & aquam intactam ministranti restituit. Statim autem se collegit, & ad mortem in lectulo se composuit, crucifixum tenens dextera, oculos vero clausos habens, ne a præsentia Dei distraheretur. Sic quiescenti similis obiit die secunda julii, hoc est in die Visitationis B. M. V. cujus fuerat in vita devotissimus, & in cujus nomine sibi quidvis exposcenti firme statuerat nunquam negare. Paulo ante mortem divini amoris æstu percitus adstantes ad Deum super omnia diligendum cœlesti emphasi hortatus est, ac maxime permovit, & signo Crucis munito ter corpore, ac extensis in Crucis morem brachiis & mox collectis expiravit. Cadaver ipsius Ravennam per triginta amplius milliaria distantem deductum est, summis honoribus celebratum fuit ejus funus totius urbis concursu, ac præsentia Raymundi Ferretti archiepiscopi Ravennatis, qui sponte orationi funebri adesse voluit, quam dixit pater Molducius S. J. Rhetoricæ in collegio Ravennate magister. Sanctus ab omnibus, dum viveret, habitus, post obitum creditus fuit beatus; raptis ex funere rebus, quæ ad ejus usum fuerant. Quinimmo multi cum dignitate, tum pietate & doctrina præstantissimi viri, inter quos nonnulli S. R. E. cardinales, & S. J. generalis præpositus Thyrsus Gonzalez admoniti de Carenæ morte testati sunt epistolis summam, quam conceperant de ipso existimationem & venerationem, & parem de ejus jactura dolorem. Quamvis enim nihil cautius aut diligentius ipse fugeret, quam ab hominibus & præcipue claris agnosci, maximo tamen in pretio habitus fuit a pluribus; præsertim ab eminentissimis purpuratis Raggio, Cursio, Ursino, Ferrario, Colloredo, Petruccio &c. Inter multos autem prælatos illustrissimus Carandinus dum Ravennæ ageret, adeo ipsi devotus extitit, ut sicuti vitæ perfectioris ab eo monita frequentissima recipiebat, sic Mutinæ morti proximus nihil tam enixe postulaverit, quam sui magistri præsentiam, ac in eo postremo discrimine præsidium, unde ne piissimus prælatus hoc solatio frustraretur, Ravenna discedens præsto fuit morituro discipulo strenuus magister.

Soluta fuit hoc anno communicatio suffragiorum pro defunctis, quæ intercedebat inter Pedemontanam congregationem, & congregationem eremitarum Camalduli-majoris, ita tamen ut Pedemontani deinceps magis abundarent in suffragiis præstandis animabus defunctorum suæ provin-

Ann. Chr. 1693.

vinciæ. Taxati sunt itaque sacerdotes omnes in missis decem pro quocumque defuncto eremita sacerdote, clerico, converso & oblato, in missis duodecim pro quolibet, qui fuisset prælatus, & in Missis quindecim pro Majore. Clerici vero in quinque psalteriis cum Requiem, & inserviendis decem Missis, & in recitandis viginti Coronis Dominicis. Conversi autem & oblati inserviendis decem Missis, & percurrendis triginta Coronis. Exceptus fuit ab hac privatione suffragiorum Johannes-paulus Invrea episcopus Adjacensis ex eremita Camalduli Etruriæ, qui rogaverat participationem suffragiorum, & spoponderat reciprocam retributionem.

LIX. Epistola contra vanos rumores suppressionis aliquot ordinum.

Cum post suppressionem Camaldulensis abbatiæ sanctæ Mariæ ad Carceres ante triennium sequutam, inanes rumores sererentur, quod Romanus pontifex Innocentius XII. cui locum fecerat Alexander VIII. plures regularium ordinum religiones vel monasteria abolere vellet, idque potissimum divulgatum esset inter Camaldulenses monachos, Paulus-antonius Zaccarellius abbas generalis salutem & pacem precatus, sequentem epistolam Faventiæ typis edidit, & encyclicam misit ad venerabiles fratres ac dilectos in Christo filios abbates & monachos curæ suæ pastorali subjectos: *Ad supremum usque apostolicæ sanctitatis thronum inanes quidam rumores pervenere, qui lethale fulmen pluribus religiosorum hominum ordinibus & supremum excidium minabantur. Qua de re commotus clementissimus & optimus pontifex, neque ferens nos hujusmodi terroribus agitari, qui nihil tale meriti videmur, raro sane paternæ pietatis exemplo nobis significandum curavit, se quam valde a funestis hujusmodi suppressionum cogitationibus abhorrere, neque piissimum in animum suum unquam induxisse, ut nos deleret. In mandatis etiam nobis dedit, ut missis ad omnes monasteriorum abbates encyclicis literis, eos certiores redderemus de vanissimæ hujus famæ inanitate, ex qua vix dici potest, quantum mali proveniat, juberemusque omnes bono esse animo, & alacriori studio monasticam disciplinam colere, atque ad sanctitatem contendere, quod unum a religiosis viris pontifex etiam atque etiam requirit. Nos idcirco ea, quæ par est, obedientiæ humilitate pontificia mandata excipientes, vobis omnibus notum volumus oraculum illius, qui vicariam Dei majestatem gerens in terris, Deum ipsum imitatus cogitat super nos cogitationes pacis, & non afflictionis. Facessant igitur procul vani terrores, si quorum fortasse infirma, Deoque minus adhærentia corda subierant, neque audeat quisquam inanes posthac hujusmodi sermones maligni certe dæmonis opera effusos in vulgus excipere aut fovere. In eam immo curam totis viribus incumbite, venerabiles fratres, ac filii dilectissimi, ut sanctiores in dies evadatis, omnem sollicitudinem vestram projicientes in Deum, quoniam ipsi cura est de vobis. Ipse vos perficiet, confirmabit, solidabitque.*

Septem jam secula prope abierunt, ex quo Camaldulensem vineam manifesto Dei consilio sanctissimus pater Romualdus optime de imperii & ecclesiæ tranquillitate, deque apostolica sede per labores plane innumeros turbatissimis temporibus, centum continuis annis meritus plantavit. In ea tot ejus discipuli, dato pro religione sanguine, provinciis, qua ad Christi fidem ductis, qua ab hæretica labe mundatis, defenso lingua, scriptisque in conciliis Petri principatu, unione Latinos inter & Græcos firmata desudavere. Horum omnium rationem habebit Deus, habebunt Romani pontifices. Nos enim si (quod temporis etiam vitium est) per tam longam seriem, tantasque seculorum vicissitudines a primæva vivendi ratio-

ne

ne videamur deflexisse, idipsum, in quo defecimus, poterunt fortasse majorum merita compensare.

Quæ ideo commemorare libet, ut spem vestram erigamus, non vero quasi nobis (quod in castris evenit) jam emeritis a laboribus cessare, & parentum gloria contentis liceat feriari. Equidem tanta nos messis non manet, quanta olim patres nostros. Post ipsos enim alios operarios Dominus conduxit, & misit illos. Nos vero numero minores facti fuimus, pluribus ex iis in loca nostra succedentibus, opibusque nostris in apostolicæ sedis obsequium transeuntibus. Quantulicumque sumus, curemus Dei ope suffulti, ut vinea nostra det fructum in tempore suo. Id, si præstabimus, permanebit usque ad finem seculi, quod suis olim filiis legislator noster divus Benedictus futurum pollicitus est. Declinemus a malo; si enim peccata non excreverint, non accedet ad nos malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculis nostris. Id enim unum metuendum est, ne scelera nostra Divinæ pietati vim inferant. Si tamen in Domino gloriari licet, nondum implevimus mensuram nostram, neque, si Deo placet, implebimus aliquando. Quamvis enim, quod hominum est, labatur aliquis inter vos, illum certe arguimus opportune, importune, obsecramus, increpamus, & contumaces etiam frangimus, neque patimur, ut creditam nobis vineam exterminet aper de silva.

Jejuniis, nocturnis vigiliis, mentali præsertim orandi praxi & annuis exercitiis per decem diem distributis operam omnes date, gratias agentes Deo, qui natalitiis hisce diebus visitavit nos oriens ex alto, & misit auxilium suum de Sancto. Quid nobis felicius contingere poterat, quam summus pontifex, magni consilii Angelus annuntiaret pacem hominibus bonæ voluntatis?

Ferventiores demum frequentioresque, quam soletis, preces fundite, ut sanctissimum pontificem omni virtutum laude cumulatissimum, & cum antiquioribus omnino comparandum, a quo tantam & inauditam erga nos amoris significationem accepimus, orbi Christiano diutius incolumem servet Deus. Valete. Faventiæ III. *nonas januarias anno Dñi* M. DC. XCIII.

D. Paulus-antonius Zaccarellius SS. Hippolyti & Laurentii Faventiæ abbas, totius Camaldulensis ordinis generalis & servus.

D. Petrus Abb. Cannetus Cancell.

Idem Romanus pontifex Innocentius XII. quarto-decimo kalendas martii pontificatus sui anno tertio constitutione sua moderatus est facultatem S. R. E. cardinalium protectorum ordinum regularium, exemplo Gregorii IX. Sixti IV. Julii II. suorum prædecessorum, volens, ut superiores generales & capitula generalia leges, statuta, locorum & personarum subditarum directiones ferrent, pœnas etiam in sontes & transgressores inferrent, cardinales autem protectores auctoritate sua & præsidio tutarentur regulares ordines.

Nocte diem Natalem Domini subsequuta incendium in templo sacræ eremi Camaldulensis excitatum est, quo candelabra sex argentea, totidemque argentea vasa, aræ majoris dextera pars, & (quod pejus est) insignis equidem & valde pretiosa Georgii Vasarii tabula, quæ fuerat ultimum ejus opus, aliaque plura, eaque multæ elegantiæ ac pretii incensa fuere, templum totum qua igne, qua fumo, tabulæ omnes, aurum omne, quo plastica ornamenta tegebantur, turpiter conspurcata, ut liquet ex epistola eremitæ Eduardi Baroncinii ad Cannetum, & ex alia Canneti ad Grandium. Eadem clade semiusta fuere venerabilium plurium eremitarum corpora, quæ sepulta erant in capsis pone dictum altare majus.

Ann. Chr. 1693.

jus. Illæsum remansit corpus Mariotti generalis ante duo secula ibidem humatum, quod etiam ea occasione repertum fuit incorruptum cum oculis apertis perinde ac viveret, sinistra manu reclinata super pectus, dextera vero ad os silentium indicente.

Jussu Magnæ-ducissæ Etruriæ Victoriæ a Ruvere sub die tertia martii hujus anni extracta fuere ex capsa, ubi jacebant in ecclesia sancti Frigdiani Pisarum, rota genu, & tria digitorum pedis ossa beati Bartholomæi Ajutami-cristo monachi Camaldulensis, ac reposita in capsulam argenteam ad explendam devotionem, quam erga beatum virum habebat eadem Magna-ducissa. Post incendium ecclesiæ sancti Frigdiani, quod contigit anno 1675. reliquiæ dicti Beati, quæ ex ignis voracitate subtractæ fuerant, cum ipsa capsa sua translatæ fuerunt in sacrarium præfatæ ecclesiæ.

Rosa-pia Casini monialis sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone ætatis annorum viginti-quatuor, a duobus annis hystericis affectionibus & ea sanguinis abundantia laborabat, ut bis in mense, & quatuor vicibus aliquando, sanguinis diminutionem exigeret, morbique eam ita redegerant, ut luminibus oculorum clausis, semper super unum latus jacere cogeretur. In pervigilio Visitationis beatæ Mariæ Virginis hilarior solito facta, enixissime petiit a puerulo Jesu, quem deliciarum loco tenebat reclinatum in pretiosa cuna, omnique honore prosequebatur, liberationem a morbis, quibus vexabatur, subinferens, se hac vice velle ab ipso eam curationis gratiam. Post duos dies confessarius decrevit infirmam sacro pane eucharistico confortare, & mirum dictu! vix divino epulo satiata statim aperuit oculos, vestes, quibus se indueret, requisivit, & sequenti die, quæ Dominica erat, interfuit cum ceteris monialibus divinis laudibus, feria autem secunda conjunctorum gratulationes excepit. Supervenientibus tamen postea aliis infirmitatibus plena dilectionis erga parvulum Jesum, defuncta est post biennium die XXXI. augusti anni 1695. Præfata Magna-ducissa Etruriæ Victoria a Ruvere reclinatorium argenteum dictæ moniali donavit, pretiosasque margaritas, ut collum sacri pueri ornaret, adjunxit.

Ann. Chr. 1694.

LX.

Obitus Jo: pauli Invrea episcopi Adjacensis.

JOHANNES-PAULUS Invrea nobilis Januensis, & ex eremita Camaldulensi episcopus Adjacensis in Corsica septuagesimo suæ ætatis anno post vitam episcopalem cum eremitica conjunctam pie decessit die decima martii. Certa relatione episcoporum, qui ipsi successerunt, compertum est corpus ipsius loco proprio depositum servari, ac a populis ejus insulæ coli ut Sanctum; imagines quoque, licet coopertas velo, privatam venerationem obtinere, multosque se ejus intercessioni commendare.

Alter Coronensis eremita in pace quievit Emmanuel Aversanus ex familia Lucina consanguineus celebris famuli Dei Antonii Lucina pii missionarii. Ab anno 1664. professionem emiserat in eremo SS. Salvatoris Neapolis. Triginta & unum annos vixit in eremitica congregatione, rara prudentia, zelo observantiæ, caritate in pauperes, extrema paupertate & modestia potissimum suspiciendus. Erat ipsius effatum: „ Ut „ impossibile est uno oculo cœlum, altero terram respicere; ita fieri „ nequit, ut qui defectus alterius carpit, proprios emendet, „ quare a murmurationibus audiendis erat alienissimus. Visitator fuit congregationis anno 1688. inde prior sancti Salvatoris, in quo officio decima-octava martii defecit, omnibus eremitis ejus mortem plorantibus.

Un-

Undecima septembris in eremo sancti Johannis-baptistæ de Gros-bois prope Parisios ad Deum abiit Gaspar de Fieubet, consiliarius olim ordinarius regis Galliarum ac consiliarius status, nec non magnus-cancellarius reginæ Theresiæ, qui post mortem uxoris circa annum 1682. secesserat ad quietam vitam una cum eremitis vivendam in ea solitudine. Abbas Anselmus concionator regius & Gasparis familiarissimus panegyrim texuit ipsius in eadem eremitarum Camaldulensium ecclesia, quæ typis impressa est cum ceteris ejus orationibus Parisiis anno sequenti. Illud tamen nos latet, an ejusdem Anselmi fœtus sit inscriptio sive elogium cœlatum in lapide supra illius sepulcrum, quod in testimonium vitæ & virtutum Gasparis subjicimus. *A ☧ Ω Justitias judicanti. Expectat hic, donec veniat immutatio sua, illustrissimus vir D.D. Gaspar de Fieubet concistorianus comes, Theresiæ Austriacæ Ludovici Magni conjugis cancellarius, quo non habuit patria cariorem civem, toga præclarius lumen, seculum præstantius ingenium, optimus quisque paratiorem amicum, qui natus in magnis divitiis, vagatus per varia oblectamenta, evectus ad multos honores, dum in republica magna obtineret, maxima sperare posset, dixit: Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas; utque vera post vana quæreret, hanc in solitudinem, ubi Veritas loquitur ad cor, sumptis columbæ pennis advolavit; ibique piorum ascetarum exemplis excitatus, turmis pauperum, quos liberis carens pro liberis habuit, cinctus, per multos labores, doloresque bajulans sibi Crucem in stadio pœnitentiæ giganteo pede cucurrit, quo cursu consummato bravium accepturus obiit tertio idus septembris anno salutis* M. DC. XCIV. *ætatis* LXVIII. *Manus amica publicis votis, non modestissimi viri voluntati obsequens (id enim vetuerat) posuit.* Sed ex ipsa funebri Anselmi oratione intelligimus eumdem Gasparem quadam die visitasse ecclesiam eremi de Gros-bois, dum in silvis proximis venationi indulgeret, sacroque horrore & sensibus pietatis penetratum paupertati ipsius ecclesiæ consuluisse, sed ita occulte, ut decennio benefactoris nomen latuisset eremitas; deinde impulsu Johannis-armandi Rancæi abbatis Trappensis ibidem secessisse. Rex Ludovicus admiratus est pii ministri propositum, sed ipsi injunxit, ut quoties liberet, ad se accederet; qua licentia utebatur semel in anno. Præfatus abbas Anselmus euntem in eremum Gasparem comitatus est, cui in itinere explicationem fecit psalmi C. XIII. *In exitu Israel de Ægypto.* Celebris Santolius cecinit in laudem ejus recessus sequenti disticho:

Quam prudens aulam, quam prudens & fugis urbem!
Non alia poteras te reperire fuga.

cui respondit ipse de Fieubet ex solitudine:

Dum tu Santolide applaudis deserta petenti,
Confirmant dubiam grandia verba fidem.

Orationi deinceps & lectioni sanctorum patrum totum se addixit; nocte surgebat ad matutinas preces, die choro ceterisque monasticis exercitiis vacabat, adjunctus piissimis eremitis. Interrogatus, cur solitudinem illam ceteris prætulisset? intulit: Ut viderem Sanctos. Caritatem erga pauperes & infirmos adventantes exercuit, quos etiam sanctis adhortationibus ad bene vivendum excipiebat & dimittebat. Demum hydrope correptus invicta patientia spiritum emisit, sed nomen ejus in benedictione penes eos eremitas permansit; sepultusque fuit in eorum cœmeterio. Domus & viridaria construxerat contigua eremo, ut etiam postea fece-

 runt

Ann. Chr. 1694.

runt alii pii viri Nebonnarius, mareschallus de Tessé, princeps Ragockfy solitudinis cupidi. Hæ domus in capitulo generali anni 1683. declaratæ fuere partem non facere clausuræ eremitarum. Vetitum tamen iisdem secularibus, ne introducerent aliquando mulieres, multoque minus ad habitandum permitterent commorari.

Ceterum ea tunc vigebat passim opinio eremitarum Camaldulensium Gallorum, ut ad ipsos confluerent per hæc tempora variorum ordinum regulares pro mutando habitu & instituto, & tam ex congregatione etiam arctiori Cisterciensium, quam ex illa sancti Mauri. Anno elapso ad servandam unionem inter Camaldulensem & Maurinam congregationes, in suo generali capitulo decreverant Camaldulenses, ut nullus sancti Mauri asceta reciperetur deinceps ab habitum, nisi prius obtinuisset licentiam in scriptis ab ipsorum præside. Hoc anno abbas Septem-fontium ordinis Cisterciensis unionem firmavit sui monasterii cum eremis eorumdem Camaldulensium sequenti epistola, quam ex Gallico in Latinum damus: *Nos frater Eustachius de Beau-fort abbas sanctæ Mariæ sacri loci Septem-fontium strictæ observantiæ ordinis Cisterciensis in diœcesi Augustodunensi nostro reverendissimo patri Augustino visitatori celeberrimi & sanctissimi ordinis Camaldulensis salutem in D. N. J. C. Veneratio, ac specialis animi nostri devotio, quam erga Camaldulensem ordinem gerimus, cujus sanctitas fragrantiam odoris optimi in ecclesia Dei diffundit, nos ducit, ut magna cordis nostri lætitia, quam in hisce mortuis literis exprimere nequimus, amplexemur eam propositionem nobis factam, ut vinculis omnibus & dulcioribus caritatis conglutinentur invicem corda nostra; & ut ea caritas magis magisque firmetur, stabilisque efficiatur, opportunum utileque fore ducimus, ut illi ex nostris ascetis, qui ob causas a superioribus approbatas habitum permutare cuperent, quod credimus in aliquibus casibus in salutem animarum fore saluberrimum, transitum facere possint, ut in præsentiarum assentimur, ad sacrum Camaldulensem ordinem, si tamen adsit consensus vester in literis expressus, & sigillo ordinis vestri munitus, & pari vicissim modo, assensum præstamus, ut ad nos veniant ii vestri eremitæ in claustris nostris victuri, qui consensum a reverendissimo vestro Majori habituri sint. In quorum fidem præsentes hasce literas communi sigillo nostro obsignavimus hac die* XIX. *augusti* M. DC. XCIV. *F. Eustachius abbas sanctæ Mariæ sacri loci Septem-fontium.* Eadem unio reciproca erat cum monachis de Perrecy, cum aliis Vallis-Caulium, & ex monasteriis ad eremos, ex eremis ad monasteria transibant utriusque instituti ascetæ, ut alibi etiam confirmabimus. Sanctitatis pariter, licet mundo occultæ, Camaldulensium eremitarum illustre testimonium præbuit circa hæc tempora pater de la Chaise S. J. confessarius regis christianissimi Ludovici XIV. Cum enim rex quadam die colloqueretur cum ipso, magnamque felicitatem diebus suis & regno suo lætaretur contigisse, quod Trappensis monachorum Cisterciensium congregatio tunc efflloreret, qui reviviscere fecerant in regno Galliarum fervorem solitariorum Thebaidis; respondit pater de la Chaise: Habes, o Rex, Thebaidem proximiorem & Trappensi haud dissimilem. Qui sunt hi solitarii, ait rex, quorum cognitionem non habeo? Sunt Camaldulenses, subintulit confessarius, qui æquales fervore, sed quorum vita obscura est, eo quod, ut Trappenses faciunt, qui suorum cœnobitarum vitas in vulgus spargunt post eorum obitum, renuunt literis consignare facta suorum confratrum, qui sancte vivunt & sancte moriuntur incogniti hominibus. Placuit regi notitia, & exinde laudes dedit Deo, quod in am-

plissima

plissima & florentissima ditione sua viverent hujusmodi piissimi viri, qui sanctificarent se, & a Deo impetrarent precibus suis gratiam, ut sanctificaretur & ipse. Hæc retulit ipse pater de la Chaise primo præsidenti & domino de Gros-bois Achilli Harlay, qui retulit postea ipsis eremitis.

ANN. CHR. 1694.

Franciscus-maria Riccius ex Etruriæ provincia in abbatem generalem congregationis monachorum Camaldulensium creatus est in capitulo Faventiæ celebrato, una cum Roberto Dossio Veronense pro Veneta, & cum Romualdo Vallemannio Fabrianense pro Marchiæ provincia visitatoribus; postremo vero defuncto subrogatus fuit Germanus Botta Camerinensis; in procuratorem autem generalem Romanus Merighius a Morretano ex professione Classis.

LXII. De sodalitio Tavellarum Ravennæ.

FLOREBAT Ravennæ pium sodalitium sacrarum Virginum, quæ appellabantur Tavellæ, a nomine earum fundatricis Andreanæ Santa-Maria Tavelli, quæ nata in ea urbe anno 1546. ex Francisco Santa-maria Veneto mercatore, & nupta Hieronymo Tavelli Ravennati, viduaque in florida ætate annorum XXVIII. in propria domo duodecim virgines collegerat, quæ in habitu seculari, & sine votorum emissione, cum regula tamen approbata a S. R. E. cardinale Petro Aldobrandino Ravennate archiepiscopo, gratum Deo virtutum & pietatis sacrificium offerrent. Obiit ipsa die XII. martii anni 1613. sepulta frequentia & veneratione totius urbis in ecclesia sancti Nicolai patrum eremitarum sancti Augustini. Duodenario numero Virginum additæ sunt post annos duæ mulieres inservientes, commutatæ postea in duas virgines, quæ non famularum, sed sororum sive conversarum nomine donatæ, ministeria magis laboriosa obirent. Prima ex his postremis virginibus fuit soror Paula Antonia Novelli a Voluntate Dei Ravennas, illustris postea fundatrix & reformatrix austerissimorum monasteriorum, quæ anno 1688. nomen dedit in Tavellarum congregatione. Spirituales magistri hujus pii sodalitii fuere Laurentius Scalaboni Ravennas ordinis eremitarum sancti Augustini, vir insignis pietate morum & doctrina, ut fidem faciunt edita & inedita ejus opera, quæ in conventu sancti Nicolai Ravennæ servantur, qui quatuordecim annis spiritum fundatricis Andreanæ direxit; inde parochus pro tempore sanctæ Agathæ; demum fuere ob instantiam factam a Tavellarum ipsarum congregatione circa annum 1642. Livio Catti Ravennati abbati sancti Apollinaris in Classe, monachi Camaldulenses ejusdem monasterii, qui ad hodiernam diem eas virgines in perfectionis via, & in sacramentorum administratione utiliter ad Dei honorem dirigunt. Dum Ravennæ constitit, spiritus earum probavit & excoluit Julius-cæsar Carena, qui sui loco substituit Augustinum-romanum Florium Cremonensem optimis moribus & scientia satis cognitum monachum Camaldulensem; hic vero Florianum-mariam Amigonium Meldulensem alterum probatissimum Classensem ascetam, de quo post biennium nonnulla proferemus. Florius igitur hoc anno jussu archiepiscopi Ravennatis Raymundi Ferretti, impulsu Luciæ-catharinæ Tiberti Tavellarum præfectæ, ampliavit regulam earumdem Virginum, quam paucis capitulis dictaverat Andreana, & approbaverat cardinalis Aldobrandinus; insuper virgines præfatas sub patrocinio constituit sancti Joseph, earum cœtum denominans congregationem sancti Joseph Tavellarum Ravennæ. Hæc vero regula permittente Maphæjo-nicolao Farsetto archiepiscopo Ravennate protectore & benefactore hujus congregationis in lucem prodiit Ravennæ anno 1733. cura Honesti-mariæ Honestini tunc monachi, inde abbatis Classensis.

ANN. CHR. 1694.

Collegit hoc anno Nicolaus Dannelius a Monte-bodio eremita Coronensis plura monumenta spectantia ad eremitas suos eorumque scripta, quos & quæ recenset in epistolis ad Petrum Cannetum, qui memorias omnes tunc quærebat ad formandam piorum & doctorum Camaldulensium bibliothecam.

ANN. CHR. 1695.

LXIII. Tractatus pro iterata unione congregationum eremiticarum.

ACTUM fuit hoc anno de reuniendis in unum corpus & sub uno capite eremitis Camaldulensibus variarum congregationum, nempe Camalduli Etruriæ, Coronensium, & Pedemontanorum. In eam rem accessere literæ Leopoldi imperatoris, quas subjungimus. Prima est ad Cosmum III. magnum Etruriæ ducem: *Comparuit coram me præsentium exhibitor pater Augustinus prior eremitarum Camaldulensium in asceterio sancti Josephi in Monte Cæsio prope Viennam degentium, exponendo eamdem religionem alias semper ab origine sua latius in orbe terrarum diffusam sub unius tantum generalis directione & obedientia fuisse unitam, editis tempore unionis hujusmodi in ædificationem orbis divini amoris & religiosarum virtutum speciminibus, ingenti cum profectu vitæ spiritualis, in ferventis pietatis studio assiduoque servitio Dei. Nunc autem non levem apparere defectum in debita præscriptarum sibi a sancto fundatore regularum observantia, in magnum animarum a via salutis perfectionisque aberrantium detrimentum. Et hac quidem de causa, quod ab aliquot annis, instigante procul dubio spiritu maligno principali discordiarum ambitionisque origine, inter eosdem Florentinos religiosos, & alios Italicæ, Germanicæ & Polonicæ nationis ea intervenerit separatio, ut quam religionem prius unus dumtaxat generalis laudabiliter rexerat, illa hodierna die trium generalium directioni subjecta existat; quod disunionis malum cum aliqui meliori zelo inflammati confratres ejusdem ordinis Camaldulensis rursus exterminari, & e contra communem inter se unionem primævam, pro majori Dei gloria, suæque sanctæ religionis conservatione & incremento, nec non incitamento aliorum ad studium pietatis restaurari præoptent, memoratam vero conjunctionem mediante interpositione mea & dilectionis vestræ auctoritate, qua tum apud sanctam sedem, tum ubique locorum Italiæ pollet, facile conciliandam esse sibi persuadeant, & eum in finem a me præfatus pater prior Camaldulensium dicti asceterii Austriaci suo & ceterorum sibi nomine intentis precibus ad eamdem commendatitiis efflagitaverit; proinde huic petitioni eo libentius annuere volui, quo magis hanc fundatis rationibus nixam perspexi, ac aliunde supplicanti tamquam mihi ob inculpatæ vitæ exemplum eximiasque viro religioso congruas qualitates perquam caro propensus existo. Dilectioni vestræ hoc negotium omni, quo possum, meliori modo commendo, eamdem enixe requirendo, velit pro prædictæ pietatis suæ studio in eo esse, sæpius memorata religio Camaldulensis ad prioris unionis statum & florem eo modo reducatur, ut dilectioni vestræ prælibatus pater prior exponet, præstitura in eo sit dilectio vestra rem mihi certo gratissimam, reciprocis benevolentiæ meæ Cesareæ, quam eidem uberrimam testor, officiis compensandam. Viennæ* III. *junii* 1695. Similes dedit cardinali Mediceo. Cardinali autem Ferdinando ab Abdua Camaldulensium protectori sequentes: *Reverendissimam paternitatem vestram haud latere potest, quæ in ordine Camaldulensi inter ejusdem confratres Florentinos, ceterosque diversarum nationum aliquot ab hinc annis facta sit divisio, eo quidem modo, ut quam religionem prius unus tantum generalis rexerat, illa hodierno die trium generalium directioni subjecta existat. Cum autem ab hujusmodi separatione nonnisi scandala,*

dala, confusiones aliorumque malorum genera oriri soleant, uti ex eo luculenter patet, quod in eodem ordine, qui ceteris alias tempore unionis tam Divino amori; quam proximi caritati studens in magnam orbis ædificationem, & proprium vitæ spiritualis profectum tamquam orthodoxæ ecclesiæ lumen omnium religiosarum virtutum exemplis prælucere consueverat, modo nonnihil in debita præscriptarum a sancto fundatore sibi regularum observantia tepescere videatur, itaut necessarium omnino sit antiquam hujus ordinis unionem restaurare; quem ob finem siquidem & ob alia nobis nota, lator præsentium pater Augustinus prior eremitarum Camaldulensium in asceterio sancti Josephi super monte Cæsio prope Viennam degentium ex voluntate nostra Romam iter instituit. Nos vehementer desideramus, ut opus hocce tam pium ad finem feliciter perducat; idcirco & personam, & negotium ejusdem reverendissimæ paternitati vestræ omni meliori modo commendamus, minime dubitantes dicto sacro ordini hoc in passu valida sua, qua alias eumdem fovet, protectione ita efficaciter adstitura sit, ut præfatus pater prior Augustinus cum reliquis confratribus concordiæ & unionis amantibus votis suis potiri valeant; & sicut paternitas vestra reverendissima rem nobis certo gratissimam in eo præstitura est, ita vicissim expertura est in occasionibus sese occurrentibus reciprocæ benevolentiæ nostræ Cæsareæ, quam eidem uberrimam testamur, argumenta. Viennæ secunda augusti 1695.

Addidit suas ad Cosmum III. Etruriæ magnum ducem etiam Joseph Romanorum rex Leopoldi imperatoris filius in hæc verba: *Superfluum plane mihi videtur pluribus explicare desiderium latoris præsentium patris Augustini prioris eremi fratrum Camaldulensium in asceterio sancti Josephi super monte Cæsio prope Viennam degentium, ut nimirum tota religio Camaldulensis diversarum nationum ab aliquo temporis spatio separata rursus sub unius dumtaxat generalis directione reuniatur; cum illud non tantum augusta Romanorum majestas pater meus dominus colendissimus dilectionis vestræ literis commendatitiis, sed dictus etiam pater Augustinus ipse uberius voce exposuerit præsertim hujus reunionis necessitatem, & quibus auxiliis obtineri speretur; quemadmodum etiam persuasum habet hocce negotium interpositione mea apud dilectionem vestram, a qua maxime id dependet, indubie iri promotum pro voto. Ne igitur spe sua frustretur, prioribus quoque meam hisce addiicere volui requisitionem, velit dilectio vestra inchoatum hocce tam pium & proficuum reunionis opus auctoritate & protectione sua eo juvare modo, ut ad desideratum finem perduci queat. Cedet hoc profecto in majorem Dei gloriam, sacri ordinis hujus conservationem, & spirituale incrementum, mihi vero in maximam satisfactionem, de cujus eventu dum nullus dubito, dilectioni vestræ vicissim benevolentiæ meæ regiæ ad omnes reciprocandi occasiones uberrimum affectum offero, testorque. Viennæ secunda augusti 1695.*

Præter negotium unionis, quod cordi erat Augustino priori, Leopoldus imperator alia ei expedienda negotia commisit, ut ex sequenti attestatione facta a superioribus congregationis Camaldulensis anno 1705. *Nos D. Petrus a Fabriano major religionis eremiticæ Camaldulensis, & D. Prosdocimus a Venetiis & D. Bonifacius-maria a Neapoli visitatores generales. Universis & singulis præsentes nostras literas visuris notum facimus, & in Domino testamur, reverendum patrem domnum Augustinum ab Aversa nostræ religionis professum ob ejus religiosas qualitates ad præcipua quæque religionis munia obeunda idoneum existimatum esse, & in capitulo generali anni 1694. cum prior esset eremi Viennensis Germanicæ*

natio-

ANN. CHR. 1695.

nationis in Austria, *locum suarum virtutum exemplo ornavit*, *qua de causa Cæsar ipsum Romam misit oratum Innocentium XII. pontificem max. ut in auxilium arcis Peter-Varadini tunc a Turcarum exercitu fortiter obsessæ*, *cum armis spiritualibus & temporalibus pecuniariis concurrere dignaretur*, *ac familias Florentinas aliarumque nationum a nostra divisas reunire &c.* Cetera de Augustino ad annum 1705. Etiam Pedemontani eremitæ Majorem suum, & priorem eremi Taurinensis Romam destinarunt anno sequenti cum literis pariter commendatitiis Victorii Amadei ducis Sabaudiensis, & cum conditionibus instructivis circa modum unionis, sine præjudicio jurium & privilegiorum. Innocentius itaque XII. congregationem quinque S. R. E. cardinalium destinavit, qui negotium reunionis hujusmodi curarent. Sed Major Camalduli Etruriæ ita egit apud Magnum Etruriæ ducem, ut omnis tractatus dissolveretur, & revera pervenientes Pedemontani in Urbem dissolutum affatim negotium reperere, reque infecta domum rediere; atque ex hoc anno nullus amplius reassumptus fuit unionis tractatus, perseverante unaquaque congregatione in sua divisione.

Eremitæ Gallicani in ipsorum capitulo generali facultatem fecerunt Majori & visitatoribus acceptandi eremum de Senart, quam abbas de Caumartin offerebat, cum conditionibus relaxandi in usum eremitarum redditus non eremi dumtaxat, sed etiam prioratus dicti loci. Decretum quoque fuit, ut eremus sancti Salvatoris de Roga, quam derelinquere cogitabant, denuo reciperetur & stabiliretur.

LXIV. Vita communis in monasteriis Fabriani & Florentiæ.

REFORMATIO introducta est hoc anno in monasteriis sancti Blasii de Fabriano, & sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia sequenti decreto: *Sanctissimus in Christo pater & D. N. D. Innocentius divina providentia papa XII. ex sententia congregationis a Sanctitate sua super Disciplina regulari specialiter deputatæ præsentis decreti vigore committit, & in virtute sanctæ obedientiæ, nec non sub pœnis per decreta generalia sanctæ memoriæ Clementis VIII. pro regularium reformatione statutis districte mandat, & præcipit abbati generali congregationis Camaldulensis, ut in monasterio sancti Blasii Fabriani, ubi corpus sancti Romualdi ejusdem ordinis institutoris honorifice conditum peculiari regularis disciplinæ incitamento esse debet, nec non in monasterio Angelorum Florentiæ, infra terminum trium mensium proximorum, auctoritate apostolica statuat omnimodam observantiam regulæ, constitutionum ordinis & decretorum apostolicorum, præcipue vero exactæ vitæ communis, ad formam decreti congregationis super statu Regularium sub die 11. maji 1655. editi, ab omnibus religiosis, qui in eisdem monasteriis manebunt, omnino suscipiendam. Et cum præfatam observantiam plene & cum effectu stabilitam esse constiterit, possit Sanctitas sua licentiam, quam hactenus distulit, recipiendi novitios in præfatis monasteriis concedere, & locum ad professos pietate & literis instituendos juxta constitutiones & laudabiles consuetudines ordinis destinare. Tribuens propterea eidem abbati generali plenam facultatem advocandi ad prædicta monasteria, & in iis collocandi ex eadem, vel, si opus fuerit, etiam ex aliis provinciis quoscumque religiosos, quos regularis observantiæ ac puritatis regulæ studiosos repererit, quique consentiant exacte servare vitam communem, indeque amovendi, atque etiam exsiliandi eos omnes, qui tam sanctæ ordinationi contradicere, seu verbis seu factis quoquomodo se opponere audeant. Item eadem auctoritate instituendi, confirmandi & destituendi superiores, magistros novitiorum, nec non cetera omnia & singula statuendi super præmissis, quæ pro suo arbitrio & con-*

scien-

scientia necessaria & opportuna fore in Domino judicaverit. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis statutis, consuetudinibus & privilegiis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ die XII. *maji 1695.*

Ann. Chr. 1695.

Jacobus Boncompagnus archiepiscopus Bononiensis auctoritate apostolica post sequutam mortem comitis Aloysii Tanara, qui dum viveret, prioratum sanctæ Mariæ de Camaldulo Bononiensi obtinebat in commendationem, perpetuo univit seminario clericorum Bononiensium præfatum prioratum die XXX. aprilis, ex archivo ejusdem seminarii.

LXV. De ven. Paula a Voluntate Dei.

Augustino Florio monacho Classensi discedenti Ravenna suffectus fuit ad directionem spiritus venerabilium virginum Tavellarum Ravennæ Florianus-maria Amigonius Meldulensis, lector tunc philosophiæ in abbatia Classensi, qui licet vigesimum-quintum dumtaxat ætatis annum attingeret, ex effectibus tamen constitit, quam provide ad eam directionem destinatus fuerit, quantaque pietate, doctrina & prudentia polleret. In eo virginum cœtu degebat, ut diximus, in ministerio conversarum, venerabilis soror Paula a Voluntate Dei, quæ postea Cappuccinarum institutum arripiens, fundatrix & reformatrix fuit plurium monasteriorum, convertit ad Deum multas animas, & mirabiles a Deo illustrationes recipere meruit. Paulam retrahebat a communicatione sui spiritus juventus directoris, sed confortavit vox interna, divinam eam esse voluntatem, ut eidem cor suum aperiret, qui ad longum tempus ejus animæ curam haberet. Tempora tunc erant duriora & magis laboriosa famulæ Dei, quæ externas pariter molestias a dæmonibus patiebatur; quare etiam director præter labores multas contradictiones passus est, a quibus utrumque post duos annos beatissima virgo Maria, quæ apparuit Paulæ, liberavit. Idem Amigonius Paulam licet absentem semper direxit ope literarum tum in fundationibus monasteriorum, tum in sublimioris orationis viis, per quas eam traxit dilectus animæ ipsius, qui non solum vinculo spiritualium sponsalium, sed etiam impressione stigmatum famulam suam insignivit. Accidit, ut eo tempore, quo Paula montem Alverniæ conscenderat, ubi sacra stigmata recepit, etiam Amigonius non expectatus advenerit, qui eam solatus est in doloribus, delevit timores, ac ad agendas Deo gratias comitem se præbuit. Licet ipse partes impleret magistri, non renuit esse Paulæ discipulus; quadam igitur die ipsam oravit, ut pro se intercederet apud beatissimam Virginem, quæ apparuit Paulæ præcipiens, ut diceret directori, quod de cetero abstineret a tot orationibus vocalibus, & incumberet potius mentali, ac se exerceret in virtutibus theologalibus & moralibus, eo enim pacto magis proficeret, magisque dispositus foret ad regendas animas. Id quod fideliter præstitit Amigonius, qui deinceps contemplationi se tradidit rerum cœlestium, & ad ultimam senectam vir fuit haud vulgaris orationis, Deoque adhæsit non ordinaria unione.

Sacra Rituum congregatio suis literis declaravit competere usum pontificalium & ceremoniarum in Missis privatis tam abbatibus actualibus, quam titularibus.

Ann. Chr. 1696.

LXVI. Alberti Recinetensis & a Sigillo eremitarum obitus.

Valde longævus decessit Albertus-maria Recinetensis nobilis familiæ eremita Coronensis. In ipso juventutis flore monasticum in congregatione Camaldulensi habitum assumpsit, laurea doctorali insignitus, & concionatorio muneri se addixit. Transiit inde ad eremitas, prioremque egit in insula sancti Clementis anno 1665. Ab Innocentio XI. reclu-

Ann. Chr. 1696.

reclusionem obtinuit, ea tamen conditione, ut quotidie ad divina officia chorum cum ceteris frequentaret. Non loquebatur nisi die festo sancti Martini, & dominica Quinquagesimæ. Solis dominicis diebus, & feriis quintis cibo communi vescebatur, aliis diebus pane & acqua, fructibus & herbis terræ erat contentus. Nunquam cubile ascendit. Ejus otia erant oratio, & lectio; in sacrificio Missæ persolvendo horam cum dimidio impendebat. Quadam die pedem movens e cella, ut chorum adiret, fornix ejus cellæ mirifica Dei providentia cecidit, ipso illæso; Professus fuerat in eremo Viennensi die VIII. decembris anni 1655.; inde aggregatus ad Venetam nationem, civitate Veneta etiam donatus anno 1661. Aliqua scripsit, de quibus mentionem facit Fidentius Erasma in suis monumentis. Alter Albertus e Sigillo Perusinæ diœcesis emortuus est præsenti anno in eremo Centralis, de quo breve hocce extat elogium: *Albertus-maria Perusinus per plures annos reclusus Viennæ, & abstinentiæ nunquam satis admirandæ, præter obsidionem Viennæ a se prædictam, obiit reclusus in eremo Centralis anno 1696.* Hunc memorat pater Basilius du-Vergius in suo de SS. & BB. Camaldulensium elaborato opere. Unius vel alterius Alberti sunt excerpta ex divis Augustino, Hieronymo, Cæsario, Thoma, Philone Hebræo, Dionysio Cartusiano, Valerio Maximo, Plutarcho, Seneca, & ex catena in Job; Sermones etiam de beata Virgine ex Genesis libro.

Inter monachos supremum diem clausit Hieronymus Zanardus Sabaudiensis ex professione sancti Mathiæ de Muriano; plura inedita monumenta communicavit Mabillonio, quæ tum in hujus operibus, tum in aliis duumvirum Edmundi Martene & Ursini Durand leguntur, Ambrosii præsertim & Petri Delphini epistolas.

Excerptum relationis obitus Benedicti Veyras olim eremitæ Camaldulensis, & postremis duobus vitæ suæ annis monachi cœnobii de Perrecy, quæ typis statim ab ejus obitu Gallico idiomate a monachis Perrecyanis data fuit: *Quinta-decima januarii anno 1696. defunctus est in monasterio de Perrecy ordinis sancti Benedicti diœcesis Augustodunensis venerabilis frater Benedictus sacerdos religiosus professus dictæ domus ætatis suæ anno fere octuagesimo. Vixerat ipse triginta annis in congregatione Camaldulensium eremitarum, in qua prima officia impleverat, & illud Majoris per viginti & amplius annos. Desiderans abstrahi a dignitatibus & a negotiis, ac occultus vivere, reliquo, licet brevi, vitæ suæ tempore, instantissime petiit se recipi in dictum monasterium, ad quod ipsum vocavit Dominus, ut suo exemplo lectio viva foret virtutum omnium christianarum & religiosarum. Ejus obedientia profundæ humilitati, & contemptui sui ipsius innixa promptum senem fere decrepitum reddebat omnibus majorum jussis; diligentia in exercitiis regularibus diurnis ac nocturnis ex zelo discretione condito superabat novitiorum promptitudinem. Assiduitas in precibus fuit mirabilis, neque omisit divinum officium, nisi vigilia superveniente ad ejus mortem. Charitate erga fratres tam in colloquiis suavioribus, quam in auxiliis necessariis, non ordinaria præditus est, æqualemque ab ipsis semper recipiebat tempore suarum infirmitatum. Senectute licet pressus & asthmate violento ac reumatismo laborans opera manualia in hortis monasterii non prætermittebat ipsis immodicis æstatis caloribus. Amore pœnitentiæ nunquam admisit dispensationes regulæ aut majorum, abstinentiam servans feria sexta & sabbato etiam postremis obitum præcedentibus. Deo referebat gratissimas actiones, quod se duobus annis recepisset in eo monasterio tamquam in portu salutis & reconciliationis,*

tionis. Patientissimus in doloribus verebatur, ne Deus eum puniret pro sua impatientia. Anxie expectabat dissolutionem corporis sui, & unionem perfectam cum suo creatore. Vi morborum tamen attritus, Dei misericordiæ fidens, & amore in Deum æstuans, semper vestitus cubansque super paleam, non vulgari ardore ultima Sacramenta postulavit, sacrumque viaticum & extremam unctionem recepit, e lecto surgens, manibusque prostratis versus pavimentum, ut Jesum adoraret. Duobus diebus, quibus supervixit, summa tranquillitate gavisus est, sed de repente viribus destitutus in agonem decidens perficere nequivit sacrificium obeundi super paleam & cinerem. Respondit ipse precibus omnibus, quibus perfectis summa pace expiravit, flexibilis post obitum in omnibus membris, & similis homini, qui dulciter quiesceret. Advocatus insignis fuerat in parlamento Parisiensi, ac uxoratus posteritatemque reliquit, sed a Deo vocatus ad eremum de Gros-bois se receperat anno 1662. Septuaginta & octo annos natus post omnia officia in congregatione Camaldulensi inter pœnitentias, & rara virtutum exempla adimpleta, ad Perrecyanum monasterium se contulit, ut priorem Berrier adjuvaret in reformatione ejus monasterii, sed paulopost vi brevis pontificii professionem in eo cœnobio emisit. Post mortem coloribus expressa fuit ejus imago, & una cum superiore relatione missa ad eremitas Camaldulenses.

ANN. CHR. 1696.

Cardinalis Denoff episcopus Cæsenas, qui monasteriis reformandis monachorum & monialium assiduus erat, optimasque leges stabiliverat in cœnobiis urbis Cæsenatis, impulsu sacræ congregationis de Disciplina regulari, easdem leges tulit in abbatiam Classensem sanctorum Apollinaris & Severi de Ravenna, capitula sua addente etiam Raymundo de Ferretis archiepiscopo Ravennate. Varii tunc Ravennæ ordines sacri tum secularium, tum regularium adtestationes publicas fecere, quoad exemplaritatem & singularem observantiam monachorum Classensium.

Edidit hoc anno comes Monte-mellinus typis Perusinis orationem, quam dixerat die XXV. junii anni antecedentis, sub titulo: *La perfezione del Benefizio nella giustizia del Benefattore, e nella gratitudine del Beneficato*, Petrus Cannetus abbas Camaldulensis, coram consulibus & juratis nobilis collegii Mercaturæ Perusii, occasione aggregationis eidem collegio marchionis Laurentii de Rubeis, in qua multa disseruit de nobilitate comitum Parmensium Sancti-secundi de Rubeis, ex quibus Perusinam familiam derivasse demonstravit. Typographus eam orationem cum laudatoriis carminibus dicatam voluit Antonio Magliabecchio. In eadem urbe anno antecedenti prodierat *Soteria viro illustri Antonio Magliabecchio &c. cum ex difficillima febri feliciter convaluisset*, honoris & cultus ergo Lipsiam transmissa, cum epistola Latina ejusdem Canneti ad præfatum comitem Monte-mellinum. Extat quoque opinio ejusdem abbatis super instrumentum vel chartam donationis & divisionis bonorum patrimonialium prætensi Ambrosii Pedroni episcopi Foro-liviensis; quæ sententia integre refertur in bibliotheca Cinelliana postremæ editionis. Scripserat etiam Cannetus anno 1692. dissertationem supra Franciscum Cardulum Narniensem familiarem cardinalem Ardicini II. della Porta Novariensis & episcopi Aleriensis; ex cujus oratione ostentabant monachi Montis-oliveti eumdem cardinalem eorum sodalitium ingressum fuisse. Deperdita est dissertatio, sed extat ipsius memoria tum apud Lazarum-augustinum Cottam in Museo Novariensi, tum in epistola Eduardi Baroncinii ad eumdem Cannetum, in bibliotheca Cinelli-

ANN. CHR. 1696.

liana [a]. De aliis Canneti operibus suo loco, & præsertim ad annum 1730. ipsius emortualem.

a Tom. II, pag. 73.

ANN. CHR. 1697.

LXVII. Concordia Venetæ provinciæ cum Romana quoad solutiones pecuniarum.

STATIM post degradationem abbatum Venetorum anno 1685. a suis dignitatibus, sed præsertim post tres annos, commiseratione motus Venetus senatus, decretis suis sub die X. & XIX. aprilis anni 1688. indicavit optimum desiderium suum, ut provincia Veneta denuo uniretur ceteris provinciis Camaldulensibus, & restituerentur honoribus spoliati Veneti præsules, ac demandavit magistratui Provisorum super monasteria, ut excitaret superiores majores congregationis ad eligendum virum, qui, si opus foret, Romam mitteretur pro sopiendis differentiis, ineundisque rectis debitorum calculis; firmus tamen in sententia sua perstitit, ne recederetur a decretis annorum 1642. & 1646. immo anno 1694. sub die prima maji commisit eidem magistratui, ut sollicite & caute indagaret, & referret, an aliquis abbatum Venetorum transgressus fuisset publicas ordinationes in contribuendis summis capsæ publicæ Romanæ Camaldulensi. Johannes itaque Marinettus generalis, & post ipsum Paulus-antonius Zaccarellius electus abbas generalis anno 1689. totis nervis reunionem curarunt, & hic postremus per epistolare commercium cum cardinale Leandro Colloredo, & cum Johanne Lando reipublicæ Venetæ oratore in Romana curia, tractatus varios habuit, resque eo processerat, ut videretur portendere felicem exitum; disceptatio enim vertebat tantum in definienda quantitate pecuniæ, quam Veneta monasteria transmittere deberent in Urbem pro perfecta compositione, & pro redintegratione abbatum. Sed mors Romani pontificis Innocentii XI. electio Alexandri VIII. ex Othobona Veneta familia, & paulo post sequuta in favorem reipublicæ Venetæ suppressio monasterii sanctæ Mariæ ad Carceres, cujus majus erat debitum, irritos vel suspensos reddidere conatus abbatis generalis, neque ante præsentem annum firmari potuit concupita concordia, quæ tamen disponebatur annis præcedentibus tum a Francisco-maria Riccio suffecto in dignitate generalatus, tum a Petro-francisco Gallitio Veneto uno ex abbatibus visitatoribus, tum demum a Romano Merighio eo temporis abbate procuratore generali, qui postremus re discussa cum commissario Cameræ apostolicæ, multisque superatis difficultatibus, obtinuerat anno antecedenti a sacra congregatione sequens decretum: *Sacra congregatio eminentissimorum & reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præposita, audito R. P. commissario Cameræ, & attentis narratis censuit, solutis prius capsæ Procurariæ generalis ejusdem congregationis Camaldulensis scutis bis mille & quingentis monetæ Romanæ realiter & cum effectu, præfatos PP. Gregorium Cappasancta, Franciscum Ciceri, Constantem Ruggieri* (hi ex novem supererant) *ex gratia reintegrandos, & ipso facto sequuta effectiva solutione, reintegratos, ac provinciæ Venetæ ejusque abbatibus prærogativas omnes, quibus alias gaudere ac frui consueverunt, restitutas, respective censeri absque alia declaratione. Romæ* VI. *julii 1696. G. card. Carpineus. Loco ✠ Sigilli. M. archiep. Athenarum Secret.* Veniens itaque Venetias Merighius, & obtento decreto a Veneto Senatu sub die XX. decembris, ut demandaretur magistratui Provisorum super monasteria concordia, virtute etiam facultatis sibi factæ a superioribus majoribus sub die XXV. septembris, constitutus in officio die VI. februarii anni 1696. more Veneto, præsentis nimirum 1697. Romani, pollicitus est prædictam summam inservitu-

Ann. Chr. 1697.

vituram pro totali & integra satisfactione & consolidatione omnis & cujuscumque prætensionis capsæ Romanæ usque ad mensem julium anni antecedentis inter congregationem Camaldulensem ceterarum provinciarum & inter provinciam Venetam, quæ exinde fruetur omnibus suis prærogativis, quibus antea gaudebat; ac ejus abbates præsentes & futuros gavisuros libero exercitio dignitatum suarum in temporali, quoad regimina monasteriorum, & in spirituali, quoad curam ecclesiarum, & conservationem monasticæ disciplinæ. Spopondit insuper ac se adstrinxit nomine totius religionis, quod in omne futurum tempus servabitur prædicta concordia, & quod administratores capsæ Romanæ nullam amplius prætendent contributionem a monasteriis Venetæ provinciæ, quam scutorum 449. obulorum 63. 4. annuatim; quæ summa, detractis scutis 266. & obulis 64. gyri debiti capsæ Venetæ, ut ex decreto anni 1670. remanent scuta 172. obuli 79. 4. ad rationem capsæ Romanæ. Quæ summa nullo quæsito colore aut titulo unquam augebitur, cum in ea computari debeat etiam augmentum vel decrementum, quod cadere posset super aurum quocumque tempore. Et ita feliciter compositum fuit arduum negotium, quod viginti annorum & amplius spatio provinciam Venetam exercuerat, vel cum jactura jurium suorum, eo quod ex una parte firma foret pontificum Romanorum & sacrarum congregationum mens, ut etiam Veneti indiscriminatim concurrerent ad taxas, subsidia, impositiones solvendas juxta contributionem, quam faciebant monasteria status ecclesiastici & ditionis Etruriæ, ex altera vero parte constantissima foret voluntas Senatus Veneti, ne augerentur onera & taxæ pecuniarum supra determinationem annorum 1642. & 1646.

In abbatia sanctæ Crucis Saxi-ferrati decessit Johannes-baptista Barcellini abbas professus monasterii Classensis & academicus Concordium Ravennæ. Optimum ac eruditum senem, qui vitam diutius innocenter duxit, laudat Cannetus in epistola ad Grandium data paucis diebus ab ejus obitu. Concinnavit librum, cui titulus: *Lettere senza lettere*, qui tamen nunquam in lucem venit. Venetiis vero obiit Clemens Fundius alter abbas Camaldulensis, & insignis concionator, ut ejus opera testantur asservata in bibliotheca sancti Michaelis. Demum in asceterio sanctæ Catharinæ de Cæsena ad sponsum evolavit anno ætatis suæ XXVII. Radegundis Penelopes ex illustri Dandinorum Cæsenate familia, quæ præter ceteras animi sui dotes & virtutes ita Divinis officiis persolvendis & frequentationi chori erat addicta, ut cum prima vice ad eam visendam venisset comitissa facta recens ejus cognata, audito campanulæ signo pro inchoanda oratione mentali indicto, ea insalutata, in chorum statim se receperit. Hujus spiritum regebat piissimus cardinalis Denoff episcopus Cæsenas, qui etiam hoc anno relicta cura ecclesiæ Cæsenatis in Urbem se recepit adhibitus a Romano pontifice in congregationibus, illa præsertim de Disciplina regulari, magnaque pietatis & caritatis exempla toti Urbi dedit.

Ann. Chr. 1698.

LXVIII. Historica collecta aliqua.

Renuente archiepiscopo Bononiense in consecratione monialium sanctæ Christinæ de Bononia uti omnibus iis ritibus & ceremoniis, quæ præscribuntur in pontificali Romano, quibusque utebantur abbates generales Camaldulenses, tempore quo eædem moniales erant ipsis subjectæ, edita fuit scriptura in favorem monialium ab advocato Scipione Zanelli, & publici juris facta est in typographia camerali Urbis hoc anno, quæ exhibita sacræ congregationi Rituum sequens obtinuit rescri-

ANN. CHR. 1698.

rescriptum : *Remisso sacræ congregationi Rituum a Sanctissimo Domino nostro Innocentio XII. supplici libello monialium monasterii sanctæ Christinæ ordinis Camaldulensium civitatis Bononiæ humiliter ipsis in ecclesia exteriori monasterii ad formam pontificalis Romani velum consecrationis imponi supplicantium , eoque ab eminentissimo & reverendissimo domino cardinale Colloredo relato , sacra Rituum congregatio , audito eminentissimo & reverendissimo domino archiepiscopo , omnibusque bene perpensis ac consideratis , ut servetur pontificale Romanum , & quoad modum egressus in ecclesiam exteriorem , arbitrio eminentissimi archiepiscopi respondendum censuit. Et ita decrevit & servari mandavit, die* v. *julii* 1698.

A. card. Cibo . L. ✠ Sigilli. *B. Inghirami sac. rit. congr. secret.*

Pertinet ad hunc annum translatio corporis sancti Alberici eremitæ facta ab episcopo Feretrano, de qua nos, ut etiam de aliis anterioribus translationibus ejusdem beati corporis fusissime egimus ad annum 1049. Addimus hoc loco brevem inscriptionem expressam super vas coctile , in quo servabantur cineres sancti viri . *Cineres corporis sancti Alberici, quando fuit erectum hoc altare , erat in hac ecclesia abbatiali ab immemorabili , translatum die* XIV. *julii 1698.* nempe in abbatiali ecclesia sancti Anastasii.

LXIX. Sanctimonialium, monachorum, & eremitarum obitus.

IN asceterio sanctæ Catharinæ de Cæsena obiere die XXIX. januarii Octavia-maria Isei; XXI. februarii Victoria Pasolini de Abbatibus; XIX. junii Genovefa Ciccaroni; tertia augusti Anna-maria Venturelli piissimæ sanctimoniales. In prima suspiciebatur admirabilis devotio , qua ferebatur in SS. altaris Sacramentum, ante quod die non contenta per multam noctem orabat; psalmos recitans expiravit. In secunda vigebat optima discretio spirituum, quare magistra facta novitiarum perfectas alumnas educavit. Extremam quoque paupertatem adamavit, itaut præter cubile, tabulam potius dicendam, & stragulum unum, quo in æstate & in hyeme utebatur, nihil aliud in cella retineret. Ita erat in oratione extra sensus rapta , ut ejus alumnæ eam excitarent validis ictibus , ac ad somnum carpendum inducerent. Divinæ voluntati in tantum erat addicta, ut semper ore pronuntiaret illa verba : Fiat voluntas tua; quare etiam mortali apoplexi correpta, cum primum ad sensus rediit, ea frequenter ingeminavit . Post quindecim morbi dies invictissima patientia occubuit. Electa communibus votis in abbatissam, dignitatem renuntiaverat . Tertia XXVIII. ætatis anno immaturo fato decessit ; una ex iis erat , quas singulari ductu dirigebat sæpe nominatus cardinalis Denoff. Postrema ad gradum abbatissæ elevata fuerat jussu præsidentis capituli, eo quod moniales non convenirent in electione; quod munus ex obedientia suscepit, continuavitque ad aliud triennium , suaque prudentia & patientia contrarietates omnes evicit . Cancerosum morbum in mamilla sustinuit , quem voluit ignotum professoribus chirurgis , ignotum monialibus; assidue quinimmo Deum precabatur, ne pateretur, ut vel ab illis, vel ab istis ex obedientia cogeretur detegere ulcerosam pectoris partem . Ante quadraginta circiter dies mortem suam prædixit , primam se futuram condendam in sepulcro protestata eo die, quo, quæ præcesserat monialis, humata fuit. Expiravit dicens: *Rex pacificus.*

In monasterio Classis decessit Paulus-antonius Zaccarellius Meldulensis, optime meritus de monasterio suo , in quo pietatem vitæ , scientias & decorem auxit ; immo de tota congregatione, cujus fuerat quinquennio abbas generalis , præter ceteras primas dignitates summa prudentia

dentia & dexteritate impletas. Obiit etiam Benedictus Georgio ex professione Avellanæ, qui similiter præfecturam generalem quinquennio obtinuerat.

ANN. CHR. 1698.

Die quarta augusti Innocentius papa XII. confirmavit, sive noviter erexit, congregationem S.R.E. cardinalium nuncupatam super Disciplina Regulari, cum suppressione alterius congregationis super statu Regularium, quam invexerat Innocentius X. Ea congregatio die VII. januarii anni 1700. annullavit omnes & qualcumque licentias vestiendi novitios obtentas ante diem IV. augusti hujus anni.

ANN. CHR. 1699. LXX. Decreta pro Camaldulensibus.

IN capitulo generali celebrato Faventiæ, præsidente eminentissimo S.R.E. cardinale Marcello Duratio episcopo Faventino, electus fuit hoc anno in abbatem generalem Damascenus Mutius Foro-sempronienfis ex professione Avellanæ; Antonius-maria Caramellius ex illa Angelorum Florentiæ, & Romanus Merighius ex professione Classis instituti visitatores, Petrus autem Franciscus Gallitius Venetus procurator generalis in Urbe. Inter ceteras sanctiones a definitoribus hujus capituli efformatum fuit die XIV. martii sequens decretum: *Inhærentes sacris canonibus & statutis pontificiis decreverunt patres nullum tam prælatum, quam monachum posse proprio vel nomine alicujus laici locationes bonorum monasteriorum nostrorum vel quorumcumque secularium instituere & accipere, sub pœnis contra clericos negotiatores apostolica auctoritate injunctis, & ulterius suspensionis a divinis ipso facto, & absque alia declaratione incurrendis; volentes dicti patres id intelligi debere de conversis & commissis sub pœnis carceris ad arbitrium superiorum, & expoliationis habitus respective* &c. Insuper positive fuit statutum, ut de cetero abbates titulares præcederent in omnibus monasteriis priores claustrales, confirmantes juxta decretum sacræ congregationis anni 1675. & juxta alia privilegia pontificia, decreta in aliis capitulis & dietis facta circa eorum præcedentiam in causis, quibus ea ipsis fuerat controversa.

Sacra congregatio cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præposita, sub die secunda augusti circa modum examinandi noviter venientes ad religionem præscripsit *eorum vocationem posse & debere a superioribus ordinis generalibus probari, tum etiam ab abbate locali cum senioribus sui monasterii, attentis pro primo modo constitutionibus ordinis Camaldulensis confirmatis a Clemente VIII. & literis ejusdem congregationis sub die* VIII. *aprilis* 1633., *& pro secundo modo decreto congregationis super statu Regularium die* XI. *maji anni* 1655.

Eremitæ Pedemontani literas participationis bonorum spiritualium concesserunt monialibus sanctæ Claræ de Cuneo, & sanctæ Claræ de Fossano, quæ e contra se adstrinxerunt ad servitium eremorum quoad ecclesiæ & sacrarii eorum indigentias.

In parthenone sanctæ Catharinæ de Cæsena ad sponsum abiit die XII. januarii Justina Lucretia Locatelli ætatis anno LXXVI. Excelluit in virtute humilitatis etiam erga infimas personas, animumque alienissimum semper retinuit ab honoribus familiæ suæ. Opulentos redditus, quos a domo sua percipiebat, in communitatem transfudit, quando communis vivendi regula introducta fuit, gaudens hilarius extrema paupertate. Electa abbatissa plura adversa infracto animo sustinuit, sicut etiam in infirmitatibus suis invitabat moniales ad gratias Deo secum referendas, quod digna redderetur eas pati. Ad extremum deveniens percurrens

oculis

Ann. Chr. 1699.

oculis pauperrimam cellam suam, & gaudium vultu præferens, inter verba dulcissima Jesu & Mariæ expiravit.

Inter Gallicanos eremitas decessit Laurentius Durè actualis Major & prior sancti Johannis-baptistæ de Gros-bois decima-octava junii. Magna de ipso inter ceteras prædicatur virtus acquiescendi in omnibus voluntati Dei; hinc nullam eremum alteri præferebat pro sua habitatione, & cum pietate ac dexteritate multa polleret, frequentissime ex una ad alteram eremum destinabatur, ut variis rerum indigentiis & opportunitatibus provideret.

Titus de Presbyteris eremita Taurinensis ad Deum evolavit hoc anno, cujus vitæ compendium ex monumentis ejus eremi hic subjicimus.

„ Domnus Titus, cognomento de Presbyteris, natus est parentibus pagum, Vicum dictum, honeste commodeque habitantibus, Eporediam prope nobilem, antiquam, munitam civitatem episcopalem in Subalpinis, provinciæ Canapitii caput. Hunc genitores ad sacrum fontem Johannem-aloysium appellatum voluere, omnique diligentia christiane & civiliter educari & erudiri curarunt. Pueritia, primave adolescentia Johannes-aloysius pietati humanisque literis proficue incumbendo transacta, seria supra ætatem probitate, aliquid magni ex tunc portendere visus; nonnullis postmodum Italiæ urbibus peragratis, Romæ sistens, almæ illius curiæ inter tabularios scribas adnumeratus fuit, unde tribunalium peritiam nactus Taurinum se contulit, nec otiose; nam Carolus-emmanuel II. voluit eum a secretis magnæ cancellariæ. Nobile officium est, ex quo provehi ad altiora facile poterat. Johannes vero Aloysius nil vere altum in seculo considerans, quod præcipitiis non sit obnoxium, aut saltem periculis, vanisque ad salutem solicitudinibus non undique scateat, humilem simul & tutum, & gloriosum æterni regis famulatum, post annum terrenæ aulæ, prætulit, adeptis in hac, & futurorum spei honeste valedicens, clericali assumpta veste, ad sacros ordines ascendit. Nec tamen hic perfectionis propriæ zelus in Johanne-aloysio explete quievit, sed ad majora contendens a mundo se magis elongare totali abdicatione cupidus in solitaria eremitarum Taurinensium sacra mansione se abdere postulavit. Non renuere patres, cellam attamen vacantem non habentes, ad superiores Camalduli Etruriæ, congregationibus eo tempore communicantibus, providum, dignumve postulatorem pro natione Pedemontana, si probaretur, recipiendum, ac vestiendum, & votis postea ligandum, sicut Deo favente totum factum est, direxerunt, Titum nuncupatum. Ab ipso tirocinio in corde suo statuit firmus, potestatem adhuc habens suæ voluntatis, confirmavitque in sollemni professionis immolatione, portionem suam esse custodire legem Domini, operibusve complevit, quidquid in regula & constitutionibus reperitur tamquam expressam præcipientis Dei voluntatem habendo, solitudinis & silentii cautissimus amator ad quinquennium circiter sacra illa in eremo, cunctis merito acceptus commoratus, ejusdem prælatorum mœrore remissus est Taurinum, ubi reclusorium ad biennium obtinuit, arctioris vitæ genere corpori severius castigando, animæ donis potioribus ornandæ, rigori & orationi laxioribus habenis, ut optaverat, operam daturus. Postea magister novitiorum, eos & seipsum in primis in omnibus religiosæ & eremiticæ vitæ virtutibus exercuit, quas nimis prolixum foret enarrare. Cujusdam ex primoribus Taurinensis aulæ proceribus filio adhuc puerulo sibi cum genitore occurrenti, etsi numquam novisset eos

pius

pius eremita noster, utrumque nominatim salutans, illi conversus impuberi, & quo loci tunc temporis pro educatione habitaret se conscium ostendens, prædixit asseveranter eum ad quindennium ætatis, unde plusquam lustro distabat, cum tandem perveniret, ordinem amplexurum, quem expressit, quæ sic adamussim sunt adimpleta, ut octogenarius religiosus ille hujus rei veritatem narrat, Deum in suo servo Tito glorificans. Ut facilius honores & existimationem a se præcluderet, tutam inclusionis latebram sibi soli vacaturus a capitulo iterum grandævus flagitavit; sed denuo novitiorum instructioni destinatus, hoc biennium in officio implere nequivit, senio & infirmata valetudine, plenaque propemodum surditate præpeditus, ob quæ nonnihil de regulari austeritate remittere, mox gravescente causa ad commune domus nosocomium portari obedientia fuit compulsus. Rigori pro se assuetus mitiorem vivendi formam lamentabatur; sibi nimis a prælatis & medicis indulgeri credens, carnaliterque se vivere, atque sensualiter dictitans, etiamsi morbi & accelerantis virium consumptionis labor districtionem instituti abunde supplerent. Mente interea Deo semper intentus, familiaresve sibi jaculatorias ori & cordi habens gravi anhelitu pressus, vix spiritu vivebat, sensibus attamen integris administrationem sacramentorum actibus quibusque propriis voce firma comitabatur devote; communionemve spiritualem, cujus longam sibi fecerat consuetudinem, reali, a qua molestam propter tussim, & pituitam abstinere debuit, magno effectu subrogavit. Properante denique mortis articulo, cujus extrema tantum non sensit momenta, commendationem animæ cum piis adminiculis omnibus ipse sibi fecit, religiosis, qui circumstabant, admirantibus, quorum aliqui eximiæ pietatis viri, quive in consequentibus aptum dignæ recordationis locum obtinebunt, dicebant neminem coeremitarum domno Tito meliorem se novisse. Decessit hic decimi-septimi seculi anno penultimo, uno ætatis octuagesimum superans, adveniente festo sanctæ Scholasticæ, cujus fratri sanctissimo, gloriosoque recenter celebrato Romualdo vivens ac moriens tota devotione se dederat.

ANN. CHR. 1699.

CORONATUM fuit seculum XVII. pretiosa morte aliquot piorum eremitarum Coronensium, qui præsenti anno e vinculis corporis soluti ad æternam requiem sunt translati. In eremo Rhuæ die XI. maji obiit Oddo Beccellus patritius Veronensis, professus ejus eremi ab anno 1639. Breviarium, liber Imitationis Christi, lectulus & sedes rudis erant cellæ ipsius ornamenta. In longis itineribus secum deferebat in sporta breviarium tantum & literas credentiales. Aliquando ex Viennæ eremo ad Cracoviensem missus, sublata fuit ei sporta; quare ad Polonicam eremum perveniens, habitus ut fugitivus, carceri fuit addictus, neque in sui excusationem aliquid protulit, donec ex majorum literis comperta ejus innocentia, liberatus est. Eam animi simplicitatem acquisierat, ut tempore, quo erat eremi Rhuensis prior, cum ei diceretur arbores nemoris ab agricolis in eorum usu cædi, responderit, impossibile hoc esse, quia qui furatur, lethale peccatum committit, quod nullo modo perpetrari ab agricolis existimabat. Abstinentiæ summopere vacabat, pro potu aquam adhibens, & fructus ac herbas pro cibo. Diebus tantummodo destinatis pro solatio colloquebatur cum ceteris eremitis. Diei & noctis tempus impendebat in mentali vel vocali oratione, a qua transibat ad lectionem spiritualem, inde ad opus manuum, ex quo denuo redibat ad orationem. Signabat loca breviarii paleis, ut & in ea

ANN. CHR. 1700.
LXXI.
Piorum eremitarum decessus.

parci-

Ann. Chr. 1700.

parcitate paupertati studeret. Omnia percurrit religionis officia etiam majora; demum octuagesimo-quinto ætatis anno ad æterna præmia transivit.

In eremo Salvatoris post quadraginta religionis annos decessit frater Ignatius a Vico-equensi, obedientiæ ad perfectionem addictissimus, caritate conspicuus, præsertim erga infirmos. Nunquam ex ejus ore audita est vox querelæ. Die noctuque, quantum patiebantur ejus ministeria, in ecclesia commorabatur.

Quarta augusti opinione sanctitatis dies suos clausit Franciscus Mansi de Lauri illustris alter eremita, natus die XXIV. julii, & professus in eremo Coronatæ XXIV. februarii anni 1655. Ejus magister in tirocinio fuit Bonaventura a Latina eremita austerioris & rigidioris vitæ, qui discipulum inter pœnitentias & vilipendia educavit, in quibus Franciscus humilem se semper, patientem & hilarem ostendit. Anno 1683. post exercita alia officia Major congregationis fuit electus. Suspiciebatur ab omnibus tamquam vir prudentissimus in consiliis, & custos exactissimæ disciplinæ. Post biennium obtinuit a capitulo generali vacationem ab officiis, immo reclusionem, quam undecim annis religiosissime observavit, licet ad menses coactus fuerit onus prioris subire in eremo Vico-equensi; in quo munere, cum prævidisset proximam mortem notarii eremi, misit ad eum medicum cum eremita, qui notario opem afferrent pro corpore & pro spiritu. Hi repererunt notarium sedentem in lecto inutilibus colloquiis vacantem, quem serio admonuerunt, ut sacramenta ecclesiæ reciperet ob proximam mortem; fidem non adhibuit eorum dictis notarius, qui intra quadrantem horæ expiravit sine sacramentorum adjutorio. Prædixit alteri juveni obitum sequuturum post sex menses. Iterum ad tempus obedientia adactus subiit onus prioratus in eremo Turris, & demum volens redire ad suam Nolanam reclusionem, obtinuit dimissionem prioratus, sed prohibitus fuit abire ob mortalem infirmitatem, quæ intra paucos dies vitæ stamen ei præcidit in eadem Turris eremo, post XLVI. pœnitentis vitæ, & LXIV. ætatis annos. Mirabilis etiam adnotatur Dei & beatæ Virginis protectio erga famulum suum Franciscum. Quo tempore ipse prior erat Coronatæ, abbas Cæsar Ricciardus cum Notario-felice fratre suo stipatus turba octuaginta facinorosorum hominum infestabat loca vicina eremi, & diripiebat non solum viatorum, sed indigenarum substantias. Aliquando quindecim diebus in eremo stationem fixit, dilapidans omnia bona dicti loci. Aniellus Pignatellius præses Montis-fusculi hoc audiens, cohortem militum ad defendendam eremum misit; quare abbas ira accensus locum mutavit, sed credens priorem eremi admonuisse præsidem, proposuit ipsum de medio tollere; hinc reversus ad eremum illum ad se advocavit, qui præmissa sacramentali confessione, infracto animo se sistens ad pedes abbatis: Ego, inquit, præsidem non admonui, id enim irregularitatem mihi peperisset ob periculum homicidiorum, quæ de facili perpetrata fuissent; de cetero ecce me, fac quid tibi visum fuerit; ita ut attonitus ferus homo blande ipsum dimiserit, cum gaudio ceterorum eremitarum, qui de ejus vita desperaverant.

Ignoratur annus obitus duorum aliorum eremitarum, Johannis-gualberti Fiocca a Longano diœcesis urbis Iserniæ, & Marcellini a Vico-equense, qui tamen haud longe ab hoc anno est statuendus. Ambo conversi, ille in eremo Coronatæ professionem emisit anno 1688.; hic in eremo Nolæ. Primus post illustria obedientiæ, humilitatis & paupertatis exercitia, attenta illibata ejus vita ad prædia custodienda eremi de-

ſtinatus fuit; in comitatu Altæ-villæ, & in principatu Octajani, ubi amorem & venerationem omnium ſibi conciliavit, & præſertim cardinalis Urſini, qui ad miſcenda de rebus divinis colloquia cum eremita noſtro pernoctare ſemper maluit, cum viſitationem proximarum parœciarum celebrabat. Senex factus enixe petiit reverti ad eremum Nolæ, ubi ſancte complevit dies ſuos. Alter Marcellinus in libro Profeſſionum legitur, qui deceſſit ſub hoc anno in eadem eremo, primo oblatus, inde profeſſus ab anno 1664. Innocentiſſimam vitam duxit, quam feliciſſimo fine clauſit poſt quinquaginta annos religionis & nonaginta ætatis. Solebat dicere audiens aliquod peccatum publicum: *Maxima facilitas, extrema difficultas*, intelligebat ſiquidem homines ob minimas etiam cauſas Deum offendere; ægre autem offenſam Dei velle redimere. Recenſendi iis Ignatius a Vico-equenſi, qui per quadraginta annos ore & opere maximam præſetulit pietatem, humilitatem & caritatem, defunctus hoc anno menſe auguſto in eremo ſanctiſſimi Salvatoris; & Sixtus a Soccano, qui nonagenarius deceſſit in eremo Coronatæ, cum quo ſermocinari gaudebat piiſſimus marchio del Carpio pro-rex regni Neapolis ob pietatem, ſimplicitatem & prudentiam in reſponſis. Adjungimus eremitis Coronenſibus aliquot ſanctimoniales aſceterii ſanctæ Catharinæ & Barbaræ terræ Sancti-archangeli in diœceſi Ariminenſi, quarum ignotus eſt mortis annus. Una ex iis poſt plurimos annos in translatione cadaverum ex cœmeterii ſepulcro reperta fuit incorrupta, & membris integra, quam expoſitam ad feneſtellam ſanctiſſimæ Communionis, ut recognoſceretur ejus effigies, ceteræ moniales eam eſſe Cæciliam Ricci aſſeverarunt, licet in eo defecerint, quod in ſecunda tumulatione ſeorſum humari ejus cadaver prætermiſerint. Converſam aliam exhibitam publico viſui poſt mortem conſpexerunt patres Cappuccini ſplendoribus radiantem. Lætitia Baribanti monacha choralis enituit inter ipſas fervore orationis, & pietate morum. Obiit ex cancro ſerpente uſque ad dorſum, quem hilariter tulit, orans ſemper Dominum, ut infirmariæ obliviſcerentur ac negligerent curæ & caritatis ſibi præſtare officia. Admonita de proximo obitu precata eſt juvenculam de educandarum numero, ut ſecum recitaret hymnum *Te Deum laudamus*, poſt quem placidiſſime expiravit.

Nolumus prætermittere fidelem relationem, quam ad nos tranſmiſere religioſiſſimi eremitæ Taurinenſes, de magno pauperum, peregrinorum atque advenarum numero, qui præſenti ſeculari anno jubilæi pernoctarunt in eorum eremo. Referunt itaque janitorem eremitam virum pium, & ſufficientis etiam literaturæ notam confeciſſe peregrinorum omnium, eorumque nomina deſcripſiſſe, non nationalium dumtaxat, ſed Gallorum, Hiſpanorum, Luſitanorum & Flandrenſium, qui, non enumeratis iis, qui per diem tranſibant, quibuſque ſubminiſtrabatur victus, neque recenſitis mulieribus, & parvulis, qui ad ruralem domum tranſmittebantur, ad finem anni ſuperarunt numerum undecim millium, ſubminiſtratione cibi, potus & cubilis. Excipiuntur etiam ab hoc numero circumvicini pauperes, qui dietim eleemoſynam emendicabant. Ceteris annis minor eſt numerus, ſed nulla nox præterit, in qua multi non hoſpitentur peregrini; quod idem dicendum eſt de ceteris eremis, præſertim de illis Camalduli-majoris Etruriæ, & Camalduli Montis-coronæ, ubi hoſpitalitas ad communem ædificationem diligentiſſime obſervatur toto anni tempore.

LXII. Fundatio eremi Lanzerienſis in Hungaria.

CLAUDIMUS ipſum ſeculum illuſtri fundatione & deſcriptione eremi Lanzerienſis, quam ad nos tranſmiſit piiſſimus & doctiſſimus pater D. Baſi-

ANN. CHR. 1700.

Basilius du-Vergius eremita Viennensis. „ Anno 1700. die quarta mensis martii temporibus Clementis XI. pontificis maximi & Leopoldi I. „ Romanorum imperatoris electi , regisque Hungariæ &c. celsissimus „ simul ac pientissimus S. R. I. princeps Paulus Ezterhazy de Galantha perpetuus comes in Frackno, aurei velleris eques , apostolicique „ regni Hungariæ palatinus, inter reliqua pietatis monumenta , erectaque varia religiosorum ordinum domicilia , nostræ quoque congregationis Montis-coronæ, cui maxime semper addictus fuerat , pro salute animæ suæ eremum sancti Michaelis pone castrum suum Lanzer „ vulgo Landzee, e fundamentis erexit , omnibusque necessariis ædificiis „ etiam templi non inelegantis structuræ , ac campanili alto simul & „ concinno , æreque campano sat magno debite instructo decoravit , „ addens pro duodenario religiosorum ibidem degentium numero quindecim mille florenos Rhenenses , aucturus censum , quam primum „ per bella intestina sibi liceret. Verum morte præventus tercentos florenos pro lampadis ante SS. Sacramentum ardentis necessario oleo procurando solum adjecit, reliqua successoribus pro eorum pietate enixe „ satis commendans; atque ne memoria hujus rei obliteraretur , testamento suo hocce punctum de complenda fundatione inseri voluit. En „ capita testamenti & dotis quoad erectionem eremi . " *Primo , dabitur capitale florenorum 15000. cujus interesse facit florenos 900. annuatim; præterea coram Venerabili lampas ardens per florenos 300. fundabitur . Secundo , sicque erit pro personis duodecim fundatum monasterium . Tertio , ædificium quoque ad normam delineationis pro totidem personis fieri curabimus . Quarto, ac proinde petimus , ut in primis pro nobis nunc vivo, postea vero mortuo singulis diebus sacrum unum celebretur in perpetuum, & oretur pro anima nostra. Quinto, secundo pro conservatione & salute familiæ nostræ oretur singulis diebus a religiosis specialiter . Sexto, liceat omni tempore conjugi nostræ veluti fundatrici cum aliquot honestis personis intrare monasterium, & post fata illius , successorum nostrorum uxoribus similiter cum aliquot honestis personis, prandium tamen in domo hospitum comedent extra clausuram. Septimo, in ædificato autem per nos templo & monasterio sarta tecta religiosi conservare teneantur . Octavo , ligna vero pro foco ex silva dominii habebunt, ita tamen ut religiosi ea secare & sibi advehere sint obligati , orgias singulis annis numero 120. Datum Viennæ Austriæ die IV. mensis martii anno 1700.*

Paulus Ezterhazy .

Est hæc eremus sancti Michaelis archangeli ad castrum Lanzer in comitatu Soproniensi in ipsis confiniis Hungariæ, Austriæ & Styriæ, versus occidentem in alto & præarduo monte, sed sano simul & amœnissimo posita , obque abjetum circa circum perpetuo virentium copiam habitatu jucundissima. Fontes hinc inde, largiterque defluentes rivuli ad proximos sese campos effundunt , eremo tamen in ipsa fontem nullum reperire est, in cujus supplementum dispositis ad hoc canalibus e tectis deciduus imber præparatis ad hoc vasis excipitur , hortorum , lavatoriique usui serviturus, nam pro patrum culinæque necessitate aqua quotidie mulis equisve bajulis adportanda venit, succedentibus subinde hominibus id onus explentibus . Cellarum solitariarum octonarius est numerus, quinque aliis pro infirmis fratribusque conversis destinatis , suis quibusque officinis adhærentibus. Vicina si spectentur loca , ea sunt in Hungaria simul Kober, Wepperstorff, fanum sancti Martini, Ndeuorffl, oppidum ipsum Lanser & Blumau ; in Austria vero Swarzenbeck, Cradorff,

Ann. Chr. 1700.

dorff, Kleipach & Wismath, inter quæ media ipsa eremus Lanzeriensis nostra eminet, ex qua tanquam e specula Jaurinum usque, quæ hujus diœcesis est metropolis, atque ad conterminos Austriæ Styriæque montes longe lateque amœnissimus patet prospectus, quo vicini permoti populares æque ac nobiles frequentius sacra hujusce eremi limina terunt, seu amœnitatis perfruendæ, seu devotionis explendæ gratia, festis præsertim diebus divo parenti Romualdo, beatæ Mariæ Virginis visitationi, & sancto principi Michaeli-archangelo sacris, queis communi cum virili sexus alter limina ecclesiæ intrandi licentia plenariisque indulgentiis gaudet.

Mansit hæcce eremus ad annum usque 1742. sub superioribus dumtaxat, donec eodem anno mense julio superveniente domno Paulo Ferck Helveto, prioratus honore fuit decorata, quo præsertim ejusque successoribus strenue adlaborantibus majorem semper splendorem sibi vindicat, benefactorumque accedente non parco subinde munere, in dies majora incrementa capit.

ANNALES CAMALDULENSES

LIBER SEPTUAGESIMUS-NONUS.

Ab anno CHRISTI M. DCC. I.

Ann. Chr. 1701.

I. Piorum monachorum, eremitarum & monialium decessus.

INGREDIMUR novissimum seculum XVIII. in quo, quæ nostra, vel majorum nostrorum, quos de facie cognovimus, ætate facta contigerunt, sicuti etiam ea, quæ ab eremitis nostris transmissa, recentibus testimoniis videntium vel audientium comprobantur, brevi calamo posterorum memoriæ mandamus, ut completam, & ad dies nostros productam Camaldulensem historiam per Annales habeamus.

Æternam requiem assequutus est hoc anno in nostro sancti Michaelis monasterio Johannes-illuminatus Piccinius piissimus cœnobita, ex cujus epistolis, necnon ex seniorum relatione vita collecta in adversariis nostris reperitur. Ortus est Piccinius Venetiis anno 1627. ex Johanne cive Veneto viro raræ virtutis & consilii, & ex Magdalena Caravina Veneta; subtractus a dirissima lue, quæ post triennium Venetam urbem, immo Italiam totam infecit, per pietatis opera incedens primis suis annis, decrevit Deo se vovere quindecim annos natus, sub Andrea Bonfadinio abbate habitum monasticum petens, & sub Gabriele Giupponio professionem emittens in monasterio sancti Michaelis de Muriano annis 1642. & 1643. Fratrem habuit inter ceteros Hieronymum, qui sancte obiit anno 1682. die prima novembris inter patres Dominicanos observantes Coneliani congregationis beati Jacobi Salamonii, ubi etiam fundator fuit conventus sanctimonialium ejusdem ordinis. Noster Johannes post sacrarum literarum studia sacerdos effectus Faventiam fuit destinatus anno 1652. ubi tum pientissimi Theodori Soldati Veneti abbatis generalis, tum Mathiæ Marcelli integerrimæ vitæ monachi exemplis & ductibus profecit; ibidem in frequentibus terræ quassationibus fornix dormitorii prope cellam suam ruit eo ipso momento, quo de cella exierat; quod singulari Dei protectioni adscripsit. Cum Marcello electo abbate Perusium, inde cum eodem Vicetiam; postea spiritu majoris solitudinis ductus enixe petiit transitum ad eremitas Rhuenses. Deus tamen, qui

ipsum

ipsum præordinaverat, ut inter monachos eluceret, æquas vires, sicut spiritum gerebat, ascetæ nostro non dedit; quare non completo anno probationis inter eremitas, rediit ad claustra anno 1659. & Pisauri officium prioris gessit, summaque animi voluptate ob proximitatem visitavit sacram ædem Lauretanam: qua occasione narrat obitum equitis Recinetensis, qui quotidie ex Recineto per tria milliaria Lauretum ante lucem se conferebat, neque æstu, neque frigore, neque pluviis aut glacie perterritus, semper pedes, intactisque vestigiis, & post auditas omnes Missas domum redibat, pane & aqua pro prandio contentus, ad quem defunctum, habitumque ut Sanctum cucurrit populus omnis, aliquid ex rebus, quibus contegebatur, asportaturus. Id contigit anno 1666. Ex Pisauro Romam, & ex Roma ad Fullinæ monasterium transiit Piccinius usque ad annum 1682. quo Vicetiam reversus est, ubi post biennium invitus coactus fuit officium assumere œconomi spiritualis & temporalis dicti monasterii. Post aliquod tempus ad dilectum suæ professionis sancti Michaelis monasterium reditum fecit, in quo ad mortem permansit. Interea molestissimo tumore & acerrimis doloribus vexatus, summa animi tranquillitate morbos suos toleravit, assiduus choro & ceteris regularibus observantiis, hilaris fronte, & nisi ex sanguineis urinis infirmitas se manifestasset, ipse ore suo tacitus pro Domini sui amore dolores sustinuisset. Ad incisionem itaque fuit procedendum, donec ipsi infirmitati, aliisque supervenientibus morbis natura cedere debuit die XXV. aprilis hujus anni inter dulcissimos actus spei, amoris & conformitatis ad Dei voluntatem. Sepultum fuit ejus corpus seorsim sub arcu chori, appositaque est progressu temporis sequens inscriptio: *Johanni Piccino Veneto sacerdoti & monacho integerrimo Johannes abbas posuit. IV. kal. Januarii* M. DCC. XXXXIIII. *Obiit* VII. *kal. maji* M. DCC. I. Innumeros asceticæ vitæ libros percurrit, præcipue ex operibus sanctæ Theresiæ & sancti Francisci Salesii, quos adnotationibus ad oram illustravit, ex quibus dignoscitur ipsius spiritus, & amor ad virtutes, sicut etiam ex epistolis, quæ mss. supersunt, præsertim ad neptem suam. Collegit pariter constitutiones ordinis Camaldulensis, & in Italicam linguam convertit.

Quarta-decima aprilis decessit Urbanus a Monte-sancti-Angeli in Apulia ex nobili familia Ciociola natus XXIII. julii anni 1651. Ab archiepiscopo Sipontino ordinatus ad clericatum, paulo post transiit ad patres eremitas Coronatæ. Ejus consanguinei confugium habuere ad nuntium apostolicum, quatenus impediret Urbani immaturum consilium; sed Urbanus probans vocationem suam apud patres Carmelitas excalceatos Neapolis rediit ad eremum pacifica suorum permissione. Magno fervore vitam eremiticam exorsus est, professionemque emisit die XXVII. junii anni 1673. Oculos semper defixos in terram ferebat, obedientiæ, sui abnegationi, silentio & Dei præsentiæ servandæ semper incubuit. Sacrum peragebat ea animi devotione, ut adstantes eodem compunctionis spiritu replerentur. Prior Turris, inde magister tironum novennio eos in exercitio orationis edocuit, detegens tunc pullulantem falsæ orationis Michaelis Molinos errorem. In minimis rebus voluntatem suorum novitiorum reprimebat. Ad prioratum Nolæ & postea Coronatæ evectus est, demum ad Majoris dignitatem, qua completa iterum designatus fuit magister novitiorum, quo in munere obiit in eremo Coronatæ. Refertur de ipso, quod cum esset Major congregationis, & eo tempore prior sancti Salvatoris dimisisset quamdam familiam secularem ab

habi-

ANN. CHR. 1701.

habitatione domus pertinentis ad eamdem eremum, regium tribunal processum instituit, an ratione niteretur hujusmodi dimissio, quam justam probavere decem & septem testes examinati. Persecutione tamen hominis præpotentis carceri addicti fuere supradicti testes, tamquam falsum deposuissent, & ad ferendum id testimonium inducti fuissent ab eremitis. Id ubi scivit Urbanus, rationes suas & eremi validis argumentis defendit apud tribunal, quæ etiam demum cognitæ fuere, declarata eremitarum & testium innocentia & justitia; substantiis insuper eremi pavit toto septem mensium spatio carceri injuste addictos testes.

In Rhuæ eremo quinta maji mortem oppetiit Antonius Patavinus oblatus, qui inter cetera dona ea spiritus unctione de rebus divinis colloquebatur, ut audientes ad compunctionem cordis moverentur. Verbis adjungebat raram caritatem erga omnes indigentes, ad curandas usque infirmitates sensui magis repugnantes.

Nomen Camillæ Orsini memorabile est in parthenone sanctæ Catharinæ de Cæsena, quæ nonaginta & quatuor annos nata mortalitate exuta est hoc anno die XII. julii. Hæc sui contemptu & pœnitentia insignis nullas refugiebat humiliationes, omnes patiendi inquirebat vias. Ea in ætate, ut plurimum, cubabat super nudam humum, Crucifixi imaginem retinens inter brachia. Cineribus condiebat epulas suas; & ita erat in Deum rapta, ut nisi excussa ad sensus rediret; tremens tunc & palpitans aliquandiu, nugas has esse puellarum ajebat. Dono lacrymarum pollebat specialiter in meditanda Christi passione, & pavimentum ex defluentibus guttis madefaciebat, palpebræ autem oculorum erant omnino exsiccatæ. Erga animas purgantes eo affectu ferebatur, ut instituerit congregationes & societates virorum & mulierum, quæ pro ipsis orarent, vel alia pia opera in eorum levamen agerent. Hinc post ipsius mortem viri & mulieres confertim ad sanctæ Catharinæ ecclesiam processere, ut orationes pro ipsa funderent, & ipse episcopus se contulit, omnesque certatim aliquid de spoliis & vestibus ejus secum abstulerunt. Morti proxima exoravit moniales, ut canerent Litanias beatæ Virginis, hymnum inde *Te Deum*, quo completo dulcissime expiravit.

II. Vita communis introducta in cœnobio Uranensi.

UT facilius introduceretur vita communis in monasterio sanctæ Mariæ de Urano, supplici libello porrigendo per cardinalem Leandrum Colloredum instititit abbas Petrus Cannetus, abbas tunc ejusdem cœnobii apud sacram congregationem de Disciplina Regulari, ut ei adjungerentur redditus parvi monasterii sanctissimæ Trinitatis de Monte Herculis in oppido sanctæ Agathæ. Sequens igitur decretum emanavit a sacra congregatione: *Sacra congregatio super Disciplina regulari, Sanctissimo Domino nostro annuente, præsentis decreti tenore committit, & in virtute sanctæ obedientiæ, nec non sub pœnis per decreta generalia S. M. Clementis VIII. pro Regularium reformatione statutis, districte mandat, & præcipit moderno abbati monasterii sanctæ Mariæ de Urano congregationis Camaldulensis diœcesis Britonoriensis, ut intra terminum trium mensium proximorum in eodem monasterio auctoritate apostolica statuat omnimodam observantiam regulæ, constitutionum ordinis, & decretorum apostolicorum, præcipue vero exactæ vitæ communis ad formam eorumdem decretorum san. mem. Clementis VIII. ab omnibus religiosis, qui in dicto monasterio manebunt omnino suscipiendæ, tribuens propterea eidem abbati plenam facultatem advocandi ad prædictum monasterium, & in eo collocandi ex eadem, vel si opus fuerit, ex aliis provinciis quoscumque religiosos, quos regularis observantiæ ac puritatis regulæ studiosos repererit, quique consentiant*

tiant exacte servare vitam communem, indeque amovendi eos omnes, qui tam sanctæ ordinationi contradicere, seu verbis aut factis quoquomodo se opponere audeant, necnon cetera omnia & singula statuendi super præmissis, quæ pro suo arbitrio & conscientia necessaria & opportuna fore in Domino judicaverit.

ANN. CHR. 1701.

Ut autem religiosi præfati monasterii commodius & in majori numero sustentari, ac in prædicta regulari observantia liberius Domino famulari valeant, eadem sacra congregatio, audito procuratore generali ordinis, annuente itidem sanctitate sua, parvum monasterium sanctissimæ Trinitatis Montis-Herculis ejusdem congregationis Camaldulensis diœcesis Feretrensis, omnemque ejus conventualitatem, titulum, essentiam & denominationem regularem, una cum ejus dignitatibus, officiis & ministeriis penitus ac perpetuo supprimit, abolet & extinguit, ejusdem bona quæcumque, redditus & proventus una cum pertinentiis ac universis juribus (excepta dumtaxat annua subventione scutorum decem per monasterium Pisaurense præstari solita, quam eidem ob ejus paupertatem in posterum remitti debere decernit) supradicto monasterio sanctæ Mariæ de Urano perpetuo applicat, unit & incorporat, ac pro applicatis, unitis & incorporatis habere decernit. Ita tamen ut dicti monasterii sanctissimæ Trinitatis onera, & præsertim Missarum integre adimpleantur, ejusque ecclesia debitis non fraudetur obsequiis. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, nec non dictæ congregationis Camaldulensis ac monasterii sanctissimæ Trinitatis statutis, consuetudinibus ac privilegiis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ XI. *julii* 1701. Loco ✠ Sigilli. *J. R. card. Imperialis præfectus. C. A. Fabronus secret.*

Clemens XI. ad supplicem libellum monachorum Camaldulensium extendit, & concedit ipsis recitationem officii proprii sancti Columbani abbatis.

SACRA *Rituum congregatio ad humillimas preces abbatissæ & monialium ordinis sancti Benedicti ordinario subjectarum monasterii Omnium Sanctorum civitatis Tarvisinæ, ab eminentissimo & reverendissimo Domino cardinale Rubino relatas, confessario & capellanis earumdem monialium ecclesiæ servitio addictis facultatem celebrandi Missam propriam sancti Benedicti abbatis, toties quoties ipsæ moniales de eodem sancto Benedicto ex indulto apostolico celebrant officium, & præcipue in diebus ipsius festo & octavæ benigne indulsit atque concessit. Die* XXI. *januarii* 1702. *G. card. Carpineus.*

ANN. CHR. 1702.

III. Leges latæ a Camaldulensibus pro reformatione monasteriorum.

Quoniam introductio vitæ communis in monasterio Uranensi ex præscripto sacræ congregationis de Disciplina aliquam majorem extensionem temporis requirebat ab ea, quæ limitata fuerat ab eadem sacra congregatione, patres adunati in dieta hujus anni in monasterio sancti Hippolyti de Faventia coram eminentissimo S. R. E. cardinale Ferdinando de Abdua congregationis protectore, die septima maji decreverunt supplicandum eidem congregationi, ut differre ipsi placeret eamdem introductionem, donec amoverentur ab eo cœnobio monachi non consentientes subdere se vitæ communi; & interea præceperunt, ut disciplina regularis augeretur in ipso monasterio tam quoad exercitia spiritualia, quam quoad usum pecuniarum, ut vigebat in ceteris ordinatis cœnobiis, in quibus, licet vitæ communis perfectio non observaretur, florebat custodia diligens legum & constitutionum Camaldulensium; immo sanctissimis latis decretis ad normam veterum statutorum, in virtute sanctæ obedien-

ANN. CHR. 1702.

obedientiæ & sub pœnis abusus, si qui erant, de medio abstulerunt, & prudentissimas ac exactissimas leges constituere. In his, ut quilibet monachus fidele inventarium de rebus suis conscriberet, integre deponeret quamcumque pecuniarum summam, monasteria & abbates providerent monachos non in pecuniis, sed in rebus ad victum vel vestitum pertinentibus. Ut ex spoliis defunctorum erigeretur in qualibet provincia capsa, ex qua consuleretur ejusdem provinciæ indigentiis extraordinariis; quod postremum auctoritate etiam sacræ congregationis approbatum fuerat die XXIII. septembris anni antecedentis. Et ita, quod semper cordi fuit patribus in capitulis generalibus vel dietis congregatis, sartam tectam firmavere ipsi, & confirmavere eorum successores, monasticam disciplinam in congregatione Camaldulensi.

IV. Historica aliquot collecta.

JACOBUS Laderchius congregationis Oratorii de Urbe presbyter hoc anno Romæ edidit vitam sancti Petri Damiani S. R. E. cardinalis episcopi Ostiensis, quam in sex libros distributam nuncupavit sanctissimo patri Clementi XI. pontifici maximo. In eo redargutus fuit Laderchius, quod Petrum Damianum ejusque asseclas & successores Avellanitas ab albo Camaldulensium monachorum expunxerit, aliamque dixerit fuisse eorum monachorum regulam a regula eremitarum Camaldulensium, sive discipulorum sancti Romualdi. Primus, qui in arenam descendit contra ipsum pugnaturus, fuit Philippus-Maria Macchiarellius Neapolitanus eremita Coronensis, aperto nomine, qui brevi apologia Italico sermone sanctum cardinalem Camaldulensibus vindicavit; licet sub tacito nomine alter auctor adversus eumdem Laderchium antea anno 1705. typis, ut legitur, Parisiensibus, insurrexisset, qui dialogo instituto Sejanum inter & Ruffinum lepide & nervose idipsum præstiterit. Argumentum demum exhausit Guido Grandius Camaldulensis monachus, qui anno 1707. inter ceteras quartam Dissertationem suam Camaldulensem de sancti Petri Damiani & Avellanitarum instituto Camaldulensi concinnavit. Non probe constat, an præfatus dialogus opus fuerit ejusdem Grandii, quod opus certe divisum in quatuor colloquia, quibus titulus: *Calculus*, *Ferula*, *Scutica* & *Censura*, parato etiam quinto sub titulo: *Manubrium Scuticæ*, multo sale Plautino respersum, si ejusdem Grandii fuit, religiosam moderationem nonnihil lædit, præsertim erga alterum religiosum virum.

In ecclesia divi Gregorii de Urbe sepultus est Johannes-paulus Patriarcha, cui ejus frater postea sequens apposuit monumentum: *D. O. M. Johannes-paulus Patriarcha Johannis-antonii Patriarchæ Patritii Romani & Claudiæ Ursinæ ex dominis Scarpæ filius, ingenio, doctrina, prudentia celebris, morum suavitate, ac animi integritate celeberrimus, eminentissimi ac reverendissimi Urbis vicarii in causis civilibus locumtenens laboriosum munus obivit annos quinque & viginti, præsulis dignitate decoratus, illibatæ rectitudinis specimen omnibus præbuit annos sex & triginta. Signaturæ justitiæ votans, Pontificiæ capellæ judex, in congregationem super causis ad Avenionensem ac Firmanam ditionem spectantibus dignissime cooptatus, nationis Armenorum atque aliarum universitatum magna cum laude Præses, sexagenario major decessit die* XVII. *novembris* M. DCC. II. *natus* XXVI. *junii* M. DC. XXXVIII. *Baro autem Antonius Patriarcha obiit die* XXIV. *februarii* M. DCC. IX. *Meritissimis fratribus æternæ memoriæ monumentum Baro Gregorius Patriarcha mæstissimus posuit.*

Vigesima-prima maji Johannes-baptista Missirolius episcopus Britonoriensis, instante Petro Canneto abbate Uranensi, consecravit ecclesiam sanctæ

ctæ Mariæ de Lacu subjectam eidem monasterio Urani. Prætendebat præterea idem episcopus, ut monachi interessent omnibus publicis Urbis supplicationibus. Sed prodiit decretum sacræ congregationis, ut servaretur solitum. Solitum autem erat, ut interessent monachi supplicationibus die festo Corporis Christi, ceteris autem processionibus ordinariis parochus tantummodo, ut seculo præterito die XV. junii anni 1648. & XIII. martii anni 1649. statuerat eadem congregatio, quæ insuper consuetum observandum esse decreverat circa delationem mitræ, pastoralis baculi, & ceterorum abbatialium insignium, quæ ante se deferre faciebat abbas Uranensis.

ANN. CHR. 1702.

Ex Gallico in Latinum vertimus sequens monumentum de insigni portione sanctæ Crucis dono data eremitis Camaldulensibus de Gros-bois. *Nos Achilles de Harlay consiliarius regis in suo consilio Status, primus Præsidens in sua Curia Parlamenti, dominus de Beaumont, de Sancy, de Gros-bois &c. Notum facimus omnibus, ad quos spectabit, quod Lignum clausum in hac Cruce argenti deaurati vermiculati operis, quod nos dono dedimus reverendis patribus Camaldulensibus monasterii de Gros-bois capitis ordinis in Regno, est pars portionis majoris, quam Carolus primus rex Magnæ Brittaniæ ostendit in turre Londini coopertam serico terso denso rubri coloris domino de Bellievre tunc oratori regio apud majestatem Brittanicam, dicens ei, quod ea erat portio Crucis, in qua dominus noster Jesus-christus passus fuerat, & quam unus ex regibus suis prædecessoribus acquisierat 100000. scutis, hoc est 300000. libris Turonensibus in pretium redemptionis regis Johannis, & in exequutionem tractatuum inter duas coronas, ex qua portione rex Brittanicus fregit magnam partem duabus manibus contra genu suum, quam donavit eidem domino de Bellievre. Hanc nos semper cultu peculiari, & magna veneratione prosequuti sumus in familia nostra, & conservavimus juxta hanc traditionem, cujus in præsentiarum datur portio dictis patribus Camaldulensibus, existimantes in eorum ecclesia majorem obtenturam reverentiam, & orantes eos, ut aliquando meminerint nostri in eorum precibus, quas porrigent ante sacrum Lignum, pretium redemptionis nostræ. In quorum fidem subscriptionem nostram apposuimus, & obsignavimus sigillo familiæ, & roboravimus subscriptione secretarii nostri. Die XXIV. decembris 1702. in nostro castello de Sancy. De Harlay. L. ✠ S. & pro domino meo, Le Begue a secretis.* Anno sequenti die 11. februarii cardinalis Ludovicus-antonius de Noailles archiepiscopus Parisinus facultatem fecit eisdem eremitis exponendi ad venerationem fidelium præfatam sanctæ & veræ Crucis reliquiam.

ANN. CHR. 1703.

V. Tractatus pro declarando cultu B. Petri Urseoli.

CUPIENTES monachi Camaldulenses honorare inter Sanctos suos recitatione officii proprii & Missæ memoriam sancti Petri Urseoli Venetiarum ducis, & discipuli sancti patris Romualdi in monasterio Cuxanensi, ipsis initiis hujus seculi operam dederunt, ut illustraretur publicus cultus, quem a multo tempore obtinebat in dicta Cuxanensi abbatia, ubi conspicue & honorifice conditum erat ipsius sacrum corpus. Petrus-franciscus Gallicius Venetus Camaldulensis abbas, & procurator generalis in Urbe, ceteris magis est promeritus, qui epistolam scripsit abbati Cuxanensi, ut ab ipso notitias exquireret temporis factæ ab episcopo Oliba sancti Petri Urseoli translationis reliquiarum super altare, miraculorum, & cultus, quo ipsum prosequebantur populi ejus regionis. Epistola est hujusmodi: *Perillustris & reverendissime Domine Domine Colendissime. Cum mihi semper fuerit in veneratione maxima sanctitas bea-*

Ann. Chr. 1703.

ti Petri Urseoli, qui ex magno duce Venetiarum monasticum habitum sancti patris nostri Benedicti suscepit sub disciplina sancti Romualdi in ipso suo sancto cœnobio, ubi etiam ejusdem sanctitas per multos annos effloruit, usque ad ultimum vitæ suæ cursum, cujus sacræ reliquiæ extant in ejusdem cœnobii ecclesia in decenti urna collocatæ super altare divi Romualdi, christianorum cultui expositæ, ut per relationem hic habemus. Vir iste sanctus videtur memoria etiam piorum hominum in oblivionem elapsus, licet multi & graves auctores de ejus sanctitate mentionem faciant, inter quos divus cardinalis noster Petrus Damiani in vita sancti Romualdi; unde debitum meæ devotionis putavi omnia agere, ut mundo christiano merita sanctitatis ejusdem meliori modo publicentur; Quapropter hæc religiosa mihi emersit occasio, ut de tua pietate valde confisus, atque de nostra spiritualis fraternitatis relatione (filii enim sumus omnes in Spiritu-sancto divi patris nostri Benedicti) ad dominationem tuam reverendissimam recurrerem, & humillima supplicatione a te peterem certiorem fieri de omnibus virtutibus & singulis miraculis hujus Beati, nec non de existentia corporis ejusdem super altare sancti Romualdi cultui expositi in eadem tua ecclesia, ac etiam de ejusdem translatione, & signanter de tempore, ex quo corpus ejus e tumulo fuerit translatum super dictum altare, ubi ad præsens reperitur. De hac translatione hic habemus aliquale lumen, quod nempe dictum sacrum corpus fuerit sollemniter translatum cum processione ab Olibano sive Oliba prius comite Bisulduni, postea monacho sancti Benedicti, deinde episcopo Vici, & abbate eodem tempore aliquorum monasteriorum, inter quæ istius beati Michaelis de Cuxano; sed hoc lumen in casu nostro parum inservit, cum nec indicet tempus dictæ translationis, nec ullam habeat formam authenticæ probationis. Unde supradicta omnia a dominatione tua reverendissima requirimus in forma authentica, ut apud sacras congregationes hujus Urbis, & etiam apud summum pontificem de sanctitate ejusdem Beati probationes certas & validas afferre possimus. Singulas autem expensas faciendas, tam in scribendo attestationes & fides, sive in rescribendo ea, quæ occurrere possent, quam in collationando sive authenticando hæc omnia supradicta, & si quæ essent miracula relevanda, etiam rogo dominationem tuam reverendissimam, ut expensas easdem faciat, & quod notam sive computum talium expensarum mihi mittat, una cum commissione ipsas pro debita restitutione solvendi, quibus tibi placuerit, ut prompte minori huic debito satisfacere valeam, dum alia majora in corde retinebo, & Deus omnipotens in Sanctis suis mirabiliter caritati tuæ abundanter retribuet. Placeat dominationi tuæ reverendissimæ de hac nimia confidentia excusatum me habere, ac de grata mea observantia experimentum facere, tibi inserviendi hic occasiones mihi præbendo, quas toto corde exopto, & manus tuas obsequentissime deosculor. Romæ die XV. februarii 1703. Dominationis tuæ reverendissimæ humillimus & devotissimus servus D. Petrus-franciscus Gallicius abbas ac procurator generalis monachorum congregationis Camaldulensis. Eodem tempore plures alias Latinas epistolas idem scripsit capitulo monachorum Cuxani. Adjuvere plurimum S. R. E. cardinalis Leander Colloredo, & orator reipublicæ Venetæ in Urbe eques Johannes-franciscus Maurocenus, qui manus dedere tractatui, ac efficacioribus officiis ipsum promovere; verum concupitus effectus irritus evasit ob tenuitatem notitiarum, quæ pares non erant ad probandum concludenter antiquum & canonicum cultum, vel saltem immemorabilem, & casum exceptum in decretis Urbani VIII. Illud tamen exploratum est, quod capitulum monachorum Cuxanensium transmisit ad ipsum ab-

batem

batem Gallicium authenticam atteſtationem venerationis, qua colebatur in iis regionibus ſanctus Petrus Urſeolus, ſcriptam die octava martii, recognitam Perpiniani die XIV. ejuſdem menſis a vicario generali epiſcopi Helnenſis Deſpres, quam ex Gallico in Italicum idioma tranſtulit Guido Grandius abbas in vita ſancti Petri Urſeoli, nos vero in Latinum ſubjicimus, cum alia Gallica epiſtola ejuſdem vicarii Deſpres, qua die XVI. martii ex Perpiniano teſtatur monachos omnes Cuxanenſes approbare, ut veridicam eam atteſtationem, licet obliti fuerint ſcripturam ſuam ſigillo corroborare. Atteſtatio eſt hujuſmodi.

Ann. Chr. 1703.

Die VII. *martii anno* M.DCC.III. *in monaſterio ſancti Michaelis de Cuxano, regnante chriſtianiſſimo, glorioſiſſimo & victorioſiſſimo principe Ludovico XIV. gratia Dei rege Franciæ & Navarræ. Convocato & congregato illuſtriſſimo & reverendiſſimo capitulo monaſterii Cuxani ordinis ſancti Benedicti in terra Conflens nullius diœceſis, niſi dumtaxat ſanctæ Romanæ eccleſiæ in capite & in membris immediate ſubjecti, juſſu reverendiſſimi prioris clauſtralis inferius nominati in aula capitulari dicti monaſterii, ubi ad tractanda ſimilia & alia negotia dicti monaſterii præfatum illuſtriſſimum capitulum conſuevit convocari & congregari, ad quam convocationem acceſſere & adfuere reverendiſſimus frater Salvator Balaguea præpoſitus Fillols & prior clauſtralis, vacante ſede abbatiali dicti monaſterii, Frater Dominicus Illes infirmarius, frater Franciſcus de Bru & Tord præpoſitus Sardagnæ, frater Honoratus Laveda prior ſancti Jacobi de Caldions, frater Stephanus Puig viridarii cuſtos, frater domnus Salvator Copons, & Tamerit ſacriſta major, frater D. Thomas de Malla, frater Hiacynthus Rovixa eleemoſynarius, frater Emmanuel Vidal cellerarius, & frater Johannes Saldoni ſacriſta minor, omnes religioſi & profeſſi dicti monaſterii capitulares & capitulum conſtituentes tamquam major pars & ſanior, & ſuperantes duas partes religioſorum profeſſorum monaſterii, qui reverendiſſimus prior clauſtralis & ſuperius nominati religioſi convocati & congregati, attento quod æquum eſt, & rationi conſonum omni tempore veritatem dilucidare, ut veritas manifeſtetur, ad hunc effectum, virtute juramenti, quod in manibus ſubſignati notarii præſtiterunt more clericorum, atteſtati ſunt, vera eſſe, quæ ſubtus ſcripta, expreſſaque ſunt, & continentur; videlicet, corpus beati Petri Urſeoli ducis Venetiarum, & regis Dalmatiæ & Chroatiæ jamdudum religioſi dicti monaſterii ſancti Michaelis de Cuxano quieſcere ſuper altare ſancti Romualdi in magna eccleſia præfati monaſterii, quod conſpicitur intra crates ferreas, poſt quas pellucidum eſt vitrum, per quod cernitur corpus ejuſdem Sancti. Altare dedicatum eſt ſancto Romualdo, qui exhibetur in imagine dicti altaris in actu dantis habitum ſancti Benedicti dicto beato ſancto Petro Urſeolo, cujus corpus quieſcit ſupra dictum altare a die* VI. *decembris anni* 1644. *prout ſuperius nominati prior & monachi deſcriptum legerunt in pagina depoſita in capſa, ubi conduntur reliquiæ dicti beati Sancti, tranſlatæ ibidem ex mauſoleo ſeu ſepulcro, quod eſt ſupra chorum ejuſdem magnæ eccleſiæ ad manum lævam, ubi quieſcebant a die* XII. *aprilis anni* 1487. *qua die depoſitæ fuere intra mauſoleum, ut colligitur ex ſupraexiſtente inſcriptione. Inſuper, quantum recordantur reſpective, teſtantur ſe agnoviſſe magnam devotionem populi circumvicini dicto monaſterio aliorumque locorum erga beatum ſanctum Petrum Urſeolum ad dictum altare ſancti Romualdi, multaſque ibidem celebrari ſolitas Miſſas. Præterea chryſtallum ſervari donatam ab eodem beato Sancto monaſterio, mirabilem in curatione morborum oculi, cum applicatur oculis, atque ma-*

ANN. CHR. 1703.

gnum fieri concursum populorum, qui invocatione sancti Petri, & applicatione chrystalli sani efficiuntur a prædictis morbis. De quibus omnibus ego notarius subscriptus requisitus sum, ut actum præsentem conficerem, qui factus, & rogatus fuit die & anno supradictis, præsentibus & testibus domino Alexio Crico Pages villæ Proced, & domino Antonio Benesach Tuseram loci Tau Cicui a me Josepho Gelcen Fourner notario & secretario ejusdem monasterii. Pratæ hac die VIII. *martii* 1703. *Locus ✠ Sigilli. Nos Franciscus Despres presbyter, doctor Theologiæ, canonicus Helnensis, vicarius generalis episcopi Helnensis, officialis suæ diœcesis, & consiliarius honorarius consilii supremi Perpiniani testamur suprascriptam attestationem descriptam & signatam fuisse a Josepho Gelcen notario & secretario abbatiæ & monasterii sancti Michaelis de Cuxano, cui debet præstari integra fides. In quorum fidem signavimus præsentes literas roboratas a secretario episcopi Helnensis suo sigillo. Perpiniani* XIV. *martii* 1703. *Despres vicarius generalis. Maisonade secretarius.*

Sequitur epistola dicti vicarii generalis sub die XVI. ejusdem mensis ad abbatem Gallicium. *Transmitto ad te attestationem authenticam petitam circa beatum Petrum Urseolum. Meliori modo eam curavimus, nam monachi omnes abbatiæ sancti Michaelis de Cuxano, ubi ejus sacrum corpus quiescit, veram affirmarunt in præsentia sui notarii & secretarii, actu, quem ego recognovi. Monachi obliti sunt addere sigillum. Actuales chiragræ dolores facultatem dumtaxat mihi præbent reddendi te certiorem de meo profundo obsequio, quo me subscribo humillimum obedientissimum famulum Despres.*

Eadem occasione transmissum fuit e Cuxano exemplar vitæ sancti Petri Urseoli extractum ex libro Viridi existente in archivo dicti monasterii cum authentica legali fide ejusdem Josephi Gelcen notarii regii & secretarii. Exemplar tamen est alterius manus a manu notarii, & exscriptor declarat se non probe intellexisse characterem primigeniæ scripturæ, cum legantur verba, & etiam periodi verum sensum vitiantes; immo in eodem exemplari desideratur narratio mortis sancti Petri Urseoli.

Non prætermisit Gallicius colligere varia testimonia classicorum scriptorum ad comprobandam sanctitatem & cultum Petri Urseoli immemorabilem. Verum tractatus usque ad annum 1713. suspensus remansit, cujus narrationem proinde etiam nos ad eum annum reservamus.

VI. Petri de Petris episc. Collensis obitus &c.

PETRUS de Petris ex abbate Camaldulensi episcopus Collensis decessit hoc anno mense novembri sepultus in sua cathedrali ecclesia, postquam laudabiliter ei præfuit per viginti & duos annos, apposita hac epigraphe: *Petrus de Petris Monsabinas, olim abbas Camaldulensis, nunc episcopus Collensis, pronepos Petri de Petris episcopi Lucerini.* Extant edita Senis *Acta Collensis synodi primæ habitæ a Petro de Petris episcopo VI. anno* M.DC.LXXXIII. *die* XVIII. *maji, nimirum Decreta synodalia, seu potius additiones ad decreta synodalia edita & typis mandata ab illustrissimis & reverendissimis DD. episcopis antecessoribus, & Prolusio seu sermo de Potestate synodali habitus ab antedicto episcopo Petro.*

Obiit etiam Mathias Goriolus, dum regeret abbatiam Vangaticiensem, abbas Venetus Camaldulensis ex professione sancti Mathiæ de Muriano. Ediderat anno 1687. Resolutionem theologicam de monachorum Camaldulensium obligatione recitandi quotidie officium parvum beatæ Mariæ Virginis, quæ ms. extat in bibliotheca sancti Mathiæ ex manu auctoris. Reliquit etiam plura historica ad idem monasterium spectantia.

Ima-

Imago Crucifixi prodigiosa in ecclesia sanctæ Luciæ de Vicetia translata fuit hoc anno a Camaldulensibus monachis ejusdem cœnobii sub Gregorio Cappasanta abbate. Affectus devotos materna lingua conscriptos edidit ea occasione typis Venetis Augustinus Guerra monachus Classensis & parochus ejusdem ecclesiæ una cum adjectione institutionis & indulgentiarum Coronæ Dominicæ. Refertur etiam in bibliotheca Cinelliana novæ editionis.

ANN. CHR. 1703.

REPENTINA raptus morte obiit hoc anno Johannes-felix Bononiensis eremita Coronensis. Natus anno 1638. completo vicennio, nomen dedit eremitico sancti Romualdi instituto. Post plures annos in Italia exactos in Germaniam missus ad eremum Viennensem, ibidem magistri novitiorum & prioris officia gessit. Sæviente ibidem peste anno 1679. & sublatis aliquot ex suis familiaribus, votum vovit feriandi quotannis die sacra sancto martyri Sebastiano, Missam celebrandi in ejus honorem, publicam supplicationem cum ejus reliquiis per eremum habendi, & eo quidem felici successu, ut locus deinceps ab omni pestis contagio immunis perstiterit; quod votum ab insequenti generali capitulo Coronensium eremitarum ratum habitum fuit, & ad hanc diem religiosissime colitur. Ex Kallenbergensi eremo primus fuit missus superior recentis eremi Nitriensis in monte Zobor annis 1693. & sequentibus. Majoris etiam dignitatem obtinuit in tota congregatione, inde visitatoris, in quo officio, dum in Italiam redire parat, improvise moritur in Viennensi hospitio. Regularis observantia, orationis donum, solitudo, pœnitentia in omnibus vitæ actibus in eo quammaxime florebant, ut fusius declarat in ejus vita pater Basilius du-Vergius.

ANN. CHR. 1704. VII. Mors pretiosa aliquot eremitarum.

In eremo autem sancti Clementis Venetiarum ad Deum transiit die XV. decembris Andreas Trieste Tarvisinus vel Asulanus piissimus eremita. Simplicitate & innocentia singulari erat præditus, quibus adjungebat caritatem erga omnes, quæ limitibus non circumscribebatur; quare etiam ignotis beneficia faciebat, omnibus omnia factus, ita ut non renuerit se sistere coram gravissimo magistratu Provisorum Sanitatis Venetiarum, pro deprecanda morte cujusdam ductoris navilii, qui capitalem sententiam subire debebat ob mercem olei allatam sine debitis cautionibus, & obtinuit, ut pœna illi commutaretur in pœnam carceris, a quo etiam subinde fuit liberatus eloquenti & caritativa facundia nostri eremitæ. Humilitati, silentio, exactissimæ regularum observantiæ erat addictissimus, mentemque assidue in Deum defixam tenebat. Hinc communiter habebatur ut Sanctus; infirmi ipsius benedictionem expetebant, gratiasque curationum reportabant. Primicerius ecclesiæ divi Marci Aloysius Sagredus podagra vexatus, lectoque decumbere coactus, statim ac benedictionis verba super ipsum protulit Andreas eremita, integræ sanitati fuit restitutus, ita ut sequenti die potuerit se conferre ad insulam sancti Clementis pro Sacro faciendo. Prope moriturus pius asceta visitatus est a primis patriæ senatoribus venientibus, ut benedictionis gratiam ab ipso reciperent, brevique agone colluctatus ad æternitatis gloriam fuit translatus. De eo honorificam mentionem facit in ecclesiis Venetis senator Flaminius Cornelius [a], nomenque ipsius ad posteros perdurat tamquam sancti viri.

[a] T. IX. dec XII. pag. 232.

Demum in eremo Camalduli-majoris Etruriæ XX. junii octuagenarius defunctus est Simeon Januensis oblatus post sexaginta religionis annos. Observantissimus etiam in minutis rebus regularum, licet ob gradum

oblati

ANN. CHR. 1704.

oblati earum custodiæ non esset obnoxius, neque laboribus neque vigiliis pressus unquam omisit regularia jejunia, unquam nocturnam synaxim, unquam cetera spiritualia exercitia; Deo semper gratias referebat tum in prosperis, tum in adversis. Postremum morbum invicta patientia toleravit, ex quo ad æterna præmia transivit.

IN capitulo generali habito in monasterio sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, præside cardinale Ferdinando de Abdua Camaldulensis congregationis protectore electus fuit in abbatem generalem Robertus Dossius Veronensis ex professione Carcerum pro Veneta provincia; in visitatores suffecti Germanus Botta Camers pro Avellanæ professione, & Ricciardus-maria Giullari Florentinus pro Etrusca provincia, tributo officii procuratoris generalis Alphonso Cellinio Ravennati pro provincia Æmiliæ ex dispensatione pontificia. Ad annum regimen congregationis tenuit Dossius, defunctus anno sequenti, cui substitutus est die XVII. julii Petrus-franciscus Gallicius ex abbate sancti Michaelis de Muriano. Captum tunc fuit, & intervenit apostolicum breve, ut deinceps ex eadem provincia eligeretur abbas generalis, reliquumque compleret quinquennii, si contingeret generalem intra capituli spatium occumbere, licet anno *1679.* ex simili mortis casu post annum, electio ad aliam provinciam fuisset devoluta. Pariter anno *1706.* abdicante visitatoris officium Germano Botta ob infirmitates, & propter supervenientem cœcitatem, in ejus locum subrogatus est Fulvius Macignius Pisaurensis. Fato cessit etiam hoc anno 1704. Damascenus Mutius Foro-sempronienfis, qui per quinquennium functus fuerat officio abbatis generalis.

ANN. CHR. 1705.

IX. Fundatio eremi Rubro-Claustrensis in Hungaria.

DE tertia colonia eremitarum Coronensium ex Vienna Austriæ in Hungariam acturi sub hoc anno, monumentis utimur ad nos transmissis a doctissimo Viennensi eremita Basilio du-Vergio. Appellata hæc fuit eremus sancti Antonii Magni abbatis, vel Rubro-Claustrensis, vel Claustri Lechnicz in comitatu Scepusiensi. Testamentariis suis tabulis tum die IV. novembris anni præcedentis, tum die VII. martii hujus anni 1705. invitavit ad locum recipiendum & ad eremum fundandam eremitas Viennenses Ladislaus MattyasoWscki ex præposito Scepusiense episcopus Nitriensis, Blasii Jacklin successor, & regni Hungarici cancellarius, qui jam ab anno *1699.* conceptam in animo retinens intentionem suam, hanc manifestavit, dum morbis vexatus voluntatem suam postremam aperuit his verbis: *In comitatu Scepusiensi*, inquit, *habeo claustrum Lechnicz, olim Cartusianorum, quod e manibus secularium in florenis triginta millibus possidentium redemi; hoc igitur claustrum cum omnibus bonis suis ac literalibus documentis lego reverendis patribus Camaldulensibus, ut ibidem juxta suum institutum jugiter Deo famulentur, & pro peccatrice anima mea ad minus unum sacrum dietim celebrent. Ut autem stabiliores ibi fiant, patriæ filios in gremium suum suscipiant, qui tam majorem favorem populi, quam etiam secularium curam bonorum Claustri sunt habituri.* Sed loci originem ex veteri chronico inedito, quod videtur opus cujusdam Cartusiani monachi, aperiamus, non inutiliter quidem, tam quoad spectat ad historiam Hungaricam, quam ad Cartusianam, ex quo sacro ordine post varia rerum fata locus pervenit ad Camaldulenses. *Anno Dominicæ incarnationis* M. CC. XLI. *sub papa Innocentio IV. regnante rege Bela IV. Bathus rex Mangalorum sive Tartarorum cum quinquies centenis millibus armatorum re-*

gnum

gnum Hungaricum invasit, intrando per Russiam ad villam Pescht usque pervenit, contra quos Bela rex prælians vincitur, in quo prælio fere extinguitur militia regni Hungariæ universa. Manserunt autem Tartari in regno Hungariæ fere annis tribus, in quo spatio temporis homines nec seminare, nec metere, nec vindemiare poterant, sed deserta loca quærentes plures fame & inedia perierunt. Tunc comes Saxonum idest XXIV. *civitatum, terræ Scepusiensis matura deliberatione præhabita, cum universis judicibus, communitatibus, omnique plebe hujus districtus munierunt quemdam montem Letanko, alias montem Speculationis, sive Lapidem Refugii vocatum, vallantes eum muro, & se se ibidem cum omni fere populo, familia, pecoribus ac suppellectili per triennium fere subsistentes & defendentes illæsi permanserunt. Erat autem ille mons Speculationis nondum ita nemorosus & arboribus consitus, sicut modo, ædificaveruntque eis ecclesiam intra muros præfati montis aut munitionis, & illa ecclesia est modo capitolium fratrum sive monasterii Lapidis Refugii, eratque ibi penuria maxima, terra sterilis, petrosa & arida, erantque illis angustiæ undique. Tandem recedentibus Tartaris anno Domini* M. CC. XLV. *præfati terrigenæ montem relinquere volentes, nescierunt, ubi diverterent; villas enim & oppida omnia edax flamma consumpserat, inceperuntque alium montem munire uberiorem ac fertiliorem, ædificabantque ibi civitatem, quam Leuthscha seu Leuthscoviam vocabant, cum timore tamen; minati enim fuerunt Tartari iterum reverti, prout fecerunt in loco sive monte, in quo civitas Leuthscha fundata est, eratque quondam silva quercina, prout hodie stipites & radices arborum in cellariis aliquarum domorum reperiuntur. Reliqui vero terrigenæ ad agros proprios redierunt, reædificantes domos, inter quos non modica contentio erat pro possessionibus; sed quid refero, vix pauperes sibi domunculas extruxerant, & ecce Tartari secundario regnum Hungariæ intrant anno Domini* M. CC. LXXXV. *tempore Ladislai regis, qui Budam usque pervenerunt, & quæ reædificata fuerant, igne combusserunt. Sed non diu morati sunt. Tandem anno Dominicæ incarnationis* M. CC. XCVIIII. *tempore Andreæ regis Veneti, instigante ac favente divina clementia, quidam devotus ac venerabilis pater dominus Martinus plebanus de villa Isaac, alias Zakocz cepit inducere ceteros* XXIV. *plebanos de Fraternitate Regalium, quod fundarent monasterium fratribus Cartusiensibus in monte Speculationis sive Lapide-Refugii, ad laudem Dei, & in memoriam victoriæ a Tartaris; qui mox consentientes, miserunt & adduxerunt duos fratres ordinis Cartusiensis, quibus cum locus placuisset, præfati* XXIV. *regales plebani eligentes de medio eorum quatuor venerabiles viros, domnum Henricum plebanum de Leuthscha, domnum Vernerum plebanum de Odorino, domnum Martinum plebanum de Isaac villa, domnum Hermanum plebanum de Leubica, quos miserunt in personis omnium ipsorum una cum duobus fratribus Cartusiensibus, videlicet fratre Andrea & collega suo, in primis ad egregium dominum Jordanum comitem Saxonum, qui fuit capitaneus totius districtus Scepusiensis, qui maturo consilio præhabito cum universis judicibus & communitatibus suis, tam piis precibus inclinatus benignum præbuit assensum, donans eis præfatum montem Speculationis cum omnibus pertinentiis, videlicet silvis, pascuis, piscationibus, assignando etiam eis metas præfati montis in hunc modum :* Sicut illæ duæ aquæ, ut Hornada & Bella dictum montem per tria latera cingunt & circumdant, ad quartum vero latus versus occidentem, prout murus illius munitionis tempore Tartarorum factus, ab una valle scilicet Bellæ usque ad vallem oppo-

Ann. Chr. 1705.

oppositam Hornadæ continetur, extra vero muros præfati montis circa ecclesiam (*quæ nunc est Capitolium fratrum*) tantum spatium, quantum tum pro ædificiis monasterii, & pro hortulis ac cellis fratrum sufficit. *Tandem præfati quatuor legati cum duobus fratribus ad reverendum in Christo patrem [dominum Jacobum episcopum Scepusiensem accedunt, eidemque supplicarunt, qui mox eis præfatam donationem domini Jordani comitis Scepusiensis auctoritate, qua fultus fuerat, regia confirmavit, & approbavit, promittens sese tam pio operi consilio pariter & auxilio affuturum; præfati vero viri cum gratiarum actione abeuntes ad propria redierunt, & domino plebano de villa Isaac negotium commiserunt. Ipse vero quemadmodum fidelis & prudens paterfamilias ad colendam vineam Domini operarios conducere volens, per triennium fere tam de facultatibus propriis, quam aliorum bonorum hominum eleemosynis, sumptus pro tanto ædificio cumulatos, tandem anno D. J.* M. CCC. V. *Deo favente, fundamentum oratorii beati Johannis-baptistæ posuit, & ab illo tempore successive in paupertate & penuria hoc monasterium est ædificatum, & nullum habuit legitimum patronum aut fundatorem, semperque in paupertate permanens & in paucitate personarum sine dote, quod est contra modum ordinis, & pro majori parte de sancta eleemosyna hæc domus hactenus substentata est, gratia Dei favente. Huic ergo domui tempore ædificationis præfuit P. Andreas præfatus monachus professus in Czeitz in Sclavonia per capitulum generale missus, qui fuit rector tantum domus & non prior, donec domus hæc fuit incorporata, qui etiam quamplures ecclesiasticos libros de domo professionis suæ secum attulit. Completa igitur ecclesia, & de aliquibus cellulis non curiose factis præfatus domnus Andreas capitulo generali intimavit novellam plantationem in Ordine factam. In districtum Scepusiensem missi ergo sunt anno Domini* M. CCC. VII. *ad colendam vineam Domini patres utique timorati atque devoti, lapides angulares & vivi, & pro tanta fundatione digni, quibus præfuit venerabilis pater domnus Conradus commendatione dignus, & in utroque statu utilis, fuit enim egregius scriptor, & quamplures ecclesiasticos libros scripsit ornatos charactere, Missalia conventualia duo, Graduale unum, Breviarium, Collectarium, & librum Defunctorum, quos usque hodie conventus habet in usu. Primatum inter priores hujus domus merito igitur habuit; gaudebant denique & gratulabantur terrigenæ hujus districtus habere tales incolas & exoratores, & porrigebant hilariter adjutrices manus pro sustentatione ipsorum; alios enim proventus non habebant, immo nec unum passum pedis extra septa monasterii, præterquam montem Speculationis muro vallatum, quoadusque rex Carolus dilatasset eis terminos, dando eis spatium terræ ex omni parte claustri, quantum tribus ictibus sagittare possunt. Præfatus vero mons nondum erat nemorosus, sed nimium saxosus & sterilis, & nulli usui aptus, nisi ad pascendos greges. Cogitavit itaque prædictus prior, ubi possent habere terram uberiorem & fertiliorem pro agricultura; obtulitque se quidam nobilis, nomine Tiba, habens molam circa villam Edufalvam, ubi nunc est allodium fratrum, a quo emit prior possessionem sive curiam nobilem cum quadraginta jugeribus. Tandem præfatus prior Conradus, ut liberius spiritualibus operam dare posset, & pro scribendis libris, vacare petiit, & impetravit absolutionem ab officio prioratus. Cui successit venerabilis pater Petrus anno Domini* M. CCC. X. *qui assumpto socio fratre Elia una cum præfato domino Martino plebano de villa Isaac accesserunt ad reverendum virum dominum Paulum præpositum Scepusiensem, explicando necessitatem & penuriam*

nuriam fratrum, et supplicando, ut eis aliquos proventus aut decimam dare dignaretur. Acquievit igitur piis precibus, et cum consensu fratrum suorum dominorum canonicorum, nec non cum confirmatione reverendissimi patris domini Thomæ archiepiscopi Strigoniensis, contulit eis decimas de villa Balistarii, alias Ursotz, perpetuis temporibus percipiendas, ita tamen quod præfati fratres Cartusienses tam pro domino præposito, quam pro dominis canonicis specialem memoriam singulis Dominicis diebus in Capitolio facere teneantur. Et hoc hactenus observatum est, & in futurum nulla unquam delebit oblivio.

Eodem tempore spectabilis dominus magister Elias Farbasy castellanus castri Scepusiensis huic novellæ plantationi subvenire volens contulit eisdem fratribus quamdam silvam, qua itur versus Bresnam.

Huic priori successit pater D. Martinus magnæ sanctitatis vir atque perfectionis, sub cujus regimine fratres in spiritualibus multum proficiebant, & in temporalibus non deficiebant. Tempore ipsius, videlicet anno Domini M. CCC. XX. hoc, quod narro, accidit miraculum. Quidam nobilis Dionysius de Liptoria non infima ortus prosapia, Christo militaturus monasterium intravit, seque ad sanctam religionem recipi postulavit. At fratres, quorum fuere vota requirenda, postquam personæ nobilitatem, genus patriamque rescivissent, inito consilio talia postulanti responsa dedere: Vestrum fervidum pectus & sanctam voluntatem non sufficimus admirari post tantam vitæ libertatem. Verum abundantiam sese nostræ paupertati committere, vestræ consuetudini veteri contraire, longas vigilias, prolixa jejunia, quæ etiam robustos viros lacessunt, & alia quoque abjecta officia nobilitati vestræ contraria velle assumere, hoc formidamus. Sed vir Dei uti miles strenuus & imperterritus ait: Ego ad serviendum ac militandum cœlesti Domino veni, ad promerenda regna æterna; idcirco nec labor mihi acerbus erit, nec indigna statui meo censebo officia, neque tædiosa imperia suspicabor. Hac constanti responsione fratres ædificati susceptus est in medium fratrum ad osculum pacis pro converso. Volens autem experiri præfatus prior Martinus obedientiam pariter & humilitatem ipsius, injunxit ei officium pastoris, ut pasceret gregem; nondum enim fratres habuerant grangiam, sed circa monasterium pecora eorum pascebantur. Quod quidem officium athleta Christi Dionysius momentanei honoris immemor, libens hanc obedientiam suscepit, & summa cum diligentia ac indefesse complevit. Contigit demum, quod ursus quidam de latebra exiens, quærens quem devoret, cepit terrere gregem & inquietare; quod prædictus frater Dionysius graviter ferens domino priori Martino intimavit. Qui ei, Spiritu-sancto instigante, tale dedit consilium: Cum idem ursus reversus fuerit, in virtute sanctæ obedientiæ ei præcipite, ut gregem pecoris sinat in pace. Magna vis virtutis obedientiæ & stupenda. Ursus revertitur, gregem adit, frater Dionysius consilii prioris memor audacter accedit, urso in virtute sanctæ obedientiæ mandat, ut gregem suum permittat illæsum. Quid plura? ursus hæc audiens stat attonitus, abire non valens. Quo viso frater abjecto procul timore propius accedit ad ursum, quem cingulo ligat, ad monasterium ducit, & fit ex fera indomita agnus mansuetus. Citantur fratres, mirantur, laudant Deum in Sanctis suis. Quod quidem miraculum frater Dionysius sanctitati prioris, prior vero humilitati & obedientiæ Dionysii adscribit. Tandem ursus libere abire permittitur, & ne ad terminos fratrum ultro veniat prohibetur. Hoc miraculo frater Dionysius animatus, cum esset adhuc novitius, hæreditatem cum fratribus suis uterinis dividens, villam Vesonam

 in

ANN. CHR. 1705.

in portionem suæ hæreditatis accepit, quam monasterio Lapidis-Refugii dedit perpetuo possidendam. Eodem Martino priore præsidente spectabilis dominus magister Kokos filius Rikolffi, frater Michaelis Frank ex familia, quæ nunc Berzevicziana nuncupatur, propter certum grave homicidium donare debuit villam Lechnicz, aliam pariter villam Haymburg in districtu Tarzen sitam, quam postea dedimus pro villa Coliz. Idem magister Kokos dederat fratri suo Michaeli Frank quamdam silvam ratione consanguinitatis in districtu Donaverz. Villam autem Lechnicz dedit pro fundatione monasterii circa fluvium Dunaverz, a qua monasterium nomen accepit, & ipse debet esse fundator monasterii illius, ubi præter hoc monasterium alia adhuc quinque fundasse debuisse liquet ex certo instrumento. Anno M. CCC. XXVIII. præfuit Johannes prior; ipse fecit concambium, dando villam Haymburg pro villa Koltsra. Huic successit alter Johannes anno M. CCC. XL. cui successit pater Hervonus M. CCC. LXVI. Anno M. CCC. XCVI. præfuit pater Petrus; tempore illius reverendissimus in Christo pater Ladislaus filius Michaelis Frank episcopus Vernensis fautor magnus ordinis nostri, benefactor hujus domus ipse ædificavit Gallilæam, sive ambitum superiorem circa ecclesiam, sicut patet in sigillo suo sculpto in testudine. Ædificavit etiam cellam super cellam sacristiæ, & ibi frequenter mansit ex devotione, dedit etiam casulas & plura alia, & tandem cum consensu fratrum suorum uterinorum, qui omnes fere erant beneficiati, dedit monasterio Lapidis-Refugii omnem hæreditatem suam paternam, videlicet villam Amozd falvam, aliam Zofzim vocatam, villam Frankenau, mediam partem villæ Rokuse, & etiam nobilem partem in villa Farkassi cum omnibus attinentiis suis, ad quas possessiones introducti sumus more patriæ, & installati. Anno M. CCCC. X. præfuit pater Michael, qui emit villam Scriptoris, quam modo tenent & colunt coloni de Soles. Anno M. CCCC. XII. præfuit pater venerabilis Salomon, cui successit pater Nicolaus anno M. CCCC. XVI. Præsidente Michaele monasterium Lapidis-Refugii spoliatum ac combustum est per Hussitas, fratres vero dispersi ad alia monasteria. Post combustionem & desolationem tam miserabilem canticum Domini, & officium Divinum longo tempore conticuere, intantum, quod propter longiturnitatem desolationis supra murum & supra testudines tarantulæ excrevissent. Sed nondum statim finis. Nam quemadmodum Dominus Deus hanc vineam suam alteri agricolæ commendasset, videlicet domno Johanni Monezer, qui oriundus erat de Errite Freismark, videlicet anno M. CCCC. LIV. & summo studio restaurare vellet domum Domini, & fecisset jam novam viam ad montem, qua itur de grangia ad Lapidem-Refugii; ante enim cogebantur ascendere per viam aliam, & postquam quasdam structuras perfecisset, en altera vice homines pestiferi, videlicet Hisgro cum complicibus suis Bohemis ad provinciam intraverunt, qui denuo inceperunt inimicos facere, homines deprædari & molestare, a quibus fratres Cartusienses incommoda perpessi sunt in tantum, ut sacrum hunc locum Lapidis-Refugii perpetuo extinguere ac desolare decreverint, aliquoties enim habitu detracto ordinis spoliati sunt. Præfatus igitur pater Johannes Monezer, obtenta licentia a capitolio generali, & a regia majestate, cum adjutorio Dei ac bonorum hominum manus adjutrices porrigentium, novam plantationem fratribus Cartusiensibus in civitate Leursa cepit erigere, & obtinuit, ut eisdem civibus in illo loco, in quo illud novum claustrum construeretur, aliqua summa in censu annuali defalcaretur. Eo tempore dominus Christianus plebanus in villa Menhardi emit pro substentatione fratrum circa Leuzsoviam quosdam agros & tres vineas. Sed postquam omnipotens Deus tenet pacem, præfati fratres Cartusien-

tusienses reversi sunt in locum pristinum, eligentes, ac sperantes quietius in solitudine quam in urbibus Deo servire. Huic priori successit domnus Thomas monachus professus in Demonico, qui antea fuit prior in Aizpacb, & non supervixit annum, & mortuus est. Eodem anno videlicet M. CCCC. LXIII. *electus fuit in priorem domnus Gabriel de Privulo Dominarum, alias de Nova-Civitate oriundus, monachus professus & vicarius in Eveld. Sub isto priore videlicet anno* M. CCCC. LXX. Hic explicit imperfectum chronicon hujus Cartusiæ ad nos transmissum, vel potius nonnisi superiora ad nostras manus devenere.

Sed Cartusiensem ordinem ibidem perseverasse usque ad annum 1568. asserit idem pater Basilius du-Vergius eremita, qui hæc subdit: „ Postmodum injuria temporum & præcipue metu, late procedentibus Turcicis victoriis, ac invalescente & dominante Lutheranismo, nec non multifariis aliis calamitatibus sponte idem monasterium, ac alia tria, quæ in hoc regno apostolico possederunt, cum omnibus bonis deseruerunt. Illam ergo Cartusiam seu monasterium Lechnitz nuncupatum avida secularium concupiscentia pro se usurpavit; inter quos post abitum eorumdem sanctorum patrum primus violentus occupator, non tamen diuturnus possessor comes Stephanus Tokcly senior professione Lutheranus, & illo tempore præcipuus magnas hujus comitatus, uti & Arvensis, fuisse traditur, quod etiam videtur verisimile; nam transumptum venerabilis capituli Scepusiensis, ubi de Frankova & Frankorka anno M. DC. XXVIII. sub 94. testium examine attestationes inveniuntur, primus testis clarissime confessus fuisse animadvertitur, se scire post reverendorum patrum Cartusianorum desertionem fuisse dominum & possessorem dominum comitem Stephanum Tokcly, & post hunc anno circiter M. D. LXXVII. successisse Sigismundum comitem Rakoczy de Felso Vadasz, perdurasseque usque ad annum M. DC. XII. Ab hoc deinde in anno eodem cum consensu fisci regii emisse bona claustri Lechnitz Georgium Horvath liberum baronem de Palocsa in florenis Hungaricalibus 35000. sub quo hæc bona magnam jacturam habuerunt, videns enim se actualem possessorem claustri Lechnicz multas partes territoriorum claustri ad sua arcensia incorporavit, & via facti adjunxit, ex qua ratione postmodum semper & usque ad præsens mutilata territoria litibus perpetuis obnoxia sunt & erunt, hic dominus Baro omnium fere litigiorum causa fuit, & pro tali haberi debet omne in ævum.

„ Post Georgium Horvath possessor Claustri Lechnicz & ejusdem bonorum fuit dominus comes Paulus Rakoczy, qui cum consensu Ferdinandi II. imperatoris & regis Hungariæ pro se & posteritate sua eadem bona ab eodem Horvath de Palocsa redemit in prænotata summa florenorum 35000. Anno M. DC. XXV. usuavit eadem bona sibi tam solus, quam ejusdem filius Ladislaus, ac hujus filia Elisabetha, quæ postea nupsit comiti Georgio Erdochy, manseruntque hæc bona penes eorum manus usque ad annum M. DC. XCIX. quo tempore cogitans excellentissimus ac reverendissimus dominus Ladislaus Mattyasowscki pro tunc episcopus Nitriensis, & ejusdem nominis perpetuus supremus comes, nec non regni cancellarius de aliquo bono spirituali redimendo, occurrit eidem existere in hoc comitatu Scepusii Cartusiam in manibus Elisabethæ natæ comitissæ Rakoczy, nuptæ vero comiti Erdochyano, eamdemque usuare ejusdem claustri bona spiritualia; eo usque posse, donec aliqua ecclesiastica sive spiritualis per-

ANN. CHR. 1705.

„ ſona eadem reluere velit; notitia hac præexiſtente præfatam comitiſ-
„ ſam ab omnibus bonis Clauſtri liquido depuravit, & quoad vixit,
„ ſuis uſibus applicavit, numerata eidem pecunia toties memorata, vi-
„ delicet florenis 35000. & ſic hæc bona videntur in manibus laicorum
„ ultra annis 131. ſi non ultra, nam genuinum annum exitus Cartu-
„ ſienſium ab hac Cartuſia nemo me exacte informare potuit, licet nec
„ ego ab hoc calculo ſuperius dato multum aberraſſe mihi videar. “

„ In uſu itaque jam conſtitutus, omniumque bonorum Clauſtri Le-
„ chnicz excellentiſſimus epiſcopus Mattyaſowscki, primas aſſumpſit
„ curas, ut avulſa a Clauſtro connecteret, & disjuncta redintegraret;
„ quia tamen ſub Georgio Horvath adeo convulſa territoria fuerant,
„ non cum illa energia ſtabilire ſejuncta potuit territoria epiſcopus, uti
„ deſiderabat; & obex fuit malevolorum comitaneorum Kuruczonibus
„ tunc jam ſcintillantibus & frementibus adhæſio, qui eſto fundatoris
„ prærogativam noſcerent & ſcirent & ſe per proceſſum protonotaria-
„ lem viderent convictos, creſcentibus turbis Franciſci principis Ra-
„ koczy, nihili ſuam convictionem reputarunt; quin nova ſemper cu-
„ dentes, bonorum proventus etiam exſugebant, & furtis ac rapinis,
„ creſcentibus turbis Kuruczonicis pecora, & quod violentia eorum pa-
„ trare potuit, abripiebant, exſugillantes, quod cancellarius his opus
„ non haberet. Hæc & alia, quæ brevitatis gratia omitto, ſacrilegi
„ prædones committebant in hoc Clauſtrum ſcelera, duravitque hæc
„ ſævitia longe ultra mortem piiſſimi fundatoris noſtri, immo poſtea
„ quam jam nobis teſtamentaria diſpoſitio innotuiſſet anno M.DCC.V.
„ die ſeptima martii. Ad poſſeſſionem & apprehenſionem bonorum ob
„ continuos tumultus Rakoczyanos intrare nequivimus, donec ſecurio-
„ res paſſus anno M.DCC.IX. adaperti fuiſſent, & tunc pulſis rebelli-
„ bus & ſatis jam mortificatis, non tamen plenarie extinctis, ex com-
„ miſſione venerabilis tribunalis noſtri Italici pro primis occupationibus
„ deputati fuerunt A. R. P. domnus Johannes Morelli prior ſancti Jo-
„ ſephi ſupra Viennam, & domnus Emericus Szilleſsy Hungarus nati-
„ vus ejuſdem ſocius, qui eo fine præcipue miſſi ſunt, ut viderent,
„ utrum ne juxta præſcriptum conſtitutionum noſtrarum locus requiſi-
„ ta haberet, & ſimul ut ejus proventus inveſtigando ſufficientes repe-
„ rirentur pro alendis eremitis. “ Sed de his ad annum 1709. & ſe-
quentes. Ceterum piiſſimus epiſcopus Mattyaſowscki, qui quarta no-
vembris anni 1704. ſuas teſtamentarias tabulas confecerat, & confirma-
verat die VII. martii anni 1705. hoc ipſo anno menſe majo poſt diu-
tinam infirmitatem ad Deum tranſiit, relictis executoribus ſuæ volun-
tatis, & præſertim circa fundationem novæ eremi, quæ, ut mox in-
nuimus, aliquibus annis dilata eſt, dum interim eremitæ Viennenſes op-
portuna requirerent remedia pro ineunda legatorum bonorum poſſeſſione.

X. Coronatio B. Virginis Uranenſis.

URGENTIBUS Rodulpho Miſſirolio epiſcopo Britonorienſi, & ab-
bate Hiacyntho Aſcevolinio, olim præpoſito cathedralis Britonorienſis,
tunc vero aulico nobili cardinalis Spadæ, ſub Vitale Aſcevolinio ejus ne-
pote abbate ſanctæ Mariæ de Urano, coronata fuit ab eodem epiſco-
po die nona auguſti imago beatæ Mariæ Virginis de Lacu, delegante
capitulo ſancti Petri almæ Urbis, quod coronas aureas tranſmiſit, in
quibus expreſſa erant hæc verba: *Reverendiſſimum capitulum ſancti Pe-
tri de Urbe hanc auream Coronam ex legato illuſtriſſimi domini comitis
Alexandri Sfortiæ beatæ Virgini donavit anno* M.DCC.IV. Peractaſfuit ſol-
lemnis coronatio die nona auguſti, delata ſacra imagine ex ſua eccle-
ſia

sia die antecedenti ad abbatiam Uranensem, ipsa vero die ad cathedralem Britonoriensem, unde postea prius ad abbatialem, inde ad suam iterum ecclesiam relata fuit tertia die. Extat fidelis relatio typis edita Cæsenæ hoc anno, dicata cardinali Marcello Duratio Æmiliæ legato.

ANN. CHR. 1705.

Attestatio Petri a Fabriano Majoris, Prosdocimi a Venetiis, & Bonifacii-mariæ a Neapoli visitatorum Coronensium de Augustino ab Aversa eremita Coronensi. *Universis & singulis præsentes nostras literas visuris notum facimus & in Domino testamur, R. P. D. Augustinum ab Aversa &c.* ut diximus ad annum 1695. & deinde subdunt: *In patriam postea reversus, & procurator generalis Neapolitanus effectus explevit in eo munere tres annos & ultra; postmodum prior Turris octavæ renuntiatus est, inde ad prioratum Vici-equensis se contulit; sed uno anno elapso in dicto munere ob nimium amorem & fidelitatem erga piissimam & augustissimam domum Austriacam a regiis ministris exul extra regnum mittitur. Qua de causa Romam petiit, & Ultramontanæ provinciæ visitator assignatus fuit. Sed gliscentibus undique bellis, concurrentibusque etiam cujusdam principis gravibus minis, ne Ultramontana loca peteret, comprocurator generalis in Curia declaratus fuit in generali dieta habita mense majo proxime elapso, ibique dictum munus laudabiliter exercet tanquam veræ obedientiæ filius. Cum itaque ob res bene gestas præclare de nostra religione meritum certe sciamus, tenore præsentium testamur &c. Romæ die* XXVII. *decembris* 1705. Idem Augustinus anno sexagesimo-primo religionis, & proinde octuagenarius scripsit vitas piorum eremitarum præsertim regni Neapolitani, ex cujus lucubrationibus memorias eorumdem eremitarum derivavimus in hos Annales. Supervixit post annum 1743.

ANN. CHR. 1706.

VI. Translatio reliquiarum S. Severi ep. Ravennam.

PETRUS Cannetus abbas unitorum monasteriorum sancti Apollinaris & sancti Severi de Classe Ravennæ, & monachi Classenses quammaxime dolentes urbem Ravennam, cujus episcopale fastigium cum vitæ sanctitate conjunxerat sanctus Severus, privari ab octo seculis pretioso thesauro ejus sacri corporis, quod nono ecclesiæ seculo furtim asportatum fuerat in Germaniam, atque in votis habentes benemereri de Ravennatibus piis civibus, reductione insignis saltem portionis ejusdem sancti viri, sequentes supplices epistolas scripserunt præsenti anno electori archiepiscopo Moguntino, & capitulo ecclesiæ Erfurtensis, in qua sacra Severi lipsana ab eo tempore quiescebant.

Eminentissimo & reverendissimo principi, celsissimo ac domino domino Lothario-francisco ecclesiæ Moguntinæ archiepiscopo S. R. I. per Germaniam archi-cancellario, ac principi electori, episcopo Bambergensi, principi ac domino nostro gratiosissimo. Eminentissime ac reverendissime princeps Celsissime. Acerbæ nimium, quam diuturno prope novem seculorum spatio ægre ferimus, orbitatis impatientes, nostra tandem vota precesque humillimas eminentissimæ Celsitudini vestræ sistere audemus in eam spem adducti, ut quam beatissimæ isti regioni vestræ Deus Opt. Max. felicitatem pleno alveo indulsit, eam in nos etiam exiguo veluti rivulo effundere non dedignetur. Auget equidem orbitatis nostræ pondus, quæ mala omnia levare solet, ipsa longævi temporis mora; & refricato vulnere nobis refert vetustissimum ac celeberrimum, quod obtinemus, Severianum monasterium longe pretiosissimo thesauro imminutum, corpore scilicet sancti Severi hujusce urbis archiepiscopi & confessoris, Cum etenim ad præstantius divini cultus incrementum amplissima divi Apollinaris ac divi Severi cœnobia in Classensi olim regione sita, mox, ut ajunt, invicem unita nobis, nostræ-

que

ANN. CHR. 1706.

que Camaldulensi familiæ cesserint; hinc uberrima sane spiritualis gaudii seges ex intemerato, qui apud nos est, Apollinaris tumulo exsurgit; inde perenne luctus argumentum referunt sacra Severi lipsana, quibus durum est carere. Quæ idcirco commemorare libet, non ut supremum divinæ providentiæ consilium, quod tantum florentissimæ provinciæ vestræ thesaurum concessit, trahere malimus in invidiam; verum ut sacri ipsius thesauri æstimationem apud nos maximam, maximumque, quo in dies magis magisque ardemus, desiderium aperiamus. Immo quoniam altiori consilio illum transferri placuit, gratulamur ex animo tantam sanctissimæ ecclesiæ vestræ contigisse felicitatem. Enim vero, si nullum firmius propugnaculum habent regiones populique, quo sartam tectam tueantur libertatem, quam veneranda sanctorum hominum cadavera, ubinam gentium aptiori loco sacræ divi Severi reliquiæ, quam in hac vestra archi-diœcesi erant collocandæ? nimirum supremo Germaniæ pontifici, maximoque novemvirum, quibus eligendi imperatoris jus est, principi credendus fuerat vel mortuus acerrimus catholicæ religionis vindex, & invictus hæreticæ pravitatis oppugnator Severus archiepiscopus; ut conjunctis cum Moguntino archipræsule consiliis & viribus contra Lutheranam hæresim, inviolatam Romanæ ejusque primigeniæ fidei veritatem cominus tueatur. Gratulamur itaque demandatam eminentissimæ Celsitudini vestræ pretiosi adeo thesauri in Erfordiensi templo custodiam, quam profecto non ambigimus majori fore ac præsentiori Christianæ reipublicæ emolumento. Verum hæc tanta vestræ ac publicæ tutelæ momenta non ita vota nostra obtundunt, quin spectabilem aliquam sacri corporis partem magis magisque expetamus. Quamobrem supplices eminentissimam Celsitudinem vestram humillima obsequentis animi demissione rogamus, ut e sacris Erfordiensibus sancti Severi Ravennæ archiepiscopi, & confessoris reliquiis nobis, & monasterio nostro pro summa vestra clementia insignem aliquam pretiosi corporis partem donare dignetur, ut ea nostro in sacrario cetera inter sanctiora lipsana perpetuo servetur, certisque diebus publico fidelium cultui exponatur. Nobis etenim certo constat venerandum adeo munus nedum spirituale nobis solatium, verum incredibilem quoque toti huic urbi lætitiam allaturum, quæ redivivum veluti & longo postliminio ad suos revertentem e Germania Severum excipiet. Ita piissimæ beneficentiæ vestræ monumentum nostra & Ravennatum memoria nunquam excidet, sed una cum sanctissimi Severi cultu gratus in eminentissimam Celsitudinem vestram animus semper vigebit. Quæ dum obtinere certo certius confidimus, fausta omnia pontificio zelo vestro, vestroque potentissimo gladio, quibus Phinees alter inclytæ nationi Germanicæ prælucet eminentia vestra, a Deo Opt. Max. precamur. Ravennæ in Classensi monasterio v. idus majas anno 1706. Eminentissimæ Celsitudinis vestræ Humillimi ac obsequentissimi clientes D. Petrus Cannetus abbas, ac monachi monasterii SS. Apollinaris & Severi in Classe ordinis S. Benedicti congregationis Camaldulensis.

Altera ad capitulum Erfurtense.

Admodum reverendis, perillustribus, clarissimis doctissimisque dominis dominis decano, scholastico, cantori & seniori, reliquisque insignis ecclesiæ collegiatæ ad sanctum Severum canonicis capitularibus Erfurti.

Admodum reverendi, perillustres, clarissimi, doctissimi Domini. Quoniam suprema Dei providentia factum est, ut nongentis prope ab hinc annis ex hoc vetustissimo sancti Severi monasterio ad insignem istam ecclesiam vestram Otgarius Moguntinus archiepiscopus ejusdem sancti Severi corpus transtulerit; quo ex tempore perpetuum viguit apud Ravennates, & præ-

& praesertim apud praedecessores nostros desiderium sacras ipsius reliquias propius colendi; dominationes vestras perillustres & admodum reverendas idcirco rogamus, ut ad spirituale nostrum ac antiquae hujusce urbis solatium, & quod caput est, ad sanctissimi archiepiscopi & confessoris Severi cultum in dies augendum nobis nostroque monasterio insignem aliquam ejusdem reliquiam concedere dignemini, una cum authentico ipsius concessionis documento, inter sanctiora lipsana perpetuis futuris temporibus in sacrario nostro servandam, nec non certis diebus publicae fidelium adorationi exponendam. Quod si tanto a vobis munere, prout certo confidimus, donari contigerit, perenne apud nos & urbem hanc grati animi monumentum manebit. Interim manus vestras in devoti animi significationem osculamur. Ravennae in monasterio Classensi v. idus majas anno 1706. Dominationum vestrarum perillustrium adm. reverendarum addictissimi oratores D. Petrus Cannetus abbas & monachi monasterii sanctorum Apollinaris & Severi in Classe ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensis.

Dignatus est archiepiscopus Moguntinus sequentes rescribere: *Abbati & conventui monasterii sanctorum Apollinaris & Severi ordinis sancti Benedicti in Classe Ravennae. Lotharius-franciscus Dei gratia archiepiscopus Moguntinus S. R. I. per Germaniam archi-cancellarius, & princeps Elector, episcopus Bambergensis. Venerabili ac religioso, devotis Nobis sincere dilectis salutem in Domino. Ex vestris ad nos non ita pridem sub quinto idus maji anni currentis ad nos datis uberius perspeximus, quam acerbo animo orbitatem sacrarum sancti Severi, vestri olim archiepiscopi, reliquiarum ante multa jam secula ad Erfordiensem titularem ejusdem Sancti ecclesiam nostram translatarum feratis, ferventissimoque ardeatis desiderio earumdem aliqua insigni parte potiundi, vobis, omnibusque in non modo maximum solamen, verum etiam haud exiguam spiritualis gaudii segetem, exinde ominantes certoque certius promittentes. Nos igitur omnipotentis Dei majori gloriae, Sanctorumque ejus venerationi, quantum in nobis est, semper magis magisque ampliandae intenti, ad commendationem desuper a domini episcopi Osnaburgensis dilectione nobis factam, vestrasque humiles preces intentionemque sanctam respicientes, considerantesque, quod quemadmodum non sine speciali divini numinis inscrutabili judicio sacra haec lipsana nobis & dictae ecclesiae nostrae Erfurtensi obvenere, ita inter tot bellorum maxime in eadem urbe nostra ab haereticis Sanctorum venerationi infestissimis excitatos tumultus, spoliatis saepius tunc sacrariis, & effusis reliquiis, hae sacrae reliquiae eadem divina providentia miraculose quasi dubio procul intemeratae conservataeque fuere, ut iisdem postliminio ad sedem suam archiepiscopalem pro parte reversis major cultus & veneratio deberetur & exhiberetur; hisce moti nostro Erfurti residenti suffraganeo Jacobo episcopo Verensi quantocius clementer mandavimus, quatenus ex saepius memoratis reliquiis quatuor ossa, utpote post sanctum caput, majores & insigniores partes, levaret, easdemque signatas ad nostras trasmitteret manus, quae non ita pridem taliter obtenta vobis ex specialis munificentiae nostrae dono consignavimus, & in capsa holoserico rubro vestita, dictique nostri suffraganei sigillo undique munita, accluso ab eodem desuper confecto authentico instrumento in ulteriore scriniolo nostro sigillo pariter custodito ad nostrum Venetiae residentem Mathiam-ferdinandum Rigatschnig direximus, eidemque mandavimus, ut quamprimum ibidem sacra haec advenerint, ipse ejusdem vobis faciat notitiam, vos vero eidem ex tunc commodam suggeratis occasionem, qua securius sacra haec ossa ad vos perve-*

pervenire, & digne excipi valeant. Confidentes præterea, quod erga elargitum vobis hujusmodi thesaurum, & exhibitæ clementiæ nostræ tesseram, nostri, ecclesiæque nobis commissæ in precibus vestris memoriam sitis habituri perennem, vos interea gratia nostra archiepiscopali benigne complectentes. Dabantur hæ Moguntiæ in residentia nostra archiepiscopali XXXI. *julii* 1706.

Lotharius Franciscus archiepiscopus Moguntinus episcopus Bambergensis.

Eadem die has dedit principi Carolo Lotharingo episcopo Osnaburgensi. *Nullatenus dubitamus, quin dilectio vestra responsorias nostras de* XVIII. *junii bene perceperit, & ex contentis earumdem plenius cognoverit, quodnam ex consideratione recommendationis dilectionis vestræ ad obtinendam aliquam corporis partem sancti Severi pro monasterio sanctorum Apollinaris & Severi Ravennæ mandatum civitati nostræ Erfordiensi dederimus. Cum vero paucis ante diebus a nostro ibi subsistente suffraganeo secundum jussa nostra, quatuor insignes partes ossium principaliorum corporis sancti Severi, cistulæ inclusæ, ipsiusque sigillo munitæ, nobis transmissæ fuerint, nos quoque ordinaverimus, ut prædictæ reliquiæ aliæ adhuc cistæ includantur, & proxime data occasione Norimberga ad nostrum Venetiis commorantem consiliarium & residentem Mathiam-Ferdinandum Rigatschnigium secure advehantur, inde autem ad præfatum monasterium bona cum occasione Ravennam adductæ, omni qua par est, decentia suscipiantur. Partium nostrarum de hoc dilectionem vestram certiorem reddere esse duximus, & permanemus. Moguntiæ* XXXI. *julii* 1706.

Ante mensem in hanc formam responderant canonici Erfurtenses: *Reverendissimo & amplissimo domino Petro Canneto monasterii sanctorum Apollinaris & Severi in Classe ordinis sancti Benedicti abbati dignissimo, ut & reliquis dicti monasterii admodum reverendis & religiosis patribus dominis nostris observandissimis Ravennæ. Reverendissime ac amplissime domine abbas; admodum reverendi religiosi patres. Pervenit ad nos scriptio vestra, qua significastis ardens desiderium adorandi propinquius has reliquias beatissimi Ravennatensium archipræsulis Severi, quas, ut pariter Annales nostri nos docent, ex monasterio vestro primum Ticinum, post ab Otgario Moguntinensi archiepiscopo Moguntiam, indeque Erfurtum ad ecclesiam nostram, tunc divo Paulo sacram, translatas religiosissime hic colimus, rogatisque, quatenus insignem aliquam eorum partem vobis elargiremur. Cum vero nulla pene major animis nostris sollicitudo insideat, quam ut omnem impendamus operam, quo magis sancti hujus archipræsulis honor debite promoveatur & excrescat, eoque nos incitet non modo majorum nostrorum zelosissima pietas, qua sanctas hasce reliquias multorum seculorum magnifico cultu sunt venerati, quaque basilicam hanc nostram pretio ac structura splendidissimam ejus sancto nomini extruxerunt, & dedicarunt, sed debita etiam gratitudo impellat, dum post tot discrimina & hæresum indeque resultantium plurium bellorum periculosissimos fluctus, quibus compluries insignis hæc collegiata ecclesia nostra jamjam videbatur absorbenda, vel absorpta emerserit, sanctique tutelaris sui patrocinio steterit inconcussa florensque. Arbitremur autem & confidamus in Domino concessionem insignis alicujus reliquiæ velut donum pretiosissimum a vobis atque universo antiquissimæ urbis populo, ejus quondam grege, maxima pietate excipiendam colendamque, atque exinde beatissimi archiepiscopi vestri, & patroni nostri honorem quamplurimum fore augendum: insuper ad elargitionem tanti muneris commendatitiæ literæ serenissimi Lotharingiæ ducis & episcopi Osnaburgensis domini nobis clementissimi nos exhortentur;*

tur; hinc est, quod precibus vestris deferre existimemus congruum omnino & expediens; Quia tamen illa negotii est arduitas, ut sola auctoritate nostra id facere non præsumamus, rem totam ad eminentissimum archiepiscopum nostrum detulimus, expectantes nunc eminentiæ suæ clementissimam ordinationem, quam ad vota vestra futura sicut arbitramur, ita non omittemus de eadem, quamprimum ad nos fuerit transmissa, vos reddere certiores, qui interea precibus vestris nos commendamus, vosque obsequiose reveremur. Erfurti kalendis julii anno 1706. *Reverendissimi ac amplissimi domini abbatis, ut & admodum reverendorum & religiosorum patrum addictissimi Decanus, Scholasticus, Cantor & Senior, totumque, capitulum ecclesiæ collegiatæ sancti Severi.*

Mathias-ferdinandus Rigatschnig die XIV. augusti significavit abbati Classensi Petro Canneto, per viam Norimbergæ directam fuisse capsam reliquiarum sancti Severi, ad se transmissam ab eminentissimo suo domino archiepiscopo Moguntino; verum hæc Venetias non pervenit nisi die duodecima februarii anni sequentis. Duos monachos Venetias ex Classe miserat abbas Cannetus, qui sacras reliquias devotissime susciperent, sed retardato earum appulsu, scripserat consignandas ipsas abbati sancti Michaelis; demum præfata die duodecima februarii residens electoris eas Ravennam devehendas per viam Bononiæ direxit ad Georgium-angelum Mazzottum abbatem sancti Damiani Bononiæ. Causam retardationis aperit in alia epistola sua eminentissimus archiepiscopus Moguntinus ad eumdem abbatem Cannetum his verbis: *Admodum reverende pater. Desideratas sancti Severi episcopi reliquias jam ante aliquot menses reverendæ paternitati vestræ transmisissemus, nisi securæ occasionis, cui concrederentur, defectus easdem detinuisset. Mittimus nunc insignem de sacris illis lipsanis partem eo liberalius, quo securius confidimus pientissimam, qua Germania magnum hunc Dei famulum prosequitur, venerationem in illis quoque Italiæ partibus non solum adaugendam, sed & reverendam paternitatem vestram ejusdemque conventum in devotis suis, quas Sancto huic fundent, precibus nostri quoque ac archi-diœceseos nostræ memoriam fore adjuncturos; præcisam sacri corporis partem patentes literæ nostri per Thuringiam & Eichsfeldiam suffraganei interiori scrinio inclusæ edocebunt. Dumque reverendam paternitatem vestram cum religiosa sua familia divinæ protectioni, nos vero quotidianis ejusdem precibus recommendamus, manemus. Reverendæ paternitatis vestræ bene affectionatus Lotharius-franciscus archiepiscopus Moguntinus episcopus Bambergensis. Bambergæ* XVII. *decembris* 1706. *Abbati monasterii ordinis sancti Benedicti Ravennæ.*

Sequitur recognitio reliquiarum & fides suffraganei episcopi.

Johannes-jacobus Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Verensis, eminentissimi ac reverendissimi principis ac domini domini Lotharii-francisci sanctæ sedis Moguntinæ archiepiscopi, S.R.I. per Germaniam archi-cancellarii, principis electoris, episcopi Bambergensis &c. in pontificalibus per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam vices gerens &c.

Universis & singulis has præsentes nostras literas inspecturis fidem indubiam facimus & attestamur, nos ad majorem Dei omnipotentis gloriam, & Sanctorum suorum venerationem, ex mandato antefatæ suæ Celsitudinis, ad instantiam & demisissimas preces domini abbatis & conventus monasterii sanctorum Apollinaris & Severi civitatis Ravennatis in Classe ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensis &c. ex insignis ecclesiæ collegiatæ sancti Severi episcopi & confessoris hic Erfurti Thurin-

ANN. CHR. 1706.

giæ metropolis ad archi-diœcesim Moguntinam spectantis, reliquiario quatuor ejusdem divi Severi ossa in sæpefatæ ecclesiæ Severianæ decani & infrascripti protonotarii aliorumque præsentiam extraxisse, eademque aurea ligula circumcincta, capsulæ foris & intus serico rubei coloris coopertæ, bene clausæ, nostroque sigillo parvo obsignatæ inclusisse; eidem domino abbati & monasterio prædicto, ut præfatas sacras divi Severi episcopi reliquias in sua conventuali aut in alia ecclesia publicæ fidelium venerationi exponere & collocare possint & valeant, harum serie licentiam in Domino concedentes & facultatem impartientes.

In quorum fidem præsentes manu propria subscriptas, nostroque sigillo majori firmatas per infrascriptum protonotarium expediri jussimus. Datum Erfurti die XV. *mensis julii anno salutis millesimo septingentesimo-sexto. J. J. episcopus Verensis suffraganeus Erfurtensis. Johannes-paulus Solff protonotarius apostolicus collegiatæ ecclesiæ beatæ Mariæ Virginis Scholasticus canonicus capitularis & parochus.*

Accepto sacrarum reliquiarum thesauro Cannetus abbas non omisit Ravennæ operam dare, ut in curia archiepiscopali recognoscerentur, & notariale super iis instrumentum conficeretur, quod est hujusmodi:

In Dei nomine amen. Anno millesimo-septingentesimo septimo indictione Romana decima-quinta, sedente sanctissimo domino nostro Clemente XI. divina providentia summo pontifice anno ejus septimo currente, & die decima-septima mensis martii.

Cunctis ubique pateat, ac notum sit hoc præsenti publico instrumento ad perpetuam posterorum memoriam confecto, qualiter inter alias civitates a primis seculis mundi constructas connumeratur hæc antiquissima civitas Ravennæ, quæ adhuc talis promulgatur ex vetustate tantorum ejus ædificiorum, & ex memorabilibus honoribus, quibus tandiu lætata fuit, uti sedes imperatorum, regum, exarcharum pluriumque aliorum principum, immo etiam metropolis provinciarum Æmiliæ & Flaminiæ cum omnibus earum civitatibus, terris & oppidis ejus ditioni subjectis & ab eminentissimis illius a latere legatis suavi jugo rectis. Est illa etiam in spiritualibus metropolis, cujus illustrissimo ac reverendissimo domino archiepiscopo & principi undecim dictarum & aliarum provinciarum episcopi suffraganei subjiciuntur, cum aliis diversis insignibus, jurisdictionalibus abbatiis; & eo magis rutilat ex Dei inennarrabilibus prodigiis ei speciose elargitis, nempe per tot constantissimos sanctos martyres, confessores, ecclesiæ doctores, sacrarum religionum fundatores, & virgines in martyrologio Romano distincte adnotatos, & tandem, uti plus aliis civitatibus mundi a Deo dilecta ob speciosissimum donum adventus Spiritus-sancti e cœlo ad eligendos visibiliter undecim illius præsules, quorum ultimus fuit beatissimus Severus de humili ad tam sublimem gradum elevatus, qui post sexaginta-quatuor annos, quibus vixit in pastorali ecclesiæ & populi attento regimine, ætate & laboribus effœtus ea sanctitate, qua vixit, ad cœlestem patriam evolavit, cujus sanctissimum corpus cum aliis Vincentiæ conjugis, & Innocentiæ filiæ ab Otgario archiepiscopo Moguntiæ tunc temporis archiepiscopo ad ejus Moguntinam diœcesim asportatum, & in Erfordiensi templo cum dictis aliis Sanctis duobus corporibus honorifice locatum, ubi a me notario in meo Europæ voluntario itinere, & per dictam Erfordiensem urbem transeundo de anno 1686. die vigesima-sexta octobris, occasione solemnitatis ipsius translationis veneratum, non tamen sine intimi cordis dolore, eo quod illac vidi tantum parvos canonicos sacerdotes, cum reliqui omnes illius urbis sint hæreticæ pravitatis Lutheri cultores. Ne igitur hæc

met

met civitas diutius vacet pretiosissimis reliquiis dicti sanctissimi sui pastoris, Deo omnipotente inspirante, reverendissimo, pio ac doctissimo patre domno Petro Canneto hodierno monasterii venerabilis abbatiæ Classis hujus civitatis dignissimo abbate cum omnibus aliis ejus admodum reverendis dominis monachis insignis congregationis Camaldulensis studiose eas reiteratis precibus apud Celsissimum & reverendissimum dominum dominum Lotharium hodie Moguntiæ archiepiscopum & sacri Romani imperii principem Electoralem humiliter porrectis infrascripta sacra ossa dicti sancti Severi impetrata fuere, dictisque reverendissimo patri domino abbati & monachis gratioso dono concessa, & de ejus ordine Ravennam per illustrissimum & reverendissimum dominum . . . . . episcopum Verensem ejus in dicta civitate Erfordiæ suffraganeum transmissa. Quapropter hac præsenti die post prandium reverendissimus dominus Johannes-baptista Rubeus nobilis Ravennas, juris utriusque doctor, protonotarius apostolicus, sanctæ metropolitanæ ecclesiæ prædictæ canonicus, & illustrissimi ac reverendissimi domini domini Raymundi de comitibus Ferretis Dei & apostolicæ sedis gratia ejusdem sanctæ metropolitanæ ecclesiæ archiepiscopi & principis in spiritualibus & temporalibus vicarius generalis, ac judex ordinarius, una mecum notario se contulit ad monasterium dictæ venerabilis abbatiæ Classis, & ad sacristiam illius ecclesiæ progressus, ubi invento supradicto reverendissimo patre abbate cum omnibus aliis dominis suis monachis congregatis, qui habitibus pontificalibus indutus prævia trina thurificatione de more facta super quadam capsa drappo serico albo cooperta super altare ejusdem sacristiæ cum luminibus accensis posita illam propriis manibus sumendo detulit super tabulam decenter ibi ornatam, & inter quatuor candelas accensas ea, qua decet, reverentia coram dominatione sua reverendissima posuit & detexit, & visum fuit esse dictam capsam ex puro ligno factam bislongæ formæ, clodulis firmatam & bene clausam, quam dictus reverendissimus dominus aperiri mandavit, psalmos & versiculos cantu chorali dictis dominis admodum reverendis monachis interim alternantibus, in qua aliam similis formæ invenit tela coloris nigri delibuta coopertam funiculo albo ligatam duobus cum sigillis super rubram ceram Hispanam impressis munitam, nec non charta diversis coloribus picta circumdatam, cordulo serico rubri coloris colligatam, quinque sigillis in cera, ut supra, infixis sub tribus in cooperculo & duobus in fundo, eaque pariter aperta alia aliquantulum minor inventa fuit subsuta intus & extra, ut dicitur, di raso rosso di seta, cordulo serico rubri coloris bene ligata cum tribus sigillis parvis repræsentantibus brachium cum flore in manu tenens, stemmatis dicti illustrissimi & reverendissimi domini episcopi Verensis, ut supra, suffraganei, in ejusmodi cera Hispana impressis supra cooperculum, aliisque duobus in fundo similiter positis, eaque diligenter visa & observata, & illico aperta dominatio sua reverendissima intus illam invenit unum folium chartæ membranæ ms. incipiens: Johannes-jacobus &c. finiens manu propria &c. tenoris ut in eo & annexis &c. munitum in calce cum uno majore sigillo super charta alba & ostia impressum, & per admodum reverendum dominum domnum Florianum-mariam Amigonium lectorem & professum alta & intelligibili voce promulgatum; & successive in ipsamet capsa reperta fuere quatuor ossa, nempe unum totius femoris, unum tibiæ majoris, aliud fibulæ ejusdem tibiæ, & alterum nuncupatum os sive radius minor brachii sancti Severi episcopi, & prout asseruerunt in actu hujusmodi appositionis & recognitionis nobilis & excellens dominus doctor Jacobus Rubeus physicus, & perillustris & excellens dominus Ignatius de Vin-

ANN. CHR. 1706.

Vincentiis modo collegii excellentium dominorum medicorum Ravennæ protomedicus, ac perillustris & valde excellens dominus Johannes Montanarius a Bagnacaballo, & hujus civitatis publicus chirurgus, inibi adstantibus, ligata seu involuta, ut dicitur, con un galon d' oro, *& desuper munita cum aliis parvis tribus sigillis similibus, modo & forma, quibus supra impressis. Quæ sacra ossa per reverendissimum dominum bene ac diligenter inspecta, & rite ac canonice cum folio supradicto concordare reperta approbavit, & ab omnibus illic stantibus devote genibus flexis debitus honor ac veneratio præstita fuit, & in continenti facta eis thurificatione per dictum reverendissimum patrem abbatem, & in tono chorali dicto hymno* Te Deum laudamus, *quo immediate completo, per reverendissimum dominum vicarium prædictum in mei & testium infrascriptorum præsentia intus dictam tertiam capsulam illa remisit, & cordulo serico rubro in forma crucis ligavit, suoque parvo sigillo, de quo in margine, duobus in locis sive uno super cooperculo, & altero in fundo ejusdem capsulæ munivit, & in ipso loco dicto reverendissimo patri domino abbati consignavit, ad effectum asservandi &c. & donec provideatur de theca vel urna decenti pro illorum expositione ad publicam Christi-fidelium venerationem, ad Dei omnipotentis gloriam, & devotionem Sanctorum ejus augendam; & de prædictis omnibus mandavit per me &c. hoc publicum & authenticum fieri documentum ad perpetuam rei memoriam, ac ad omne alium bonum finem & effectum, & ut semper &c. super quibus &c. Tenor folii & attestationis supra asserti est adnexus. Actum Ravennæ, ut supra, præsentibus ibidem ultra plures alios, illustrissimis dominis doctore Jacobo de Rubeis, & Justiniano Monaldino nobilibus de Ravenna testibus.*

Pretiosum thesaurum sacrarum reliquiarum sancti Severi recepisse se admonuit amicos suos idem abbas Cannetus, & inter ceteros doctissimum abbatem Benedictum Bacchinium Casinensem monachum, qui eousque ex silentio Agnelli, & sancti Petri-Damiani dubitaverat, vel etiam negaverat in vita sancti Severi in adnotationibus ad Agnellum, de translationem factam ejus sacri corporis in Germaniam seculo nono, qui proinde opinionem suam mutavit, hæc anno 1708. scribens in Appendice ad eumdem Agnellum. „ Sancti Severi, & sanctarum Vincen„ tiæ & Innocentiæ corpora subrepta per clericum quemdam Felicem „ nomine ex Ravennati sacrario & Ticinum portata, indeque Mogun„ tiam ab Otgario archiepiscopo, qui eadem post aliquod tempus Er„ fordiam transtulit, narrat Liutolfus in superioribus laudatus. Nemini „ autem negotium creet Agnelli de re tam insigni silentium, qui non „ modo id narrare neglexerit, sed ita de sancto Severo egerit, ac si „ nullus dubitaverit corpus ejusdem Ravennæ se scribente servatum, „ cum narrat prodigium sua ætate ad ejusdem Sancti sepulcrum acci„ disse. Hæc, inquam, historiæ Liutolfianæ minime officiunt; nam licet „ Agnellus Pontificalis sui ultimas vitas scripserit circa annum vulgaris „ æræ 840. priores tamen usque ad Aurelianum exaravit ante annum „ 829. uti probavi in observationibus ad versus operi præfixos, obser„ vatione IV. in fine. Eo autem tempore nondum Otgarius in Italiam „ venerat a Ludovico imperatore missus ad filium Lotharium pro pace „ firmanda, cujus occasione Sanctorum corpora habuit in Germaniam „ mox transferenda. Baronius equidem Sigiberto Gemblacensi credidit „ translationem hujusmodi assignanti anno 824. & conjectatus est Ot„ garium Romam venisse cum Lothario ex patris mandato ad Euge„ nium pontificem se tunc conferente; verum hæc ea ratione ruunt,

„ quod

„ quod anno illo Otgarius nondum archiepiſcopus Moguntinus erat ,
„ vivente adhuc Aiſtulpho , qui anno ſequenti deceſſit. Præterea Liu-
„ tolfus diſerte tradit translata ſacra corpora ab Otgario , cum is a
„ Ludovico una cum Hildi Virdunenſe antiſtite & Guarino ac Adal-
„ giſo comitibus miſſus fuit ad Lotharium Ticini in Italia morantem
„ pro pace & amicitiis inter eos reparandis. Miſſio hujuſmodi ex An-
„ nalibus Bertinianis ſpectat ad annum 836. quo præcedentium annorum
„ diffidia inter Lotharium & Ludovicum componi poſſe viſa ſunt. Quæ
„ quidem cepta ab anno 830. anno 833. in luctuoſa bella eruperunt,
„ de quibus non eſt , ut plura congeram , cum in eorum temporum
„ hiſtoriis narrata proſtent . Anno igitur 836. translata ſunt corpora
„ ſanctorum Severi, Vincentiæ & Innocentiæ, conſentientibus Lamber-
„ to Schafnaburgenſe , & Siffrido presbytero , ac proinde ſeptem vel
„ octo ad minus annis poſt Agnelli vitam ſancti Severi ſcribentis tem-
„ pus. Nil itaque ejuſdem ſilentium veritati officit . Properante tan-
„ dem ad finem operis Agnelliani editione , opportune intelligo reve-
„ rendiſſimum patrem dominum Petrum Cannetum Claſſenſis monaſte-
„ rii abbatem pietate, eruditione ac humanitate ſpectatiſſimum, mihi-
„ que a multis annis amicitiarum jure conjunctum obtinuiſſe ab emi-
„ nentiſſimo principe archiepiſcopo & electore Moguntino inſignem ſa-
„ cri corporis ſancti Severi partem, qua quidem ſanctiſſimus Ravenna-
„ tis eccleſiæ præſul poſt tot ſecula reverti videtur ad ſuos . Nequeo
„ equidem , quin hic gratuler viro amiciſſimo pro obtento hujuſmodi
„ theſauro, Ravennatique eccleſiæ reddito , nec video , quid beneficii
„ inſignius potuiſſet eccleſiæ illi celeberrimæ fieri, apud quam ejus rei
„ memoriam æternum duraturam ſervandam iri certiſſime auguror. “

De ſollemni ſacrarum reliquiarum ſancti Severi expoſitione & ſolle-
mni tumulatione ad annum 1714.

XII. Monumenta piorum eremitarum.

Ex Baſilio Du-vergio ſubjicimus memoriam Viennenſis eremitæ „ Mo-
„ deſti Caccialupi nati ex prænobilibus Raphaele & Victoria Viennæ ,
„ qui in ſacro baptiſmate in cathedrali & metropolitana eccleſia ſancti
„ Stephani ſuſcepto patrinos habuiſſe gloriatur Leopoldum I. Romano-
„ rum imperatorem , & conjugem ejus Eleonoram , accepto Leopoldi
„ ſimul & Franciſci nomine . Anno 1680. ætatis XX. ad ſacram reli-
„ gionem ſuſceptus, & Modeſtus vocatus , ſequentis anni die XVI. ju-
„ nii profeſſus fuit , ordinatus vero in presbyterum a reverendiſſimo
„ D.D. Vincentio Caballo epiſcopo Britonorii Bononiæ 1685. XXVIII.
„ octobris; meruit eremum Viennenſem regere ſæpius ; viſitator quo-
„ que eremorum ordinatus , ac ſuperior in eremo ſancti Michaelis ad
„ Landſee , in cujus negotiis pertractandis Viennæ cum exiſteret , in
„ hoſpitio noſtro repentina morte evocatus ad Deum tranſiit anno Chri-
„ ſti 1706. ætatis XLVI. religionis XXVI. “

Sexta januarii quadrageſimo expleto religionis anno & ſeptuageſimo-quinto ætatis obiit Angelus a Marciano oppido Cluſentini oblatus Camaldulenſis, qui graviora ſemper & viliora domus miniſteria eligens, in iis obeundis hilaritatem ſolito majorem præſeferebat. De rebus cœleſtibus ſemper colloquebatur, & de vitis Sanctorum , quorum feſtum celebrabatur . Dæmon frequenter ipſi inſultabat, verbera & vulnera ei infligens, ut coronam Roſarii ab ejus manibus avelleret, quem invocatis nominibus Jeſu & Mariæ fugabat . Die antecedenti quinta januarii alter deceſſit oblatus Jacobus a Cetica octuaginta-ſeptem annorum; cum ceteros oblatos in Fonte-bono ſepelire mos eſſet , hic ſepultus fuit in

eccle-

Ann. Chr. 1706.

ecclesia eremi. Magno spiritus fervore Deo in omnibus gratias referebat, & loquebatur de Christi passione summa animi compunctione. Cecidit aliquando ex monte Prati-magni nive cooperto, ac crus sibi fregit, summa autem patientia duobus diebus & noctibus a nullo visus & adjutus ibidem consedit, donec a villicis inventus Camaldulum fuit deportatus.

Memorabile est apud Gallicanos eremitas nomen Romualdi Gilotez, qui nonagesimo-secundo ætatis suæ anno post labores, assiduamque pœnitentiam, recusatosque honores, & irremissum austerissimum vivendi genus ad Deum transiit hoc anno.

Monasterium cum ecclesia sanctæ Mariæ de Puteo-Stratæ Taurini, tormentario pulvere pene concussum, incommodam exinde præbuit monachis Camaldulensibus habitationem.

Ann. Chr. 1707.

XIII. Dissertationes Camaldul. editæ a Guidone Grandio.

Ediderat subsecivis horis, ac in publicum exire jussit hoc anno Lucæ typis Marescandolorum fratrum Guido Grandius monachus Camaldulensis, dicatas eminentissimo & reverendissimo principi Ferdinando de Abdua S. R. E. cardinali ordinis Camaldulensis protectori, *Dissertationes Camaldulenses*, in quibus agitur de *Institutione ordinis Camaldulensis; de Ætate sancti patris Romualdi; de Visione Scalæ ejusdem, & habitus prætensa mutatione; de sancti Petri Damiani & Avellanitarum instituto Camaldulensi;* adjicitur tertiæ dissertationi epistola Grandii ad Antonium Magliabechium regiæ celsitudinis magni ducis Etruriæ bibliothecarium. Ut de monacho isto, qui magnum sibi fecit nomen in orbe, aliqua dicamus, natus est Cremonæ anno 1671. ex nobili familia, ut probat Franciscus Arisius in Cremona Literata, productis in medium nobilium majorum monumentis, ex patre Ludovico, matre Catharina sorore Laurentii Legati insignis viri & scriptoris Musæi Cospiani; magistro autem usus est Johanne-baptista Canneto sacerdote seculari Cremonense, qui postea evadens monachus Classensis, discipulum invitavit ad monasticam togam, quam induit Guido anno 1687. in monasterio sancti Apollinaris Classis Ravennæ. Studia perfecit Grandius tum in eo Classensi monasterio, tum in Gregoriano Urbis, adeo ut anno 1694. fuerit destinatus ad legendam philosophiam in monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia. Interea vacabat mathematicis disciplinis sub Johanne-sebastiano Franchio; sed brevissimo tempore magistrum superans, totum se addixit marte suo iis studiis, itaut anno 1699. publicaverit Florentiæ *geometricam demonstrationem problematum Vivianeorum*, quam dicavit Cosmo III. magno duci Etruriæ, non longa hebdomadarum periodo confectam. Hæc problemata Etrusco idiomate anno 1692. cum sola determinatione prodierant, circa formationem ac dimensionem cujusvis regularis architectorum fornicis, exactumque tetragonismum infinitarum partium curvæ superficiei, tum sphæricæ novi admirandi fornicis veliformis Florentini, tum cilindricæ antiqui scaphiformis Romani; quæ Latina versione Italico textui adjuncta, variis notis & scholiis Grandius locupletavit, addita etiam appendice de geometrica quadratura infinitarum partium curvæ superficiei conicæ, variorumque fornicum ex iis compositorum. In notitiam Vincentii Viviani Galilæi discipuli, sed tunc mala valetudine affecti, venerat Grandius, quia hic extemporanee solverat difficultatem geometricam sibi propositam coram Magliabechio a dynasta Bodenhausen Saxone equite aulico, & in morali disciplina magistro Ferdinando principis; quare ipsius colloquium

avide

avide expetiit Vivianus. Anno sequenti 1700. ipse Magnus-dux Grandium honore cathedræ philosophiæ in universitate Pisana insignivit, ut literis gratulatus est eidem Henricus cardinalis Norisius. Anno 1701. *Hugenianorum theorematum demonstrationem* protulit in eadem Florentiæ urbe circa Logisticam seu Logarithmicam lineam, qua occasione plures geometricæ methodi exhibentur circa tangentes, quadraturas, centra gravitatis solida &c. variarum curvarum uti infinitarum parabolarum hyperbolarum, spiralium &c. aliæque geometricæ veritates illustrantur; addita epistola geometrica ad patrem Thomam Cevam S. J. Quam demonstrationem nuncupavit Ferdinando III. magno Etruriæ principi. Hæc iterum recusa fuit Amstælodami anno 1728. a Cl. V. Gravesand inter reliqua opera Hugenii. Anno 1703. Pisis edidit *Quadraturam circuli & hyperbolæ per infinitas hyperbolas & parabolas*; addita demonstratione dimensionis hyperbolæ per tractoriam, & de spatiorum variorum mensura & calculo differentiali; ad serenissimum principem Johannem-gastonem Mediceum tunc Pragensi in urbe Bohemiæ commorantem, ut liquet ex responsoria epistola ejusdem principis; quod opus auctius cum appendicibus Pisis prodiit anno 1710. Amicitiam brevissimum intra tempus sibi comparavit Grandius celeberrimorum virorum sui ævi, Isaaci Newtoni, qui ei dono obtulit librum Opticæ & originis colorum, Davidis Gregory Londinensis, Eustachii Manfredii Bononiensis, Anselmi Bandurii monachi Casinensis Parisiis commorantis, Claudii Stephanotii procuratoris generalis congregationis sancti Mauri, Thomæ Cevæ & Horatii Burgundii S. J. Thomæ Deheram, Laurentii Laurentini Volaterrani, Marii Crescimbenii, præsulis Severoli, Francisci-antonii Adamii ordinis sancti Francisci, Victorii Stancarii, Georgii Baglivi, pluriumque aliorum in variis disciplinis versatissimorum. Hoc ipso anno a Cosmo III. declaratus fuit theologus & mathematicus regius chirographo suo sub die XIV. maji. Talis ac tantus cum esset vir Grandius, præfatas Dissertationes Camaldulenses otii tempore exaratas in publicum dedit, commendatas præ ceteris a Bernardo Montfauconio & a Magliabechio; verum novitas opinionis in tertia dissertatione, quæ veterem Camaldulensium sententiam destruebat, tribuebatque soli Maldulo visionem, quam ceteri tribuebant Romualdo, multam in eum domesticorum invidiam concitavit, paratique erant, qui adversus eum scriberent, sed prudentia & auctoritas cardinalis de Abdua, vindiciæ quoque auctoris expositæ in prolixa scriptura animorum indignationem sustulere. Cetera de Grandio, ut etiam de Macchiarellio, qui calamum contra eum, sed moderate, occasione harum dissertationum strinxit, suis annis.

XIV. Obitus præclarorum virorum.

EPITAPHIUM in Parisiensi eremo de Gros-bois: *Æternæ memoriæ Lucæ Bachelier equitis, domini in Clotomont, Johannis Sobiescki Polonorum regis bellicis expeditionibus comitis assidui, & ab ipso ad summum pontificem Innocentium XI. & ad rempublicam Venetam extra ordinem legati, qui tandem hanc in eremum transfugiit, in quo cum quatuordecim annis quasi unus ex solitariis vixisset, etiam voluit tumulari. Obiit die* XXVIII. *aprilis anno* 1707.

Annos natus duodequadraginta decessit Britonorii hoc anno die secunda februarii Stanislaus Fidelis monachus Camaldulensis. Sixti Cremonensi in agro natus perfervido vir ingenio monasticen amplexus anno 1689. in cœnobio Classensi, parochi fere semper officio functus est. Supersunt diversi argumenti elegiæ, una præsertim *Psyche* appellata, in Classensi biblio-

ANN. CHR. 1707.

bibliotheca collecta, quas mira candidaque felicitate edebat, sed majora portendentem mors acerbo fato sustulit.

XV. Obedientia sororis Paulæ a Voluntate Dei.

IN tertio itinere, quod Urbem versus suscepit venerabilis soror Paula a Voluntate Dei, de qua multa prænarravimus seculo antecedenti, ut ecclesiam sui conventus Cappuccinarum Meldulæ erigeret, de repente morbo correpta, & ad extrema perducta, sanctis ecclesiæ sacramentis communita fuit, adsistentibus sacerdotibus ejus felici proximæ morti. Et ecce ex agone ad sensus rediens manifestavit celebri patri Alexandro Bussi Viterbiensi presbytero Oratorii de Urbe confessario suo, se in visione compexisse animam suam ductam ante tribunal Dei, & post examen operum ipsius invitatam fuisse ad cœlestia gaudia a sponso Jesu-christo; verum innocenti simplicitate respondisse se eidem animæ suæ sponso, directorem conscientiæ suæ, cui desponderat perpetuam obedientiam, sibi jampridem imperasse, non sine speciali divino instinctu, ne moreretur nisi obedientiæ expectata permissione & merito, quare ipsius assensum se præstolari; gratissimum autem fuisse Jesu-christo hujusmodi suum responsum, qui subdiderit, ut directori suo affatim morem gereret. Audita hac minime fucata relatione Paulæ, ipsi respondit pater Bussi, se per literas petiturum a Floriano-maria Amigonio, qui tunc Ravennæ moras trahebat, ejus animæ moderatore facultatem libertatemque moriendi. Rescripsit motus divino lumine Amigonius, voluntatem esse Dei, ut ulterius viveret, & sanaretur a morbis suis, hocque se illi ex obedientia præcipere; eodemque momento, quo Ravennæ hæc scribebat Amigonius, Paula in Urbe convaluit, e lectulo surrexit sana & incolumis, pauloque post relicta Urbe Florentiam versus properavit; ut computatione facta temporis & dierum, liquido compertum fuit. Epistola Amigonii servatur in conventu Meldulæ, ut pretiosum monumentum obedientiæ Paulæ, & alterum fidei ejus directoris, & pater Bussius tacito personarum nomine rem divulgavit inter compresbyteros suos. Concludit scriptor vitæ Paulæ optime utrumque in hoc facto promeruisse apud Deum, illam actu heroico dilationis ad obtinendam Dei visionem; hunc exemplo rarissimo sacerdotalis potestatis.

XVI. De cedenda Carmelitis ecclesia S. Michaelis Arretii.

MONASTERIO sanctæ Mariæ in Gradibus Arretii unita erat ecclesia parœcialis sancti Michaelis ejusdem urbis, quæ conferebatur ad vitam sacerdotis. Requisita fuit ipsa ecclesia una cum domo parœciali a patribus Carmelitis excalceatis ad ædificandam in ea habitationem pro infirmis. Non renuit abbas Franciscus-antonius Caramellius cum his tamen conditionibus; ut Carmelitarum cura & expensis impetraretur beneplacitum apostolicum non pro sola dumtaxat alienatione, sed etiam pro distributione parœcianorum facienda inter proximiores parochos, quin hi aliquid propter curam animarum exigerent a monasterio sanctæ Mariæ; ut omnia bona ecclesiæ sancti Michaelis in proprietatem devenirent monasterii sanctæ Mariæ, sine oppositione vel parochorum, vel Carmelitarum; sacra utensilia & profana existentia in ecclesia & domo parœciali, exceptis imaginibus altarium, reverterentur ad monasterium & ecclesiam sanctæ Mariæ tamquam propria; ut prima vacatione provideretur de aliquo beneficio præsens rector, cui usque ad illud tempus congruam consuetam subministraret dictum monasterium, qua in re sollicitii forent & prompti Carmelitæ; ut idem cœnobium quamprimum redderetur immune & exemptum ab eo onere; omnes demum expensas necessarias Romæ, Arretii & alibi subirent Carmelitæ, habito etiam consensu capituli monachorum concurrentium ad dictam alienationem &

ad

ad privationem juris honorifici, præstando per secreta suffragia. Quare idem abbas Caramellius supplicem libellum obtulit patribus Camaldulensibus Faventiæ congregatis in dieta hujus anni, qui rescripserunt, quantum est ex se, benigne annuere, obtento prius apostolico placito, & cedente alienatione in evidentem utilitatem monasterii, reservato insuper congregationi titulo abbatiali annexo dictæ ecclesiæ sancti Michaelis, & remanentibus semper dominio directo & utili bonorum præfatæ ecclesiæ, sui proprietate & usufructu monasterio sanctæ Mariæ in Gradibus, & congregationi Camaldulensi.

ANN. CHR. 1707.

Decima-nona julii cardinalis præfectus congregationis super Disciplina Regulari Joseph-renatus Imperialis scripsit inter ceteros procuratori generali ordinis Camaldulensis, sanctissimum pontificem Clementem XI. summo animi dolore percepisse, quod eo tempore, quo disciplinæ regularis incrementum exoptabat, introductionemque vitæ communis, in nonnullis communitatibus religiosis invaluerat abusus, ut monachi vel regulares administrarent possessiones & bona immobilia monasteriorum jure locationis, contribuendo annuas responsiones; quos proinde contractus tamquam illicitos damnat & abolet Romanus pontifex, & de ejus mandato eadem sacra congregatio vetitos & abrumpendos declarat & imperat. Verum jam severioribus præceptis in suis capitulis generalibus vetaverat hujusmodi contractus, ut etiam observavimus ad annum *1699.* congregatio Camaldulensis, si qui forte intercessissent, & damnandos pro futuris temporibus declaraverat.

ANN. CHR. 1708.

XVII. Eremus Histriensis ad S. Michaelem de Lemmo.

CONVENERUNT hoc anno eremitæ Monte-coronenses cum monachis sancti Mathiæ de Muriano, ut vi canonis emphyteutici ducatorum 180. renovandi quolibet vigesimo-nono anno cederentur sibi a monachis monasterium & ecclesia sancti Michaelis de Lemmo in Histria territorii Parentini, pro fundanda ibidem eremo in domicilium duodecim eremitarum, qui subjicerentur priori & eremo sancti Clementis Venetiarum. Hujus conventionis utraque pars supplicem libellum obtulit sacræ congregationi, quæ ipsum remisit die XXVIII. septembris episcopo Parentino; dominium etiam Venetum factum confirmavit die XX. octobris. Episcopus Parentinus, qui vocabatur Alexander Adelasius, voto suo, & favorabili relatione fundationem approbavit die decima februarii anni sequentis; quare post eam diem missa fuit ibidem colonia eremitarum, qui cellas erexerunt, aliasque condere meditabantur ex oblatione piorum virorum. Verum cum aer insalubris loci vita privasset intra paucos dies eremitarum dimidiam partem, ceteros vero cum operariis infirmitatibus gravasset, e re sua esse duxerunt majores congregationis locum derelinquere; quod contigit privato renuntiationis loci chirographo facto die XXI. septembris anni 1709. ab eremitis iisdem monachis sancti Mathiæ. Præcipui promotores hujus fundationis fuere Alexius eremita & Prosdocimus junior prior sancti Clementis, qui induxerunt Johannem-franciscum Barbadicum episcopum Veronensem, inde Patavinum & S. R. E. etiam cardinalem, nepotem B. Gregorii Barbadici S. R. E. cardinalis itidem & episcopi Patavini, ut pro ædificiis loci contribueret summam quatuor millium ducatorum. Extat epistola ipsius episcopi scripta die XXVIII. martii hujus anni patribus definitoribus capituli eremitarum Montis-coronæ, in qua recensitis meritis suorum majorum in promovendo instituto eremitico sancti Romualdi, animos ipsis facit ad suscipiendam viriliter novam propositæ soli-

ANN. CHR. 1708.

tudinis erectionem. Nominat in his avum suum, qui multum insudaverat pro stabilienda fundatione eremi sancti Clementis, patruum suum Gregorium cardinalem, qui multam operam impenderat, pro erectione duarum eremorum Brixiensis & Veronensis, quique secreta animi sui frequentibus visitationibus, & mansionibus pandebat eremitis Rhuensibus, quæ benevolentia studiumque in eremitas Camaldulenses transierat in patrem suum Antonium procuratorem divi Marci, & in ejus filios, se nimirum & fratrem. Cupiens proinde ipse sequi eorum vestigia describit locum sancti Michaelis in Histria habitatum a parente sancto Romualdo, cujusque cessionem post multos tractatus obtinuerat a cœnobitis sancti Mathiæ una cum suo territorio. Memorat cryptam, in qua tribus annis commoratus est sanctus pater, in qua donum lacrymarum & prophetiæ obtinuit, ubi etiam videtur impressio ejus corporis facta in duro silice, super quam quiescebat, ut ipse illac transiens conspexerat & veneratus fuerat; verum indoluerat, quod debito cultu ipsa fraudaretur, eo quod monachi sancti Mathiæ locum illum & bona locassent secularibus, qui merito honore privabant sanctuarium illud; quodque testari possent etiam visitatores missi a superioribus ordinis ad locum examinandum. Refert præterea Petrum-franciscum Gallitium generalem abbatem monachorum Camaldulensium calculo suo probasse alienationem monachorum sancti Mathiæ, principem Venetum assentiri; quare unicum desiderari assensum religionis eremiticæ, ut inde obtineatur indultum apostolicum, ad quod implorandum se totum exhibet. Demum ostendit locum sancti Michaelis in Histria per viam Tergestinam commoditatem afferre communicationis cum eremis Germaniæ, per viam autem maritimam facilem aperire transitum ad eremos Marchiæ Anconitanæ. Verum parcendum est ipsis eremitis, qui per annum experimentum loci facientes, sepulcrum, non domicilium reperere. De superiori crypta sancti Romualdi hæc habet in epistola ad Ignatium Dremsfelx ordinis sancti Pauli primi eremitæ Cl. vivens episcopus Parentinus Gaspar de Nigris die XXVI. augusti anni 1755. *Quin non procul ab Ursaria mea visitur etiam nunc sacra crypta, quæ quotannis idcirco a clero & populo Ursariæ sollemni indicta supplicatione devote visitatur, in qua communis & antiquissima est populorum traditio per duos suprarelatos annos S. Romualdum inhabitasse vel potius delituisse; talis enim est loci illius natura & constitutio, ut non ad habitandum, sed ad delitescendum aptissima esse videatur* &c.

XVIII. Eremitarum & monachorum memorabiles notitiæ.

ÆTERNAM a laboribus & a pœnitentiis requiem habuit hoc anno die IV. septembris in sacra eremo Camaldulensi Etruriæ Petrus-paulus Moraldi a Partina. Erat sacerdos secularis, ac procurator conventus fratrum Minorum Alverniæ, & loci propinquitate motus ac familiaritate cum Aloysio Massei insigni eremita professionem emiserat in ea eremo anno 1679. Austerissimam semper in victu & in ceteris suis actionibus vitam egit, ac requirebat inter immunditias coquinæ cibum, quo vesceretur. Pluribus annis reclusionem servavit, a qua dimotus fuit, ut exemplo ceteris præluceret. Missus fuit ad eremum sanctæ Theclæ Januæ, ubi fama ejus sanctitatis brevi diffusa, passim vocitabatur Sanctus, amicitiamque spiritualem strinxit cum piissimo & nobilissimo abbate Franzonio benemerito ejus eremi, & cum principissa ab Auria, quæ internum animi sui cum ipso communicabat. Primarii urbis nobiles se ad ipsum conferebant vel pro consiliis, vel pro gratiis a Deo obtinendis; quare superiores ordinis bene cum ipso factum putarunt, eum revocare ad eremum

mum Camaldulensem, ubi majore solitudine frui posset. Ad mortem in iisdem austeritatibus permansit. Licet tamen eo rigidiore spiritu duceretur, ut & medicinas, & solatia in suis morbis respueret, primæ voci tamen superioris omnimodo morem gerebat, propriæque voluntati nuntium mittebat. In Deum semper elevatus, talibus etiam exterioribus spiritualibus deliciis affluebat, ut eas adstantibus occultare non valeret. Ita vero mundo mortuus, ut a suscepto eremitico habitu nunquam patriam reviserit, licet ab ea remotus esset per quadrantem dumtaxat milliarii, quando cum ceteris eremitis Musoleam se conferebat. Obiit sexagesimum-quintum ætatis annum agens.

Ann. Chr. 1708.

In Pedemontana eremo decessit Silvester Chalamel a Camberio die XXV. septembris post quadragesimum-quartum professionis annum. Reliquit duo spissa volumina in folio, quorum titulus: *Sermones claustrales* 106. super Evangelia & Dominicas anni, 52. super sollemnitates Sanctorum, 25. super varios S. Scripturæ textus; exercitia insuper & orationes Gallico partim & partim Latino idiomate.

Ex monachis obiere Vitalis Ascevolinus abbas Uranensis, & Petrus-franciscus Ciceri abbas sanctæ Mariæ in Campanea Veronæ, quorum pietas fuit admodum commendabilis; sed majori laude dignus tertius Germanus Botta Camers, qui post Visitatoris officium depositum, sese receperat in monasterium Classis, ubi octuagesimo tertio suæ ætatis anno feliciter occubuit, in cujus funere Italicam recitavit orationem Florianus-maria Amigonius ejusdem loci asceta. Plura collegit & scripsit Germanus, quibus rem Camaldulensem illustravit; præter enim vitam sancti Romualdi, & synopsim vitarum Sanctorum & Beatorum ordinis, congessit antiqua & nova monumenta, controversias dilucidavit, epistolas varii argumenti exaravit, quæ omnia mererentur publicam lucem aspicere, quæque mss. tum in bibliotheca Classensi, tum in nostra sancti Michaelis adservantur, & ex quibus nonnulla derivavimus in nostros Annales; in iis controversiis ætatem vindicavit centum & viginti annorum sancto parenti Romualdo contra Baronium & Bollandistas; de Camaldulensi instituto sancti Petri Damiani & Avellanitarum egit; de origine congregationis Montis-oliveti a congregatione Camaldulensi; de rebus scripsit ad monasterium Burgi-sancti-Sepulcri spectantibus. Accessere doctrinæ Germani pietas & religiosi mores, ob quos, senex præsertim & orbus luminibus, omnium sibi conciliavit amorem.

Benedictus Veltronus prior & parochus cœnobii Rosæ Senarum edidit Senis, & dicavit oratorium sacrum sancti Romualdi Petro Gallitio abbati generali, & visitatoribus ordinis.

Ann. Chr. 1709. XIX. Jo-Chrysostomi Chieppii eremitæ mors & elogium.

JOHANNIS-CHRYSOSTOMI Chieppii eremitæ Pedemontani vitam & obitum, qui contigit hoc anno, fuse describit Reverendissimus P. D. Bonifacius de Nicolis Major congregationis Pedemontanæ sequenti elogio, quod ipsius verbis afferimus, ad nos transmisso.

Ex clarissima Mantuæ Chieppiorum familia ortus fuit D. Johannes-Chrysostomus anno 1640. IV. *septembris, & Franciscus-maria in baptismate appellatus, parentibus comite Ludovico, & Francisca Brayda nobili muliere Veronensi. De illustris hujus surculi laudibus priusquam dissseramus, nonnulla super excelsam, de qua prodiit, plantam, cujusve in viridi adhuc ætate decorem in seculo ipse sustinuit honorificentissime, brevi sermone operis pretium esse duximus adnotare; præterquam quod non in plurimis tantummodo Italis ditionibus, sed & in Tirolensi comitatu con-*

Ann. Chr. 1709.

sanguineos Chieppii numerant distinctissimos. Magnos quippe viros edidit genus hoc inclytum, administrosque status integerrimos; post alios videlicet, quos transacti ævi scriptoribus commemorandos relinquimus, nec eos præterit historia, nostri avus comes Annibal, Mantuana sublimius refulgens in aula, gravi exposcente negotiorum urgentia, ducis Vincentii I. ad Santissimum pontificem Clementem VIII. legatus commendabili strenue functus est munere. Huic in sanctiori Caroli II. qui Vincentio successerat, consilio suffectus est filius comes Ludovicus, & a secretis status culmen assecutus, pro Europæ subinde tractanda firmandaque pace universis bellantium principum plenipotentiariis Monasterium, Germanice Munster, anno 1648. coeuntibus, pro eodem duce Carolo Gonzaga ut interesset, adlectus fuit; ad illud attamen generale comitium, quod Westfaliensis fœderis nomen communiter obtinet, politicis obstaculis præpeditus est pergere. Maxima interim, quibus in sui principis penetralibus vacabat prospiciebatque consilio, quin domesticæ incumberet curæ, non impediebant, sed ubique præsto eleganter aderat, filiorum in primis institutioni. Avitam quippe comites Ludovicus & Francisca conjuges generis claritatem christianis illustrantes virtutibus universæ a Deo sibi datæ soboli, naturalis uterque oneris memor, probeque sollicitus institit educandæ, cum catholicis elementis, tum humanis literis, equestribus & exercitiis corporis & mentis. Nec inutiliter, neque multum in comite Francisco-maria per se ac per archi gymnasii Mantuani celebratos professores, perque domesticum gubernatorem fuit elaborandum; sagacis nempe docilisve ingenii puer, plusquam doceretur, addiscendi erat cupidus, infigebatque memoriæ. Cumque pietas virtutum omnium atque scientiarum sit fundamentum, hanc primitus adipisci curavit, & continuo tenuit; crescente vero ætate, crevit cum illo & vera sapientia. In prima per omnia eruditus adolescentia post philosophicas artes humaniori eloquentiæ proclivis in hac valde profecit; jurisprudentiam, publicumve jus & gentium non negligens, in quibus, immo cunctis, ut videbimus, excelluit. Lubricam juvenilem semitam recto & impolluto pede transivit, libertatisque pericula divertit, seriis ac utilibus semper occupatus. Aulam sui ducis per genitoris viam exinde sequutus, merito sic tantum apud principem, secretiusque refulsit consilium, ut per insignes gradus ad eximium a secretis status super Montis-ferrati negotia, quinto suæ circiter ætatis lustro, probitate, consilio, publicarumve rerum jam maturus peritia, fuerit evectus. Ideo in Casalensi sancti Evasii civitate, quæ Montis-ferrati Mantuani metropolis erat, residens, munifico principi, ac simul, quod rarissimum est, cuilibet civium ordini, minister egregius fecit satis, donec ab eadem præfectura Mantuam ad altiora revocatus inter primos assedit ducis consiliarios. Vicesimum-octavum in his annum dum compleverat ætatis, seculi curarum pertesus, animæve pericula cum eminentiorum proxima munerum expectatione conferens, carnem & sanguinem non respiciens, Deo sibique vacandi imposterum studio elongavit se fugiens, & apud venerabiles patres Camalduli-majoris Etruriæ, nomine commutato in domnum Johannem-chrysostomum, sancti doctoris in mundani honoris despicientia imitator, anachoreta ab ipso tirocinio apparuit; emissaque professione, ac magna cum laude, suique profectus merito in regulari disciplina sacrisve studiis versatus, omnes ecclesiæ ordines cito conscendit, adeptisque dignus gradibus luculenter est visus. Se novissimum quippe tempore conversionis animadvertens, aliqualiter serotinum in vinea Dei adventum fervoris celeritate laborem & cursum ad perfectionem studuit compensare, quod cum solo

Deo

Deo sibi teste proposito agebat, prælatos receptores suos minime latuit, qui fidelem Domini servum decem mnas donatum lucrove spirituali ultra duplum ditescentem supra multa protinus constituere, in sacræ scilicet illius eremi camerarium, deinde in Mantuanæ priorem; ubi se declinatæ proximatum aulæ, ac inter cognatos & notos esse ingemiscens, dignitatibusve se augendum ecclesiasticis pro secularibus abjectis timens, tantum abfuit, ut episcopalem a principe suo instanter oblatam cathedram acceptaret, quantum ne ab eodem ultra frequentaretur, ac honoribus præcluderet aditum; utque a conjunctis divelleretur omnino, venia superiorum hinc inde prævia, ad Subalpinam congregationem novennalis professus transiit VII. *aprilis* 1678. *per decennium ita Etruscis cum patribus commoratus. In hac Pedemontana summa gratulatione acceptus, post annum sacræ Taurinensis eremi prior eligitur, & successive officia dignitatesque complures, forma factus gregis ex animo, præclare sustinuit; thesaurum namque ditissimum in coagmentato sibi domno Johanne Chrysostomo, in quo tot gratiæ ac naturæ dona emicabant, eremiticus iste cætus adeptum se fore optime noverat, quem abunde ac utiliter in quocumque ministerio se posse indeficienter expendere voce fatebatur & actu. Etrusca e contra congregatio jacturam se in hujus digressu maximam fecisse dolens, nihil ad reparandam, & hunc invitationibus atque pollicitationibus revocandum omisit intentatum, ipsa suprema moderatione, quam vocamus Majoratum, si reverteretur, oblata; quod humillimo eremitæ nostro latere ac subesse cupienti retractio potius fuisset, quam allectatio; quod munus & apud nos constantissime declinavit. Fœderatis propterea una cum ipsius consanguineis viribus pontificium breve, reditum injungens fuit obtentum, quo reverenter suscepto domnus Johannes-chrysostomus, illudve non motu proprio, sed ad instantiam emanatum advertens, propriæ transmigrationis rationibus, causisque, illa præsertim oblitescendi tutius, honoresve fugiendi, supplici libello ad sanctissimum modestissime simul & valenter expositis, breve aliud, quo pacifice in postulata demissione sui relinquebatur, impetravit. Addictissimum se nihilominus veneratis illis patribus exhibuit, quod paucitatem suam tanti nimia existimatione fecissent, eorumve caritati se Deo renatum debere, atque sedulæ ipsorum curæ se in virtutibus assequendis religiosis obnoxium semper est fassus, justas sacri ejusdem loci, piorumque incolarum laudes ac merita frequenter comminiscens. Declinatas quacumque licita ratione in Pedemontibus prælaturas unam coactus acceptare obedientiam omnium acclamatione curæ tironum. In novitiorum igitur magisterio verus fuit in sermone Chrysostomus. Morales ipsorum infirmitates probe dignoscens, prudenterque tractans, & apta cuique curatione subveniens, omnibus omnia factus, optimi plane spirituum directoris partes implevit, monita salutis abunde subministrans eucharis linguæ, quæ in bono homine est, nomen liquido possedit & omen. Eremiticarum legum diligens observator, thesauros & ipse in eis latentes alumnis explicabat, nullumve illarum apicem prudenti inconsultum, inutilem proficienti, credenti difficilem, pœnitenti asperum esse, suo & multorum exemplo docebat: solitudini, silentio, puritati, obedientiæ ac devotioni, orationis instantiæ, in Dei laudibus nocturnis diurnisque assiduitati, ac promptitudini suorum summopere cavit, perfectionis viam verbo & opere discipulis sternens, eosque per hanc suavi conatu agens, prout in pluribus obtinuit. Vir erat domnus Johannes-chrysostomus facilis & sublimis, atque perspicacis ingenii, judicii quoque recti, ac in percipiendo retinendove memoria donatus felicissima, omnis mere terrenæ considerationis expers, politicæque*

secula-

ANN. CHR. 1709.

Ann. Chr. 1709.

secularis; in verbis & actibus candido sinceritatis nitore fulgebat, in modo simplex omnino, incessu quidem gravis, sed amabilis aspectu & amplius conversatione proficua, universimque plene compositus; religioso pariter atque humano studio dogmaticæ, speculativæ, mysticæ, moralis & asceticæ doctrinæ culmen assequutus, ac omnigena eruditione præstans, sicut nonnulla probant extantia ejus manu scripta; semper enim scripsit, semper docuit, semper oravit, & in cunctis excelluit, ac in liberalibus etiam ad suorum aliorumve utilitatem studiosis incubuit lucubrationibus, de quibus in Clarascensis præsertim civitatis archivo, & in illo eremi super ipsius finibus positæ consistunt monumenta. Sani consilii dono præditus, unctionisque spiritualis allocutionis, quæ in orationis lectionisve sacrario assidue sugebat, sermocinando etiam nolens eructabat. Caritate, humilitate, spirituum discretione, aliisve gratiæ, naturæ atque virtutis charismatibus locuples, maximam omnium jure adeptus est existimationem; venerabilis signanter patris Sebastiani Valfrè congregationis Oratorii Taurini præpositi, quocum mutuæ spiritualium collationes voce, scriptoque fiebant, & integra aliquando dies iis insimul de rebus divinis, atque redemptionis nostræ super mysteria tractantibus plane brevis est visa. Uniformitas istorum spiritus, & pia cordium conglutinatio tanta erat, ut in completo jam typisque rite dato illius beatificationis processu, de domno Johanne-chrysostomo mentio fiat honorifica, sperandumve sit eos in cœlesti gloria æternaliter esse sociatos, inter quorum ex hac vita decessum brevis mora intercessit. Præclari hujus eremitæ spiritus mortificatio, sensuum custodia, castigatioque corporis, in adversis quibuslibet invicta patientia, pax inconcussa, æqualisve serenitas, ciborum parcitas & studiosa ejusdem obsonii molesta semper in dies repetitio, vini modicitas, potusve stricta communem supra regulam quotidiana mensura in alta etsi statura, robustaque habitudine, somnique brevitas non sunt exponenda sermone, qui adæquate non suppetit, sicut & ipsius in theologalibus virtutibus firmitas & excellentia, in religione devotio, in votis maxime diligentissime servandis, & in diuturna sublimi oratione, vocalibusve prolixitas in precibus, in quacumque spirituali exercitatione præstantia, enarranda si forent, lingua calamusque deficerent. Inter hæc & gloriosa quæque demissa iste sui despicientia perseveranter enituit, prout ex antedictis elucet, ac ex quo de proprii generis claritate, deque transacto secularium honorum culmine loquebatur nunquam, aut effari patiebatur; quicquid immo justam sui gloriam redoleret, pro viribus occultabat, auctorique Deo fideliter omnia referebat. Nec insigne ab eo humiliationis exhibitum specimen hic prætermittendum. Itaque comis qui ceteroquin, atque mitissimus erat, & cum subditis etiam cujuslibet gradus precibus uti potius in morem haberet, quam jussionibus aut imperio præesse, visum semel sibi fuit in cujusdam corrigendi admonitione, acrius cùm ejusdem aliquali contristatione, ad pœnitentiam licet, excessisse; quapropter prior sacræ eremi etsi foret, dum sub vespere familia tota cum prælatis ante Completorium ad spiritualem consuetam lectionem audiendam in capitulo convenit, in medium ipse prosiliens, humique prostratus publice se culpabilem dixit, veniamque a correpto aliisque insciis exoravit; quod & ille statim tali exemplo perculsus reum se provolutus fatendo præstavit, sicque in lucrum reciproci amoris, ac ædificationis versum est suppositum in uno damnum vivacioris sermonis, in altero subitaneæ immortificationis. Ita sollicite tametsi amplectens infima, & altiora divertens nihilominus in sacro isto electo recessu, principum, præsulum, procerumve frequentiam non valuit devitare spon-

taneam;

taneam ; ipſeque Victorius Amedeus rex excellentem hunc eremitam non raro dignanter adibat , longas texens familiareſque converſationes ; ambigendumve non eſt , quin tanti meriti cognitor , juſtuſque æſtimator , qui prolixius ſæpe laudaverat , hunc ad aliquam ex ſuis epiſcopalibus vacuis cathedris erexiſſet implendam , ſi , quæ defuncto jam hoc digno religioſo ſublata fuerunt impedimenta , tunc opportune ceſſiſſent . Honorificæ hujuſmodi neceſſitudines , quas alibi aufugerat , forte domnum Johannem-chryſoſtomum latendi avidum ad recluſorium quadriennio ſervandum impulere , tum orationis unitivæ amore , tum propter animi alienationem a domeſticis externiſve honoribus expetitum , in quo ejus magis & ad Deum charitas exarſit , devorato ariditatum , quibus juſti probantur , felle plurimo & abſynthio , & pœnitentia durius contra ſe incruduit , & ſacrorum voluminum pabulo doctrinæ ſuæ vires auxit & roboravit . Neque mirabiliora viſibiliter poſthac defuere : ab diuturno nimirum , quo decumbebat , acri tibiæ dolore ſubito convaluiſſe , referente quodam ſibi familiariſſimo affirmatum eſt , ſigno nempe Crucis , repentino ſupernæ inſpirationis motu , digito aqua luſtrali ad lectuli cervical intincto ſuper infirmam partem ſibimet impreſſo . Aſſerta autem , qui præſens aderat , omni fide , licet ſingularis , dignus eſt habitus , quod notoria pietate veraciter inſignis erat , nec illuſionibus obnoxius aut facilis allucinari , atque ſpiritualis medici unus , alter corporalis vicaria curabantur opera . Qui vero non infirmitatis tædio , neque crucis perferendæ fuga proprii amore commodi ab hoc immo abhorrens , illam ſummopere amans , priori ſoſpitati ſe redditum lætanter Deo gratias egerat , ad communis vitæ rationem propriæ auſteritatis induſtria ſævius reſtrictam ſe reſtituit alacriter , mitiora , quibus ægrotus compulſus fuerat indulgere , majori pœnitentiarum & orationis , ſanctique ſtudii niſu veluti compenſaturus ; quod ſit etiam infirmitas ad ſalutem , nec adverſa valetudine patienter tolerata non ſubſiſti in via perfectionis aut regredi , ſed valde ultrogredi eſſe , nolens , ne inde pigreſceret , advertere , ſed velut incipiens tiro arctioris diſciplinæ repetiit exercitia. Silentii atque ſolitudinis acuratiſſimus amator iſte quietem eremi , cellæque latibulum , pro quibus grandia quæque mundi deſpexerat , paradiſum in terris computabat , cœleſti finitimum , nec a pretioſis hiſce deliciis leviter aut valida neceſſitatis vel caritatis cauſa non urgente , ſe abdicabat : inutili quidem in tam arcto receſſu non indulgens otio , nam præter familiarem ſibi habitualiter acquiſitam orandi continuationem , cui ex omni objecto deſumptæ contemplative inhærebat aſſidue , ſacram Bibliam , ſanctorumque Patrum codices attente volutans , uberrimum illuminatæ menti alimentum , cordique ignito dulce dabat refrigerium ; & nec orando , neque legendo ab ingruentibus humanæ conditionis , aut e ſupernæ probationis permiſſione ariditatibus retardari , ſive diſtractionum vagatione diſtendi ſciebat , quid eſſet advertenter ; quo etenim ſegregabatur ab hominibus , Deo propinquabat magis tenaciori glutino adhæſionis adſtrictus , itaut animo jugiter ad cœleſtia eſſet intentus , qui ab terrenis erat mortificatione ſemper abſtractus . Neſcio itaque , ſi nimia mentis contentione in applicando , quæ alias ei fiebat habitu ſuaviſſima , aut ſtrictiori quam corporeæ ipſius conſtitutioni opus fuiſſet alimenti ſubtractione , ſalium acredo , qua in ſanguine refertus erat , ad tibias copioſe deſcendens ita exſiccavit , ſola propemodum cute ſuper oſſa remanente , ac ulcera utramque ad ſuffraginem aperuit moleſtiſſima ; quapropter calcaneis prorſus impotens factus inniti , pedum ſuper articulos incommode cogebatur incedere . Gravia hæc domnus Johannes-chryſoſtomus ſtrenue ad plures annos patienterve

ve

ANN. CHR. 1709.

ve sustinuit, nec ab illo querula vox audiebatur aut gemitus, neque mœror, vel dejectio videbatur tristis in facie, læta & constanti dulcedine, atque mira serenitate perfusa. Nihil interea de regularis observantiæ rigore intermittens, dulcia sibi erant quæque acerbiora, idem vivendi tenor, in officiis impositis assiduitas eadem, idem labor atque diligentia, par ad laudes divinas die ac nocte psallendas promptitudo & attentio, nisi quod aliquando sistere non valens, genuflexus munus hoc angelicum in choro persolvebat, nulla quoque altaris functione, cæremonia nulla neglecta, seu ex sibi delectis precationibus omissa vel ulla, ad pauperes quoque fovendos, solandos afflictos, visitandos ægrotos æque semper frequens atque sollicitus. Plagas istas, dum in superiori tibia erant, divina, ut innuimus, virtus compescuit ad tempus, quas redivivo cruciatu, moxque translatas ad plantas æquanimi magnanimitate diu, sicut dicebam, Job iste pertulit, quæ tandem ad patientiæ coronam in Dei viro æternaliter augendam ditandamve, mordaciori superveniente acri-salino humore, postremis e strato surgere non potuit annis, communibus actionibus & observantiis, sacrificio præcipue Missæ atque chorali psalmodiæ se interesse nequire certe plusquam de gravissima sui morbi molestia dolens ex animo, quem tamen summa divino in placito resignatione pacatum continebat. Hic fuit, quo & constans ipsius virtutis emicavit præstantia fulgentius, & de locupleti eruditionis adeptæ promptuario crebras elicuit aspirationum jaculatorias, morte præsertim appropinquante, quam suppliciter a se rogata opportuneve præstita sacramentorum administratio prævenit, quæve singula ex præcordiis ignitis ad os devote assuetum salientibus actibus, precibus, affectibus ita subsequutus est, ut liquido quia virtus in infirmitate perficitur, ostenderet, atque morientis lectulus cathedra facta sit docentis, ad aliorum a se non intentam ædificationem, qua circumstantes quo pacto vivendum, ad hoc ut taliter moriatur, intelligerent, probeque jam scientes hoc sensibus exposito meditationis objecto magis firmarentur. Religiosum tot charismatibus ornate refulgentem, tot virtutibus optime ditatum, rationibus universim optime meritum tantis, quem tamquam patrem venerabantur amantissimum, atque ut animatum regularis disciplinæ typum, arcamve scientiæ Sanctorum viventem fuerant admirati, eremitæ se perdere lamentabantur omnes, ipse vero de proxima laborum suorum accipienda mercede, deque reposita sibi a justo judice corona mox consequenda justitiæ, quam fidenter expectabat, lætabatur, & qui ex fide vixerat justus æstuansve caritate, spe moriebatur anhelans, atque deficientiam vitæ mortalis, imminens æternitatis vivendi lucrum computabat. Itaque pertinaci sua diutine ac generosissime tolerata consumptus ægritudine, pleneque probatus, vires animæ pie & perseveranter exercens, integrosve servans ad ultimum sensus in sacra Taurinensi eremo septuagesimum inchoans ætatis annum, & inter Camaldulenses quadragesimum-primum XXIV. septembris die B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum dicata, anno M. DCC. IX. nostræ salutis, a membrorum eductus captivitate quievit in Domino, apud quem pro nobis intercedere confidimus. Consulebatur sæpius Chieppius a vicario generali præposito ecclesiæ Taurinensis Ignatio Carroccio, a præsidentibus Garagni & Bergera & a venerabili Sebastiano Valfrè congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii. Cupiebat ipse Victorius Amadeus dux, qui frequenter eremitam Chieppium invisebat, uti ipso pro confessario, & in nominatione aliquot episcoporum suæ ditionis indoluit Johannem-chrysostomum fato præreptum fuisse, quippe quem libentissime ad aliquem episcopatum nominasset. Solebat pius eremita flam-

mis

mis donare opera sua, quæ scribebat, reliquumque non evasit nisi Directorium pro novitiis ad complendas perfecte actiones diei, una cum instructione Latina facta pro iis, qui optarent nomen dare solitariæ vitæ. Supersunt similiter sententiæ, orationes & exercitia in præparationem mortis.

XX. Et Cœlestini Catanei Mantuani eremitæ.

IPSO anno die IX. maji obiit etiam Cœlestinus Cataneus Mantuanus, qui professus fuerat in Camaldulo Etruriæ die prima augusti anni 1653. Brevi evaserat vir altissimæ orationis, & profundi consilii, quare semper adhibitus est in publicis officiis vel prioris sacræ eremi, vel prioris Mantuæ, vel Majoris; nunquam permisit pro commodo suo famulitium alicujus. Ubique foret, ea cibi qualitate & quantitate utebatur, perinde ac degeret in eremo, licet facilis foret & pronus in commiserationem erga alios. Summa mansuetudine corrigebat errores & errantes; eamdemque praxim in omnibus retinuit ad mortem, quæ ei prope octuagenario supervenit. Perseverat Cœlestini memoria optimumque nomen in Mantuana urbe, & inter alia animadversione dignum est, quod Anna Isabella prima uxor postremi ducis Mantuani, quæ cum odore sanctitatis ad Deum transiit anno 1703. die XIX. novembris, ut legitur in flosculo chronicorum Mantuæ reimpresso anno 1741. erga eremitam nostrum multa ferebatur veneratione, & maxime delectabatur colloqui cum ipso. Ipsi Cœlestino referenda est introductio recitandi in eremo Camaldulensi communibus vocibus Rosarium beatæ Mariæ Virginis in hebdomada, primam partem omnibus diebus Dominicis, secundam feriis IV. & tertiam feriis VI. Picturis pariter & ornamentis ditavit eamdem capellam Rosarii. Viam demum novam extruxit per montem ad deducendas abietes ad fluvium Arni; ita ut multis nominibus optime meritus fuerit de eremitis Camaldulensibus suis. Extat libellus, quem ad sui usum scribi mandaverat, qui continet exercitium quotidianum bis in die peragendum, orationes ad beatam Virginem, actus ferventes amoris, preces pro sacrificio Altaris, horologium Christiani super Passionem Dominicam, præparationem ad Mortem, sive Testamentum animæ, ad calcem cujus testamenti addidit, se morti proximum ipsum subscripturum manu propria; & revera proprio charactere subscripsit, sicut etiam in eo libello exaratæ reperiuntur absolutiones omnes in mortis agone, aliaque pia exercitia, in quibus fuit assiduus, quæque efflagitavit sibi e vita discedenti impartiri, & die ultimo recitari.

Alter decessit eremita Camaldulensis die quinta Martii Placidus Pierotti a Chivizzano oppido Lucensis diœcesis, in Camaldulo-majori professus anno 1663. XX. suæ ætatis, qui licet foret eremi cellerarius, raro egrediebatur ex eremo, supplens per epistolas, & si quando exire cogebatur, aliquo pœnali exercitio exitum suum luebat. Præmittebat celebrationi Missæ quotidianam flagellationem, cetera eremitica exercitia complebat exactissime, sed præsertim orationem & paupertatem adamabat.

Inter Coronenses defunctus est in eremo Rhuæ frater Dominicus conversus, simplicitate, Dei præsentia, & caritate commendabilis, ob quas virtutes Sancti nomen adhuc vivens sibi promeruerat, quæ veneratio crevit post mortem non tantum apud eremitas, sed etiam apud incolas locorum eremo proximorum.

Prodiit hoc anno die XV. junii sententia definitiva emanata Romæ in tribunali illustrissimi ac reverendissimi Auditoris Cameræ ad favorem

Ann. Chr. 1709.

eremi, ac eremitarum Camaldulensium Scardavillæ super declaratione privilegiorum a sancta sede apostolica eisdem eremitis concessorum, & signanter super exemptione eorum servientium, colonorum & affictuariorum quoad personas, res & bona, & animalia a quacumque jurisdictione, potestate & auctoritate tribunalis laici auditoris generalis Meldulæ.

XXI. Capitulum monachorum Camaldulensium.

PROPTER incommoditates temporum, & etiam propter motus bellicos de præsenti vigentes Clemens papa XI. brevi suo capitulum generale monachorum Camaldulensium statuit, elegitque motu suo futurum ordinis generalem Alphonsum Cellini Ravennatem ex professione Classis, Antonium-franciscum Caramelli ex illa Florentiæ, & Franciscum-angelicum Miconi ex illa Venetiarum in visitatores, Fulvium Macigni in procuratorem generalem, ceterosque definitores, qui regimina monasteriorum distribuere deberent per subsequens quinquennium. Similiter sacra congregatio, negotiis Regularium præposita, idem capitulum ad Dominicam quintam post Pascha determinavit & loco Urbis designavit civitatem Faventinam & monasterium sancti Hippolyti, sub præsidentia cardinalis de Abdua protectoris. In eo capitulo statutum est, ut abbas Caramellus visitator, & Cannetus abbas Classensis in unum volumen redigerent privilegia & constitutiones apostolicas ad congregationem Camaldulensem spectantia, & in publicum ederent. Concesserunt etiam patres, ut accedente apostolico beneplacito, monasterium sanctæ Mariæ de Pisauro posset vendere nobilibus marchionibus de Monaldis bona spectantia ad antiquum cœnobium sancti Blasii de Monte Biturlo in agro Perusino, alibique pretium convertere, si in evidentem ecclesiæ utilitatem cederet hæc venditio.

XXII. Historica aliquot monumenta.

E REGIONE altaris majoris ecclesiæ sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia extat hujusmodi inscriptio: *D. O. M. Ecclesiam hanc ex rudi & simplici forma in augustiorem redigi, fornice, picturis, novis altaribus, stratoque lapide marmoreo ornari curarunt monachi Angelorum, ara principe ex hoc situ, ubi ante annos* CXVI. *a DD. de Montaltis constructa fuerat, salvo eorum jure honorifico, cum iisdem insigniis & inscriptionibus a regione translata anno Dñi* M. DCC. VIII. *D. Josepho-augustino de Mancinis abbate, addito ejusdem majoris aræ ornamento, perfectisque pavimento & ceteris ad ejus ornatum spectantibus a successore D. Ricciardo-maria Giulliario abbate anno* M. DCC. IX.

P. Gaudentio ab Arimino procuratore generali eremitarum Camaldulensium congregationis Montis-coronæ supplicante pro declaratione infrascripti dubii sacram rituum congregationem; nempe: An prædicti eremitæ Camaldulenses extra civitates, & loca murata degentes teneantur, & sub quo ritu ad recitationem officii proprii Patroni principalis ac titularis, & Dedicationis ecclesiæ Cathedralis, nec non protectoris Civitatum & locorum, in quorum vel quarum respective diœcesibus seu districtibus sitæ sunt singulæ eremi? Eadem sacra Rituum congregatio ad relationem D. Cardinalis de Abdua censuit comprehendi patres eremitas, & teneri ad officia de Patrono principali loci, regni seu provinciæ, & de titulari ecclesiæ Cathedralis sub ritu quidem primæ classis, sed sine octavis, nec non ad officium Dedicationis ecclesiæ cathedralis, sub ritu tamen secundæ classis & sine octava, & danda esse decreta. Et ita a patribus Camaldulensibus congregationis Montis-coronæ servari mandavit, die XXIII. *martii* 1709. *G. card. Carpineus. Loco ✠ Sigilli. B. Inghirami Sacr. Rit. Cong. Secret.*

PRO-

ANN. CHR. 1710.

XXIII. Possessio eremis Rubro-claustrensis facta ab eremitis Coronensibus.

PROSEQUIMUR sub hoc anno narrationem fundationis eremi Rubro-claustrensis apud Lechnicz in comitatu Scepusiense, de qua fuse disseruimus ad annum 1705. „ Durante in Hungaria rebellione „ principis Francisci Rakoczy, ob denegatum sibi pro tunc confœderatio- „ nis homagium, eremitæ Viennenses privati fuerant non solum pro- „ ventibus eremi Rubri-claustrensis, verum & per Rakoczyanum fiscum „ collata fuerant sub nomine principis eadem bona Francisco Berthoti „ tunc temporis generali districtus Scepusiensis, sub provisoratu Davidis „ Mathyasowscki Lutherani, & claustrum & allodia in tantam deso- „ lationem venerant, ut sine tectis relicta ultimæ paterent ruinæ. Pa- „ riter sub gloriosissimis augustissimi imperatoris Leopoldi, & hæredi- „ tario jure coronati regni Hungariæ Josephi armis, pulsis Rakoczya- „ nis, adveniente districtuali Commissario a Nolten, quidquid post Ku- „ ruczones remanserat, nulla habita ratione fidelitatis eremitarum Vien- „ nensium, omnia dicti Claustri, sive eremi mobilia ablata fuere; quod „ quidem non dumtaxat cum ipsis, verum etiam cum omnibus absen- „ tantibus se a bonis suis factum est; quod & justo titulo fieri po- „ tuit, convenientiusque erat, ut antequam Kuruczones insperato redi- „ rent (prout sæpe contigit) Cæsarei milites summe tunc egentes re- „ sidua, quæ supererant, avehi curarent. Verum anno præterito men- „ se februario, pace demum reddita, ex commissione capituli generalis „ Montis-coronæ, Johannes Morelli prior eremi Viennensis constitutus „ fuerat revisor situs novæ eremi Rubro-claustrensis, una cum Emeri- „ co Szillesy. Antequam itineri se daret, simplicem contradictionem „ habuit prælati Maurbachiensis ordinis Cartusiani; sed hanc contemnens „ tamquam non in forma competenti sibi factam, feliciter, licet ma- „ gnis expensis, ob passuum perclusionem, inchoatum iter peregit; di- „ recte enim ob insidiantes Kuruczones & prædones pergere nequivit. „ Primum itaque a dominis testamentariis executoribus (ii erant Geor- „ gius Ghillany electus episcopus Noviensis, Ladislaus Hunyady regius „ aulicus consiliarius & referendarius, & Petrus Reimanus) resignatio- „ nem & translationem petiit bonorum Claustri relictorum ab episco- „ po Nitriense Matthyasowscki, in quorum plenum dominium & pos- „ sessionem ab iisdem immissus est die XXII. hujus anni 1711. Michael „ Repkovics plebanus Ofalvensis, decanus Dunavecensis fidem fecit „ præfatum eremitam cum socio installatum & in possessionem fuisse „ missum die tertia martii, præsentibus Adalberto Schchovics plebano „ Lechnicense, & Gabriele Korponay tricesimatore Ofalvense, Johan- „ ne Augustino, nec non scultetis omnibus, judicibus & juratis pago- „ rum ad Claustrum prædictum spectantibus. Literarum hujusmodi te- „ stimonium exhibitum fuit inclyto comitatui Scepusiensi, una cum „ descriptione & succincta informatione Cartusiæ sancti Antonii, sive „ eremi novæ Rubro-claustrensis, quam etiam idem prior Morellius ve- „ niens ad capitulum generale Montis-coronæ porrexit definitoribus ejus- „ dem capituli. Consensere patres, sed cum eadem descriptio exhibita „ fuisset sacræ congregationi Romanæ, hæc pro majori informatione „ ipsam remisit in Hungariam ad eminentissimum cardinalem a Saxo- „ nia archiepiscopum Strigoniensem. Asserimus hic loci actum capituli „ generalis pro acceptatione præfatæ eremi. "

Cum ab hoc definitorio qualitates & circumstantiæ situs, ac etiam redditus & cetera omnia fuerint plene considerata requisita loci nostræ congregationi Montis-coronæ oblati ab illustrissimo domino Ladislao Matthya-

Ann. Chr. 1710.

sowscki olim episcopo Nitriense bonæ memoriæ, pro fundatione novæ eremi in comitatu Scepusiensi, ad confinia Poloniæ nuncupati Lechnicz, & vulgari nomine Claustrum-rubrum, ubi antiquitus erat constructa Cartusia, & auditis super hoc votis patrum vocalium ad hunc effectum accersitorum, omnibusque aliis mature perpensis, patres definitores unanimiter cum dictis patribus vocalibus statuerunt acceptare, prout effective in vim præsentis actus, dictam novam fundationem, servatis servandis, acceptant juxta dispositionem eremi Viennensis, ad favorem omnium nationum nostræ congregationis. Et cessit omnibus favorabilibus votis die XIX. *maji* 1710. *D. Remigius E. C. M. C. definitor & scriba de mandato.* " Sequuntur „ sub eadem die literæ commissionis factæ Johanni-chrysostomo Urmeny superiori eremi Nitriensis, ut operam daret, præesseique exequutioni hujus fundationis. " *Nos D. Nicolaus a Monte-Bodio præsidens ceterique definitores capituli generalis eremitarum Camaldulensium Montis-coronæ R. P. D. Johanni-chrysostomo nostræ congregationis, & ad præsens superiori eremi Nitriensis salutem in Domino. Quoniam ab hoc nostro definitorio acceptata fuit oblatio olim facta nostræ congregationi Montis-coronæ ab illustrissimo & reverendissimo D. Ladislao Matthyasowscki episcopo Nitriense prædefuncto cujusdam situs & loci nuncupati Lechnicz in comitatu Scepusiensi prope confinia Poloniæ, ubi antiquitus ædificata fuerat Cartusia, pro nova fundatione eremi juxta nostras constitutiones construendæ; Idcirco tibi, de cujus prudentia & experientia plurimum in Domino confidimus, ad meritum sanctæ obedientiæ committimus & mandamus, quatenus eidem fundationi invigiles, locum aliquando per temetipsum vel per alios invisens, & cetera hujusmodi faciens & exercens, quæ dictæ constructioni necessaria esse in Domino magis expedire cognoveris. Tibi enim ad hæc & similia præstanda & peragenda omnimodam facultatem impartimur. In quorum fidem &c. Hac die* XIX. *mensis maji* M. DCC. X. *D. Remigius eremita Camaldulensis definitor & scriba de mandato.*

„ Igitur domnus Johannes-crysostomus ante omnia procuravit extrahere consensum regium, pro quo quidem debuisset numerare sexcentos florenos; ex affectu tamen patronorum in regia aulica Hungarica cancellaria pro tunc existentium, diminuta fuit ei taxa, & redacta ad centum imperiales, sive florenos 150. Post hæc adhibito prudentium consilio, misit duos eremitas ad patres Cartusianos pro habendo responso, an vellent Cartusiam sancti Antonii reluere, vel cedere? Inde discedens ex eremo Zobor cum duobus sociis Ferdinando Steinle Bavaro, & Laurentio Melber converso Suevo, die quinta septembris ejusdem anni 1710. pestem non formidans grassantem, nec reliquias Kuruczonum prædonum, pervenit ad novam eremum, & post actas Deo debitas gratias, circuiens cum Sanctissimo Sacramento extrinsecus eremum, processionem instituit; qua devotione peracta, mitigata est lues pestifera, ut neque unus quidem ex eremo obierit, immo recepti ibidem duo canonici Scepusienses Mathias Winkler capituli lector, & Georgius Laczkovius salvi & incolumes cum familiaribus suis semper permanserint. Commoratus est ibidem Johannes-chrysostomus usque ad januarium mensem anni 1711. quo rediit ad suam Zoborensem eremum, sed post pascha ejus anni iterum cum aliis sociis reversus est ad Rubrum-claustrum, ut reliqua perficeret. Contigit interea deplorabilis jactura ob mortem immaturam anno 1711. sequutam Josephi Hungariæ regis & imperatoris, apud quem Chrysostomus utebatur validissima opera principis Johannis Tranthszon intimi

Ann. Chr. 1710.

„ intimi ministri, & ipsius imperatoris consanguinei, sperabatque se „ multa obtenturum; asseruitque eo casu se paratiorem potius fuisse ad „ amittenda omnia bona, quam imperatorem Josephum. Sed reassum„ptis spiritus viribus, primum regulas scripsit & statuta observanda a „ subditis; secundo se composuit cum comitatu Scepusiensi pro juri„bus eremi; tertio obtinuit rectam descriptionem bonorum Rubri-clau„stri mittendam ad sacram congregationem, quam conficere de man„dato cardinalis de Saxonia archiepiscopi Stigoniensis, qui quidem de„legaverat præpositum Scepusiensem Johannem Sigray episcopum Te„mnensem, sed ob hujus impedimenta, canonici Scepusienses. Interea „ idem cardinalis urgebat Cartusianos, ut concludere vellent, vel ces„sionem, vel redemptionem Claustri; hi vero de die in diem, & de „ anno in annum differebant responsa & definitionem; tandem anno „ 1713. die XXI. januarii negotium in se assumpsit cardinalis, & apud „ Cæsaream majestatem institit, ut præfigeretur Cartusianis terminus „ trium mensium, intra quem aut cedere, aut redimere deberent Car„tusiam, quo transacto perpetuum foret ipsis impositum silentium, & „ præclusa ulterior redemptio. Prorogationem quidem hujus termini „ impetravit visitator generalis Cartusiensis prælatus Brunensis, sed sub „ conditionibus, ut ne per dilatam Claustri redemptionem ecclesia alio„quin ruinæ proxima, nisi restauretur, concidat, neve solitum servi„tium & officium Divinum cessent, ac pia intentio fundatorum de„fraudetur; insuper ut Camaldulensibus eremitis tamquam legitimis „ actualibus possessoribus plane liceat tam eodem Claustro seu Cartusia „ libere uti & frui, quam circa ecclesiam & totum conventum neces„sarias ad inhabitandum reparationes & ædificia facere & extruere, „ hujusmodique sumptus & impensas Cartusiani tempore redemptionis „ exsolvant iisdem Camaldulensibus. Desperatis rebus tandem cessere „ Cartusiani; quæ tamen cessio protracta fuit usque ad annum 1720. „ quo Carolus VI. imperator, perpetuo imperato silentio Cartusianis, „ eremum Lechniczensem cum omnibus bonis ad idem claustrum spe„ctantibus in perpetuum concessit eremitis Camaldulensibus. “ Hæc omnia, ut & superiora ad annum 1705. benignitate sua communicavit nobis, relatione fusa scripta, pius & eruditus Basilius Du-Vergius eremita Viennensis; ex qua compendium fecimus.

XXIV. Historica collecta.

Decessit die XI. septembris septuaginta-tres annos natus Horatius Gratiani a Burgo-sancti-sepulcri professus in Camaldulo-majori Etruriæ anno 1659. Suprema officia in congregatione gessit prioris, visitatoris, & duabus vicibus Majoris. Laudatur ex multis paupertatis & pœnitentiæ exercitiis, inter quæ, quod spontaneam flagellationem nulla die omitteret, etiam in itinerum, & visitationum occasionibus, sed præsertim in ipso commendatur exactissima regularum observatio, ob quarum amorem nunquam passus est expetere, vel percipere ex dispensatione aliquam exemptionem. Colloquens cum secularibus statim introducebat sermones de rebus spiritualibus, consilia sanctissima & salutares admonitiones immiscens, ex quibus ipsius religiosissimam vitæ rationem omnes admirabantur.

Die trigesima martii Johannes-franciscus Barbadicus episcopus Veronensis consecravit ecclesiam sancti Georgii eremi Gardæ, cujus consecrationis extat hocce monumentum. *Illustrissimus ac reverendissimus D.D. Johannes-franciscus Barbadicus episcopus Veronensis ecclesiam hanc D. Georgio M. dicatam consecravit Anno Domini* M. DCC. X. XXX. *mensis martii,*

ANN. CHR. 1710.

tii, ejusque consecrationis anniversarium die sexta martii decrevit in posterum celebrari, concedens quotannis ipsa die eamdem visitantibus XL. *dies Indulgentiæ.*

Obtenta fuit a sacra congregatione Rituum facultas recitandi antiphonam: *Vere Angelus Dei* pro sancto parente Romualdo, quando officium de sancto Benedicto semel in hebdomada perageretur a Camaldulensibus.

Ad humillimas preces procuratorum generalium monachorum & eremitarum Camaldulensium ab eminentissimo & reverendissimo D. cardinale de Abdua relatas, sacra Rituum congregatio benigne indulsit atque concessit, ut in singulis monasteriis & eremis congregationis monachorum Camaldulensium & Montis-coronæ singulis annis feria sexta post Dominicam Passionis officium de Septem Doloribus B. Mariæ Virginis recitari possit & valeat. Die XVII. *maji G. card. Carpineus L.* ✠ *Sigilli B. Ingbirami Sacr. Rit. congreg. secret.*

ANN. CHR. 1711.

XXV. Guidonis Grandii Mathematicæ elucubrationes.

SUB hoc anno elenchum continuamus operum Guidonis Grandii monachi Camaldulensis & Geometriæ professoris in universitate Pisana: *Disquisitio geometrica in systema sonorum D. Narcissi Marsh archiepiscopi Armacani*, inserta inter transactiones philosophicas Anglicanas anno 1709. quam quidem epistolari forma scripserat ad comitem Laurentium Magalottum; quæ iterum lucem vidit Neapoli anno 1731. & Venetiis in opusculis scientificis tomo XXV. anno 1742. *De Infinitis infinitorum & infinite parvorum ordinibus disquisitio geometrica, in qua variis utriusque generis gradibus demonstratis tam methodi infinitesimalis fundamenta ostenduntur, tum præcipue plusquam infinita spatia hyperbolica Vallisii adversus nuperrimos earumdem impugnatores vindicantur;* Pisis 1710. *Quadratura circuli & hyperbolæ per infinitas hyperbolas & parabolas quadrabiles geometrice exhibita & demonstrata;* Pisis 1710. *Considerazioni sopra la scrittura del Sig. Lucantonio Porzio circa il moto de gravi per il piano inclinato;* Romæ 1710. sed impressæ fuere Neapoli. *Epistola mathematica de momento gravium in planis inclinatis; deque directione fulcri in mechanicis attendenda, quam illustravit adnotationibus, & adversus Tambuccianam epistolam opportunis vindiciis munivit Marius de Cæniga auctoris discipulus;* Lucæ 1711. Marius de Cæniga est Joseph Vernaccini Pisanus Grandii auditor. Hoc ipso tempore exarsere celebres illæ controversiæ ipsum Grandium inter, & Alexandrum Marchettum antiquum Matheseos professorem in eadem Pisana universitate. Collecta hic damus Grandii opera contra eumdem. *Antilunario, in cui con 200. note sagre, astronomiche e varie si scuoprono e si emendano alcuni sbagli corsi nel Lunario stampato in Lucca questo anno 1711. sotto il nome del Canonico Pier-lionardo Ricci da Empoli; opera di Niccolò Ripardieri chierico della pieve di Montopoli;* Dublini 1711. Dicavit opus Antonio Magliabecchio; Lunarii autem auctor fuerat Marchettus. *Dialoghi circa la controversia eccitatagli contro dal signor dottor Alessandro Marchetti;* in Luca 1712. *Risposta apologetica alle opposizioni fatte dal dottor Alessandro Marchetti nella sua dotta lettera all' Eccellenza del Signor Bernardo Trivisano. Si difendono con tal' occasione il Galileo ed il Viviani, e s' illustrano molte dottrine circa la resistenza de' corpi duri, e circa la forza dell' Infinito;* in Lucca 1712. *Marius Cæniga Hieronymo Tambuccio epistola;* 1711. *Estratto di una lettera scritta dal P. D. Guido Grandi al signor Ermanno in risposta a quella del Signor Varignon;*

Extat

Extat in tomo VI. Diarii Literatorum Veneti 1711. *Prostasis ad exceptiones Cl. Varignonii libro de infinitis infinitorum ordinibus oppositas circa magnitudinem plusquam infinitarum Vallisii defensionem, & anguli contactus cum infinite parvo ad centrum osculantis circuli constituto comparationem*; Pisis 1713. *Soluzione di due problemi meccanici proposti a matematici d'Italia*; in Diario Literatorum Veneto 17 3. quæ etiam inserta est actis eruditorum Lipsiæ anno sequenti. Post eos annos Grandii elucubrationes fuere super controversiis aquarum. Hinc Pisis anno 1714. edidit: *Riflessioni sopra la controversia vertente frà gl' Illustrissimi signori marchesi Riccardi e Niccolini circa l' alzamento di una pescaja nel fiume Era*. Eodem anno Florentiæ: *Nuove considerazioni fatte dopo l' accesso del mese di Giugno dell' anno 1714 sopra la stessa controversia. Esame della scrittura pubblicata dal Signor dottor Geminiano Rondelli nella famosa causa del mulino dell' Era*; Firenze 1715. *Relazione circa il palude di Fuccecchio all' illustrissimo signor marchese Francesco Ferroni*; in Lucca 1715. *Relazione seconda sopra gli affari di Bellavista e i lavori proposti nel lago di Fuccecchio al medesimo*; in Lucca 1718. *Relazioni delle operazioni fatte circa il padule di Fuccecchio ad istanza degli interessati, e riflessioni circa le medesime*; in Lucca 1718. Quæ reimpressæ fuere Florentiæ tomo II. Auctorum tractantium de Aquis. *Trattato delle Resistenze principiato da Viviano Viviani per illustrare le Opere del Galileo, ed ora composto e riordinato colla giunta di quelle dimostrazioni, che vi mancavano*; in Firenze 1718. & etiam tomo III. operum Galilæi pagina 195. *Proposizioni appartenenti al movimento de corpi solidi nei mezzi fluidi*; Extant in eodem III. volumine pagina 335. *Note al trattato del Galileo del moto naturale accelerato*; Ibidem pagina 385. *Del movimento delle Acque* &c.

XXVI. ResolutionesS. Congr. Concilii in favorem abbatiæ Uranensis.

RESOLUTIO sacræ congregationis Concilii in causa Britonoriense jurisdictionis seu Quæstuationis vertente inter illustrissimum & reverendissimum D. Johannem-baptistam Missirolium episcopum dictæ civitatis, & reverendissimum D. Casimirum Galaminum abbatem monasterii sanctæ Mariæ de Urano ordinis Camaldulensis, super septem dubiis propositis circa ecclesiam sanctæ Mariæ de Lacu, & resolutis die XII. decembris anno 1711. Dubia. *I. An ecclesia sanctæ Mariæ de Lacu, cum domo adnexa sit exempta a jurisdictione & visitatione episcopi? Ad primum Affirmative, exceptis mansionibus inservientibus pro colonis. II. An parochus sancti Christophori in Bassano possit in eadem ecclesia & domo adnexa exercere actus seu functiones parochiales, & administrare sacramenta? Ad secundum Negativè, exceptis mansionibus, ut supra, pro colonis. III. An deputatio collectorum & perquisitorum eleemosinarum tam in ecclesia beatæ Mariæ Virginis de Lacu, quam pariter in diœcesi Britonoriensi spectet ad episcopum vel potius ad abbatiam seu superiorem monasterii sanctæ Mariæ de Urano, prævia licentia dicti episcopi, & respective diœcesani loci, ubi eleemosynæ quæstuantur? Ad tertium, quoad eleemosynas intra ecclesiam spectare ad abbatem absolute; quoad eleemosynas vero extra ecclesiam in casu, de quo agitur, spectare ad eumdem cum licentia ordinariorum respective. IV. An administratio tam dictarum eleemosynarum, quam etiam oblationum, quæ fiunt pro dicta ecclesia beatæ Virginis de Lacu, spectet ad abbatem, vel potius ad depositarium a dicto episcopo deputatum? Ad quartum affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam in casu, de quo agitur. V. An de dictis eleemosynis & oblationibus reddi debeat ratio episcopo, vel sufficiat illam reddere*

dere

Ann. Chr. 1711.

dere superioribus ordinis? Ad quintum negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam in casu, de quo agitur. VI. An saltem episcopus possit superintendentiam habere, ut dictæ eleemosynæ erogentur in causam debitam? Ad sextum negative in casu, de quo agitur. VII. An, & sub quibus pœnis liceat episcopo cogere prædictos patres ad reddendam rationem celebrationis Missarum manualium, quæ a fidelibus offeruntur pro dicta ecclesia, vel potius sufficiat reddere superioribus religiosis Camaldulensium? Ad septimum negative, & ad eminentissimum protectorem, qui provideat in omnibus prædictis, ubi opus fuerit, pro sua prudentia, authoritate etiam sacræ congregationis.

In ecclesia S. Mariæ ad Gradus Arretii prostat hæc inscriptio. *Templum hoc anno* M. D. XCII. *in honorem B. V. Mariæ in cœlum assumptæ, abbate D. Leonardo de Battaglinis Pisano erigi cœptum, & anno* M. D. CCI. *abbate D. Antonio Francisco Laurentio de Caramellis Florentino obductum laquearibus, parastatis superioribus & augustiore maximæ aræ forma adornatum, illustrissimus ac reverendissimus D. Benedictus Falconcinius episcopus Arretinus pridie idus novembris anniversaria die, qua S. Donati ep. m. lipsana hinc olim translata fuere, sollemni ritu consecravit.* A cornu evangelii adest capella subterranea, ubi est crucifixus cum hac epigraphe: *Meruit hic orans Crucifixum audire loquentem, Donatus nostra præsul in urbe vigil.* Altare tenet urnam cum reliquiis Sanctorum & cum hac inscriptione: *Sanctorum reliquias, quæ sub summo altari aliisque in locis veteris ecclesiæ servabantur, in hac tumba a se instaurata poni curavit D. Silvanus Ractius abbas anno Dñi* M.D.VC.

Hoc anno die XXIX. maji & prima junii Coronenses patres rescripserunt pro erectione in prioratus eremorum Zobor in urbe Nitriensi, & Sanctorum Quinque Martyrum in urbe Casimiriæ.

Ann. Chr. 1712.

XXVII. Notitiæ obitus aliquot eremitarum.

PIE decessit hoc anno in eremo Viennensi Austriæ Paulinus eremita Battensteinii in Franconia anno 1639. quinta maji natus, & ad ordinem eremiticum admissus anno 1660. Laudatur in ipso potissimum humilitas, qua se in abjectioribus eremi muniis exercebat. Industria sua fontem aquæ vivæ curavit eremo, quo caruerat a sui fundatione. Diximus de eodem Paulino ad annum 1683. & de eremo Schleisheim in Bavaria ab ipso fundata, ex qua tamen rediit in Cæsaream Viennæ post liberationem urbis ab obsidione. Ex Viennensi ad eremum sancti Michaelis-archangeli in Landsee missus diem extremum ibidem clausit anno ætatis LXXIII. professionis eremiticæ LII. Mentionem honorificam de eo facit Basilius Du-Vergius alter Viennensis eremita in Diario Camaldulensi Tomo IV. pagina 416.

Excessit etiam e vita die XXIX. decembris Primianus a Neapoli ex nobilissima familia Morales. Quinta-decima januarii anno 1622. ortus, in Coronatæ eremum advenit anno 1648. die XXIX. februarii. Sæpius magistrum novitiorum egit, priorem eremorum, & etiam Majorem. Constantia in adversis enituit, infracto animo immunitatem ecclesiasticam sustinuit, zelo singulari abusus de medio sustulit, & cum dexteritate multa & prudentia esset præditus, procurator generalis in Romana curia constitutus, multa pontificia brevia obtinuit, quibus promovit observantiam strictiorum obligationum, quas ipse primus exactissime complebat. Anno 1671. cum Majoris dignitate frueretur, constitutiones novas pro congregatione Coronensi edi curavit. Anno 1683. fundatio eremi Amalphitanæ commissa ipsi fuit. In eremo Nolæ decumbens post LXIV. annos instituti eremitici prope nonagenarius vitam finivit,

quin-

quinque extremi agonis diebus superatis. Dæmonem vidit sub doctoris specie disputantem; paulopost hilaris vultu factus, adstantibus dixit se conspexisse pulcherrimam matronam, quæ creditur fuisse beata Virgo, cujus fuit studiosissimus, quæque ipsum consolata fuit, defenditque contra dæmonem.

ANN. CHR. 1712.

In eremo Camalduli Etruriæ XIV. junii defunctus est Johannes a Modiona oblatus quinquagesimo-sexto ætatis anno, qui postremis vitæ suæ diebus cupiebat dissolvi & esse cum Christo, sed brevi infirmitate optabat dissolutionem hanc fieri, ut manifestavit cuidam sacerdoti eremitæ in solitudine Cortonensi. Reapse ex hac eremo translatus perveniens ad abbatiam Prataliæ, ibidem decubuit duobus diebus, post quos ad valetudinarium Camaldulense relatus, aliis duobus infirmitate detentus permansit, sed ictu apoplectico correptus extremam absolutionem obtinuit ab eodem sacerdote, qui casu e Cortona venerat, cuique suum desiderium patefecerat, & post brevissimam ad Deum meditationem expiravit. Innocentissimis semper moribus vixerat, pœnitentiæ, humilitati, gravissimis macerationibus eousque vacaverat. Distentus in ministeriis extra eremum tota die, sub vesperam domum repetebat, ubi caritate plenus, neque diei laboribus fractus, advenis inserviebat & infirmis tribus vel quatuor noctis horis, & post brevem quietem quotidie ad matutinam synaxim surgebat, & audito sacro ad opera extra eremum regrediebatur, qualibet die vitæ hujus haud interruptum tenorem continuans.

Coronensis alter conversus eremita Christinus a Vico-equensi aprili mense ad Deum transiit in eremo Nolæ, exemplaritate, & patientia insignis ob infirmitates, quæ ipsum lecto infixerant. Interrogatus sæpius, an aliquid optaret; omnibus gratias referebat de caritate, quam erga ipsum ostendebant, quare admirantes eremitæ virtutem famuli Dei post ejus obitum quisque de rebus ad ejus usum spectantibus devotionis gratia servandis rapuit.

XXVIII. Concessa recitatio Sequentiæ in Missa S. Romualdi.

CUM *sacra Rituum congregatio, referente eminentissimo & reverendissimo domino Sancti Clementis cardinale sub die* IX. *maji anni* 1711. *ad instantiam D. Nicolai a Monte-bodio procuratoris generalis Camaldulensium congregationis Montis-coronæ Sequentiam sancti Romualdi fundatoris approbaverit, eamque diebus septima februarii & decima-nona junii, nec non in qualibet feria tertia per annum in congregatione prædicta recitari concesserit: Ad humillimas modo preces D. Alphonsi Cellini abbatis generalis, nomine etiam D. Fulvii Macigni procuratoris generalis ordinis Camaldulensium, pro extensione supradictæ Sequentiæ diebus supra expressis ad totum ordinem utriusque congregationis Camaldulensium sacræ Rituum congregationi humillime supplicantium sacra eadem rituum congregatio ad relationem eminentissimi & reverendissimi domini cardinalis Sancti Clementis, indultum, alias congregationi Montis-coronæ concessum, ad universum ordinem Camaldulensium posse extendi censuit. Die* XXVII. *februarii* 1712. *G. card. Carpineus. Loco ✠ Sigilli. B. Inghirami sacr. Rit. congreg. secret.* Quam recitandam ab omnibus sacerdotibus suæ jurisdictioni subjectis mandavit idem generalis abbas Cellinus die X. octobris hujus anni, ut sancto patri institutori deferretur major, qui posset, honor & cultus.

Proposita fuit in dieta Camaldulensium monachorum hoc anno oblatio nova, quam monachis sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum faciebat eadem civitas de ecclesia sancti Justi intra urbem ædificata;

Ann. Chr. 1712.

verum patres censuerunt prius concordandum super capitulationibus; quibus concordatis facultatem concederent. Inter ceteras capitulationes una erat, ut prope ecclesiam novum monasterium conderent cœnobitæ, adjecta promissione quatuor millium Scutorum, quæ offerebantur a Volaterranis civibus. Permanserunt itaque monachi in suo veteri extra urbem cœnobio.

Ann. Chr. 1713. XXIX. Similiter concessa Officia aliquot Sanctorum.

Toti provinciæ Piceni indulta fuerat anno 1699. sub die XVI. septembris a sacra Rituum congregatione recitatio officii proprii Translationis Almæ domus beatæ Mariæ Virginis, & Missæ respective celebratio. Die autem XX. januarii anni 1703. extensa fuerat eadem facultas ad congregationem eremitarum Camaldulensium Montis-coronæ sub ritu duplicis majoris, redacto tamen officio ad usum monasticum. Præsenti anno: *Cum a P.D. Fulvio Macigni congregationis monachorum Camaldulensium ordinis sancti Benedicti procuratore generali eidem sacræ Rituum congregationi humillime supplicatum fuerit, ut officium Translationis sanctæ Domus Lauretanæ, alias sub die* XX. *januarii PP. eremitis congregationis Montis-coronæ recitari concessum, ad omnia monasteria congregationis prædictorum monachorum Camaldulensium extendere dignaretur; sacra eadem Rituum congregatio, precibus oratoris annuendum esse censuit, dictumque officium a monachis iisdem recitari, & Missa respective celebrari posse benigne indulsit atque concessit die* XXIII. *septembris* 1713. *G. card. Carpineus. Loco ✠ Sigilli. N. M. Tedeschi episc. Liparitan. sacr. Rit. congr. prosecret.*

Eadem die: *Cum expositum fuerit, quod in civitate & diœcesi Nucerina ab immemorabili festum de præcepto cum officio & octava sancti Raynaldi confessoris, ejusdemque civitatis episcopi & principalis patroni; nec non in civitate ac diœcesi Eugubina officium sancti Johannis Laudensis confessoris & episcopi dictæ civitatis sub ritu duplici majori celebretur. Hinc supplicatum fuit ex parte P. D. Fulvii Macigni procuratoris generalis congregationis Camaldulensis, nomine totius religionis, pro concessione dictorum officiorum de communi, sub ritu tamen duplici ad universam religionem utriusque sexus prædictorum Sanctorum, uti alumnorum Avellanæ antiquissimi monasterii ipsius religionis Camaldulensis; sacra Rituum congregatio ad relationem eminentissimi & reverendissimi domini cardinalis de Abdua, audita prius informatione amborum episcoporum, quibus pro informatione commissum fuerat, ac etiam tam in scriptis, quam in voce R. P. D. Prospero de Lambertinis Fidei promotore audito, gratiam petitam concedendam esse censuit. Die* XXIII. *septembris* 1713. *G. card. Carpineus. Loco ✠ Sigilli. N. M. Tedeschi episc. Liparitan. sacr. Rit. congreg. prosecret.* Quapropter *Alphonsus Cellini abbas generalis, ut tam erga Deiparam Virginem Mariam, quam erga prædictos Camaldulensis ordinis Sanctos debitus honor & cultus sedulo præstaretur, in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, & mandavit omnibus & singulis religiosis utriusque sexus ejusdem ordinis, qui ad horas canonicas recitandas tenentur, ut singulis annis die* X. *decembris officium Translationis Almæ Domus Lauretanæ supradictæ, & Missam respective, juxta formam a sacr. Rit. congreg. præscriptam, & ad usum monasticum redactam sub ritu duplici majori; pariterque officia die nona februarii sancti Raynaldi, & die septima septembris sancti Johannis Laudensis sub ritu duplici de communi confessorum pontificum recitent, & Missas respective celebrent. Datum Faventiæ ex nostro monasterio SS. Hippolyti & Laurentii die* IV. *mar-*

tii

tii 1714. Anno 1711. episcopus Nucerinus miserat ad eumdem procuratorem generalem lectiones sancti Raynaldi excerptas ex narrationibus Fortunii, Ughellii & Jacobillii; sed promotor Fidei censuit lectiones & orationes esse corrigendas tam in stylo, quam in narratione factorum. Quoad sanctum Johannem Laudensem (idem dicendum de sancto Raynaldo) hæc habet idem promotor Fidei in sua Relatione: *Admisso quod sanctus hic Johannes Laudensis fuerit monachus & prior monasterii Fontis-avellanæ , titulus sufficiens apparet pro concessione officii illius ordini Camaldulensi , quandoquidem ordinis Camaldulensis fuit institutor sanctus Romualdus , & celeberrimum monasterium Fontis-avellanæ vixit sub regulis sancti Romualdi , & fuit institutum a Ludolpho ejusdem sancti Romualdi discipulo* &c.

ANN. CHR. 1713.

XXX. Reassumpti tractatus cultus B. Petri Urseoli.

REASSUMPTI fuere hoc anno tractatus pro comprobanda sanctitate cultuque immemorabili sancti Petri Urseoli intermissi anno 1703. agentibus in primis stimulosque addentibus Johanne Cornelio serenissimo duce Venetiarum, & Johanne-francisco Barbadico episcopo Veronense, inde Patavino & S.R.E. cardinale. Piissimus dux Cornelius negotium hocce demandavit Johanni-benedicto Tassis Camaldulensi Veneto, tunc abbati monasterii sancti Luciæ de Vicetia, ut liquet ex epistola Angeli Tassis fratris nostri præsulis data die XXXI. julii hujus anni, in qua ipsum admonitum facit, serenissimum ducem Cornelium illi injunxisse, ut undequaque congerere faceret a fratre suo notitias ad vitam, miracula & cultum facientes sancti Petri Urseoli olim Venetiarum ducis. Quare ipse abbas Tassis, præter bibliothecas urbis Venetiarum, quas consuluit, epistolare commercium aperuit cum Emmanuele Vidal Barchinonensi monacho cellerario monasterii Cuxanensis, ope ejus fratris Thomæ Vidal abbatis Cisterciensis, & cum aliis literatis Perpiniani, qui varias scripturas direxerunt ad ducem Cornelium, qui eas omnes communes voluit cum dicto præsule Tassis. Epistolas pariter scripsit abbas noster ad abbatem Bagnolas Johannem-baptistam D'Escallar & de Ford, ope presbyteri Josephi Sirvent beneficiati ecclesiæ Urgellensis in Catalaunia, & obtinuit, ut capitulum Cuxanense post biennium, & post institutum juridicum processum de sanctitate & de miraculis sancti Petri Urseoli, literas officiosissimas daret eidem Cornelio Duci, cum obligatione transmittendi insignem reliquiam corporis sancti Petri Urseoli, quando ab Urbe impetrasset concessiones Officii & Missæ ejusdem Sancti. Epistolam capituli Cuxanensis profert Fontaninius in dissertatione de sancto Petro Urseolo, quæ est hujusmodi: *Serenissime Venetorum dux. Ex literis viri illustrissimi domini Johannis-baptistæ Descastellar & de Ford abbatis monasterii de Banioles, & reverendissimi patris generalis Societatis Jesu, nobis compertum est de pio illo zelo semper laudabili, & nunquam satis laudato, qui in vestra elucet Serenitate, præsertim in exquirendis vita, factis, & etiam prodigiis a sancto Petro Urseolo perpetratis, istius vestræ reipublicæ olim duce meritissimo, & mox hujusmodi nostri monasterii cœnobita per omnia religiosissimo, quo nihil gratius potuit nobis unquam accidere neque jucundius. Nos, ut votis Serenitatis vestræ & desiderio in nobis pio satisfiat, opusculum hoc in fragminibus expressum, quæ in ecclesiæ nostræ tabulario ex temporum edacitate & bellorum inclementia vix supersunt, ad vestram cum debito honore dirigimus Serenitatem, eamdem enixe deprecantes, ut rem tam piam, tamque laudabiliter inceptam promovere pergat. Quoad vero deditionem insignis reliquiæ beati Petri Urseoli, quæ nobis in præfatis literis indicatur,*

ANN. CHR. 1713.

catur, dummodo a sacra Rituum congregatione de prædicto Sancto officium recitandi facultas fuerit obtenta, certiorem reddimus Serenitatem vestram, prædictam reliquiam libentissime tunc dedituros. Nos interim pro salute & Serenitatis vestræ incolumitate, ac pro totius reipublicæ conservatione supplices apud Deum opt. max. preces fundimus. Serenitatis vestræ servi addictissimi Capitulum monasterii sancti Michaelis vallis Cuixanensis, & pro eodem capitulo frater Bonaventura Rocabruna prior claustralis, Officialis & Vicarius. Cuixani die III. *septembris Anno Dñi* 1715. Præcesserat alia epistola ejusdem abbatis Bagnolensis ex Mira die XXV. octobris anni 1714. in qua præsulem nostrum Tassis certiorem fecerat, literas fratris sui ex Gerunda datas die XIX. septembris referre, nondum quidem se habuisse responsum a capitulo Cuxanensi, propter turbulentias temporum, eo quod passus intercepti essent a Michelettis & a militibus, sed nunc deditione Barchinonensis urbis regionem suam tranquillitatem recuperare; quare se literas repetiturum. In secunda autem epistola data die XII. octobris anni 1715. scribit priorem monasterii Cuxanensis dedisse jam epistolam responsivam duci Venetiarum Johanni Cornelio. Cetera acta in monasterio Cuxanensi ad annum 1715.

XXXI. Pretiosa mors monialis Camaldulensis, & aliorum eremitarum.

Ex parthenone sanctæ Catharinæ de Cæsena ad cœlestia regna transiit nonagesimo-tertio suæ ætatis anno, die vero tertia julii, Violans-francisca de Rubeis, sub qua, cum tunc abbatissam ageret, introducta fuerat anno 1692. vita communis, cujus ipsa fuerat primaria promotrix, & sedulissima custos. Completo regimine solitariæ vitæ se addixit, sibi Deoque unice vacans. Vigilabat fere integris noctibus in oratione persistens, & tamen matutinæ synaxeos signum campanæ præveniebat, exceptis postremis vitæ suæ annis, quibus e strato surgebat ad primum signum. Præter externas carnis macerationes probata fuit a Deo gravissimis spiritus tentationibus, & præsertim desperationis; verum ipsa in Deum fidens, oculosque immobiles habens in imaginem Redemptoris, potissimum ultimæ suæ infirmitatis mensibus, de hoste triumphavit, & summa placiditate expiravit. Singularem erga ipsam æstimationem gerebat Johannes de comitibus Fontana episcopus Cæsenas.

Dominicum Morellum Brixiensem eremitam memorat Cornelius in suis Venetis decadibus [a], laudatque sequenti elogio: *Dominicus Morellus Brixiensis mortificatione & orationis assiduitate mirabilis. Eremo præfuit ab anno* 1710. *usque ad annum ejus emortualem* 1713. nempe eremo sancti Clementis Venetiarum, in qua dies suos clausit XVII. novembris, ætatis anno 60. Altera vice præfuerat eidem eremo, & bis etiam Rhuensi, licet post primam vicem magnis precibus institisset, ne ceteris præponeretur. Magister quoque fuit novitiorum, & alumnos formavit, qui in perfectionis via excelluerunt. Præter pietatem, orationis donum, ac internam mortificationem, extremæque paupertatis amorem, eloquentissimus erat & doctus, ac ejus sermones magna voluptate, & maximo fructu excipiebantur. Cum perfervidam corporis constitutionem sortitus esset, iram ita moderatus est, ut ultima occasione pro ipsa comprimenda repellere non potuerit ictum apoplecticum, a quo correpta natura succumbere debuit. Alii ad annum sequentem ejus mortem afferunt.

[a] *XII. pag.* 232.

Supremus fuit hic annus etiam Benedicto Lovera eremitæ Pedemontano. Is natus Saviliani ex patre Francisco comite de Lovera equite commendatario ordinis SS. Mauritii & Lazari, ac ex matre Barbara de Arcatoribus, hoc est *Arcour*, ex Diani, locorumque adjacentium comitibus

tibus progenita, clericus septennis factus, inde post adolescentiam sancte & pie translactam, cum in Saviliani loco anno 1670. missiones haberentur, adjunxit se una cum Josepho de Rubeis Annibalis filio ex Savilianensi honestissima familia, apostolico viro patri Poggio Lucensi ex S. J. qui populo concionabatur, & æternas veritates declarabat, quocum non solum verbis, sed & factis compunctionem & conversionem populorum ipse Lovera promovit; quinimo ambo coram populo comam sibi tondentes, seculo se velle terga vertere palam dixerunt, & insalutata eorum familia, commutatis vestibus cum indumentis vilioribus, ad proximam Belli-montis eremum directe pedes moverunt, petituri eremiticum sancti Romualdi habitum. Verum Belli-montenses id sibi non licere protestati sunt; quare nulla interposita mora fervidi juvenes se contulerunt ad eremum sancti Salvatoris prope Taurinum, vota sua ibidem Domino libaturi. Eorum preces primum rejecerunt eremitæ; demum illorum repetitis instantiis molliores facti, ad probationem quadragenariam susceperunt, quos ubi in proposito perseverare comperere, sacro habitu induerunt die XIX. junii natalitia sancti Romualdi, Benedicti nomen Alexandro Mauritio de Lovera, quod nomen erat baptismatis, & Josepho de Rubeis illud Bernardi imponentes. Antequam sacras vestes induerent, non defuerunt eis tentationes, & quidem validissimæ ex parte genitorum, qui filiorum comperta fuga sollicite eremum adierunt, & nullis blanditiis, nullis minis pepercerunt, ut juvenes ad seculum revocarent, & jam Benedictus Lovera cedebat, nisi ad Deum confugiens & ad magistrum Johannem-baptistam Costam celeberrimum & piissimum eremitam, parentis lenocinia & blandimenta minasque superasset. Emissa subinde professione, & sacerdotio suscepto, Benedictus cepit de virtutibus in virtutes mirabiliter crescere, ut eruitur ex duobus non magnæ molis mss. voluminibus, quæ potius pro se, quam pro aliis scripsit, in quibus fidei, spei, caritatis, humilitatis suique abnegationis specimina illustria elucent, velut commonitoria, juxta quæ se exerceret. Narratur de ipso, quod cum pientissima ejus mater ad Belli-montis eremum venisset filium visitatura, ipse passus non sit, ut illa sacerdotalem dexteram suam oscularetur, & nonnisi jubente priore potuerit adduci ad illius innocentem sacramentalem confessionem audiendam. Sanctissimam Virginem ejusque festa singularissimo prosequebatur cultu Benedictus, præcipue immaculatam Conceptionem; quascumque etiam, quas reperiebat imagines aut simulacra beatæ Virginis, ligno sculpebat, interque devotos distribuebat. Demum infirmitatibus, ariditatibusque spiritus etiam a Deo probatus, paralytico & apoplectico affectu perculsus, biennio decumbere coactus, & in lecto vel in sede sistere ligatus fasciis ad frontem, & ad latera, ne dormiendo decideret, tranquillissime obiit VII. aprilis, die festa Dolorum beatæ Virginis Mariæ, sexagesimo quinto ætatis, quadragesimo tertio eremitici instituti anno, reflorescente insolita decoris venustate facie ipsius longa jam morbi acerbitate ad maciem & pallorem redacta. Præter duo indicata volumina extant alia sub titulo Meditationum beneficiorum Dei; Stimulorum ad favorem contra tepidos religiosos; Exercitiorum orationis mentalis circa mysteria utriusque Testamenti, quæ sunt fœtus pietatis nostri eremitæ.

Monumenta genealogica nobilis familiæ Ravennatis de Guicciolis, qui & Catanei de Dutia, & Girondini, & Calvi, necnon Guisoli seu Visoli appellati fuere. Ravennæ 1714. in fol. Collector horum monumentorum & illustrator fuit Petrus Cannetus abbas Classensis. Ipsius auctoris

Ann. Chr. 1713.

ctoris quoque est oratio de Laudibus sancti Francisci de Paula, pronuntiata in ecclesia Sancti Spiritus Perusii die prima aprilis 1716. & in eadem urbe edita.

Ann. Chr. 1714.

XXXII. Collocatio reliquiarum S. Severi archiep. Ravennatis.

Sollemni ritu præsenti anno idem Petrus Cannetus abbas sancti Apollinaris in Classe Ravennæ locavit in Classensi urbana sancti Romualdi basilica insignes sancti Severi reliquias, quas ante septennium dono receperat ab electore Moguntino, cujus sollemnitatis hæc supersunt monumenta. *Anno Domini* M. DCC. XIV. *quatuor insignia ossa sancti Severi archiepiscopi, Ravennæ confessoris ex Erfurtensi collegiata ecclesia, eminentissimo ac reverendissimo principe Lothario Francisco archiepiscopo Moguntino, S. R. I. per Germaniam archicancellario electore, episcopo Bambergense largiente Ravennam translata, & ordinarii authoritate recognita, sollemni pompa hic reposui & collocavi die* XX. *aprilis ego domnus Petrus Cannetus Cremonensis abbas Classensis, cujus precibus Deus opt. max. tantum thesaurum indulsit.* Extra januam majorem templi hæc prostabat inscriptio: *Divo Severo archiepiscopo post novem secula reportata præcipua corporis parte suam ad sedem reduci sacri plausus.* Super eamdem januam, sed intra templum, sub imagine sancti Severi, & sub alia præfati electoris: *Divo Severo Ravennati, Lothario Francisco Moguntino archiepiscopo, muneri & largitori ob sacra lipsana tibi restituta pium gratum cor pande felix Ravenna.* Super januam minorem in viam publicam ducentem in marmore cœlata erat hujusmodi memoria. *D.O.M. Furtim* IX. *seculo sublatum sancti Severi archiepiscopi corpus deflebat Ravenna, cum seculo* XVIII. *ineunte præcipuam ejus partem Germania restituit, ex munificentia Lotharii Francisci archiepiscopi Moguntini S.R.I. electoris, procurante Petro Canneto Cremonense abbate Classense, qui sacra ossa transtulit, & majori sub ara collocavit* XVI. *kalendas maji* M. DCC. XIV. In urna itaque sub ara principe, quæ seculo præcedenti destinata fuerat pro recondendo corpore sancti Apollinaris primitus, inde pro altero sanctæ Argyridis, locavit Cannetus ossa beati archiepiscopi Severi; qua etiam occasione in museum monasterii transtulit Græcam inscriptionem lapidis marmorei ejusdem sanctæ Argyridis.

Quoad ipsam Argyridem circa hoc tempus Jacobus Laderchius presbyter Oratorii supplicem libellum obtulit cardinali Ulyssi Gozzadino Æmiliæ legato, quo petebat, ut sibi communicarentur notitiæ omnes spectantes ad eamdem sanctam Martyrem, quam a Papebrochii & a Mabillonii opinionibus defendere & illustrare contendebat, utpote qui mandata receperat ab Urbe scribendi contra sacrarum reliquiarum impugnatores.

XXXIII. De bibliotheca Classense.

Præter reliquias sancti Severi Ravennam reportatas, optime meritus fuit Cannetus de eadem urbe, & de monachis suis Classensibus, quos locupletissima in omni disciplinarum genere bibliotheca insignivit; jure itaque gratique animi ergo sub ejus effigie marmorea apposita fuit ipsi discedenti a regimine ejusdem monasterii hoc anno hujusmodi inscriptio. *D. O. M. D. Petro Canneto Cremonensi abbati ordinis Camaldulensis, quod asceticam & literariam provinciam in hoc Classensi Athenæo decennio optime administraverit, ob extructam magnificentius bibliothecam copiosis & selectissimis codicibus locupletatam, eidemque in futurum ditandæ dotem constitutam, abbates & monachi Classenses publico capituli decreto nunquam interituræ beneficentiæ æternum grati animi monumentum posuere anno* M.DCC.XIV. Renuerat, dum regebat monasterium, sequen-

ſequentem apponi, quam confecerat Johannes-baptiſta Rondonus, poſtea epiſcopus Aſſiſienſis. *Petro Canneti Cremonenſi perinſignis Claſſenſis monaſterii Ravennatis ordinis Camaldulenſis per decennium antiſtiti emerito, monaſticæ diſciplinæ aſſertori eximio, bonarum artium, literarum omnium, ſacrarum præſertim cultori ſedulo, fautori liberali, quod Bibliothecam a fundamentis excitatam multis ſignis, qua pictis, qua ſculptis exornatam, pluribus ac raris codicibus auctam & instructam privatæ monachorum utilitati, publico adeuntium commodo aperuerit, monumentum grato eruditorum conſenſu decretum, ingenti poſteritatis beneficio debitum, ſolo auctoris pudore erigi vetitum, J. B. A. R. in obſequii teſtimonium ære ac marmore perennius poſuit.* Claſſenſem bibliothecam, celeberrimumque ejus fundatorem Cannetum honorifica mentione laudat Hieronymus Baruffaldius in ſuis adnotationibus ad Ditirambum *del Tabacco.*

ANN. CHR. 1714.

In capitulo generali Faventiæ celebrato electi fuere in abbatem generalem Ricciardus-maria Giullari ex profeſſione ſanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, Alphonſus Cellini ex illa Claſſis, & Clemens Reginaldus Archibugieri ex profeſſione Avellanæ in viſitatores, & demum in procuratorem generalem Franciſcus-Angelicus Miconi ex profeſſione ſancti Mathiæ de Muriano.

XXXIV. De Theophilo Macchetto inſigni in hiſtoria & in Muſica monacho.

OBIIT hoc anno Theophylus Macchettus monachus Camaldulenſis in abbatia ſancti Michaelis Piſarum, celebris mathematicus, muſicus & hiſtoricus. Natus Venetiis die tertia martii anni 1632. quarto-decimo ſuæ ætatis anno monachum induit in cœnobio ſancti Mathiæ de Muriano. Muſices prima elementa ſuſcepit ab Horatio Tardito inſigni ſui temporis ejus diſciplinæ magiſtro & monacho in abbatia Claſſenſi. Redux Venetias ſub Johanne Legrenzio didicit regulas modi muſici, vulgo il *Contrapunto*. Anno 1681. primatialis Piſarum baſilicæ a sereniſſimo Etruriæ duce declaratus fuit muſicorum præfectus. Conſuluit in Vaticana & in aliis celebrioribus bibliothecis libros tractantes de Muſica theorica, & inter ceteros legit ms. codicem Franci Colonienſis; demum provecta ætate ſeptuaginta duorum annorum, octennii tempore, edidit librum, cui titulus: *Curioſitates Muſicales, in quibus agitur de Muſica in generali, & ad oculum declarantur inconvenientiæ ſcriptorum circa modos et tonos harmonicos veterum, et circa Tempus.* Hæ curioſitates in capitula XXI. diſtribuuntur, ſed capitulum Temporis ſuperat omnia alia capitula ſimul conjuncta. Amicitiam ſtrinxit cum excellenti mathematico & muſico, ac bibliothecario Magnorum ducum Etruriæ Benedicto Breſciani, qui in epiſtola anni 1690. ſcribens ad eumdem Macchettum ait. *Nulla theorica concordat cum practica, ut optime noſti*; ibidemque in ejus laudem difluit. Præter Muſicam diſciplinam, memorias ineditas reliquit glorioſus ſenex noſter de abbatia Vangaticienſi, in quibus antiquitatem, diplomata, privilegia omnia, omneſque controverſias, præſertim quoad præcedentiam monachos inter & clericos ſeculares, in medium profert, ex quibus quoad antiquitates Eſtenſes literarium commercium habuit cum Ludovico Muratorio, & cum Coſmo de Arena. De Macchetto hæc habet Grandius diſſertatione II. Camaldulenſi cap. VII. „ Hugo Etruriæ marchio privilegium abbatiæ ſanctæ Mariæ de „ Vangaditia conceſſit, quod ex erudito atque optimo ſene D. Theo- „ phylo Macchetti monacho noſtro refert Coſmus de Arena parte I. „ de Ducibus & Marchionibus vetuſtis Etruriæ pagina 154. quamquam „ hic auctor ad alium neſcio quem Hugonem Etruriæ marchionem „ aliunde prorſus ignotum id diploma referre malit; qua in re Mac-

„ chet-

Ann. Chr. 1714.

„ chettus noster se illi non plane assentiri posse fatetur. " Edidit præterea prolixam relationem de villa & palatio Plateolæ ad Marcum Contarenum divi Marci procuratorem anno 1683. Pariter prolixa scriptura contra Puccinellium, & Malachiam Inguimbert Cisterciensem abbatem Boni-solatii ostendit apocryphas & inter fabulas accensendas veteres relationes de Hugone duce & marchione Etruriæ, quem tradunt ad Deum conversum ob horribiles visiones habitas dæmonum & ab igne cruciatorum. Linguam Græcam probe callebat, cujus beneficio familiarem sibi reddidit lectionem antiquorum scriptorum de re Musica tractantium.

In monasterio sancti Michaelis de Muriano mortem oppetiit Petrus-franciscus Gallicius ejus cœnobii abbas, qui supremas dignitates abbatis generalis, visitatoris & procuratoris generalis in congregatione obiverat, ac reliquit monumenta multa suæ pietatis & munificentiæ tum in ædificiis, tum in ornamentis ecclesiæ ejusdem cœnobii sancti Michaelis.

XXXV. De Seraphino Borganio eremita, aliisque.

Memorabile ad hodiernam diem est nomen Seraphini Borgani Mantuani eremitæ Camaldulensis Fontanæ in eadem urbe, qui plenus dierum octuagesimo-secundo suæ ætatis anno ad Deum evolavit die xvi. decembris hujus anni. Professus fuerat in eremo Camalduli Etruriæ anno 1656. Singularis in omnibus virtutibus, humilitate, mansuetudine, obedientia, sui abnegatione excelluit. Orationi mentali addictissimus, præsertim in Sacro conficiendo adeo in Deum ferebatur, ut, licet multoties excussus, exteriores motus non perciperet, sed abundantius in lacrymas resolveretur. Dono etiam curationum enituit, ita ut omnes, qui ex ejus ore benedictionem expetebant, ab infirmitatibus suis liberarentur; hinc & viri, & mulieres, & pueri ad eum confluebant, quos aqua lustrali, & sacris reliquiis confortabat. Inter hos filius quinquennis nobilis Mantuani quæstoris Surdi, qui epileptico morbo infestabatur, vix a Seraphino benedictus, protinus convaluit. Verum quia pius eremita animarum potius quam corporum salutem requirebat, neminem a se benedictum dimittebat, nisi opportunis instructionibus admonitum, & sanis consiliis confirmatum. Ultimo suæ vitæ anno extendit benedictionis suæ donum super boves morbo epidemico infestatos, neque ullum animal periit, quod ipse aqua benedicta lustraverat. Exercitus hostilis sub ductu comitis Luzzaræ appropinquaverat eremo Fontanæ, ut ipsam incenderet, metuque omnes eremitæ abscesserant, præter Seraphinum, qui ad milites se conferens oravit eo spiritus fervore, ut sponsionem acceperit nullum damnum eremo inferendum, solumque igne vastandum proximum ducis Mantuani palatium, obtinuitque etiam ea occasione, ut antequam palatio admoveretur ignis, exirent triginta numero viri, qui intra septa ipsius salutis gratia se concluserant. Alia vice, cum furtim sublatum aliquid fuisset ab eremo a quodam milite, adstantibus dixit: Putatisne Deum & sanctum Romualdum id impune laturos? Verum cum mortem ejus militis intellexit, amare flevit, Deoque & suis eremitis veniam postulavit de verbis a se prolatis, perinde ac a Deo ultionem adversus militem implorasset.

In hospitio Neapolitano vivere desiit xxii. septembris Paulus a Monte-fusculo in principatu Ultra eremita Coronensis. Ex nobili & divite domino Marcello de Adjutorio natus, primo forum sequutus est, causasque dixit pro carceribus addictis. Adstrictus a genitore, ut uxorem duceret tamquam primogenitus, ad eremum fugiit. Propinqui armata manu ipsum educere voluerunt ab eremo, sed fortis in suo pro-

posito,

posito, ipsorum violentias elusit. Sæpius prioris, procuratoris generalis & etiam Majoris dignitates sustinuit, innocens moribus, sinceritate & prudentia præditus, in minimis exactissimus legum custos. Cum esset Major congregationis Coronensis, cuidam marchioni inopi gravem pecuniarum summam dimisit assensu ceterorum Coronatæ eremitarum; verum hic ingratus lites movit eremo, sed beata Virgo morte ejusdem & suorum filiorum protectionem assumpsit eremi. Demum a pluribus derelictus, neque tamen querimoniæ voce emissa, obiit Paulus in urbe Napolitana, relicta multa sanctitatis suæ opinione.

De Dominico Mario oblato Rhuensi habetur sequens elogium: *Simplicitate, oratione, caritate nunquam satis laudatus, quem morientem SS. PP. Benedictus & Romualdus ridentem exceperunt.* Sponte exhibitam sibi a superioribus suis profitendi facultatem semper ex humilitate respuit, oblatique gradum ad mortem retinere maluit.

XXXVI. Memoriæ eremitarum Viennensium.

SUBJUNGIMUS memorias eremitarum Viennensium exaratas a patre D. Basilio. „ Carolus, quem Deus illustrissimis parentibus Johanni ab „ Huicking & Isabellæ de Voord liberis baronibus anno 1655. matrimo„nii gratiosum pignus dedit, in ecclesia parœciali Corschenbrichii pro„prii dominii loco in ducatu Juliacensi per sacrum lavacrum fuit re„generatus cum nomine parentis, nempe Johannis. Hic deinde pluri„bus annis in castris Cæsareis capitaneus famose transactis, meliori „ Domino militaturus, Camaldulensi sub labaro professus est anno 1697. „ die XXIII. decembris in eremo sancti Josephi. Qui a magnatibus, „ & ipsis gloriosissimis imperatoribus Leopoldo I. & Josepho I. apud „ quos optime audiebat, & magni erat, multa & magna beneficia ob„tinuit, quemadmodum longe ante antiquissimam marchionum Austriæ „ sedem, arcem scilicet sancti Leopoldi eremo vicinam, ut ibidem pro „ senibus & decrepitis quasi valetudinarium erigeretur, liberali dono „ una cum beneficiis loco incorporatis accepit, quamvis donatio illa a „ supremis superioribus ex causis sibi notis acceptata non fuerit, ho„die vero frustra speratur. Carolus autem propter hoc benefactum & „ alia quamplurima a se præstita merito sibi applicari potuit, quod „ sancta ecclesia de sancto Gregorio Nazianzeno die IX. maji edicit, nem„pe quod ei summum amorem conciliare debebat, multorum paravit „ invidiam, quam nonnisi cum morte declinare potuit, quæ ei accidit „ in eremo Cæsarea anno 1614. ætatis LIX. postquam eidem eremo jam „ anno 1707. cum merito præfuisset.

„ Obiter solum etiam tango R. P. D. Johannem ex stemmate præ„nobili ortum, cui pater fuerat Bartholomæus Morelli de Moremberg „ S. R. I. eques, & Maria-magdalæna genitrix, matrona pia & Deo „ devota, non dissimili genere oriunda; est autem natus anno 1669. „ Viennæ, in sacro baptismate Carolus-josephus vocatus, exemplum „ sequutus anno 1697. R. P. Caroli ab Huicking, cujus erat commi„lito, castris Cæsarianis renuntiavit, dum fuisset annis pluribus in cha„ractere Locumtenentis in regimine excellentissimi domini comitis „ Guidonis a Stahrnberg, & sacrum habitum ex manibus R. P. Mo„desti Caccialupi prioris magno cum solatio accepit. Anno vero 1698. „ coram venerabili P. Tiburtio actuali suo priore Altissimo vota vovit, „ postquam vi testamenti eremum Viennensem, locum professionis suæ „ 2000. florenorum Rhenensium, item aliorum 500. in privatum ere„mi commodum partim, & partim in pauperes impendendorum, ere-

Ann. Chr. 1714.

„ mum autem Nitriensem titulo gratitudinis , quod R. P. D. Johanne
„ Felice multum cooperante tunc in Zobor superiore se ad sacram re-
„ ligionem transiisse dictabat , 300. florenorum hæredem instituisset ,
„ Ambulavit eremita humiliter, & in oculis suis parvus, in ordinariis
„ domus obedientiis per plures annos non negligentior , quam in di-
„ gnioribus sedulus . Pro meritis deinde suis anno 1709. in Cæsarea
„ eremo prior factus domum Dei provide & prudenter magna cum ca-
„ ritate rexit, in pauperes nunquam non misericors, præcipue in eos,
„ qui occulta paupertate premebantur. Unde anno 1710. subditis ere-
„ mi in pago Siffering sterilibus annis in egestatem delapsis , capitulo
„ ejus rationibus consentiente , magnam debitorum partem christiane
„ condonavit ac remisit . Consulturus etiam animabus religiosorum
„ suorum , curis temporalibus non modico spiritus præjudicio di-
„ stractorum, decrevit & opere exequutus est œconomiæ bonorum ere-
„ mi Prinzendorffensium ducendæ præponere seculares administratores
„ pretio conductos . De natione demum Camaldulensi Germano-Hun-
„ garica optime meritus, anno 1714. in eremo Zobor Nitriæ quadra-
„ genarius in Domino obiit, religionis professus annos XVII.

„ Post triginta-quatuor religionis annos decessit etiam Silvanus Rech-
„ berger Austriacus, qui tum œconomici regiminis , tum magistri no-
„ vitiorum, tum prioris Viennensis officia summa religiositate impleve-
„ rat, non mediocriter etiam in sacris literis versatus. "

XXXVII. Collectio aliquot monumentorum.

Ex sanctimonialibus ad æterna gaudia transiit die XIII. decembris Candida Dandini septuagesimo-secundo suæ ætatis anno. Hæc tempore introductionis vitæ communis in parthenone sanctæ Catharinæ de Cæsena libenti animo pecuniam, suppellectilem, cubicula, omniaque prælatæ suæ dispositioni reliquit, & parvam cellam sibi eligens , quam etiam in deteriorem postea commutavit , ut alteri moniali rem gratam faceret, uni Deo adhæsit . Infirmitatibus variis vexata , nullas tamen prætermisit regulares disciplinas , donec ex inopinato casu læsa in brachio, ex obedientia valetudinarium ingressa est, ubi etiam laborans ex inappetentia cibi, & interrogata, quid tandem cuperet? respondit : Jesum felle & aceto potatum ; proinde non decere sub capite spinoso membra esse delicata . Morti proxima ad multum temporis luctam sustinuit, ut apparuit ex actibus exterioribus; deinde inclarescente facie, & hilaris facta manifestavit confessario Dæmonem magno impetu ad se venientem repulsum fuisse a beata Virgine , quæ conspiciendam sibi præbuit. Quo dicto loquela amissa, feliciter expiravit.

Patre procuratore generali congregationis eremitarum Camaldulensium Montis-coronæ, nomine etiam totius suæ congregationis pro facultate recitandi singulis annis ab universa sua religione sub ritu monastico officium SS. Nominis Jesu , ac etiam pro extensione officiorum B. M. V. Rosarii & Montis-carmeli sacræ Rituum congregationi humiliter supplicante; Sacra eadem Rit. congregatio ad relationem eminentiss. & reverendiss. D. cardinalis de Abdua oratoribus gratiam petitam concedendam esse censuit pro officiis SS. Nominis Jesu & SS. Rosarii tantum, die XVIII. *augusti* 1714. *F. card. de Abdua Præfectus. L.* ✠ *S. N. M. Tedeschi episc. Lipar. S. R. C. prosecret.*

Quandoquidem in fumum abierant propositiones factæ patribus Carmelitis excalceatis pro tradenda ipsis ecclesia sancti Michaelis de Arretio membro abbatiæ sanctæ Mariæ ad Gradus ejusdem urbis, extant in archivo

sancti

sancti Romualdi de Urbe [a] sub hoc anno literæ & tractatus habiti cum monachis Vallum-brosanis pro transferenda in ipsorum potestatem eadem ecclesia.

ANN. CHR. 1714.

a Fasc. I. num. 58.

ANN. CHR. 1715.

XXXVIII. Processus super cultu & miraculis B. Petri Urseoli.

REM prosequentibus Johanne Cornelio duce Venetorum, tum etiam Johanne-benedicto Tassis abbate Camaldulense Veneto, præcedenti & præsenti anno institutus fuit Prattæ in episcopatu Helnensi, vulgo Perpinianensi, juridicus processus circa miracula & cultum beati Petri Urseoli olim Venetiarum ducis, inde monachi Cuxanensis, quem ex archiepiscopi Ancyrani Justi Fontanini commentario in nostros Annales integrum iisdem verbis traducimus: *Universis & singulis seriem præsentium inspecturis attestor, indubiamque perhibeo fidem ego Honuphrius Bordes auctoritate regia notarius publicus villæ Prattæ Confluentis Helnensis diœcesis, nec non pro multum illustri multumque reverendo domino domno abbate & capitulo devoti monasterii sancti Michaelis de Cuixano ordinis divi Benedicti Nullius diœcesis, sed ad sanctam Romanam ecclesiam tam in capite, quam in membris immediate subjecti scriba seu regens scribaniam curiæ ecclesiasticæ prædictæ abbatiæ & monasterii. Quod sub kalendariis infrascriptis ad instantiam procuratoris fiscalis jamdictæ curiæ coram illustri & admodum reverendo domino fratre domno Bonaventura de Rocabruna & de Vilalonga olim religioso professo, priore beatæ Mariæ Virginis de Riquer, ac etiam priore claustrali, vicario generali & officiali prælibatæ abbatiæ & monasterii, existente scriba magnifico Josepho Gelcen & Forner Burgense Perpiniani, auctoritateque regia notario publico jam dictæ villæ Prattæ, antecessoreque meo in dicto officio. Fuit recepta quædam informatio de Miraculis sancti Petri Urseoli olim cœnobitæ dicti monasterii, secundum regium edictum Gallico sermone confecta, & postea, substantia facti minime mutata, Latine traducta per admodum reverendum dominum fratrem domnum Johannem Saldoni religiosum professum & infirmarium, secretariumque dicti capituli & monasterii, qui pio labore & investigatione hoc fecit opusculum & confecit, & per ipsos dominos de Rocabruna & Saldoni tunc missa fuit serenissimo duci Venetiarum cum quadam epistola, quæ dictam informationem præcedit, quarum quidem tenor existit in his, quæ leguntur, verbis: Acta capitularia de & super causa pia sancti Petri Urseoli Venetiarum ducis, mox in hoc monasterio Cuixanensi cœnobitæ, virtutibus, miraculisque præclari, qui huc venit anno salutis 976. requievit autem in Domino post annos XI. nempe 987.*

Sequitur epistola ad Johannem Cornelium Venetiarum ducem, quam in medium protulimus ad annum 1713.

Tum legitur: *Supplicat humiliter fiscalis jurisdictionis spiritualis abbatiæ sancti Michaelis de Cuixa dicens, cum in publica sit notitia non solum in monasterio sancti Michaelis de Cuixa, & illius vicinia, sed etiam in comitatibus Confluentis, Rossilionis & Ceritaniæ sanctum Petrum Urseolum monachum fuisse prædicti monasterii, in quo e vita in pœnitentiis & austeritatibus acta in odorem sanctitatis decessit, quamplurimis in vita & post mortem perpetratis miraculis, ut testes producendi affirmaturi sunt, tum experientia, tum ex publica traditione a senioribus accepta, & hæc publica est fama in ore omnium posita. Dicens ab hinc multis seculis, & ex quo sanctus Petrus Urseolus e vita decessit, illius ossa & reliquias asservari in ecclesia prædicti monasterii cum eodem cultu & reverentia, quæ adhibetur ossibus & reliquiis cujusdam Sancti; itaut a lon-*

Ann. Chr. 1715.

longissimo tempore, & post hominum memoriam extet in prædicta ecclesia sacellum & altare sub nomine & invocatione sancti Petri Urseoli constructa, ubi cum magna veneratione jacent illius reliquiæ. Dicens in loco de Ria vicariæ Confluentis in quodam altari ejusdem ecclesiæ extare a longo tempore imaginem sub nomine & invocatione dicti sancti Petri Urseoli, quam illius incolæ pie colunt & venerantur. Dicens quamplurimos, qui prædicti sancti Petri Urseoli opem invocarunt, miram a Deo in infirmitatibus suis aliisque ærumnis, ejusdem Sancti intercessionem divinitus expertos, & de miraculis inibi perpetratis a multis propalam certiores factos fuisse, quæ miracula testes interrogandi attestabuntur. Dicens præterea, quod propter vitam, quam præfatus sanctus Petrus Urseolus sancte & cum pœnitentia degerat, & propter crebra miracula, quæ in vita & post mortem operatus fuerat, ut omnes ubique ferunt, & a majoribus suis audierunt, & sicut nunc propalam tenetur, ut Sanctus, et nomine et titulo sancti Petri Urseoli semper fuit insignitus, in omni regione comitatuum Rossilionis, Confluentis et Ceritaniæ, ac in omnibus terræ partibus, in quibus Sanctus iste dignoscitur, ac in ore omnium publica fama a multis retro seculis, et post hominum memoriam hoc Sancti nomine appellatur, ut affirmaturi sunt testes, qui hæc quotidie audiunt, et a majoribus suis, qui a suis senioribus eadem audierant, acceperunt, nec quidquam in contrarium ad illorum venit cognitionem. Supplicat tandem, ut super factis in hac supplicatione contentis, et in aliis testibus inducendis de sanctitate prædicti sancti Petri Urseoli, reverentiæ vestræ lubeat mandare, ut illorum fiat coram vobis informatio, ut tanti Sancti memoria immortalitati gloriosæ consecretur in ipsius honorem et exaltationem, et probe et sapienter erit factum. Vilar & Pujol.

Visa hac præsenti supplicatione mandamus, ut informationes super factis in ea contentis fiant coram nobis juxta petita. Datum in nostro monasterio sancti Michaelis de Cuixa die XXV. *mensis septembris anno* 1714. De Rocabruna prior officialis & vicarius generalis.

Nos frater Bonaventura de Rocabruna et de Vilalonga presbyter prior beatæ Mariæ de Riquer prior claustralis monasterii sancti Michaelis vallis Cuixanensis ordinis sancti Benedicti Nullius diœcesis, sed ad sanctam sedem tam in capite, quam in membris immediate subjecti, et pro admodum illustri capitulo ejusdem monasterii, sede abbatiali vacante, in spiritualibus et temporalibus officialis et vicarius generalis. Attendentes ad piam instantiam nobis factam ex parte procuratoris fiscalis curiæ ecclesiasticæ abbatiæ ejusdem monasterii super factis contentis et in supplicatione expressis die XXV. *currentis mensis septembris per dictum procuratorem fiscalem nobis præsentata, cui informationi in exequutionem provisionis a nobis factæ ad calcem dictæ supplicationis inhærentes processimus modo et forma sequentibus.*

Die XXVIII. *septembris* 1714. *in urbe Prattæ stetit coram nobis fratre Bonaventura de Rocabruna vicario generali supradicto Maria Roca filia legitima et naturalis quondam Francisci Roca calceolarii urbis Insulæ Rossilionis et Mariæ conjugis adhuc in vivis. Hæc vigesimum circa quintum, ut ipsa affirmat, annum agens, testis producta per dictum procuratorem fiscalem, et per nos ex officio nostro recepta, virtute juramenti Domino Jesu Christo, et super quatuor sancta evangelia præstiti in posse et manibus nostris, spopondit se nonnisi vera prolaturam. Interrogata super contentis in dicta supplicatione ipsi Mariæ testi perlecta dixit, cum ab hinc circiter tribus annis graviter oculorum morbo, argemate scilicet,*

licet, seu albugine in utroque oculo laboraret, cumque formidaret, ne visum penitus amitteret, sanctum se Petrum Urseolum invocasse, spopondisseque se ipsum Sanctum visitaturam ad monasterium sancti Michaelis Cuixanensis, in quo ejusdem Sancti quiescunt reliquiæ, quod ipsa testis opere complevit in eodem monasterio; quæ cum ante ipsius Sancti imaginem reliquiasque devota orasset in sacello in eodem monasterio ipsi Sancto dedicato, Sanctum Petrum Urseolum ex toto corde invocans, deinde supplex petiit a quodam ex monachis ejusdem monasterii, ut suis oculis chrystallum admoveret, quod chrystallum ipsa testis affirmat se audivisse esse alteram ex reliquiis dicti Sancti, quod quidem extemplo a prædicto monacho illius oculis aliquantulum temporis admotum, dum ipsa sanctum Petrum Urseolum ex tota anima deprecaretur, sperans fore, ut per ipsius intercessionem ab oculorum morbo libera remaneret & sana, quod quidem re effectum est, ita ut ex tunc albugo & argema evanuerint, & visus corporalis in ipsa fuerit perfecte restitutus, ac si nunquam oculorum morbo laborasset. De quibus ipsa maximas Deo & dicto sancto Petro Urseolo grates retulit. Hoc & nihil aliud ipsa testis scit, nec super contentis in supradicta supplicatione valet aliud attestari. Lecta illi hac depositione affirmavit hanc verum continere, & in hac persistit affirmatione, & interpellata ad subscribendum declaravit se scribere ignaram. Subscripti in originali: De Rocabruna & Vilallonga, Josephus Gelcen & Forner notarius.

Die XXII. julii 1715. in dicta urbe Prattæ. Stetit coram nobis supradicto officiali & vicario generali Baptista Fuguet agricola de Evol in Confluenti, annum agens, juxta ipsum, circa quadragesimum, testis productus per dictum procuratorem fiscalem, & per nos ex nostro officio receptus virtute juramenti &c. interrogatus affirmavit, cum ab hinc circiter quindecim diebus ad arandum abiret in fines ejusdem loci de Evol, se gravissimum in dextero oculo sensisse repentine dolorem, itaut eodem oculo captus pene remaneret, cum antea oculorum morbo nunquam laborasset, immo ipsis oculis clare & perspecte usus hucusque semper fuerat. Tunc eumdem variis fricans vicibus, ut, si posset, albuginem inde extraheret, sperans fore, ut hac extracta, visum in eodem oculo reciperet amissum, quod contra evenit, ita ut ab aratro cessaverit, licet invitus. Tunc in suam domum in dictum vicum de Evol coactus venit, ac reverendo Michaeli Ver presbytero, & ejusdem loci de Evol vicario enarrat casum, qui vicarius ipsum testem hortatus est, ut toto affectu sanctum invocaret Petrum Urseolum in monasterio sancti Michaelis de Cuixa, eumdemque devoto visitaret animo, quia cum multi ipsum invocantes visum a Deo impetrassent, eamdem gratiam ipsi impartiretur, quod re evenit. Ipse enim testis die decima-quinta currentis mensis julii dictum monasterium adiit, Sanctum prædictum devote visitavit, ad imaginem in sacello ipsi Sancto in eodem monasterio dedicato enixe oravit, ac tunc monachum quemdam ejusdem cœnobii deprecatus est, qui chrystallum, quod altera ex reliquiis est dicti sancti Petri Urseoli, ad suum vellet oculum admovere, quod prædictus monachus lubentissime gessit. Eo ad oculum admoto statim minuitur dolor et levatur, et pristinam oculorum sanitatem consequutus est, ut etiam nunc cernere licet. De quibus ipse maximas Deo et dicto sancto Petro Urseolo grates retulit, et quotidie refert. Hoc et nihil aliud scit ipse testis &c. Lecta ipsi testi &c. Subscripti &c.

Die XXVI. julii anni 1715. in prædicta urbe Prattæ apud nos supradictum officialem et vicarium generalem stetit Maria Bober vidua Josephi Bober

Ann. Chr. 1715.

Bohes textoris vici de Siracho in Confluenti, plusquam sexagenaria testis &c., interrogata affirmavit: Quum ab hinc triginta circiter annis gravissimum dolorem ventris per quinque annorum spatium pateretur, quamplurimis medicamentis, medicorum cura & chirurgorum per id tempus inutiliter adhibitis, itaut ne minimum quidem levamen sentiret, quinimmo dolor ipse ventris ipsam semper opprimeret, tunc se alvi dolore & tot medicorum remediis fatigatam cœlica tandem remedia implorasse. Quapropter ex toto animi affectu auxilium sancti Petri Urseoli invocavit, promittens ipsum Sanctum ad monasterium sancti Michaelis de Cuixa se devote visitaturam, in cujus ecclesia sacellum & altare sancto Petro Urseolo cum ipsius imagine extant dedicata, & in hoc ipso altari Missam pro se celebrari curaturam. Quibus ab ipsa teste debite persolutis, prædictum monasterium nudis pedibus eumdem Sanctum oratura, interdum adibat. Post hæc lapidem, qui monasterium, campumque Longadera vulgo nuncupatum ad radicem montis seu nemoris, quod extra idem monasterium interest, pia visitavit, super quem lapidem in ventrem prona bis jacuit ipsa testis, dictum Sanctum assidue deprecans, ut sua ipsa intercessione incolumitatem enixe petitam vellet impetrare. Aliquantulum post temporis, omnibus spretis medicinæ remediis, levatus dolor, & deinceps illo penitus liberata est, itaut nunquam exinde hunc ventris dolorem senserit, de quibus ipsa maximas Deo & dicto sancto Petro Urseolo grates retulit, & quotidie refert. Hoc & nihil aliud &c. *Lecta* &c.

Dictæ die XXVI. *julii anni* 1715. *in eadem urbe Prattæ coram nobis officiali & vicario generali stetit Clara Dento, uxor Pauli Dento majoris vici de Siracho in Confluenti ætatis suæ anno quinquagesimo-tertio testis producta* &c. *interrogata* &c. *affirmavit ab hinc circiter decem & octo annis filiam suam ex eodem matrimonio procreatam, secundo ætatis anno ubera adhuc sugentem alvi dolore super septem mensium spatium fuisse oppressam, ut noctes diesque lacrymans, vociferansque ageret, & multis variisque humanis adhibitis remediis nihilo fieret sanior. Tunc ipsi testi persuasum est, ut sanctum invocaret Petrum Urseolum, sponderetque ad monasterium sancti Michaelis de Cuixa suam deferre filiam, in quo sacellum & altare cum sancti Petri imagine eidem Sancto extant dedicata, necnon ad quemdam lapidem extra monasterium, qui ager vulgo dicitur Longadera, nemusque ejusdem interesset monasterii, filiam gestaret suam, super quem lapidem prædictum Sanctum vigilias egisse audierat, & huic lapidi prædictam natam ventris dolore oppressam in ventrem pronam induceret; quæ omnia supradicta testis ex toto animi affectu se exequutioni promisit mandaturam, quæque, dum licuit, opere complevit. Nam cum natam suam prædicto lapidi in ventrem pronam tantum devota & supplex collocasset, statim ventris cessavit dolor, et exinde eo dolore ad suum usque obitum libera semper extitit, de quibus ipsa testis maximas Deo et dicto sancto Petro Urseolo grates reddidit, et ex quo hanc ipsa suæ natæ gratiam impetravit, affirmat, se ex omnium ore audivisse quamplurimos, qui prædictum sanctum Petrum Urseolum devote invocant, ipsius Sancti intercessione ab suis ægritudinibus convaluisse. Hoc et nihil aliud scit ipsa testis* &c. *Lecta* &c.

Die VI. *augusti* 1715. *in prædicta urbe Prattæ: Apud nos prædictum vicarium generalem stetit Petrus Pares rusticus loci de Ria in Confluenti, ætatis suæ, ut ipse affirmavit, annum circa septuagesimum agens testis productus* &c. *Interrogatus* &c. *dixit se meminisse et suæ inesse memoriæ, quum parochiani ejusdem loci de Ria altare ad honorem sancti Sebastiani*

ni in ecclesia ejusdem parochiæ construi curassent, reverendum Felicem Beringer presbyterum, & ejusdem tunc temporis ecclesiæ rectorem imaginem sancti Petri Urseoli in eodem altari suis sumptibus collocasse, in quo altari hæc eadem extat imago, quam parochiani ejusdem loci pie colunt & venerantur. Affirmavit etiam idem testis prædictum rectorem proprio suo motu, & ultima cavisse voluntate, ut corpus suum ante prædicti Sancti imaginem humaretur, ubi nunc usque jacet sepultum. Hoc & nihil aliud scit ipse testis. Lecta &c.

Die & anno supradictis in eadem urbe Prattæ: Coram nobis prædicto officiali & vicario generali stetit Josephus Angles agricultor, oriundus ex vico de Sirach, nunc autem incola loci de Ria in Confluenti annum circa octuagesimum, ut ipse testatus est, agens testis productus &c. *Interrogatus* &c. *affirmavit, dum reverendus Felix Beringer presbyter & rector ecclesiæ parochialis sancti Vincentii loci de Ria in vivis esset, se palam audivisse & in publico, incolas ejusdem loci altari in dicta ecclesia sancto Sebastiano dedicato construendo operam d disse, & a prædicto rectore se se accepisse ipsum rectorem imaginem sancti Petri Urseoli in eodem altari statuisse, in quo nunc usque pie, reverenter & devote ab eodem populo colitur & asservatur. Præterea asseverat idem testis, se ab eodem rectore Beringer audivisse, cum idem rector aliquando Bullarum expeditionem pro dicta rectoria in sui favorem a Romana curia expectaret, suasque ad aures pervenisset ventorum inclementia nimium mare concitatum, ipse timens, ne Bullarum suarum expeditiones ventorum violentia pereuntes maris fluctu amitteret, cum sanctum Petrum Urseolum hac in angustia invocasset, paucis post diebus has Bullarum expeditiones portum felicem assequutas, quod ipse rector intercessione prædicti sancti Petri Urseoli factum autumabat, præsertim cum ad se pervenisset, quamplurimos alios expeditionem Bullarum suarum plurimarumque pactionis tabularum & commentariorum hac in abstrusissima ac urgenti procella jacturam fecisse, affirmabatque idem rector, se quandiu foret in vivis, prædictum Sanctum toto animi affectu culturum, ante cujus imaginem, ut suum corpus humaretur, suo mandavit testamento, ubi nunc jacet. Item attestatur idem Josephus Angles, se palam & in publico quamplurima miracula ab ipso Sancto perpetrata audivisse, præcipue pro oculorum serenitate ceterisque morbis, quæ ipsum invocantes experiuntur, voventes ipsum ad monasterium sancti Michaelis de Cuixano visitare, ubi prædicti sancti Petri Urseoli reliquiæ quiescunt in altari in eadem ecclesia ejusdem monasterii eidem Sancto dedicato, quique lapidi devote procumbunt, qui situs est inter campum, vulgo la Longadera nuncupatum, & nemus ejusdem monasterii, super quem lapidem prædictum Sanctum vigilias egisse se ex auditione sæpius audivisse pro certo affirmat. Hoc & nihil aliud scit ipse testis* &c. *Lecta* &c.

Eadem die VI. *augusti anno* 1715. *in urbe Prattæ, Reverendus Hieronymus Gusi presbyter oriundus & nunc vicarius loci de Ria in Confluenti, plusquam sexagenarius stetit coram nobis supradicto vicario generali testis productus* &c. *Quæsitus* &c. *affirmavit suæ inesse memoriæ, & probe meminisse, se ex auditione publica accepisse, tempore, quo reverendus Felix Beringer curam gerebat parochialis ecclesiæ sancti Vincentii loci de Ria, illius parochianorum commune altare in eadem ecclesia sancto Sebastiano dedicandam curavisse statuendum, seseque ab ipso rectore aliquoties audivisse ipsum imaginem sancti Petri Urseoli, cujus clientem & devotum se præstabat, in dicto altari suis locasse sumptibus, ibique pro certo esse suarum Bullarum expeditionem pro eadem rectoria nonnisi pia sancti Petri inter-*

terces-

Ann. Chr. 1715.

tercessione naufragium evasisse, cum in eadem navi ventorum & maris fluctuum procella navis atrociter agitata, aliarum Bullarum expeditiones, ceterasque pactionis tabulas et commentaria periisse ipsi compertum esset. Hæc autem imago sancti Petri Urseoli extat nostris etiam temporibus in eodem altari, quam parochiani ejusdem loci pie colunt & venerantur. Et ipse rector palam me teste dicebat, se sancto Petro Urseolo semper, dum viveret, fore devotum, ante cujus imaginem corpus suum humari voluit, ubi ad nostra usque tempora jacet sepultum. Asseverat præterea idem testis se ex publico semper audivisse variis infirmitatibus et præsertim oculorum morbo oppressos sancti Petri Urseoli intercessionem pie implorantes, voventesque monasterium adire sancti Michaelis de Cuixa, in quo reliquias ejusdem Sancti asservantur, in cujus ecclesia extat altare eidem Sancto dedicatum, in quo ejus reliquiæ custodiuntur, quæ ab omni vicinia coluntur et pie visitantur. Et eos, qui lapidi prædicto procumbunt, ad quem sanctum Petrum Urseolum suum plerumque cepisse somnum, omnium in ore est, asseverat ipse testis, hos variis morbis oppressos convalescere, & ad pristinam restitui sanitatem, plurimaque & crebra ejusdem Sancti intercessione miracula præstari. Hoc & nihil aliud scit ipse testis &c. Lecta &c.

Eadem die VI. augusti 1715. in prædicta urbe Prattæ. Apud nos prædictum officialem & vicarium generalem stetit Raphael Banet faber lignarius, alter ex consulibus hoc anno dicti loci de Ria in Confluenti circa annum ætatis suæ trigesimum-tertium testis productus &c. Interrogatus &c. dixit sibi esse in memoria, quantum per ætatem licet, se omnium ex ore audivisse hoc eodem in vico de Ria, quo tempore reverendus Felix Beringer rector illius existeret, commune ejusdem parochiæ altare novum sancto Sebastiano dedicatum construxisse in dicta parochiali ecclesia, & prædictum rectorem Beringer imaginem sancti Petri Urseoli suis inibi sumptibus collocasse, ubi ad nostra usque tempora asservatur, et a fidelibus pie colitur et visitatur, cujus ante imaginem ipse Beringer voluit humari corpus suum, ubi nunc etiam jacet sepultum. Attestatur præterea ipse testis ex publica auditione reliquias sancti Petri Urseoli extare in monasterio sancti Michaelis de Cuixa, in cujus ecclesia extat altare cum imagine sancti Petri Urseoli eidem Sancto dedicatum, quod ipse testis per se scit, et persæpe vidit oculis suis, audivitque eos, qui in infirmitatibus suis hujus Sancti ex toto corde implorant auxilium, voventes ad prædictum monasterium se illum devote visitare, sanitatem et valetudinem assequutos, nec non esse lapidem in quodam oratorio, paucis ab hinc annis constructo nemus inter monasterii et campum Longadera appellatum, super quem lapidem sanctum Petrum Urseolum, ut somnum caperet, jacuisse asseverant. Hoc et nihil aliud scit ipse testis. Perlecta &c.

Eadem die VI. augusti 1715. in prædicta urbe Prattæ. Coram nobis prædicto officiali et vicario generali stetit Emanuel Angles agricultor loci de Ria in Confluenti annum agens circa quadragesimum secundum testis productus &c. Interrogatus &c. dixit se semper in prædicto loco de Ria ex ore omnium audivisse, commune ejusdem parochiæ altare novum in ecclesia parochiali sancti Vincentii ejusdem loci sancto Sebastiano dedicatum construxisse, & imaginem sancti Petri Urseoli, quæ eidem inest altari, sumptibus reverendi Felicis Beringer presbyteri et quondam ejus loci rectoris inibi fuisse collocatum, quam prædicti Sancti imaginem fideles ejusdem parochiæ pie colunt et venerantur, ante quam corpus ejusdem rectoris humatum, juxta ipsius extremam voluntatem esse asseverant, af-

firma-

firmavitque prædictus testis se pro certo habere reliquias ejusdem Sancti asservari in ecclesia monasterii sancti Michaelis de Cuixa, ubi extat altare sancto Petro Urseolo dedicatum, in quo ab omni vicinia pie colitur & devote visitatur, hosque qui illius toto animi affectu implorant auxilium, voventes se ejusdem reliquias ad idem monasterium devote visitare, a languoribus suis esse sanatos. Item nemus inter monasterii agrumque la Longadera vulgo appellatum, lapidem inesse, super quem prædictum Sanctum noctes egisse integras publica fama est, plurimaque illius Sancti intercessione miracula perpetrari. Hoc & nihil aliud scit ipse testis. Lecta &c.

Eadem die VI. *augusti* 1715. *in prædicta urbe Prattæ: Honorabilis Josephus-maria oriundus & nunc bajulus loci de Ria in Confluenti viginti octo annis natus coram nobis stetit prædicto officiali & vicario generali testis productus* &c. *Interrogatus* &c. *affirmavit sese, quantum per ætatem licet, ex omnium ore audivisse altare sancto Sebastiano dedicatum in ecclesia parochiali sancti Vincentii loci de Ria opera & cura communis ejusdem parochiæ fuisse constructum, imaginemque sancti Petri Urseoli, quæ nunc etiam in eodem altari sita est, sumptibus reverendi Felicis Beringer quondam ejusdem ecclesiæ parochialis rectoris in eodem altari fuisse collocatam, ante quam imaginem rector ipse mandavit sua ultima voluntate, ut omnes affirmant, suum humari corpus, & nunc ibidem jacet sepultum, quam imaginem a parochianis ejusdem loci pie cultam & quotidie visitatam testis ipse oculatus affirmat. Item scit ipse testis, quia ipse vidit, crebroque videt sacellum altareque cum imagine sancti Petri Urseoli ipsi dedicatum in monasterio sancti Michaelis de Cuixa, quem omnis vicinia pie colit & veneratur. Tenetque ex auditione publica permultos variis languoribus afflictos & Sancti hujus pia intercessione fuisse sanatos, ac pleraque inibi perpetrari miracula erga illos, qui pio animi affectu ipsum invocant, voventes hujus Sancti reliquias ad prædictum monasterium se devote visitaturos, in cujus ecclesia magna cum reverentia asservantur, necnon & lapidem pie visitantes situm inter agrum dictum la Longadera & nemus prædicti monasterii, ad quem paucis ab hinc annis oratorium fuit constructum, super quem lapidem se a multis accepisse testatur, prædictum sanctum Petrum Urseolum integras noctes egisse. Hoc & nihil aliud scit ipse testis* &c. *Perlecta* &c.

Die XVII. *augusti* 1715. *in urbe Prattæ: Stetit coram nobis prædicto officiali & vicario generali Michael Sallent oriundus ex loco de Faurinya, nunc vero urbis de Codolet in Confluenti annos agens circa sexaginta testis productus* &c. *Interrogatus* &c. *dixit, quum ab hinc circiter viginti annis gravissimo aurium dolore afficeretur, itaut noctes diesque præ doloris acerbitate ageret insomnes, quamplurimis medicamentis humanis incassum adhibitis, tunc se divina remedia implorasse. Idcirco sancti Petri Urseoli auxilium invocavit, spoponditque, si gravis nimium ille dolor aurium dicti Sancti intercessione cessaret, prægrandem illum lapidem aditurum, super quem bis vovit pernoctare circa monasterium sancti Michaelis de Cuixa inter agrum dictum la Longadera, & nemus ejusdem monasterii situm, super quem lapidem sanctum Petrum Urseolum vigilias egisse ex rumore publico se audivisse affirmat, qui lapis nunc extat in oratorio in eodem loco paucis ab hinc annis constructo. Statim emisso voto, aurium ille dolor penitus cessavit. Post hæc testis ipse prædictum Sanctum consulto ad prædictum monasterium devote visitavit, in cujus ecclesia illius extat imago cum altari in ejus honorem dedicato, in quo ipsius reliquiæ asservantur,*

ANN. CHR. 1715.

tur, votumque nuncupatum explevit. Altera autem vice, quum secundum fanum ad locum de Nobedas in Confluenti perrexisset, ab hinc circiter annis octo, supervenit ille iterum aurium dolor, licet non tam acerbus, ut ille prior, & ipse iterum invocans sancti Petri Urseoli auxilium, continuo ab illo sanatus est, ita ut exinde nunquam in auribus vel minimum quidem dolorem senserit, de quibus grates semper Deo retulit, & prædicto sancto Petro Urseolo. Lecta ipsi testi &c.

Die XXVIII. augusti 1715. in prædicta urbe Prattæ: Stetit coram nobis prædicto officiali & vicario generali reverendus Josephus Garau presbyter oriundus & incola urbis Prattæ in Confluenti annos natus circa unum & quinquaginta testis productus &c. Interrogatus &c. affirmavit ab hinc circiter viginti annis cum ordine Sacerdotali jam foret insignitus, se gravissimo morbo oppressum, itaut ex febris ardore aliquoties mente laberetur, sacramentis Pœnitentiæ et sanctissimæ Eucharistiæ fuisse munitum, medicorum consilio, qui vitam illius corporalem desperabant. Tuncque meminisse reverendum quondam Franciscum Gonellam presbyterum in eadem urbe Pratta, qui illum in hac infirmitate inviserat, eum fuisse hortatum, ut cujuspiam Sancti auxilium invocaret, ut, si forte posset, illius intercessione corporalem a Deo salutem impetraret, indicans in primis sanctum Petrum Urseolum, cujus reliquias cernere erat in monasterio sancti Michaelis de Cuixa, quia quamplurimi, qui illius Sancti in variis languoribus opem implorabant, incolumes evasetant, et sane ipsum sacerdotem Franciscum Gonella, qui aliquando in gravem morbum inciderat, quum hac in angustia eumdem Sanctum ex toto corde invocasset, ægritudinem levatam et minutam statim sensisse; quibus a prædicto teste auditis, probe ipse recordatur se tunc ex toto animi affectu sanctum invocasse Petrum Urseolum, ac etiam id dicto presbytero Francisco Gonella commendasse, itaut in crastinum ipse testis solatium ex hac pia invocatione sibi allatum magnopere senserit, ac exinde sensit, et brevi convaluit. Quum autem pristinam consequutus esset valetudinem, monasterium adiit sancti Michaelis de Cuixa, sacellum visitavit, ad altare sancti Petri Urseoli ante ejus imaginem Sacrum peregit, et Deo et prædicto Sancto gratias retulit, cujus Sancti piam semper exinde memoriam retinuit, itaut tunc decreverit habitum induere sancti patris Benedicti in monasterio prædicto, si sibi concederetur, saltem per medium coadjutoriæ, quam pluries postulavit, & per se non stetit, quin professionem in eodem cœnobio emitteret. Et quoties prædictus testis prædictum monasterium petit, sacellum prædictum visitat, & ad altare ante prædictam imaginem singulariter orat, quam ex tunc pie veneratur & devote. Hoc & nihil aliud scit prædictus testis &c. Lecta &c.

Die XXXI. augusti anni 1715. in prædicta urbe Prattæ: Apud nos prædictum officialem & vicarium generalem stetit Francisca Mir uxor Josephi Mir pharmacopolæ urbis Prattæ in Confluenti annos nata de suo assensu circa trigesimum tertium, testis producta &c. Interrogata &c. affirmavit ab hinc uno circiter anno visum se penitus amisisse, ita ut per quatuor mensium spatium nulla ipsi facultas videndi superesset. Quare plurimis adhibitis humanis remediis duorum chirurgorum cura, sed incassum, per id tempus corporalibus oculis capta semper fuit. Verum quamplurimi ipsam hortantes, ut sancti Petri Urseoli opem ad sanctum Michaelem pie invocaret, cum ex remediis humanis nullum sentiret levamen, tunc a prædicto Sancto auxilium enixe postulavit, seseque voto adstrinxit, si per istius Sancti intercessionem oculis amissis remedium obtineret, per novem dies con-

continuos prædictum Sanctum ad ecclesiam prædictam , in qua imago & altare ipsi extant dedicata , se devote visitaturam ; quo voto nuncupato , statim oculorum caligo paululum dilapsa est , & ut ad meliorem statum pervenit , votum explere incepit. Prima die unum ex monachis ejusdem monasterii adiit , chrystallum , quod est alterum in reliquiis hujus Sancti , oculis sibi admoveri postulavit , quo admoto , & mox extracto confestim ad pristinum statum restituta est , & exinde clare videt & acute , de quibus Deo & dicto sancto Petro Urseolo grates retulit & refert quotidie. Hoc & nihil aliud scit ipsa testis &c. *Lecta* &c.

Post præfata miracula sequuntur responsa ad quæstiones super vita , gestis & miraculis beati Petri Urseoli propositas a nostro præsule Tassis. *Primo quæritur , utrum corpus beati Petri Urseoli quiescat in ecclesia monasterii sancti Michaelis de Cuixa ordinis sancti Benedicti? Respondetur: constat illius Beati corpus quiescere his nostris temporibus in altari ad ejus honorem constructo in theca fustea deaurata ad calcem ejusdem altaris , subtus imaginem sancti Petri Urseoli in sacello dicto sancti Petri Urseoli , ubi extat lampas , quæ noctes diesque ardet. Utrum Sanctus vocetur? Respondetur: Apud totam hanc regionem habetur ut Sanctus , crebro visitatur , ut Sanctus , & colitur ut Sanctus . Utrum sancta sedes illi Sancti titulum adscripserit vel tacite , vel expresse , aut indulto aut privilegio? Respondetur: Nihil ex istis apud nos invenitur ; sed in quadam veteri Regula sanctissimi patris nostri Benedicti , quæ olim legebatur in choro , in catalogo typis impresso omnium Sanctorum ordinis nostri , summorum pontificum , imperatorum , regum* &c. *reperiebatur scriptum illum fuisse beatificatum , quod attestantur se legisse prædictus officialis & vicarius generalis frater Franciscus Bru & de Ford decanus ejusdem monasterii , & ego frater Johannes Saldoni infirmarius & secretarius infrascriptus. Utrum de beato Petro celebretur officium vel proprium , seu de communi Confessorum non Pontificum? Respondetur. Negative . Utrum illius vita scripta extet in monasterio? Respondetur : Extat in tabulario nostri monasterii , quam hic inclusam mittimus , de verbo ad verbum , stilo licet impolito . Vidimus etiam hanc vitæ relationem in quodam membranaceo codice pervetusto characteris antiquissimi , qui in plurimorum manibus pervolutus extra monasterium evanuit , nec amplius invenitur. Utrum sint anathemata & alia donaria votiva in sacello sancti Petri Urseoli? Respondetur: Est unus cereus , & unum anathema ex voto contra pestilentiam . Est etiam concursus ibi plurimus Fidelium invocantium in suis necessitatibus beati Petri auxilium , ubi crebro Sacra fiunt , & Deus operatus est , ac nostris etiam temporibus plura operantur miracula per hujus Beati intercessionem , quæ justificationibus superius exhibitis probantur .*

Demum afferuntur monumenta Petri Urseoli sanctitatem arguentia , quæ ex temporum edacitate , decessorum incuria , & bellorum atrocitate vix ad posteros pervenerunt . In theca reliquiarum sequens extat scriptum vulgari idiomate , cujus hæc sunt verba : *Ego frater Michael Salabardenya & Canovira Dei gratia abbas hujus monasterii sancti Michaelis de Cuixa præsentes reliquias meis propriis manibus ex theca vetustissima & peraniqua in hanc novam transtuli , quæ quidem reliquiæ sunt gloriosi corporis sancti Petri Urseoli ducis Venetiæ & regis Dalmatiæ , quondam monachi hujusmet cœnobii , hic assistentibus priore fratre Petro Nebot , fratre Petro Marti sacrista minore , fratre Balthassare Albanya præposito majore . Die* VI. *decembris* M. DC. XLIV. Ad sinistram chori ingressus extat in alto contra parietem mausoleum , in quo corpus beati

 Petri

Petri Urseoli primo fuit humatum, cum epitaphio & gentilitio scuti typo signatum, cujus epitaphii hæc sunt verba: *Hic jacet serenissimus ac religiosissimus Petrus Urseolus* XXIII. *dux Venetiæ & rex Dalmatiæ ac Croatiæ, qui seculi pompis spretis una cum abbate Guarino* XV. *beato Romualdo, Marino ejus instructore, ac Johanne Gradonico ad præsens hoc cœnobium venit, ubi habitum suscepit, vitæque sanctitate ac miraculis, ut narrat historia ejus, clarus obdormivit in Domino die* XII. *aprilis anno Domini* 987. (Non moramur notas chronologicas) *Notatu dignum duximus nullum aliud sepulcrum abbatibus aut monachis erectum sive in claustro sive in ecclesia nostri monasterii, nisi mausoleum sancti Petri Urseoli. Ad dexteram ingressus ejusdem chori extat tabula, in qua legitur index omnium reliquiarum, quæ sunt in monasterio sancti Michaelis de Cuixa, super membrana pergamena transcriptus, antiqui characteris & tenoris sequentis: Memoria reliquiarum hujus monasterii de Cuixano extracta ex libro viridi, ac ex antiquissimis instrumentis dicti monasterii est, quæ sequitur: Primo de Ligno sanæ Crucis, in quo Dominus noster Jesus Christus suspensus fuit.* Et infra: *Colitur præterea & tenetur ut Sanctus, venerabilis Petrus Urseolus dux Venetiæ & Dalmatiæ secundum ejus vitam, & ut in scripturis hujus ecclesiæ reperitur, qui patriam, uxorem, filios, filiasque & omnia bona sua reliquit Venetiæ, & hic vitam eremiticam duxit, & habitum monachalem in præsenti cœnobio suscepit anno a nativitate Domini* 977. Præterea: *In sacristia nostri monasterii asservatur chrystallum rotundum, quod ex traditione antiquissima habetur pro altera ex reliquiis sancti Petri Urseoli, ad quod chrystallum fideles quotidie ex omni regione pro levandis oculorum morbis devotissime confluunt, cujus chrystalli mentio habetur in miraculorum testificationibus. In eadem sacristia in altera ex duabus tabulis perantiquis, quæ ex pariete ad sinistram pendent, legitur index anniversariorum, quæ pro fidelibus defunctis per annum celebrantur, ubi sic habetur: Anniversarium pro fidelibus defunctis, antea pro anima fratris Petri Urseoli ducis Venetiæ & regis Dalmatiæ. Hæc sunt verba, quæ inibi leguntur: Ad radicem montis seu nemoris extra monasterium extat lapis prægrandis, qui lapis sancti Petri Urseoli vulgo appellatur, super quem idem Beatus pœnitentiæ causa vigilias habebat nocturnas, quod ex traditione habemus antiquissima. Et præter nos Bartholomæus Galart presbyter & rector ecclesiæ parœcialis sancti Fructuosi loci de Faurinya annos natus septuaginta, affirmat se, quum decem foret annorum, ad decimum usque tertium annum in ecclesia nostri monasterii altari inserviisse, & semper a senioribus illorum temporum tum monachis, tum etiam secularibus, qui in vicinia habitabant, audivisse lapidem hunc, qui extat ad radicem montis seu nemoris juxta agrum, qui vulgo in Longadera appellatur, tunc temporis vocatum lapidem sancti Petri Urseoli, super quem Sanctum hunc excubuisse & vigilias egisse dictitabant, plurimumque ad prædictum lapidem fidelium fuisse concursum, ex traditione antiquissima devotionis causa & voti, qui in infirmitatibus suis auxilia postulabant, quibus indigebant, super ipsum lapidem devote procumbentes, qui quidem concursus & devotio ad nostra usque tempora perseverat. Ut verum idem rector asseverat, se meminisse, & suis oculis vidisse, rectores, qui ex nostra pendent jurisdictione, quique ad synodum celebrandam nostrum monasterium quotannis adirent, lapidem prædictum tunc devote visitasse, antequam hinc reverterentur. Idem reverendus Bartholomæus Galart, qui prædictorum plenam habet memoriam, in posse & in manibus nostris, clericorum more, hoc jurejurando affirmat*

die II. *septembris anno* 1715. *Subscripti in originali* De Rocabruna & Vilallonga, frater Johannes Saldoni infirmarius & secretarius.

Jacobus Caulet agricola loci de Faurinya ætatis suæ anno octuagesimo-quinto asserit se semper ab omnibus & maxime senioribus ex primæva sua ætate in publico audivisse lapidem prædictum vocatum lapidem sancti Petri Urseoli, quia prædictus Sanctus hunc pœnitentiæ causa adibat, & super ipsum lapidem vigilias agebat, ipsumque lapidem devote visitantes ab infirmitatibus suis convalescere. Præterea affirmat idem testis se propriis suis oculis vidisse personas quasdam super hunc lapidem devote jacere cum orationibus & precationibus, ut liberarentur a languoribus suis. Quæ omnia in posse & manibus nostris jurejurando affirmat die III. *septembris* 1715. *Subscripti in originali :* De Rocabruna & Vilallonga. Frater Johannes Saldoni infirmarius & secretarius.

Hæc prædicta rite perlecta, & attente cum fratribus nostris capitularibus examinata veritatem continere attestamur. Quare hæc per secretarium nostri capituli expediri, & cum sigillo nostri monasterii muniri mandavimus. Datum in nostro monasterio sancti Michaelis Cuixanensis die XXV. *septembris* 1715. *Subscripti in originali :* Frater Bonaventura de Rocabruna & Vilallonga prior claustralis, officialis & vicarius generalis. *De mandato dicti domini vicarii generalis expedivit frater Johannes Saldoni infirmarius & secretarius, utque præmissis in judicio & extra ac ubique per cunctos plena adhibeatur fides, ego idem Honuphrius Bordes notarius scribaque jamdictus hic me subscribo, meumque, quo utor, appono atque depingo sigillum. Loco ✠ Sigilli.*

Quæ omnia tum ad sereniſſimum ducem Venetiarum Johannem Cornelium, tum ad præsulem nostrum Johannem-benedictum Taſſis miſſa, cardinalis Johannes-franciscus Barbadicus Romam transmittenda curavit cum commendatitiis epistolis ad promovendum cultum sancti Petri Urseoli; verum aliquot difficultatibus supervenientibus res ad multos annos iterum fuit dilata, & conclusa tantummodo anno 1731. ut videbimus. De Synodo Cuxanensi in eadem causa, post biennium.

Clemens XI. Romanus pontifex brevi suo concedit privilegium altari sancti Romualdi sito in ecclesia hujus nominis in Urbe, obtinendum singulis feriis tertiis & per octavam omnium fidelium Defunctorum.

Insigne ejusdem sancti Romualdi prodigium refertur ad hunc annum, quo die XIII. maji a præsentiſſima morte liberavit quemdam juvenem fabrum murarium Johannem-baptistam Francisci Guidi a Greſſa, qui dum ædificationi duarum turrium pro pulsandis campanis in ecclesia eremi Camaldulensis operam daret, de repente deficientibus scalis præceps ruit ad terram, sed invocato Romualdi nomine nullam læsionem in corpore sustinuit, licet extra sensus factus fuerit ad dimidiam horæ partem, & ita convaluit, ut tertia die post casum Sacrum audire in gratiarum actionem valuerit. Collector vitarum piorum eremitarum Camaldulensium, aliorumque recentiorum monumentorum multa congerit facta prodigiorum his postremis annis, quibus declaratur singularis protectio, quam erga eremitas suos, aliosque in eremi & ecclesiæ servitium adlaborantes ostendere dignatus est sanctus Romualdus.

XXXIX. Obitus Philippi M. Macchiarellii eremitæ.

PHILIPPUS-MARIA Macchiarellius, olim Nicolaus, Neapoli anno 1660. prima augusti natus, anno 1677. die III. augusti eremiticum sancti Romualdi institutum amplexus, professionem suam annullaverat anno 1687. XXIX. augusti. Inde teste Pantaleone Dolera celebri concionatore, inter clericos regulares Infirmorum ministros nomen dederat,

a qui-

ANN. CHR. 1715.

a quibus etiam post decem annos abscesserat. Tum peragratis variis Italiæ urbibus, & vicarius factus abbatiæ sancti Marci in Apulia a cardinale Antonio Pignatellio archiepiscopo tunc Neapolitano, inde Innocentio XII. demum iterata vice religiosum sancti Romualdi habitum quadragesimo suæ ætatis anno postulavit in eremo Coronatæ anno 1701. Repulsam passus ob majorem ætatem, simul etiam timore, ne consilii sui eum pœniteret, expetiit ut hospes commorari in eremo, donec advenirent superiores majores eremiticæ congregationis. Renovata itaque instantia, admissus fuit a Tiburtio Bavaro tunc Majore, a Johanne-felice Bononiense, & a Juvenale Siculo visitatoribus die XVIII. maji, & constanter propositum suum servavit usque ad diem XIV. hujus anni sui emortualem ætatis LV. Vitam ipsius ejusque scripta brevi calamo perstrinxit Sebastianus Pauli congregationis Matris Dei celebris scriptor, ex quo præfatas sequentesque notitias habemus. Pater ejus fuit Hiacynthus Macchiarellius vir probitatis & consilii singularis, in urbis Neapolitanæ officiis toto vitæ suæ tempore exercitus, mater Ursula Pandulphi; inter fratres præcipuum habuit Januarium sacerdotem congregationis Piorum Operariorum, virum innocentium morum, zelo salutis animarum, & scientia divinarum rerum conspicuum, ante annum non sine opinione sanctitatis defunctum, cujus mors universaliter fuit deplorata. Nicolaus noster clericalem habitum juvenculus induit, literis humanioribus operam dedit, philosophiam peripateticam sequutus est, super quam ad amicum doctissimas considerationes scripsit, quas tamen adultus in lucem proferre renuit. Inde theologicis & sacrorum canonum disciplinis se totum tradidit. Amore discendi varias peragravit urbes, Romam primum, Florentiam, Patavium, Venetias, postremo Bononiam, peregrinationibus etiam susceptis ad Lauretanam ædem, ad montem Garganum, ad sepulcrum sancti Nicolai Barium, sancti Thomæ Ortonam, sancti Benedicti ad montem Casinum. Hinc Neapoli anno 1713. doctam Apologiam scripsit & edidit dicatam Gregorio Galisio abbati Montis-casini, qua confutat fabulam de Translatione sancti Benedicti ad monasterium Floriacense; aliam etiam Benedicto Laudati abbati sancti Severini Neapolis de Monachatu Benedictino sancti Gregorii Magni. In urbe Florentina vitam sancti Philippi Nerii concinnavit, quam Neapoli publicam fecit anno *1699*. Eremita Coronensis factus orationi & lectioni se addixit, proposuitque chronicon scribere vitæ sancti patris Romualdi, & Sanctorum ordinis Camaldulensis, sed antequam ipsum in lucem venire juberet, præmittendas necessario judicavit quatuor apologias Romualdinas, quarum postremam singillatim edidit anno *1706*. dicatasque eas voluit Vincentio-mariæ Ursino S. R. E. cardinali archiepiscopo Beneventano. Contra Grandium nostrum præsertim calamum sumpsit, sed ea animi moderatione, ut reverenter de ipso loquatur, & fere semper tacito nomine ipsum impugnet, quandoquidem, ait, veritatis unius zelo, non livore ullo me ad hæc scribenda compulsus sim. Notitiæ tamen historicæ vitæ sancti Romualdi ejusque discipulorum non prodierunt, nisi anno sequenti post ejus obitum, quas eremitæ sancti Salvatoris nuncuparunt præfato cardinali Ursino; quandoquidem licet earum editionem jam inchoasset, mala tamen valetudine affectus ab opere abstinuit, unicamqne meditatus est postremo suæ vitæ anno mortem, ad quam properabat; immo oravit, & instantissime eremitas adsistentes deprecatus est, ut scripta sua omnia comburerentur, & simul fasciculi, quos collegerat

Ann. Chr. 1715.

erat pro continuanda historia, solumque permisit, ut servarentur ea folia, quæ primum volumen conficiebant, quæque consarcinata, neque omni servato ordine, post ejus obitum eremitæ typis tradidere. Inter mss. combusta, præter vitam aliquot Sanctorum Camaldulensium, periit & vita beati Pauli Justiniani, quam negaverat nobilissimo viro ex eadem Veneta familia edendam formis Venetis. Demum appropinquante hora mortis oravit adstantes, ut sibi legerent decessum sancti Philippi Nerii, beati Johannis a Cruce, sanctæ Mariæ-magdalenæ de Pazzis, & placidissime expiravit sepultus in capella sancti Joseph. Carissimus fuit, dum vixit, præter cardinales Ursinum & Pignatellium, & præter abbatem Laudati, quos commemoravimus, Antonio Sanfelicio episcopo Neritonensi, Julio Stantione Cœlestino abbati sancti Petri de Majella, Mauro Trojano priori ejusdem monasterii, Josepho Vallettæ, Francisco Xaverio ejus nepoti, Nicolao Amenta, Nicolao Falconi, & Matthæo Egitio.

Obiere etiam hoc anno Philideus Cornarius abbas ex professione sancti Mathiæ de Muriano vir non ordinariæ pietatis, & Franciscus-maria Riccius, qui fuerat per plures annos procurator generalis pro congregatione in curia Romana, & demum abbas generalis.

Ad humillimas preces R. P. D. Octavii Cusani congregationi Casinensis abbatis & præsidis generalis sacræ Rituum congregationi porrectas, ut officia SS. Nominis Jesu sub die XIV. januarii, nec non sancti Columbani abbatis die XXIV. novembris sub ritu duplici ad universum ordinem S. Benedicti extendere dignaretur: Sacra eadem congregatio ad relationem eminentissimi & reverendissimi domini cardinalis Ptolomæi hujusmodi instantiæ benigne inclinata indulsit atque concessit, ut officia prædicta SS. Nominis Jesu & S. Columbani abbatis ab omnibus monachis & monialibus sub regula S. Benedicti militantibus diebus supra expressis recitari, & Missa respective celebrari possint & valeant. F. card. de Abdua præfectus. L. ✠ Sigilli. N. M. Tedeschi episc. Liparitanus S. R. C. prosecret.

Augustus II. rex Poloniæ confirmavit hoc anno patribus Camaldulensibus eremi Wigrensis bona, quæ ejus eremi fundator Johannes-Casimirus Poloniæ itidem rex in ipsius dotem constituerat, mandans dynastis magni ducatus Lithuaniæ, ut donationis suæ & confirmationis instrumentum exequerentur.

Ann. Chr. 1716. XL. Monasterium & ecclesia sancti Gregorii de Urbe reædificantur.

AD senium vergente vetere ecclesia sancti Gregorii de Urbe simulque monasterio, Apollinaris Montanarius abbas, nullis parcens sumptibus, utrumque renovare, & fere a fundamentis reædificare exorsus erat jam ab anno 1712. Laudavit ejus consilium Romanus pontifex Clemens XI. stimulosque addidit, ipsumque abbatem in eo regimine confirmatum ad multos annos voluit, ut ceptum opus perficeret. Sequens hoc anno ab ipso abbate apposita est inscriptio in reverentis animi monumentum erga eumdem pontificem. *D. O. M. Sedente Clemente XI. P. M. Protegente eminentissimo cardinale de Abdua, cœnobium hoc olim a D. Gregorio M. conditum & inhabitatum, refectum postea & ornatum ab anno 1712. ad 1716. idem Clemens XI. pro sua humanitate pietateque invisere dignatus est VI. idus novembris, in eoque lætus relegit renovata vestigia Magni Gregorii antecessoris pridem sui, seque pari sacras in ædes reparandas ordinandasque studio, ut ceteris in rebus, dignum probavit successorem tanti pontificis, qui licet infirma semper valetudine, tam multa, tam sancta dixit, fecit, scripsit & decrevit, quo in elogio Magni Gregorii, adumbratum*

Ann. Chr. 1716.

bratum Clementem XI. posteri merito fatebuntur. Cum vero ecclesia inscriptionibus & sepulcralibus monumentis abundaret, scripsit abbas ad omnes hæredes prædefunctorum, & consilio tum peritorum architectorum, tum etiam cardinalium protectorum ab Abdua & Zondadarii captum fuit consilium ornandi atrium ecclesiæ, insitione & recta dispositione eorumdem monumentorum, quæ ea providentia ab injuria temporum vindicata fuere.

Ad reiteratas humillimasque preces P. Procuratoris generalis congregationis eremitarum Camaldulensium Montis-coronæ, nomine etiam totius suæ congregationis, Sacr. Rit. congregationi porrectas, & ab emin. & rever. D. Cardinali de Abdua relatas, Sacr. eadem Rit. congregatio benigne indulsit atque concessit, ut singulis annis die XVI. *julii a monachis prædictæ congregationis sub ritu monastico officium B. M. V. de Monte-carmelo recitari possit & valeat. Die* V. *decembris 1716. F. card. de Abdua præfectus. L. ✠ S. N. M. Tedeschi episc. Liparit. secret.*

Decima-quinta decembris regnorum Romano sexto, Hispaniarum decimo-quarto, Hungariæ, Bohemiæ & reliquorum sexto Carolus VI. imperator mandat locumtenentibus suis, judicibus, consiliariis, & universitatibus, signanter comitatus Scepusiensis, ut eremitas Camaldulenses eremi sancti Antonii de Lechnitz sive Rubri-claustri protegant & defendant in omnibus eorum bonis & juribus contra quoscumque violentos & illegitimos eorumdem turbatores, confirmans donationem factam ipsis eorumdem bonorum ab episcopo Nitriense Ladislao Mattyasowszky.

Ann. Chr. 1717.
XLI.
Synodus Cuxanensis cum epistola ad Clementem XI. pro B. Petro-Urseolo.

SYNODUS hoc anno in monasterio Cuxanensi congregata fuit, in qua multum actum est de veneratione & cultu sancti Petri Urseoli, cujus acta una cum epistola ad sanctissimum pontificem Clementem XI. attulit in sua sancti Petri Urseoli vita Grandius ex schedis præsulis nostri Johannis-benedicti Taffis. Nos autem iterum edimus: *Sanctissimo in Christo patri & domino nostro domino Clementi divina providentia papæ XI. ejusque sanctæ apostolicæ sedi* &c. *monasterium sancti Archangeli Michaelis de Cuxano in Confluentinis ordinis sancti Benedicti, congregationis vero claustralium Tarraconensium* &c. *Nullius diœceseos, sed sanctitati vestræ & suæ sanctæ sedi tam in capite, quam in membris nullo medio subjectum, atque per totum abbatiæ districtum jurisdictionem quasi episcopalem exercens* &c. *Post pedum oscula beatorum filiale obsequium cum servitute atque obedientia in sempiternum.*

Noverit Sanctitas vestra, nos infrascriptos priorem & monachos claustraliter viventes in hoc venerabili cœnobio sancti Michaelis Cuxanensis, apostolica auctoritate munitos, atque monasterium ipsum, abbatiali sede vacante, constituentes &c. *in annuali nostra synodo, quam nuperrime juxta sacri statuta concilii Tridentini, & alias canonice in Domino celebravimus, videlicet hoc reparatæ salutis anno supra millesimum septingentesimum decimo-septimo, die vero aprilis quarta-decima, inter ceteras constitutiones synodales, de unanimi omnium consensu tulisse sequentem ad honorem Dei atque Sanctorum ejus, orthodoxa sub docilitate & obedientia vestræ Sanctitatis, sanctæque suæ sedis promoturam* &c. *Sicut ex ejus tenore, qui cum ad pedes vestros beatissimos prosternimur, ulteriora, prout humillime supplicamus, atque fiducialissime speramus in Domino consequuturi.*

Constitutio synodalis Cuxanensis.

De Reliquiis & Veneratione Sanctorum.

Item de Reliquiis & Veneratione Sanctorum. Quoniam juxta catholi-

cæ

cæ & apostolicæ ecclesiæ usum a primævis Christianæ religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem & sacrorum conciliorum decreta in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum honore, & legitimo Imaginum usu fideles diligenter instruendos mandavit sacrosancta synodus Tridentina, ut post decretum de Purgatorio sessione vigesima quinta, hac nostra synodo abbatiali approbante sancimus, ut omnes abbatialis hujus jurisdictionis parochi, eorumque vicarii atque alii cujuscumque tandem tituli & nominis curam animarum canonice exercentes, aut Verbum Dei populo declarantes, eorumque reliquias fidelibus veræ ædificationis pabulum expetentibus &c. &c. &c. venerandos ac respective invocandos. Revocatis videlicet illis omnibus, quæ superstitionem, turpe lucrum, lasciviam, & quamcumque demum profanitatem vanitatemque redoleant, vel scandalum, undecumque Sanctis ipsis cultum canonice curent præstandum cum omni sinceri cordis devotione ac pietate, nec non tali cum religiositate ac modestia, unde summopere attendendam hanc inter cunctas orthodoxæ religionis characterismam, quo par est christianæ ædificationis odore, ubique & semper præseferant, foveantque. Sed cum in his regionibus sit sanctitate, & miraculis clarus noster sanctus Petrus Urseolus, olim serenissimus dux Venetiarum, mox vero sub ven. abbate Marino, & sancto abbate Camaldulensium parente Romualdo, hujus nostri monasterii sancti Michaelis Coxanensis in Confluentinis, vel ante finem decimi seculi religiosissimus cœnobita, cujus etiam venerabile corpus asservatur in hac nostra ecclesia super altare suo nomini in propria etiam capella dicatum, ubi & Missæ, quamvis non de ipso celebrantur; lampas item perpetua in ejus honorem ardet; fidelesque undique ad eum devotionis ergo fluentes ejus feliciter expertam intercessionem implorant, sibique anathemata pro impetratis gratiis appendunt; nec non magna in veneratione cum habeatur quoque chrystallus in sacrario nostro existens, quam dicitur idem Sanctus ad curandos oculorum morbos juxta sibi cœlitus dispensatam virtutem adhibuisse; tum lapis ille, ubi Sanctus ipse dicitur etiam ad pœnitentialem corporis mortificationem, in proximo antiquitus habitæ eremi loco, requieturus jacuisse, atque super quem devoti propter ipsius Sancti meritis impetrandam capitis sanitatem, solent corpus suum reclinare, sicut & chrystallum ipsum sibi per aliquem ex nostris monachis stola indutum ad impetrandam sanitatem oculorum flagitant applicandum, utrimque vero magna cum eorum, ut confitentur, utilitate. Item cum omnia hæc ex immemorabilissima respective majorum traditione ad hæc usque tempora, in quibus sunt adhuc luculentiora, processerint continuentque, nec ea vel aliorum aliquid interruptio vel oppositio ulla, quam sciamus, disturbare aliquando vel aliquatenus attentavit. Ac præterea juxta prælaudatum concilium, decreta sanctissimi domini Urbani papæ octavi & declarationes sacræ Rituum congregationis, & si formalem sanctæ apostolicæ sedis canonizationem, de qua documentum authenticum nunc habeamus, nondum ipsi nostro sancto Petro Urseolo, ut optatur, obtinuerimus, & ideo Missa & Officio ejus ab ipsa sancti Petri cathedra formaliter approbatis destituti, ab orationibus publicis & hujusmodi in ipsius sancti Petri honorem ubere, quam eidem sanctæ sedi ad mortem & ultra profitemur, obedientia & docilitate abstinemus, firmiter sperantes, & ubi primum Deo placuerit, sancta ipsa sedes apostolica honorem cum dicto nostro sancto Petro Veneto, cui hoc Sancti nomen eadem religiosi cultus immemorabilitas ab antiquissimo datum plena atque nullatenus disturbata continuatione firmavit, dispensare ad plenariam nostrum aliorumque de-

Ann. Chr. 1717.

votorum consolationem dignetur. Præsertim vero interposito, quod nos pro parte nostra obsequentissime imploramus, christianissimi regis nostri, & respective ipsius serenissimæ reipublicæ Venetiarum patrocinio. Nihilominus non ideo eliminanda sunt, vel aliquatenus disturbanda seu præjudicio aliquo officienda &c. sed canonice in immemorabilissimi cultus possessione sunt viriliter manutenenda. Unde & quantum ad nos spectat vel spectare quomodolibet poterit, omnimode ac fervore debito sub obedientia sanctæ apostolicæ sedis, cujus est majores causas definire, semper in Domino promovenda & propaganda &c. Inde est, quod cum ad tollendam quamcumque & qualemcumque desuper ignorantiam & inde dependentia &c. nec non ad finem &c. nos auctoritate, qua in his fungimur, ordinaria & repective apostolica synodo ipsa approbante, quantum possumus, præsenti constitutione declaramus et decernimus prædicta omnia cultum ipsius sancti Petri Veneti concernentia, prout constat & constare aperimus & decernimus ex immemorabilissimo tempore incepisse, continuasse atque respective continuare, absque ulla penitus, quam sciamus, interruptione vel oppositione, unde nec eadem, vel eorum aliquid, virtute decretorum SS. D. Urbani papæ VIII. &c. præjudicium fuisse ullum, opera exequutoris cujuspiam passa vel passum; immo post ipsorum decretorum publicationem & incrementum obtinuisse insignissimum, prout & amplius in relationibus nostris ad ipsam sanctam sedem, & serenissimam rempublicam, a cujus sedis in ppellabili divinitus immediate recto judicio, tamquam veri filii sanctæ catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ, debito cum humillimæ docilitatis obsequio in omnibus & per omnia, præsertim vero circa majores causas dependemus &c. Mandantes interim, ut sub pœnis & censuris a sacris canonibus contra hujusmodi prævaricatores statutis, parochi ipsimet & alii prædicti nullo permittant dictam Urseolini cultus immemorabilitatem vel quidpiam ex reliquis eum concernentibus præjudicio apud suos aliquo vel aliquatenus contra sanctæ Matris ecclesiæ statuta gravare, sed curent omnia in canonica possessione, ut expedit, vel singulariter manutenere, moneantque omnes sibi aliunde subjectos, ut suas nostris jungant fervorosa cordis devotione ad Deum preces, quatenus eodem pariter intercedente sancto Petro Urseolo Venetiarum duce, ac nostro Coxanensi cœnobita ipsam, quam tantopere desideramus, formalem ejusdem canonizationem ad sui sacrosancti evangelii exaltationem, ab ipsa intemerata Sponsa sua ecclesiarum omnium matre & magistra dispensanda quantocyus inspiret atque dispenset, prout incessanter a Domino petimus, ac plurimum in eodem primario servorum suorum sanctificatore speramus &c. Quæ quidem constitutio, sicut & reliqua gesta declarata & sancita fuit a cunctis consynodalibus patribus per verbum Placet unanimiter approbata, laudata, acta &c. prout in registro nostrarum synodorum, ubi scripto consynodales nostri cuncti manu propria subscripserunt.

Postmodum vero ad uberiorem ipsius Urseolini cultus intelligentiam &c. novam ordinavimus de ipsomet nostro sancto Petro Veneto relationem, præcedentia quæque desuper tradita, scripta, gesta &c. quo ad nos attinet, vel attinere quomodolibet potest aut poterit, confirmantem ac respective renovantem, declarantem, supplentem &c. Et eam insimul sanctitati vestræ ac suæ sanctæ sedi, sicut & reliqua nobiscum, orthodoxa religiositate subjiciendam, prout & per præsentes manu nostra capitulariter firmatas, atque nostri monasterii sigillo munitas omnino subjicimus, eisdemque humilitate atque fiducia respective quodcumque supersit ad peroptatam consummationem usque præstandum, suppliciter petentes atque sperantes &c.

Dum

Dum interim sub adorandissimis divinæ majestatis pedibus, zelo debito, provoluti ejus providentissimam clementiam incessanter deprecamur, quatenus Sanctitatem Vestram propter necessariam suæ sanctæ sedis adeoque totius sanctæ matris ecclesiæ tranquillitatem felicitatemque dignetur ad annos patriarchales incolumem custodire. Amen.

Ann. Chr. 1717.

Data in hoc ipso monasterio nostro Coxanensi præfato anno Domini M. DCC. XVII. *die vero ejusdem mensis aprilis* XVIII. *nobis hodie sancto Archangelo Raphaeli sacra* &c.

Sequitur indicata nova relatio cum sequenti titulo: *Monasterii Coxanensis de sancto Petro Urseolo serenissimæ reipublicæ Venetiarum duce, & vel ante finem seculi decimi ejusdem ven. monasterii cœnobita sanctitate ac miraculis celeberrimo. Ad piam tuæ formalis canonizationis causam, juxta religiosissima ipsiusmet serenissimæ reipublicæ vota feliciter promovendam* &c. *Relatio novissima præcedentia quæque tradita, scripta, gestaque confirmans, & respective renovans, declarans, supplens* &c. *S.D.N. papæ atque apostolicæ sanctæ Sedi pleno cum orthodoxæ docilitatis obsequio subjicienda* &c.

Nos prior ac monachi sub regula sancti patris Benedicti juxta congregationem Tarraconensem &c. *in Coxanensi hoc monasterio sancti Archangeli Michaelis prope Aquilonarem inter Pyreneos celsissimi Canigonis radicem in Confluentinis claustraliter viventes nullius diœceseos, sed summo pontifici & sanctæ sedi Apostolicæ tum in capite, tum in membris immediate subjecti, atque abbatiali sede vacante, monasterium ipsum constituentes, nec non apostolica auctoritate muniti per totum abbatiæ districtum, inter vetera jurisdictionis quasi episcopalis munia, præcipuam celebrandarum synodorum facultatem & respective obligationem habentes atque exercentes* &c. *universis ac singulis* &c. Quam libenter omittimus, quia post introductionem hujus relationis, ipsa relatio imperfecta remanet & apud Grandium ipsum ex exemplari ipsi porrecto; qui etiam animadvertit superfluam fuisse petitionem hanc formalis canonizationis, cum jam a temporibus Olibæ episcopi Ausonensis seculo XI. elevatione sacri corporis, peracta fuisset juxta eorum temporum morem legitima canonizatio.

XLIII. Historica simul collecta.

Supplicantibus frequenter sacræ Rituum congregationi plerisque variorum ordinum monialibus, ut confessariis & capellanis earumdem servitio addictis facultatem celebrandi Missas Sanctorum, de quibus prædictæ moniales officium recitant, benigne impartiri dignaretur, sac. rit. congregatio ad occurrendum his & similibus instantiis, præsenti decreto generali declarat: *Licere imposterum tum confessariis, tum capellanis tantum quarumcumque monialium servitio addictis Missas Sanctorum, de quibus ipsæ recitant officium, celebrare, sed cum Missali Romano, & de Communi, non vero Missas proprias eorumdem Sanctorum variis ordinibus a sacra congregatione concessas, & ita decrevit, & servari mandavit die* XX. *novembris* 1717. *Factaque deinde per me secretarium de prædictis sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit, & præfatam sacræ congregationis resolutionem confirmavit die prima decembris ejusdem anni* 1717. *F. card. de Abdua præfectus. L. ✠ Sigilli. N. M. Tedeschi ep. Lipar. S. R. C. secret.*

Franciscus-angelicus Miconi procurator generalis congregationis Camaldulensis obit in Urbe, vir singularis prudentiæ & pietatis ex professione sancti Mathiæ de Muriano.

Ludovicus XV. Franciæ & Navarræ rex mense junio confirmavit erectio-

Ann. Chr. 1717.

ctionem eremi de Gros-bois factam anno 1644. a Carolo Valesio duce Engolismensi, literis suis patentibus, quæ recensitæ fuere in camera Computorum anno 1721. & ratæ habitæ fuere a cardinale Ludovico-antonio de Noailles episcopo Parisino eodem anno 1721.

Opinione sanctitatis decessit hoc anno Sulpicia Lazzari nobilis virgo Civitatis-castelli, cujus vita scripta fuit & edita Romæ anno 1730. a Francisco-maria Gallutio S. J. Inter mirabilia a Deo patrata ipsius invocatione refertur, quod cum quidam eremita S. Eremi Camaldulensis ita sibi læsisset manum, ut rupta arteria nequiret sanguinis copia reprimi, invocato ejus nomine, & applicata re, quæ ad illius usum inservierat, sanguis statim, admirantibus patiente & ceteris præsentibus, steterit.

Anno 1706. quo a Gallis obsessa fuerat urbs Taurini, ii sese locaverant in eremo sancti Salvatoris, & inter ceteros generalis marchio de Arena, qui tamquam Angelus tutelaris non solum tuitus est eremum ab omnibus militum insultibus, sed acriter peroravit, ne, ut proponebat consilium belli, eremus solo æquaretur; institit præterea, ne etiam clausura eremi prosterneretur, sed impedire non valuit amputationem silvæ & arborum, quæ sacrum horrorem afferebant sancto loco. Silva itaque eo anno, ne hostium asylum evaderet, recisa fuit, arboribus ad altitudinem medietatis hominis detruncatis. Post victoriam contra Gallos reportatam a Victorio Amadeo duce, propositum fuit ab eremitis, ut loco silvæ campus ad culturam reduceretur, sed hoc anno & validius anno 1721. captum est, ut silva denuo plantaretur, quo sacro loco pristina devotio & solitudo restitueretur. Similiter clausa fuit via, quam Galli milites sibi construxerant, per quam promiscue omnibus patebat iter, non sine eremi incommodo, & paucorum dierum tempore quies & solitudo eremo fuit iterum donata, remissa prima via, qua ante bellum iter erat.

Ann. Chr. 1718.

XLIII. Clementis Perlasci eremitæ Pedemontani obitus & elogium.

OCTUAGESIMUM annum agens pœnitentiarum & laborum suorum præmia assequutus est hoc anno Clemens Perlascus eremita Pedemontanus. Ex nobili familia Monte-regalense ortus anno 1638. patre Clemente ex comitibus Montis-alti, & Blanca Maria Ferreria, octavus prole, vocatus est Jacobus-Octavius; sed temporis progressu evasit unicus hæres pinguis patrimonii, eo quod primogenitus sub nomine Gregorii monachum induisset in Cartusia Vallis-pesii, ceteri tenella ætate obiissent, soror vero in parthenone sanctæ Mariæ de Caritate ordinis Cisterciensis ejusdem urbis velum monasticum sumpsisset. Decennis habitum clericalem induit, sed ad perfectiora vocatus, multo tempore divinis inspirationibus restitit; omisit etiam transire ante quamdam beatæ Virginis Mariæ imaginem, ad cujus præsentiam stimulos ad religiosam capessendam vitam in se sentiebat, sed demum victus, suique victor constituit adire patres Camaldulenses eremi Taurinensis, eorumque habitum postulare, qui tandem illi concessus est die XXV. aprilis anni 1660. Sub finem tirocinii cœlestibus ardoribus inflammatus crepuit ei vena in pectore; quare patres consultum putarunt ipsum dimittere; verum Clemens ad orationis auxilium confugiens obtinuit, ut medicus contra artis regulas testaretur patribus venæ ruptionem profluxisse ex abundantia sanguinis, quæ proinde eremitam segnem vel imparem non redderet religioso instituto; Medici itaque auctoritate & permissione professionem emisit anno sequenti. Ut autem omnibus pateret cœlestem fuisse hujusmodi gratiam, ulcus in pectore apertum duravit toto reli-

quo vitæ suæ tempore, quinquaginta nimirum & septem annis, erumpente quotidiana sanie ex ore, quæ præter tussim aliam non intulit molestiam. Virtutibus interea suique abnegationibus vacabat, præsertim in domanda ira, quandoquidem fervidam igneamque corporis constitutionem sortitus fuerat. Prius duplicavit tempus consuetæ orationis, inde ad multas horas protraxit, demum continuo & haud interrupto exercitio in ea perseveravit, defixis oculis in Crucifixi imaginem, & in alteram humani capitis defuncti, semper genibus flexis, vel super nudam humum, vel super oram extremam tabulæ, nulli adminiculo innixus, octo, decem, duodecim, & quandoque quindecim horarum spatio, partim in propria cella, partim in ecclesia, quoadusque somnus obreperet, quem in eodem situ ad paucas horas carpebat. Nullo vero procellarum, ventorum, aut pluviarum impedimento retardatus, ex cella ad ecclesiam antelucanis horis progrediebatur vel extremis vitæ suæ annis, quibus ob plura incommoda ligneis fulcris sub brachiis utebatur, quinimmo viam inter nives sibi sternebat, sternebat aliis eremitis, & sudore madidus suam in choro renovabat mentalem orationem. Hinc eam divinæ præsentiæ virtutem acquisierat, ut quæcumque diceret, quæcumque ageret, non solum corde, sed & mente, & ore, in Deum raperetur. Eum etiam in facie & in manibus calorem experiebatur, ut admirarentur omnes, quommodo vir jejuniis, abstinentiis, laboribus contritus, macie & pallore consumptus, media hyeme ex intimo fervore etiam extrinsecus arderet. Mirabiles erant extases, quas patiebatur, cum oraret, ita ut aliquando ipsum vel mortuum, vel in agone positum putarent ejus domestici, strepitus non exaudiebat, proximas res oculis non percipiebat. Præsertim Sanctissimam Trinitatem, Altaris augustissimum Sacramentum, Dominicam Passionem, beatissimam Virginem, Angelum tutelarem, sanctos Martyres, animas Defunctorum affectibus, laudibus, lætitiæ tripudiis venerabatur, & volumen conficeretur, si omnes enarrare vellemus industrias, quibus singularem cultum suum declarabat. Orationi adjungebat pœnitentias, jejunia, vigilias. Sanguine ex quotidianis flagellis respergebat non solum pavimentum, sed & parietes cellæ, altare, & ipsum fornicem; jejunabat vero cunctis diebus, vel a regula dispensatis; vigilabat integris noctibus, vel ad paucas horas quietem genuflexus aut sedi innixus, & non super cubile membris dabat, ut experientia facta comperere ceteri eremitæ. Eamque vitæ rationem non immutavit, vel in visitatoris aut Majoris dignitate constitutus, vel infirmitatum temporibus. Aliquando pedibus nudis saccum panis plenum ab eremo Taurinense deportavit ad eremum Clarasci, viginti milliaribus dissitam, ad sublevandam horum eremitarum inopiam, super humeros, cum congregationis esset Major, quod officium quinquies gessit. Quo etiam tempore, & cum esset prior eremi Taurinensis, vix sermone explicari potest, quantum misericordiæ viscera effunderet in pauperes, mendicos & infirmos; & pro certo habetur Deum multiplicasse panem ceterosque cibos, cum promptuaria integra aperiret in eorum subsidium, renueretque etiam benefactorum solatia & oblationes vel pro pauperibus exhibitas, velletque, ut de redditibus propriis eremus Taurinensis eleemosynas tam pingues erogaret. Tantus vir venerationem omnium tum secularium, tum ecclesiasticorum urbis Taurini sibi conciliavit, qui consilia vel ejus directionem concupiebant; inter ceteros, qui sanctum eremitam colebant, reticenda non est marchionissa Planezzæ, uxor postremi marchionis Planezzæ, nata ex Grimalda familia, quæ ad altum perfectio-

Ann. Chr. 1718.

fectionis gradum sub ejus ductu pervenit, neque tamen ipsa potuit vel una vice Clementem ad prandium retinere, vel adigere ad recipiendas suas oblationes in utilitatem eremi vel pauperum; quare intellecto ejus obitu exoravit Taurinenses eremitas, ut vitam Sancti hujus, ut eum credebat, scriptis traderent per totum orbem divulgandam. Spiritu etiam prævisionis donatus fuit eremita noster, multaque prædixit, quæ posterioribus temporibus fuere comprobata. Tribus annis ante obitum infirmitate detentus coactus fuit lecto decumbere, ex quo nunquam postea surgere valuit; demum aliis molestiis advenientibus proximam suam dissolutionem futuram prænuntiavit; quare sacramentis munitus, quæ maximo cordis affectu recepit, ea etiam die, quæ fuit ipsius postrema, placidissime expiravit die XXVII. augusti hujus anni, quæ erat dies sabbati. Post plures annos, cum humandus foret alter eremita, reperta est ejus caro sana, incorrupta, palpabilis, perinde ac sensu & vita gauderet.

XLIV. Et duarum monialium Cæsenatum.

Adjungendæ Clementi eremitæ duæ sacræ Virgines, quæ obierunt hoc anno in parthenone sanctæ Catharinæ de Cæsena, Octaviabaptista Pepula, & Scholastica Pepula. Præcessit illa die XII. martii, subsequuta est ista die III. aprilis. Illa septuagesimo-secundo vitæ suo anno, hæc quadragesimo-primo. Eam famem divini Sacramenti suscipiendi patiebatur prima, ut licet ob diutinas infirmitates ægre scalas cœnobii descenderet, raro octo dies præteriret, quin sacro pane vesceretur. Cum vero ad extrema deducebatur, idem Sacramentum recipiebat ad formam Viatici, & vires tunc recuperabat, ac quadam majori fortitudine induebatur. Neque contenta cibi eucharistici, ad omnia monasterii exercitia, qua poterat virtute, prompta erat. Altera similiter omne tempus insumebat in adoratione augustissimi Sacramenti, sacras cantiones, fervidaque carmina componebat, quibus dilectum animæ suæ invitabat. Sensibiliter Dei præsentia fruebatur, quam assidua oratione sibi promerebatur. Innocentem vitam asperis pœnitentiis coronavit; quare post obitum corpus ejus repertum fuit stigmatibus & imaginibus Crucum, Crucifixi, & Mariæ signatum. In extrema infirmitate communicata per modum Viatici confessarium exoravit, ut sacrum donum repeteret etiam duobus diebus sequentibus, quia tot, ut manifestavit cuidam moniali, sibi supererant vitæ, ut facto comprobatum est. Morti proxima renuit bibere dicens, etiam Jesum cum gustasset, noluisse bibere. Post transitum facies ejus talem decorem induit & claritudinem, ut ceteræ moniales non exsatiarentur ipsam osculari, & puella novem annorum totum diem impendit in sertis & coronis florum aptandis ejus cadaveri. Vitam ipsius scripsit ejus soror monialis Columba Pepuli, cujus etiam sunt pleræque vitæ multarum sanctimonialium ejusdem loci, & relatio introductionis vitæ communis.

Lectorum claustralium Camaldulensium auctoritate reverendissimi Definitorii in designatis monasteriis constitutorum jus ferendi suffragii in capitulis generalibus sui ordinis, exclusive quoad publicos professore, secularium universitatum sola principum auctoritate delectos. Assertum & demonstratum per Tiberium Vedmannum J. C. (is est Guido Grandius abbas Camaldulensis) *adversus dissertationem, qua simile jus sibi deberi prætendit D. Justus Venturinus Theologiæ Moralis in Florentino studio Professor. Ad reverendissimos PP. Generalem & Visitatores Camaldulenses.*

Prodiit hoc anno Florentiæ vita Aloysii Maflei eremitæ reclusi Camaldulensis, exarata, & dicata ceteris eremitis a Benedicto Falconcinio Volaterrano episcopo Arretino. Æsii vero ab anonymo editus fuit li-

ber

ber nuncupatus Francisco-antonio Giattini episcopo Æsino, cum hoc titulo: *Pietosi affetti di un Contemplativo delle spirituali bellezze della sagra solitudine di Monte-corona.*

ANN. CHR. 1718.

ANN. CHR. 1719.

XLV. Piorum obitus.

IN hospitio Neapolitano sancte decessit Hilarion a Neapoli eremita Coronensis. Nobilibus parentibus natus Josepho & Theresia Pepe die VI. decembris anni 1649. post sacerdotium susceptum, cursumque theologicum completum, totum se sacris missionibus addixit sub disciplina ven. Antonii Torres pii sacerdotis Piorum Operariorum, cujus fuit dilectus & spiritualis filius, ac particeps ejus persecutionum, singulareque donum a Deo acceperat accendendi peccatores ad Divinum amorem. Inde ad eremitas sanctissimi Salvatoris de Neapoli transiit anno 1705. die XVIII. januarii professione emissa; in qua etiam eremo & priorem, & magistrum novitiorum egit. Austerissimus in se, mitissimus in alios, humiliationes toto cordis affectu inquirebat. Prophetiæ dono ditatus, clare prænuntiavit Pio coeremitæ post decem & octo annos mortem, & quidem extra claustra eremitica; reapse decessit Pius in conventu patrum Prædicatorum Ironeæ. Hilarion autem, cum socius esset procuratoris in hospitio Neapolitano, ibidem supremum diem obiit, post mortem translato corpore ad eremum sancti Salvatoris, & aperta ejus vena vivus defluxit sanguis, & adstantes ejus opinione sanctitatis præconcepta rapuerunt quidquid ad usum ipsius fuerat.

Vigesima-prima januarii in parthenone sanctæ Catharinæ de Cæsena ad sponsum evolavit Honuphria Claramontia monialis quinquagesimo-septimo ætatis anno, post vitam inter austeritates & pœnitentias transactam. Nunquam carnes comedit, semper induta lecto decubuit, media nocte surgebat, & ad chorum pergebat, ubi præstolabatur horam matutinæ synaxis. Oratio ejus assidua, vestes pa perrimæ, ac ut sperneretur, quandoque in publicum refectorium descendebat incompta. Offensa donis prosequebatur offensores; caritatem singularem exercuit erga infirmas. Bibebat sordidam aquam, & proprio ore linivit cancerosum ulcus conversæ. Viam Crucis cum prægrandi ligno super humeros peragebat, ad stationes immobilis perseverans, vel in lacrymas resoluta. E scala decidit, & post quinque agonis dies sabbato beatæ Mariæ Virginis, cujus erat studiosissima, spiritum emisit.

Ob mortem cardinalis Ferdinandi de Abdua beneficentissimi patroni ordinis Camaldulensis suffectus fuit a Clemente XI. in protectorem ejusdem ordinis Antonius-Felix Zondadarius Senensis S. R. E. cardinalis, purpuratus singularibus prærogativis ornatissimus.

XLVI. Lectiones S. Petri Damiani propriæ concessæ.

ACTA fuit hoc anno in sacra rituum congregatione, eminentissimo & reverendissimo cardinale ponente Aloysio Priolo, causa officii & Missæ in honorem sancti Petri Damiani cardinalis sub ritu duplici, cum titulo ecclesiæ Doctoris, pro monachis, eremitis & monialibus totius ordinis Camaldulensis, maxime cum non deficerent exempla sanctorum Isidori, Anselmi, Bedæ ac Leandri, qui in ordine Benedictino colebantur sub ritu duplici de Communi Confessorum Pontificum & Doctorum, non sine prævia approbatione congregationis Sacrorum Rituum, ut ex regestis ac ex Breviariis Benedictinis. Animadversiones suas opposuit Prosper de Lambertinis Fidei promotor, qui censuit lectiones quidem proprias concedendas esse juxta insinuationes cardinalis Ponentis cum mutationibus & correctionibus propositis earumdem compositori (auctor ipsarum fuerat abbas Guido Grandius) sed non concedendum esse titu-

lum

ANN. CHR. 1719.

lum Doctoris. Respondit Thomas Montecatinus advocatus, & promotoris fidei objectiones diluit; verum non potuit obtineri, nisi concessio officii & lectionum sub ritu duplici sequenti decreto: *Ad humillimas preces patrum D. Michaelis-angeli Gasparini Veneti, & D. Remigii ab Aversa procuratorum generalium monachorum & eremitarum Camaldulensium, Sacræ Rituum congregationi porrectas, & ab eminentissimo & reverendissimo D. cardinale Priolo tituli S. Marci relatas, sacra eadem Rituum congregatio, audito prius tam in scripto, quam in voce R.P.D. Prospero de Lambertinis Fidei Promotore, suprascriptas lectiones secundi nocturni proprias & orationem S. Petri Damiani cardinalis episcopi Ostiensis a præfato eminentissimo D. cardinale Priolo diligenter examinatas atque relatas approbavit, & die* XXIII. *februarii sub ritu Confessoris Pontificis ab omnibus monachis utriusque sexus ac eremitis Camaldulensibus, qui ad horas canonicas tenentur, imposterum recitandas, & Missam, quæ incipit:* Statuit *&c. cum evangelio:* Homo peregre *&c. respective celebrandam esse benigne indulsit atque concessit, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die* XXVIII. *januarii* 1719. *Factaque deinde per me secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die* IV. *martii ejusdem anni* 1719. *F. card. Paulutius pro-præfectus, Loco ✠ Sigilli. N. M. Tedeschi episc. Liparit. S. R. C. Secret.* Anno præterito die IX. julii concessum fuerat ecclesiis Ostiensi & Veliternensi *Pro gratia extensionis officii sancti Petri Damiani, eodem modo & forma, quibus concessum fuit monachis Camaldulensibus*, qui de Communi recitabant Officium sancti episcopi cardinalis.

XLVII. Et officia SS. ordinis S. Benedicti concessa.

EODEM anno: *Ordinis sancti Benedicti. Cum alias sacra Rituum congregatio ad relationem claræ memoriæ cardinalis Gabrielli plura Sanctorum officia ab eo diligenter revisa ac correcta PP. Cistercienfibus recitanda concesserit, ad humillimas modo preces R. P. D. Honorati Salerni congregationis Casinensis abbatis & præsidis generalis, eadem sacra congregatio, referente eminentissimo ac reverendissimo D. cardinale Scotto, nonnulla prædictorum Sanctorum officia, ut supra jam approbata, in posterum ab omnibus monachis & monialibus regulam S. Benedicti profitentibus sub ritu in kalendario descripto de præcepto recitari, & Missas respective celebrari debere indulsit. Officia vero hæc sunt: Die* XV. *januarii in festo S. Mauri oratio propria. Die* XIX. *ejusdem sancti Agathonis papæ & conf. Die* XVIII. *februarii S. Gregorii II. papæ & conf. Die* XIII. *aprilis beatæ Idæ Virginis. Die* XXV. *maji S. Bonifacii IV. papæ & conf. Die* XXVIII. *ejusdem S. Gregorii VII. papæ & conf. Die* XII. *junii S. Leonis III. papæ & confess. Die* XVII. *julii S. Leonis IV. papæ & conf. Die* V. *octobris SS. Placidi & sociorum martyrum, prout in regno Siciliæ. Die* XXX. *ejusdem commemoratio SS. Martyrum et aliorum SS. quorum reliquiæ in ecclesiis ordinis S. Benedicti asservantur. Feria* VI. *post Dominicam Passionis Officium septem Dolorum B. Mariæ V. et ita servari, ac in Breviario et in Missali monastico apponi mandavit, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die* XIX. *augusti* 1719. *Facta autem de prædictis per me Secretarium Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit; die* XXII. *ejusdem mensis et anni* 1719. *F. card. Paulutius propræfectus. L.✠S. N. M. Tedeschi episc. Liparit. S. R. C. secret.*

XLVIII. Notitiæ historicæ illustrium virorum.

MEMORIA R.P. D. Hieronymi Silesitæ. „ Perillustres parentes Petrus-sebastianus ab Aulick & Anna Beata de Hunbaus conjuges pii „ die sexta octobris anno 1686. Morzendorffii in Silesia eum genuerunt, „ & Sil-

Ann. Chr. 1719.

„ & Silvium Fridericum appellarunt, qui in juventute statim Martis
„ aleam tentaturus paternam domum deseruit, ast paulopost experimen-
„ to doctus exeundum fore e castris, qui vult esse pius, stationem mu-
„ tavit, & ut salvaret animam suam, ex Locumtenente sub regimine
„ Coppeano locum sanctiorem, nimirum montem sub præsidio sancti
„ Josephi supra Viennam situm conscendit, stabiliter commoraturus.
„ Ubi Deo se suaque omnia per sollemnem anno 1711. emissam pro-
„ fessionem consecravit in perpetuum, donatis prius majori ecclesiæ al-
„ tari ex argento conflatis lampadibus in pretio 200. florenorum Rhe-
„ nensium, ad ornatum altarium sancti Angeli custodis, Romualdi &
„ Leopoldi, nec non pro statuis SS. PP. NN. Benedicti & Romualdi
„ 250. florenis, pro Sacris tandem in animæ suæ solatium 50. demum
„ oblatis eremo omnibus suis vestibus, ac omnibus quoquo titulo sibi
„ hæreditario aliquando obventuris bonis. Vixit in humili de seipso sen-
„ su, in perfecta subjectione, ac vitam annis undecim duxit multum
„ religiosam, quam etiam religioso & pio fine conclusit in eremo Ni-
„ triensi anno 1719. "

Eusebius Ciani monachus Camaldulensis professus monasterii sanctæ Mariæ-angelorum Florentiæ, ibidemque Philosophiæ primum, deinde sacr. Theologiæ lector, inter Florentini collegii theologos laureatus die VIII. aprilis 1717. ad episcopatum Massæ & Populonii anno 1719. sub. vectus est die VIII. octobris, Romæ ordinatus ab ipsomet summo pontifice Clemente XI. „ Is nobili familia Senis progenitus, patre scilicet
„ Julio Ciani J. V. D. & patritio Senensi, ac matre Agnete Borgogni-
„ ni sorore Joseph-mariæ episcopi Montis-Alcini anno 1681. in lucem
„ editus est. Diœcesim suam statim visitare aggressus est, ut oves suas
„ de visu cognosceret, earumque necessitatibus subveniret. Mira suavi-
„ tate ac gravitate morum omnibus charus gregi sibi commisso tum
„ doctrinæ, tum integritatis suæ exemplis præfulget. " Hæc Coletus in auctariis ad Italiam Ughellii. Vivit adhuc octuagesimo-quarto ætatis suæ anno.

Obiit Ricciardus-maria Giulliarius, qui fuerat generalis, paulo post dimissam dignitatem in monasterio Rosæ Senarum. In capitulo autem generali electi fuere ad supremam dignitatem Clemens-reginaldus Archibusierius Fabrianensis, in visitatores Andreas Rossini Venetus, & Liberius Canarius Ravennas.

Decessit etiam in monasterio sancti Mathiæ de Muriano, loco suæ professionis, die sexta januarii Augustinus Rossini abbas Camaldulensis, cujus amœniora studia oratoria & poetica referuntur in memoriis pastorum Arcadum; deque ipso honorificam mentionem faciunt auctores Diarii Veneti Literatorum [a].

[a] T. XXXVI. pag. 246.

Ann. Chr. 1720.

XLIX. Obitus Gregorii Porroni eremitæ Pedemontani.

POSTREMUS fuit præsens annus Gregorio Porrono, olim Johanni Petro, eremitæ Taurinensi ex nobili Mediolanensi familia a seculo circiter Taurinum delata, qui natus mense aprili anni 1638. decimum-octavum annum agens secunda aprilis anni 1656. habitum Camaldulensem acceperat in Taurinensi sancti Salvatoris eremo. Laudatur præsertim ut exactissimus custos regularum, constitutionum & consuetudinum Camaldulensium, quas in minimo apice longo sexaginta-quatuor annorum curriculo, quibus in religione vixit, præterire nefas duxit. Adhuc clericus reclusionem enixe postulavit, quam ad novennium tenuit. Ne ad sacerdotii gradum elevaretur, combussit patentes literas præteritorum or-

Ann. Chr. 1720.

dinum, quos susceperat, sed obedientia adactus, cum metu & tremore ipsum suscepit. Ingenio & memoria pollens sacram theologiam scholasticam, moralem & mysticam ex se ipso didicit; sacram Scripturam, Patres omnes non semel perlegit, & ad sacrorum bibliorum intelligentiam linguas, & præsertim Hebraicam sine magistro excellenter assequutus est. Decem & octo horas quotidie dabat tum orationi, tum sacræ lectioni, reliquas sex cibo & somno; quapropter amplissima commentaria super sacram Scripturam scripsit pietate & eruditione plena. Aliquando superior ejus cellam ingressus, vidensque tot libros ab eo primis juventutis suæ annis conscriptos, superfluos illos, fomentumque esse vanitatis asseruit, studiumque simul Scripturarum & sanctorum Patrum eremitæ subjunxit supervacaneum, consultiusque fore, ut opera sua igne consumeret, & derelicta graviorum librorum lectione, ad unum opus de perfectione religiosa patris Rodriguez, præter regulam & constitutiones eremiticas, studia sua restringeret; quod quidem consilium dedit piissimo eremitæ idem superior, ut ejus humilitatis periculum faceret. Sed Gregorius vocem Dei in Superiore audiens, eo abscedente, igni tradidit omnia commentaria sua, & subtractis e cella libris omnibus, totum se addixit lectioni patris Rodriguez, & regulæ ac constitutionum. Alterum eximiæ humilitatis specimen dedit. Familia Porrona consanguinitate jungebatur cum familia Odescalca. Missus fuit Gregorius in Urbem pro obtinenda confirmatione constitutionum congregationis suæ tempore Clementis X. quo vivebat Romæ cardinalis Odescalcus; ipse nunquam vel verbo, vel aliorum officiis passus est, ut ad aures cardinalis perveniret consanguinitatis ipsius status, cujus consobrinus erat in tertio gradu, multoque magis eam occultavit, cum cardinalis sub nomine Innocentii XI. ad supremam pontificatus dignitatem fuit sublimatus, neque pro beneficio congregationis, aut pro gratiis obtinendis eremo aliquando humilem animi sui demissionem & moderationem mutavit. Triginta-quinque annis prælationem habuit in congregatione, vel in regimine eremorum, vel in complendis officiis Visitatoris & Majoris; ipso suo emortuali anno electus vix fuerat prior eremi Taurinensis octuagesimum-secundum ætatis annum agens. Mortem igitur lætissimus & fiduciæ plenus aspexit die XXIII. januarii festiva Desponsationi beatæ Mariæ Virginis, quam studiosissime vivens coluerat, ex febre ardenti, ceteroquin sanus & vegetus corpore, ita ut neque ullum alium contraxisset morbum, neque dens ullus ei deesset; innocentiam insuper virginalem ad mortem retinens. Fuit & ipse familiarissimus Ven. viri Sebastiani Valfrè. Victorius autem Amadeus dux Sabaudiæ, & primus Sardiniæ rex virtutes sancti eremitæ venerabatur, ac frequenter cum ipso colloquia miscebat. In bibliotheca eremi Taurinensis extat ipsius Gregorii liber ms. quinquaginta tribus foliis chartæ maximæ cum titulo: *Apologia, o sia libro apologetico, nel quale con la dimostrazione di Bolle pontificie, e coll' autorità di molti dotti Scrittori si convince di errore il P. Giovan-paolo Oliva della Compagnia di Gesù, mentre un caso occorso in un eremo, che non era dell' ordine Camaldolese, lo attribuisce ai medesimi Camaldolesi*. Factum hoc legitur in sermonibus domesticis ejusdem Olivæ sermone XXXIV. tertiæ partis numero 136. ubi narrat „ duos religiosos, quos vocat cellerarios & filios sancti Romualdi, liber„ tate & dissolutione suorum sermonum & facetiarum in publico merito„ rio hospitio scandalum attulisse cuidam nobili juveni ab ipsis non co„ gnito, qui ad ipsorum monasterium pergebat pro induendo monastico

„ habi-

„ habitu, quique idcirco consilium mutavit, pedesque retraxit ab ample„ ctenda coenobitica vita; " at eremita noster solidis argumentis probat Petrum Damiani de duobus monachis loquutum fuisse, qui non pertinebant ad congregationes Camaldulensem & Avellanensem. Typis edere apologiam suam volebat Gregorius; verum hoc intelligentes patres Societatis Jesu ipsum exorarunt, ut editionem suspenderet, vel ea ratione, quod ipse pater Oliva in suo Sermonum opere neque ipsi Societati pepercisset; manu scripta proinde relicta est Apologia. De Porrono illud etiam memoriæ mandatum est, quod quolibet anno integram sacram Scripturam attente excurreret, ita ut præsertim Novum Testamentum memoriter recitaret, & ad quodcumque argumentum textus ad rem facientes in medium proferret. Eadem diligentia & assiduitate Summam divi Thomæ didicit, & quæstiones, argumenta, doctrinas cum citationibus repetebat, perinde ac ex libro legeret. Supersunt etiam quindecim sermones eruditione pleni, & prolixi super evangelia Dominicalia, & super anni sollemnitates, quos eremitis suis dixit, cum erat prior, ceteri vero postremæ infirmitatis suæ tempore inconsulte igni traditi fuere a quodam eremita, cui scripta sua consignavit.

Inter monachos vivere desiit Anicetus Dandi e Foro-livio abbas Camaldulensis, cujus extat historia ex Gallico in Italicum deducta domini de Cericieris edita Bononiæ anno 1671. Historia titulum habet: *L' innocenza afflitta*, referturque in Bibliotheca Cinelliana.

Brevi Clementis XI. Romani pontificis confirmatur decretum sacræ congregationis declarans, ut is monachus, qui destinaretur ad regimen Camaldulensis abbatiæ sanctæ Mariæ in Balneo Etruriæ, privilegio gauderet abbatis localis, quamdiu in eo regimine perduraret.

Amplissimo diplomate die XX. martii Carolus VI. imperator iterum confirmat fundationem eremi Lechniczensis factam a Ladislao episcopo Nitriense eremitis Camaldulensibus, in quo totam seriem contentionum cum Cartusianis, ad quos prius pertinebat, sub oculos ponit, silentiumque perpetuum indicit istis, præsertim cum Ferdinandus I. imperator omne jus Cartusianorum in dictum claustrum transfudisset in capitulum Scepusiense, sub præposito Georgio Bornemisza electo episcopo Csanadiense.

L. De cultu seculari S. Raynaldi episc. Nucerini.

Ex actis sanctæ Nucerinæ synodi celebratæ hoc anno ab Alexandro Borgia episcopo hæc habentur sessione secunda capite XI. quod est: „ De seculari festo sancti Raynaldi episcopi & Patroni Nucerini. " *Marcus Battaglinus felicis recordationis prædecessor noster venerabili cathedralis ecclesiæ capitulo optante, & universo Nucerino populo summis votis postulante decrevit, ut recurrente centesimo quolibet anno, quo divus Raynaldus Nucerinus episcopus ac patronus ad supernæ beatitudinis gaudia transivit, cujus sacratissimum corpus integrum & incorruptum in ara maxima nostræ cathedralis ecclesiæ summa cum religione asservatur, peculiari cultu seculare festum institueretur; quod primo quidem anno* M. DCC. XXII. *quinto videlicet ab ejus dormitione seculo celebrandum erit; sed quoniam dies incidet in nonam februarii, quando scilicet in his montanis regionibus asperius frigus ac difficiliora itinera esse solent, Nos, ut majori populi accursu sollemnitas habeatur, illam ad decimam-quintam junii transferimus cum octava celebrandam. Et quoniam ad tantæ festivitatis ornatum multæ requiruntur expensæ, quibus ferendis ecclesiæ nostræ tenuitas omnino impar est, nec ea, quæ civium pietas hactenus contulit, sufficere possunt, omnes & singuli diœcesis nostræ parochi plebes sibi com-*

 missas

ANN. CHR. 1720.

missas adhortentur, ut adjutrices manus porrigere velint. Eligant deinde unum aut plures viros probos ac pios, qui eleemosynas quærant, & quidquid collectum fuerit, Nuceriam mittant apud illos, qui pio operi præpositi sunt, deponendum. Speramus autem eo Fideles alacriores fore ad promovendum divi Raynaldi cultum, quo & ille potiora nobis ac universæ diœcesi beneficia a Deo in dies impetrat, signis quoque ac miraculis pluribus quotidie coruscat.

Anna & Helena ex familia Galamina sorores die quinta-decima junii donant monasterio Uranensi jus patronatus super altare sancti Johannis-decollati erectum in parœciali ecclesia plebis sancti Donati de Polenta diœcesis Britonoriensis.

ANN. CHR. 1721. LI. Inscriptiones in basilica Classensi S. Apollinaris,

CUM Casimirus Galaminus abbas Classensis insigniter restituisset decorem basilicæ sancti Apollinaris extra muros Ravennæ, ad perennandam memoriam sequentes confecit, partimque marmori insculpsit, partim parietibus apposuit inscriptiones, quas subjicere gratum facere arbitramur. In ecclesiæ vestibulo supra januam sacelli sanctæ Sophiæ ad lævam: *D. O. M. Templum sancti Apollinaris anno* D. XXXIV. *incœptum, anno* D. XLVIII. *consecratum, Julianus Argentarius ædificavit sub Ecclesio & Ursicino archiepiscopis, Justiniano & Theodora imperantibus.* Ad alteram januam sacelli sancti Petri ad dexteram ingredientium: *D. O. M. Basilicæ sancti Apollinaris altaria, parietes, laqueare D. Casimirus abbas Galaminus restauravit, ornavitque, Innocentio papa XIII. Cornelio Bentivolo cardinale legato, Hieronymo Crispo archiepiscopo. Anno* M.DCC.XXI. Supra januam majorem ecclesiæ in atrio præ foribus: *D. O. M. Hocce templum Classense sancti Apollinaris olim sanctitate & majestate celeberrimum, & adhuc vetustate sua augustissimum, quod a Saracenis direptum, a Barbaris profanatum, & ab hostium incursionibus deprædatum, tandem ob bellorum incommoda & aeris insalubritatem derelictum monachi Camaldulenses, translato ad urbem Ravennam cœnobio, pie restaurant & colunt.* Intra ecclesiam supra principem januam: *D. O. M. Corpus sancti Apollinaris Antiocheni Ravennæ & Æmiliæ apostoli pietate monachorum Classensium ab hac basilica ad urbem Ravennam translatum, & pia canonicorum contentione in æde metropolitana repositum, tandem Innocentii X. & sacræ Rituum congregationis decreto antiquo huic templo restitutum, sub ara maxima requiescit anno* M. DC. LIV. In fronte sinistræ navis intra ecclesiam: *Gualterio Ravennæ archiepiscopo pio, liberali, magnanimo, qui Azoni priori & ordini Camaldulensium templum hoc & monasterium Classense anno* M. C. XXXVIII. *munificentissime donavit, abbas & monachi generoso benefactori monumentum grati pos.* In ejusdem sinistræ navis pariete supra sancti Felicis archiepiscopi sarcophagum: *In hoc monumento Felicis sacratissimi urbis Ravennæ archiepiscopi corpus requievit, quem virtutum meritis, & miraculorum gloria illustrem probatissimi scriptores Sanctum appellant.* In eadem navi sinistra: ✠ *Otho* III. *Rom. imp. Germ. ob patrata crimina austeriori disciplinæ sancti Romualdi obtemperans, emenso nudis pedibus ab urbe Roma ad Garganum montem itinere, basilicam hanc & cœnobium Classense* XL. *diebus pœnitens inhabitavit, & hic cilicio ac voluntariis castigationibus peccata sua expians augustum dedit humilitatis exemplum, & imperator sibi templum hoc & pœnitentiam suam nobilitavit. Anno P. C. M.* Intra ecclesiam in fronte dexteræ navis: *S. Gregorium Magnum pontificem ter maximum per januam hanc templum ingredientem ob loci sanctitatem & majestatem in exsta-*

exstasim raptum, vestigium nudi pedis limini infixisse, quod antiqua populi veneratione craticula ferrea coopertum est, in urbe Ravenna traditio & fama viget. In ejusdem dexteræ navis pariete supra sepulcrum Johannis archiepiscopi: *Beneficis ac munificis antiquæ urbis archiepiscopis Mauro, Reparato, Damiano, Sergio, Johanni V. & VI. Valerio ac Dominico, qui in hoc templo novis ædificiis, donis & ornamentis decorem decori, & majestatem majestati olim addiderunt, monachi Camaldulenses benemerentibus memoriam excitarunt. Anno* M.DCC.XXI. In eadem dextera navi prope altare sancti Gregorii supra sepulcrum Theodori archiepiscopi in marmore: *D.O.M. Sepulchrum Theodori Deo amabilis reverendissimi ac beatissimi Ravennæ archiepiscopi, qui Ravennatem ac Romanam ecclesiam extincto schismate reconciliavit, cujus corpus a schismatica rabie in ardica projectum atque submersum catholica pietas in templo honorificentius collocavit, & exulantem prope Britonorium tumulum monachi Uranenses in suo loco reposuerunt. Anno* M.DCC.XXI Hic tumulus marmoreus translatus est scilicet ad hanc Classensem basilicam ex monasterio sanctæ Mariæ de Urano prope Britonorium ordinis Camaldulensis, ad quod transmissus fuerat ab archiepiscopo successore Theodori. In sacello sanctæ Crucis ad latus evangelii: *Sacellum hoc sanctæ Crucis Sancta Sanctorum olim fuit, in quo insignes reliquiæ Christi Domini, B. Virginis, magnorumque Sanctorum devotissime conservabantur, & prohibitis ab ingressu mulieribus, magna sanctitate & veneratione floruit*. In eodem sacello ad latus epistolæ: *In hac sanctæ Crucis imagine inclusæ adorantur reliquiæ de ligno veræ Crucis Domini, de petra S. Sepulchri, de vestimentis B. Virginis Mariæ, de ossibus duodecim Apostolorum, & de fragmentis aliorum corporum Sanctorum urbis Ravennæ decus & præsidium*. In suppedaneo altaris, quod est in medio ecclesiæ: *Beatissimam Virginem Mariam, ubi pater oravit, filius adorat. D.C.G.B.A.C.* hoc est, domnus Casimirus Galaminus Britonoriensis abbas Camaldulensis. In posteriore parte ejusdem altaris: *S. Romualdus Ravennas ad altare hoc noctu orans, beato martyre Apollinare bis viso, ad sacrum ordinem monasticum vocatus est anno* DCCCC.XXVII. In cippo altaris ad latus evangelii: *Martyrum Reginæ dicatum*. Ibidem ad latus epistolæ: *Sanguis Martyrum, semen fidei tuæ Ravenna*. Post idem altare in pavimento: *In hoc loco corpus sancti Apollinaris sub lapide porphyretico diu stetit, & hinc gloriosum beato Romualdo bis apparuit*. In pariete dexteræ navis prope sacellum novissime divo Romualdo dicatum visitur inscriptio in marmore cum ornatu, Lucæ Papinii abbatis Classensis, quam ad annum 1571. attulimus; in qua inscriptione pro *nitorem restitueret*, lege *nitorem augeret*.

Sub absìde ejusdem templi in pariete circa altare a cornu evangelii incipiendo, habentur sex inscriptiones. Prima: *Corpus sancti Apollinaris martyris, primi Ravennæ pontificis & patroni*, X. *kalendas augusti die emortuali anno Christi* LXXVIII. *ad muros Classis conditum, & a sancto Maximiano archiepiscopo in hanc basilicam* VII. *idus maji anno* D.XLVIII. *deductum, Maurus successor septimo vergente seculo sub ara Martyrum Reginæ sacra in medio templi collocavit, & tribus argenteis laminis appositis hæc insculpsit*. Hic referuntur tres laminæ, quas nos recensuimus ad annum 1173. *Ortus ab Antiochia* &c. *Hic fustibus cæsus* &c. *Hic requiescit* &c. Secunda inscriptio: *Hildebrandus Crassus tit.* XII. *Apostolorum presbyter cardinalis, Alexandro III. pontifice maximo jubente, Theodino tit. S. Vitalis presbytero cardinale, Gerardo archiepiscopo*

Raven-

Ann. Chr. 1721.

Ravennæ, *episcopis provinciæ*, *Hildebrando Camaldulensium generali*, *Willelmo Classensi abbate*, & *S. Ravennatis ecclesiæ clero*, *populoque præsentibus*, *caput* & *ossa S. Apollinaris a pluribus retro seculis occulta in medio templi cum tribus argenteis laminis invenit*, *in infimam cryptam detulit*, & *dissidia inter monachos Classenses*, & *S. Apollinaris*, *olim S. Martini in Cœlo aureo*, *sacras exuvias sibi vindicantes lata sententia diremit* V. *kal. novembris anno* M. C. LXXIII. Tertia inscriptio : *Franciscus Soderinus tit.* XII. *Apostolorum presbyter cardinalis Volaterranus*, *Camaldulensium protector*, *Julii II. Romani pontificis mandato*, *sacra beatissimi Apollinaris lipsana per Paulum Orlandinium Camaldulensis congregationis vicarium e cryptæ subterraneo specu*, *ubi ab Alexandri papæ III. temporibus jacuerant*, IV. *nonas aprilis effodit*, & *ne a succrescente in dies aqua læderentur*, *per Andream Secchinium Classensem abbatem*, *sapientum* & *primatum reipublicæ Ravennatis concursu in novum marmoreum sarcophagum ibidem sublimius positum*, *Francisco cardinali Alidosio legato*, *Philiasio Roverella archiepiscopo transtulit* V. *idus maji anno* M. D. XI. Quarta inscriptio : *Corpus sancti Apollinaris ob majorem cultum* & *pietatem*, *sacra Rituum congregatione*, *Luca Torregiano archiepiscopo*, & *S. P. Q. Ravennate assentientibus*, *Carolo Membrino prolegato*, *Claudio Angeluccio generali vicario*, *Augustino Malosio abbate deducentibus*, *Augustino Pignatta Sapientum civitatis priore*, *Johanne-antonio Donato ejus collega prosequentibus*, *ab hac basilica Ravennam* VII. *kal. novembris anno* M. DC. L. *translatum*, & *sub ara maxima ecclesiæ S. patris Romualdi ab Alderano cardinali Cybo legato* VII. *idus januarii anno* M. DC. LI. *locatum*, *sed canonicis Sedi apostolicæ instantibus in metropolitana æde* XVI. *kal. augusti anno* M.DC.LII. *depositum*, *tandem Innocentii X. P. M.* & *novo Sacræ Rituum congregationis decreto a Johanne-stephano cardinali Donghio legato recognitum*, *huic templo*, *Gregorio abbate Maldentio curante*, *pridie nonas junii Sanctissimi Corporis Christi die fausto lætoque anno* M. DC. LIV. *restitutum est*. Quinta inscriptio : *Sanctissimi Apollinaris* &c., sed quandoquidem ea apposita est anno tantummodo 1745. ad ipsum annum reservamus, sicut etiam sextam : *Heus tu quisque* &c. Ne quid desit, supplemus inscriptionem allatam anno 1174. appositam in crypta ad latus prope sarcophagum : *Christo dilecte Apollinaris* &c. supra quam legitur : *Operis hujus machinam cerne quisquis devote vitæ supernæ gloriam quæris*, *factam post Christi ortum beatum est quidem*, *Classi cum revelatum martyris corpus Apolenaris Dei athletæ*, *omnes pasi istud plene videte*, *anno milleno addito cursu vero centeni*, III. *quoque septuageni*, *tempus notate*. Et ad latus dexterum ingredientium prope sarcophagum : *Reverendissimus D. Franciscus Soderinus de Florentia basilicæ* XII. *Apostolorum presbyter cardinalis accepta auctoritate ab apostolica sede accessit ad hoc Classense cœnobium*, & *sanctissimi Apollinaris ossa permulta hinc a subterraneo specu ac ex aqua limoque eduxit ad sublime in capsam ligneam*, *quam eamdem in arcam hanc marmoream recondi mandavit*, *præcipiens*, *ut translatio hæc quotannis celebraretur a posteris sub stipendio dierum centum de indulgentia*. *Actum anno Domini* M. D. XI. *aprilis die secunda*.

LII. Expetitum monaster. S. Trinitatis de Monte-herculis pro restituenda ibidem monach. familia.

Postulaverat jam ab anno 1719. Florianus Amigonius abbas Camaldulensis in monasterio Urani a cardinale Zondadario congregationis protectore, & a sacra congregatione de Disciplina facultatem aperiendi iterum monasterium sanctissimæ Trinitatis oppidi sanctæ Agathæ in Monte-herculis, quod ante vicennium jussu ejusdem sacræ congregationis

ANN. CHR. 1721.

tionis clausum adjunctum fuerat alteri floridiori sanctæ Mariæ de Urano. Intentio pii præsulis ea erat, ut ibidem restitueretur monachorum familia ad cultum ejus ecclesiæ, & devotissimæ imaginis Virginis Mariæ, & ad consolationem populorum pro administratione Sacramentorum. Recens patribus observantibus sanctæ Sabinæ de Urbe indultum fuerat, ut in quodam agro residerent duo vel tres eorum religiosi, qui promoverent devotionem erga aliam imaginem beatæ Virginis. Ulterius destinabat pius postulator idem cœnobium sanctissimæ Trinitatis pro loco, ubi se reciperent probatissimi monachi, qui, licet pauci numero, perfectam tamen servarent vitæ institutionem, omnibusque regulæ & constitutionum Camaldulensium decretis adimplendis ferventissime instarent. Accedebant enixæ preces parochorum & capellanorum Feretranæ diœcesis, qui hoc anno 1721. supplices literas scripserunt eidem abbati, ne locum privaret præsentia suorum monachorum, quippe qui tum concionibus, tum sacrorum administratione in parochorum adjutorium instruebant, fructusque salutares afferebant populis, nunc vero tum ecclesia, tum imago beatæ Virginis sine cultu derelicta non amplius ad se trahebant fidelium venerationem. Ita ex oppido sancti Donati subscripserunt se die octava novembris parochus ejusdem oppidi, capellanus sanctæ Mariæ-magdalenæ, parochus oppidi Ugrigni, alter oppidi Majani, parochus terræ Perticharæ, eorumque capellani. Præcesserant instantiæ capituli & canonicorum sanctæ Agathæ duodecima septembris hujus anni alia urgentissima epistola, & tertia eodem die confalonerii & priorum oppidi. Redditus ejus abbatiæ videbantur sufficere ad sustentationem quatuor vel sex monachorum, ut reapse totidem ibidem alebantur, antequam Uranensi monasterio uniretur; Magnus ipse Etruriæ dux congregationi cardinalium adjunxerat sua officia, ipsa congregatio de Disciplina haud multum aberat ab hujusmodi concessione. Verumtamen ad aliquot annos protractus fuit tractatus, & cardinalis protector negotium remisit ad futurum capitulum anni 1724. in quo cum exposita fuisset intentio patrum Carmelitarum excalceatorum emendi bona præfatæ abbatiæ, evanuit consilium aperiendi denuo monasterium, neque tamen divendita fuere bona patribus Carmelitis, sed eorum redditus & monasterium perseverarunt in beneficium cœnobii Uranensis, cui fuerant anno 1701. unita, per plures alios annos.

Prodiit hoc anno in urbe Lucensi per Dominicum Ciuffettum typographum Apologia contra detractores in defensionem veridicæ relationis baculi sancti Joseph in cœnobio sanctæ Mariæ-angelorum Florentiæ existentis, quam a Bessarione episcopo Nicæno dono accepisse Ambrosium generalem Camaldulensem perhibent. Relatio ibidem hoc anno edita fuerat ab Andrea Farullio cive Veneto, verius a Gregorio Farullio monacho ejusdem cœnobii, in qua exponebatur tempus & occasio, qua pervenerat ad cœnobium Angelorum prodigiosus baculus.

ANN. CHR. 1722.

LIII. Origo Oblatarum Camaldulensium in Urbe.

SUB directione Alphonsi-mariæ Eusemii patria Perusini monachi Camaldulensis erecta fuit hoc anno nova familia Tertiariarum sive Oblatarum Camaldulensium in Urbe. Fundatrix ipsarum fuit Angela Francisca Pezza vidua Romana, quæ jussu parentum adstricta ad nuptias, post mortem conjugis & post collocationem filiorum, unice Deo adhærere cupiens, vitam pœnitentem, & virtutibus ornatam eatenus duxerat sub ductu patrum strictæ reformationis sancti Bonaventuræ de Pulveraria in Urbe. Casu contigit, ut die XXVII. junii anni 1721. januam

eccle-

ANN. CHR. 1722.

ecclesiæ sancti Bonaventuræ clausam pia mulier repererit; quare ad proximam sancti Gregorii ad Clivum Scauri descendens, ibidem invenit Eufemium, qui a sacrista vocatus confessionem ejus excepit. Hic explorato ejus spiritu ea aliisque successivis vicibus, & aliquid singulare animadvertens in ejus vivendi ratione, ad examen perpensis ipsius intimis desideriis, fovensque vota, mulierem ad mutationem habitus induxit; quod tamen ad effectum perducere noluit, nisi auditis prius consiliis patris Alexandri Bussi congregationis Oratorii ad Vallicellam presbyteri, & patris Francisci-mariæ Galluccii ex S. J. Quare die octava decembris hujus anni Angela ætatis annorum triginta-duorum in eadem ecclesia sancti Gregorii, in capella cardinalis Salviati, ad aram beatissimæ Virginis, ante quam ad multas horas orare consueverat, induta fuit habitu Tertiariarum sive Oblatarum Camaldulensium ab ipso monasterii præsule Apollinari Montanario, cum interventu trium monialium instituti sancti Philippi Nerii. Paucis mensibus in sua privata domo sola vixit Angela; nam aliquot piæ virgines, quæ edoceri cupiebant in religiosis virtutibus, ejus domum, simulque ecclesiam sancti Gregorii frequentare ceperunt, quas omnes idem Eufemius in viis Domini erudiebat. Quapropter cum progressu temporis etiam istæ exoptarent in Oblatarum numerum recipi, obtentis necessariis facultatibus a Nutio Baccario Vice-gerente Urbis, & a Clemente Reginaldo Archibuserio abbate generali ordinis, ac ab ejus successore Michaele-angelo Gasparinio, die octava decembris anni 1724. quinque virgines sub Angela præfecta eodem habitu indutæ fuere. Hæ simul viventes in domo pone ecclesiam sancti Laurentii in Miranda sub parœcia sanctorum Quirici & Julittæ, regularibus exercitiis vacantes, potissimum diem, una alteri succedens ob earum exiguum numerum, integrum impendebant in laude perenni beatissimæ Virginis Mariæ, quæ laus præcipua hujus novi instituti pars erat, ut fusius prosequimur ad annum 1726.

LIV. Grandii opera, & aquarum revisiones.

OPERA & adsistentia præsulis Johannis Bottarii Guido Grandius edidit Florentiæ hoc anno *compendium Sectionum conicarum Apollonii Pergæi cum additione novarum proprietatum earumdem*. Hujus libri usum fecere universitates Patavii & Bononiæ. Christianus Ausen professor Matheseos Lipsiæ in Latinam, in Hispanicam linguam Johannes de Aguillar architectus in militiis regis Catholici ipsum traduxere. In collectione Scriptorum de Aquis facta in eadem urbe anno sequenti, reperitur in primo tomo *tractatus Archimedis de solidis natantibus in fluido* in Italicum a Grandio traductus, & novis lemmatibus clarius enucleatus circa ultimas propositiones libri secundi pertinentis ad conoides parabolicas. Ibidem tomo secundo [a] habetur: *De motu aquarum tractatus geometricus* ejusdem Grandii; pariter [b] *Informatio ad officiales Pisanos circa novam terminationem propositam Eræ*. Tomo tertio leguntur: [c] *Rationes pro unione Rheni fluvii Bononiæ cum Pado auctæ triginta notis*. In eadem collectione reperiuntur variæ scripturæ, quas ediderat idem Grandius circa aquas fluminis Eræ præteritis annis. Peritia hujus celebris professoris in aquarum cursibus dirigendis non solum induxerat Cosmum III. Magnum Etruriæ ducem ad conferendam ei Matheseos cathedram vacantem ob mortem Alexandri Marchetti mense octobri anni 1714., sed etiam ad tribuendam ipsi super aquas ditionis suæ præsidentiam; munus, quod post obitum Viviani collatum alicui non fuerat. Anno similiter 1716. tamquam pontificius mathematicus destinatus Grandius fuerat ad revisionem aquarum Rheni fluminis, quas Bono-

a Pag. 437.
b Pag. 659.
c Pag. 131.

Bononienses in Padum transfundere contendebant contra Ferrariensium oppositiones, prævaluitque Grandii opinio, qui Bononiensibus favebat, obtenta Romæ decisione favorabili mense septembri anni 1717. Quæ tamen in suspenso remansit ob damna, quæ prætendebant urbes Lombardiæ ex ingressu Rheni in Padum. Iterum anno 1719. & tertio anno 1721. mathematicum agens tum pro Romani pontificis ditione, tum pro Cremonæ patriæ suæ recognovit aquas Padi, & fluminum in Padum devectorum, primamque sententiam suam invicte sustinuit, licet nihil actum fuerit ob variorum principum oppositiones. Extat Grandii diarium in visitandis aquis Padanis & Rhenanis anno 1719. Anno sequenti 1723. ad regiam societatem Londinensem elegantem speculationem suam transmisit, cui titulus: *Florum Geometricorum manipulus*, quæ inserta fuit Transactionibus Anglicanis.

ANN. CHR. 1722.

DECIMA-NONA novembris Seraphinus ex nobilissima Firmana familia Guerreria Coronensis eremita sancte decessit in eremo Montis-côneri prope Anconam ætatis anno trigesimo-quinto. Prima sua juventute annorum decem & octo a parentibus Romam missus unice ferebatur erga res sacras, pecuniamque omnem, quam habebat, gaudebat inter pauperes distribuere. Redux in patriam eumdem vitæ tenorem servavit; quare etiam ipsius parentes libenter ei pecuniam suppeditabant, scientes optimum, quem de ipsa faciebat, usum. Specie decorus, vividioribusque annis ita innocentiam & puritatem mentis & corporis custodivit, ut quin evaderet dæmonis præda, prædam immo eripuerit dæmoni; quamdam scilicet juvenculam paupertate pressam, & male feriatorum hominum blanditiis lacessitam quotidie de victu providebat, dotavit insuper, ut honesto matrimonio jungeretur, quæ grata suo benefactori, quamdiu vixit, non destitit salutem animæ suæ, suique servati honoris Seraphino referre acceptam. Fines nesciebat pii juvenis caritas, hinc aliis plures argenteos nummos, scuta etiam plura erogabat, & cuidam mala valetudine affecto e curru suo descendens totam crumenam effundens libentissime impartitus est. Innocentiæ itaque & caritatis virtutibus protectus meruit a Deo vocari ad sanctam, regularem & sub obedientia vitam, quam professus est in Monte-corona sub excellentissimis magistris Paulo a Vetralla, & Petro Giampedio Fabrianense, quibus ductoribus volatus brevi tempore edidit in perfectionis via. Extases, quas patiebatur, deliquia amoris fuere sine numero, donum lacrymarum assiduum; comis tamen cum omnibus recreationum temporibus, neque Divinam tunc amittebat præsentiam, sed post corporis solatium redibat ad orationem, quam consequebantur uberrimi suavissimi fletus. Completo tirocinio, asperrimæ pœnitentiæ se totum addixit, & imitatus beatum Henricum Susonem binas sibi cruces contexuit palmo longas, quibus triginta-tres acuminatas cuspides infixit, primamque pectori, alteram dorso aptavit. Ad regionem cordis profunde sibi in carne impressit sanctissimum nomen Jesu-christi. Renes cinxit lata & ponderosa catena, quam ex obedientia deposuit, non levem sufferens dolorem, quippe quæ carnibus adhæserat. Quotidianam sibi inferebat disciplinam clavis acutis & nodosis funibus instructam. Cibo tenuissimo vescebatur, numquam sedens ad mensam, & si quando in refectorio, quod raro contigit, prandere usus requirebat, cibum & potum cum fletu miscebat ex audita sacra lectione. Sacerdos factus cellerarii officium gessit in eremis Tudertina & Anconitana, & quamvis probe injunctum sibi ministerium exe-

ANN. CHR. 1723. LV. Vita Seraphini Guerrerii eremitæ M. C.

Ann. Chr. 1723.

queretur, laboriosam vitam cum contemplativa uniebat. De rebus spiritualibus loquebatur tamquam perfectus magister, & ad ejus, licet junioris, aures errata sua deponebant seniores eremorum. Explicationem concinnavit super librum Cantici Canticorum valde doctam & affectibus plenam, quam coeremitæ edere in publicum proponebant, sed restitit auctoris humilitas. Casu ferrum, quo ligna secabat, exiit e manubrio, ictumque profundum impressit in ejus capite. Ipse cooperiens manu sauciatum caput, ad cellam prioris properavit, subridensque ei dixit: Ecce sanctus Petrus martyr; alia vice ligno læsit sibi oculum, ipse vero gaudebat, Deoque gratias referendas ajebat pro sanitate alterius oculi. Luxati pedis molestiam hilariter sufferens maluit claudicare, quam remediis se subjicere. Demum gravissima infirmitate correptus, quam insanabilem pronuntiaverunt medici, oculos manusque ad cœlum convertens exclamavit: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, neque exinde aliud loqui sciebat, nisi de paradiso, de desiderio Deum videndi; quod tam vehemens erat, ut cor ipsius palpitaret, & stramenta cubilis sublevarentur, immo totum ipsum cubile contremisceret. Pro certo habitum fuit Seraphinum numquam commisisse peccatum voluntarium, & innocentiam baptismalem servasse ad sepulcrum. Placidissime itaque spiritum exhalavit, post cujus obitum exenterato corpore, loco cordis reperta fuit bursa collecta & coarctata. Spiritualis quædam anima, quæ creditur fuisse piissima villica Mathias Maria Perini a Civitate-castelli, obvios habens aliquot eremitas Camaldulenses dixit: Seraphinus eremita cœlum conscendit; ita speramus, responderunt eremitæ, quibus illa intulit: Pro exploratissimo habeatis, quod post tres purgatorii ignis horas anima Seraphini in cœlum fuit recepta. Quando terræ demandatum fuit ejus cadaver, brachia ipsius condecenter reclinata fuere super ejus corpus; at ille extendit unum ex ipsis super corpus Guidi Fortunati a Civitate-Castelli pientissimi eremitæ ante septem menses defuncti, dum priorem ageret in eadem Montis-coneri eremo. Præceperunt coeremitæ, ut denuo brachium Seraphini reclinaretur, quod tertio factum est, sed iterum & tertio sublevavit brachium, deponens ipsum super corpus præfati prioris, quem in vita semper dilexerat, utpote uniformem in sanctitate morum, & in rigore pœnitentiæ.

LVI. Altera Modesti [illegible] Castello-maris.

Alterius sancti eremitæ mors refertur ad hunc annum, diem autem XXX. septembris. Is fuit frater Modestus ab urbe Castelli-maris, antiquitus Stabiæ, qui obiit prope nonagenarius in eremo sancti Michaelis de Turri post quinquaginta & septem religionis annos, ab anno nimirum 1666. quo receptus fuit ut oblatus, & ab anno 1674. quo professionem emisit. Ejus vita fuit semper innocens, simplex & hilaris. Caritas in pauperes exemplarissima, cibis monasticis parcens, ut eos in eleemosynam erogaret. Mendicum quemdam Gallum, dum janitor esset, recepit in cellam suam, quem igne refocillavit & cibo, detractisque ei sordidis vestibus & lotis, comptum dimisit. In omnibus laboribus & exercitiis suis colloquebatur corde, & etiam ore cum Deo, quem semper præsentem habebat, actibus intensissimis amoris, ut clanculum a ceteris eremitis exaudiebatur. Fracto sibi osse brachii ex inopinato casu, gratias Deo retulit, sed intercessione beatissimæ Mariæ Virginis soliditatem ex insperato recepit. Magno enim studio devotionis ferebatur in Virginem, cujus imaginem papyraceam in cella servabat, cui etiam commendabat salutem animæ suæ, & veniam præteritorum peccatorum, a qua responsum accepit quadam die: Exauditus es, dimissa sunt peccata

cata tua. Ex eo tempore ferventius ipsam coluit, & imaginem velo serico cooperivit. Cum degeret in eremo Coronatæ ductus fuit quidam obsessus a dæmone ad ecclesiam eremitarum, qui tamen liberationem non impetravit, flentibus consanguineis ejus, eo quod eorum preces irritæ fuissent. Ad commiserationem motus Modestus obsessum manu apprehendit, iterumque pro eo Virginem obsecravit, & omnibus admirantibus gratiam curationis obtinuit, occultans interea se & subtrahens ab oculis adstantium. Impetravit etiam sanitatem affini suo in agone posito post preces porrectas Virgini, itaut transactis quatuor diebus gratias actuus infirmus potuerit se recipere ad ecclesiam. Monialem quamdam a tumore in gutture eadem fide & intercessione liberavit. Dominicus de Matthæis vir spiritualis post habita colloquia de rebus divinis Modestum oravit, ut benedictionis signum imprimeret super crus insanabili multis annis ulcere læsum cujusdam religiosi viri, qui erat frater Pii Operarii Sabbatini magni Dei famuli; eremita noster aliquatenus reluctatus est, sed facto signo Crucis prius dolorem, inde etiam omnem læsionem delevit & curavit. Deferre solitus erat idem Dominicus frustum habitus præfati eremitæ, quo testatus est se multas obtinuisse in aliis curationes, & vidisse miracula, sicut etiam contactu alterius frusti expulsus fuit dæmon a corpore mulieris obsessæ. Fur quidam subripiebat noctu instrumenta ferrea in Modesti cella, cum ipse in ecclesia oraret; divino instinctu motus eremita ad cellam rediit, furem reperiit, admonuit, & expulit, numquam tamen ceteris propalavit. Demum cum ad extremam senectutem devenisset, infirmatus est ad mortem. Timebant omnes diem festum titularis sancti Michaelis futurum ipsius postremum, sed incunctanter dixit adstantibus, se non turbaturum sollemnitatem diei festi, & revera nocte dumtaxat sequenti decessit. Fugitivus quidam & flagitiosus homo, qui præsens fuit ejus morti, dolore cordis & compunctione tactus, ad pedes statim accurrit sacerdotis expiaturus veraci confessione peccata sua, vitamque in futurum emendaturum pollicitus. Res parvæ, quæ fuerant ad ejus usum, inter eremitas tamquam reliquiæ dispertitæ, & præsertim imago Virginis, quæ eum dignata fuerat suo alloquio.

Demum in eremo Nolæ ad Deum transiit Celsus a Vitulano professus ab anno 1672. Priorem egerat in multis eremis, & visitatorem in Germania & in Polonia, ac rex Johannes Sobiescki ei & sociis ejus dixit: Patres mei ex vestra eremo auspicati sumus victoriam, alludens ad columbas albas visas super eremum Viennensem tempore obsidionis & liberationis urbis. Laudantur in Celso incredibilis simplicitas, qua religiosos impeccabiles existimabat, extrema paupertas, benignitas erga omnes, sed simul zelus honoris Dei cum prudentia mixtus. Fertur etiam ex superiore lumine ei innotuisse plures res, quas solo humano captu non poterat adsequi.

Extremum etiam diem obiit in monasterio sancti Salvatoris de Foro-livio Alphonsus Cellini Ravennas, qui fuerat in curia Romana procurator generalis, abbas Classensis monasterii suæ professionis, visitator & etiam abbas generalis.

Controversia exarserat ante aliquot annos inter eremum Taurinensem, ac inter Petrum Maurinum plebanum Baldisserii, communitatem pariter, & comitem Fontanella dominum ejus loci, circa ecclesiam campestrem sancti Juliani, in finibus olim Cherii (non Clerii, ut diximus ad annum 1652.) tunc autem sitam in finibus præfati loci Baldisserii, quæ ecclesia fuerat membrum portionis eorum bonorum, quæ appellabantur Sa-

Ann. Chr. 1723.

cristiæ abbatiæ SS. Solutoris, Adventoris & Octavii, & applicata fuerant a sancta sede in perpetuum eremo Taurinensi, in dotem & substentationem eremitarum, ad instantiam regii fundatoris Caroli Emmanuelis I. ducis Sabaudiæ. Plebanus jurisdictionem & parœciale jus sibi vindicabat, negabant eremitæ, qui consueverant quolibet anno die XXVIII. augusti concurrentibus multis populis vicinis Missam celebrare, & etiam decantare, ministrare sacramenta, ac invitare tum parochum loci, tum alios proximos parochos ad Sacrum in ea ecclesia faciendum, vel decantandum, ad requisitionem tamen ipsorum eremitarum. In ea ecclesiola tumulabantur defuncti cujusdam familiæ denominatæ *de Demo*, neque tamen compertus erat antiquissimus forte ejus familiæ titulus; ac tumulationis officia peragebat parochus, nil reluctantibus eremitis. Anno 1719. præfatus parochus Maurinus conventione facta cum parœcianis suis rusticis, eadem die festiva Sancti processit ad altare, & statim inchoata Missa, eam cum cantu, nescientibus & non admonitis eremitis, qui alium sacerdotem exoraverant, prosequuti sunt rustici. Sollemnitate completa conquesti sunt eremitæ, sed plebanus jure suo usum fuisse dictitans discessit. Captum itaque fuit in dieta eremitarum anni 1720. ut deinceps ad amovendas lites sacerdos unus ex eremo mitteretur, qui privatim Sacrum faceret, ut eorum majores actitabant, remotis ceteris sollemnitatibus & invitationibus. Post aliquod tempus idem parochus a custode claves ejusdem ecclesiæ petiit, quas postea restituere omnino denegavit. Consilium itaque eremitæ sumpserunt demoliendi ecclesiam jam vetustissimam & ruinam minantem, angustissimam quoque & incommodam; atque propterea solo æquata fuit. Plebanus litem intentavit in Senatu Taurinensi; eremitæ ad regem Victorium Amadeum confugerunt, tamquam ad patronum eremi, & ecclesiarum eremo subjectarum, qui commisit advocato suo generali defensionem causæ, quæ duobus annis perseveravit; verum mense februario hujus anni plebanus vel impar liti sustinendæ, vel alia ratione causæ cessit, tradens etiam omnes actus suos, cessere quoque parœciani. Sed cum reædificata fuisset ecclesia in situ commodiore, & ampliore ac nobiliore forma (quæ fuerat prima provisio imperata a senatu Taurinensi) successor plebanus, communitas Baldisserii, ipse comes Fontanella acrius litem prosequi voluere, ut dicemus suo anno.

Ann. Chr. 1724.
LVII.
Corpus S. Apollinaris translatum ad novum altare.

LOCO suo dimotum fuerat ante annum die VI. septembris corpus gloriosi archiepiscopi Apollinaris quiescens in antiquo sepulcro basilicæ Classensis, & pro commoditate collocatum fuerat in alio decenti loco ejusdem ecclesiæ, dum interim ædificaretur magnificentior ara, sub qua conderetur. Casimirus Galaminus abbas ejusdem monasterii consensum, scientiam & præsentiam Hieronymi Crispi archiepiscopi Ravennatis & capituli canonicorum expetierat, ut decretis sacræ Rituum congregationis firmatum fuerat seculo præcedenti. Cum itaque perfectum fuisset altare, quod nullis parcens sumptibus, auguste condiderat, iterum hoc anno scientiam & præsentiam ejusdem archiepiscopi & canonicorum postulavit abbas Apollinaris Montanarius, qui Galamino successerat, ad hoc ut in nova urna collocaretur; ac archiepiscopus deputatos suos destinavit, qui interessent, & stabilita fuit dies XXIII. julii pro sollemni repositione. Hæc tamen sequuta non est, & translatio dilata fuit ad annum sequentem. Mense itaque aprili die XXIV. ejusdem anni 1725. prodiit præceptum archiepiscopi Crispi, quo mandabatur

abbati,

abbati, camerario, procuratori ceterisque monachis Classensibus, ut quandoquidem numquam retulissent ad primum suum locum sub ara majori corpus sanctissimi Apollinaris, intra terminum quindecim dierum idem reducerent, cum adsistentia archiepiscopi, si vellet interesse, vel saltem deputatorum capituli canonicorum, sub poenis pecuniariis aliisque ad arbitrium, minitans etiam se sine monachorum præsentia ad exequutionem translationis deventurum facultate ordinaria, quam habebat in ecclesiam Classensem. Abbas Montanarius diem sextam maji assignavit pro hujusmodi translatione, admonitumque fecit archiepiscopum, sed simul protestatus est jure competenti & ex consuetudine ad se tantummodo pertinere hujusmodi translationem, archiepiscopi autem & capituli præsentiam solam esse necessariam. Indignatus archiepiscopus altero præcepto sub die secunda maji prius rejecit diem assignatam, inde innovationem omnem circa dictum sacrum corpus prohibens mordicus, asseruit velle se propriis manibus translationem complere, adjungens minas censurarum. Id erat contra mentem sacræ congregationis, quæ nullum aliud quam præsentiæ jus concedebat Ravennatibus archiepiscopis: id etiam erat contra consuetudinem; quotiescumque enim facta fuerat seculis præcedentibus translatio ejusdem sancti corporis, abbates propriis manibus eam peregerant. Composita fuit controversia ope cardinalis protectoris Antonii-felicis Zondadarii, translatumque est sacrum corpus IV. nonas septembris anni 1725. ad novum altare ab abbate cum præsentia deputatorum ab archiepiscopo, & a capitulo canonicorum. Offenderat animum archiepiscopi, quod in nova inscriptione ante triennium omissus fuisset titulus Principis quem volebat, sibi archiepiscopo Ravennati, quapropter etiam clanculum abradi ab ea nomen suum fecerat; quam omissionem cum supplere vellet abbas Montanarius, prohibitus fuit a cardinale Cornelio Bentivolo Æmiliæ legato. Parata fuerat, non tamen collocata sequens inscriptio in crypta ejusdem basilicæ in medio supra sarcophagum, in quo corpus sancti Apollinaris ab anno 1511. ad 1725. requievit. *Qui. Abdita. Hæc. Lustras. Limina. Cryptam. Quæ. Christi. Martyris. Apollinaris. Corpus. Olim. Excepit. Venerare. Insculptos. Lapides. Qui. Inventionem. Et. Translationem. Ejusdem. Firmant. Perlege. Marmoreum. Sarcophagum. Quod. Ab. Anno.* M. D. XI. *Ad. Annum.* M. DCC. XXV. *Sacrum. Pignus. Servavit. Devotus. Osculare.*

LVIII. Deperditum monasterium Putai Stratæ de Taurino.

ANNO 1490. Urbanus Malumbra olim abbas Classensis, profugus inde in Pedemontium impetraverat ab urbe Taurinensi situm quemdam terræ, & veterem turrim, ubi posset dilatare fabricam monasterii & ecclesiæ, quæ dicta fuit sanctæ Mariæ de Puteo-stratæ Taurini, cum ea conditione, ut urbs se adstringeret ad non expellendos Camaldulenses monachos, quotiescumque ii locum non desererent. Per ducentos & amplius annos locum coluere Camaldulenses; majori nunc, nunc minori numero. Anno 1706. ex pulvere tormentario tota fere conflagravit ecclesia, monasteriumque fere disiectum; quare cum commode habitare nequirent monachi, neque decenter sacra peragere in ecclesia, orarunt parœcianos, ut sponte pecunias colligerent pro refectione ecclesiæ, & interea paucorum, nempe duorum vel trium monachorum opere adimpleta fuit cura animarum, quæ ei ecclesiæ imminebat. Cum autem pecuniæ collectæ depositæ fuissent apud priorem loci, & hic eas secularibus parœcianis confidere nollet; cum etiam ex instituto ordinis Camaldulensis spolia defunctorum monachorum deferri deberent ad monasterium pro-

fessio-

Ann. Chr. 1724.

fessionis, accusati fuere monachi apud regem Victorium Amadeum, quod non uterentur pecuniis destinatis ad refectionem ecclesiæ, nisi in commodum suum, & quod pecunias defunctorum monachorum educerent e dominio Sabaudiensi, & ad alias ditiones transmitterent. Dolore itaque parœcianorum, sed urgente jussu principis, imperatum fuit ipsis, ut solum verterent, confecto inventario bonorum; atque ita facta fuit jactura ejus monasterii, quod licet paucis redditibus gauderet, tempore tamen præterito non ignobile fuerat, & auctius tempore præsenti, eo quod in ædificatione novæ urbis Taurinensis parœcia extenderetur ad primores urbis familias.

Edita fuit jussu capitulorum generalium anni 1719. & 1723. in eadem urbe Taurini regula sancti patris Benedicti cum constitutionibus Camaldulensibus in lucem emissis prius in Urbe Roma, nunc vero denuo impressis ad usum eremitarum Camaldulensium Pedemontii. Ad calcem adjecta fuere bullæ & nonnulla privilegia Romanorum pontificum cum copiosissimo & utili repertorio.

Die decima aprilis vivere desiit in eadem Taurinensi eremo, dum actu Majorem congregationis ageret, Ignatius ex nobilissima familia Taurinensi de Carellis, vir pietate, paupertate & dexteritate in rebus agendis præclarus. Natus die nona martii anni 1652. ex Josepho & Margarita de Carellis studiis vacavit primis ætatis suæ annis, inde Europam fere totam peragravit, sed præsertim multo tempore in Hispaniis moras traxit. Conquerebatur de privatione filii piissima mater, sed quidam Dei famulus ipsam consolatus est, securam reddens brevi rediturum filium, quem etiam albis indutum viderat. Reapse non post multum temporis reversus ecclesiasticum habitum assumpsit, & sacris initiatus est, neque contentus ea vitæ mutatione, trigesimum annum agens, junio anni 1681. suppliciter expetiit sui receptionem in eremo Taurinensi. Perfectus regularum custos, maturus singularitate morum, prudentissimus, rerumque expertissimus plura officia gessit in eremitica congregatione, & demum Major fuit electus anno 1713., iterumque anno 1723. sed laboribus fessus, meritisque plenus post annum naturæ cessit, & cinctus corona sacerdotum, novitiorum & fratrum laicorum inter verba orationis expiravit.

In capitulo generali monachorum Camaldulensium Faventiæ electi fuere in abbatem generalem Michael-angelus Gasparini Venetus ex professione sancti Michaelis de Muriano, Carolus-romualdus Magni ex Marchia Anconitana, & Bonifacius-angelicus Fei ex Etrusca provincia in visitatores.

Ann. Chr. 1725. LIX. Piorum monachor. eremit. & monialium obitus.

Martinus-angelus Franchius Florentinus abbas Camaldulensis, vir valde pius, & prudentia multa præditus in regimine monasteriorum, obiit hoc anno in cœnobio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, in cujus capitulo hujusmodi appositum ei fuit sepulcrale monumentum. *D.O.M. Domno Martino-angelo Franchi Florentino, oratori, poetæ & S. Th. doctori, quem pietas, prudentia & regularis observantia per omnes religionis gradus ad abbatiam evexit, Pisis, Hic, & in Romana curia strenue administrata; Humilitas regimini & titulo cedere suasit, quem solum ex obedientia retinuit. Pie obiit nonis augusti* M. DCC. XXV. *ætatis* LXXIII. *D. Zenobius Valmori abbas bujus monasterii amico optimo ac de se benemerito mæstissime posuit.*

Quinta-decima junii in Cæsarea sancti Josephi prope Viennam eremo decessit Modestus Mezler ex nobili prosapia Andlspuchii in silva Brigan-

gantina natus anno 1689. Post cursum studiorum in collegio Germanico Urbis, theologiæ vacavit Dilingæ in Bavaria, adjunxit curriculum sacrorum canonum, inde in urbe Oenipontis totus incubuit sacræ Scripturæ studio. Sacerdos factus Viennæ anno 1714. omnia reliquit, ut eremiticum institutum sequeretur in solitudine Kallenbergensi, quod amplexus est anno 1715. die septima martii. Magister factus novitiorum post aliquot annos suppliciter expetiit absolutionem ab hoc officio; sed Deus ejus animam purgavit cruce scrupulosæ conscientiæ, & postea etiam altera cruce molestiarum dæmonis, qui possessor evasit pariter ejus corporis. Puritas tamen ipsius animæ, fiducia in Deum, oratio assidua, invicta patientia & uniformitas ad Dei voluntatem liberationem quamprimum obtinuerunt. Post tot procellas corporis & spiritus illuxit serenum; in pervigilio sui protectoris sancti Modesti extrema sacramenta requisivit, & die festo apoplexi correptus intra pauca momenta ad Deum abiit triginta-sex annos natus.

Defunctus est quoque Philippus Petiti a Cuneo eremita Taurinensis ab anno 1665. qui pietati doctrinam conjungens reliquit tres cursus integros meditationum per omnes anni dies super mysteria vitæ & passionis Dominicæ, super evangelia, & super festivitates Sanctorum, partitos in sex volumina; exhortationes etiam spirituales & sermones claustrales, quos habuit ad suos coeremitas, dum priorem eremorum & visitatorem generalem ageret.

In parthenone sanctæ Christinæ de Bononia ad Sponsum evolavit die XX. martii in vigilia sancti Benedicti Romualda-Deum-amans Lucchini sanctimonialis Bononiensis quadragesimo suæ professionis, quinquagesimo-sexto ætatis anno. Puritate angelica, exactissima obedientia, austerissima pœnitentia, humilitate & patientia admirabili enituit. Orans ceteras ad devotionem alliciebat. Sui despicientiam sedule inquirebat, sed moniales summam ei venerationem præstabant. Assiduis jejuniis, cibis sordidioribus, carnis macerationibus attrita scorbuticum morbum contraxit, quem duobus annis occultavit; demum visibiliter apparentem abscondere ulterius non valens, lecto decumbere coacta est, & per annum hilariter supervixit, expectans resolutionem sui corporis, adventumque Sponsi. Commendationibus animæ ipsa respondit, ipsa candelam benedictam semper manu gestavit, & ipsius confessarius testatus est ultimis vitæ periodis ex ore ejus prodire sensisse fragrantis odoris dulcedinem, licet sanie totum os redundaret.

Nicolaus-angelus eremita Coronensis Montis-cóneri prope Anconam edidit haud inelegans poema dicatum Augustino Florio monacho Camaldulensi, cui titulum fecit: *Institutio congregationis eremitarum Camaldulensium Montis-coronæ, & beati Pauli Justiniani institutoris encomia.* Perusiæ 1725. in 8.

Apollinari Montanario abbati sancti Apollinaris in Classe tribuitur sequens opus: *Informazione di fatto sopra alcuni pregiudizj, che soffre l'abbazia di Classe per le ragioni di quella di S. Apollinare e suoi beni contigui all'antico monastero della insigne canonica di S. Maria in Porto.* M. DCC. XXV. Ravennæ.

LX. Perfectio eremi Silvæ-majoris.

PERFECTA est hoc anno eremus Silvæ-majoris prope Clarascum, attributaque ei familia duodecim eremitarum cum quatuor laicis. Post tres annos die XXII. maji ecclesia de novo constructa ipsius eremi consecrata est a Johanne Todone episcopo Astensi sub titulo & protectione immaculatæ Conceptionis beatæ Mariæ Virginis, retenta veteri, in

qua

Ann. Chr. 1725.

qua servabatur imago prodigiosa, sub titulo Nativitatis ejusdem beatæ Mariæ Virginis. Ad perennem reddendam memoriam benefactorum, quibus debetur perfectio eremi & ecclesiæ, post horum mortem appositæ fuere, sequentes inscriptiones, & quidem super januam exteriorem templi. *D.O.M. Deiparæ Mariæ Virgini, nec non immaculate Conceptæ Ludovicus, Gabriel, Julius Cæsar de Boggetis a Taurino pietate, voluntate æque ac sanguine vere germani ecclesiam hanc totamque pene eremum Silvæ-majoris proprio ære constructam, ornatam, dotatam unanimes dicabant. Quam Johannes Todonus a Nicia episcopus Astensis & comes sollemni ritu consecravit undecimo kalendas junii* M. DCC. XXVIII. In vestibulo super januam chori: *Unicæ, immaculatæ, integerrimæ unius trinique Dei Filiæ, Sponsæ, Matri, Ludovicus, Gabriel, Julius Cæsar de Boggetis a Taurino semper commendari valentes, nunquam volentes, dum, quæ Deo polliciti condebant, hominibus solliciti recondebant, hanc in Silvæ-majoris ecclesiam magnifice constructam, munifice instructam silentio commendabant, silvestres ejusdem cultores, urbanitatis non immemores, illorum humilitari propriæ taciturnitatis morem hic gerentes, nutibus alloqui edocti, mutuum gratiarum monumentum posuere, quas ubi suppetit, loqui euchares apud Deum & homines spontaneo quotidiano Missæ sacrificio perenniter exhibebunt.* Exploratum est pios hos viros ad favorem hujus eremi expendisse ducentas quinquaginta-mille libellas Pedemontanas, sicut quadringentas-mille expenderant in magno hospitali Caritatis Taurini, & centum-mille in congregatione sancti Pauli, ut oculis suis vidit Innocentius Mossus eremita Taurinensis, & dum secularis erat, præcipuus director celebrioris mensæ Taurinensis, cui una cum doctissimo & expertissimo theologo, & altero præclarissimo jurisconsulto Taurinensi, domini de Boggettis tradiderunt examinandos libros & contractus ab ipsis factos ab initio eorum negotiationis usque ad diem, quo negotiari destiterunt. In cujus summæ numero non veniunt expensæ manuales & minoris considerationis, neque veniunt mobilia pro sacrario & ecclesia, quæ sponte & generose obtulerunt eremo Silvæ-majoris. Ita hæc eremus post centum ferme annos, quibus variis rerum vicissitudinibus patuit, postquam malignorum factione proxima erat ruinæ, interventu beatæ Mariæ Virginis, cujus prodigiosa imago ibidem colitur, floridior exsurrexit, & ad hanc diem conservatur, & præter consuetas expensas par est alendis centenis & centenis mendicis ejus viciniæ, qui dietim confluunt, præsertim tempore hyemis, quibus etiam præter alimenta subministrat vestimenta, ceteraque ad vitam necessaria.

LXI. De observationibus Amigonii in librum de Infallibilitate R. pontif.

Typis Propagandæ Fidei edebatur Romæ traductus ex Gallica in Italicam linguam liber *de Infallibilitate Romani pontificis* dicatus ab ejus auctore, qui erat abbas sancti Petri Senonensis, Matthæo Petit Didier, Romano pontifici Benedicto XIII. feliciter tunc regnanti. Antequam liber in publicum prodiret, & interim dum sub prælo imprimebantur folia, aliquot super ipsum observationes scripsit, jubente & permittente cardinale Francisco Barberino, Florianus-maria Amigonius abbas Camaldulensis, qui paulo ante ab eodem pontifice breve obtinuerat commorandi in Urbe. Post laudatum itaque operis hujusce auctorem, post commendationem libri, quem dignum censebat, ut omnium tereretur manibus, judicabat idem Amigonius operæ pretium esse, ut præfigeretur epistola vel monitum ad lectorem, in quo adderetur aliqua illustratio & explicatio nonnullorum in libro expressorum, quæ auctor non scripsisset, vel suppressisset, si extra Gallicanum regnum opus composuis-

posuisset, ad instar similis declarationis jampridem factæ aureo opusculo super Schisma traducto a cardinale, tunc prælato, Alexandro Albano, ex Gallico similiter in Italicum, & Romanis etiam typis publicato, in quo ea tamen cautio adhibita fuerat, ut suppressus fuerit locus editionis & nomen editoris; idque proponebat ad sustinendum honorificentius decus libri, mæcenatis, & Urbis. Porro observationes Amigonii in eo vertebant, ut non affatim declararentur tamquam fictitiæ & adulterinæ veteres Decretales Romanorum pontificum, utpote quæ ab aliquibus doctissimis viris adhuc veluti genuinæ defendebantur, dum e contra abbas Senonensis eas ut omnino pseudographas proscribebat; ut textus sancti Augustini in facto Romani pontificis Zozimi circa confessionem Cœlestii hæretici dilucidaretur; ne infallibilitas Romani pontificis assereretur non credita tempore Cypriani episcopi Chartaginiensis; ut demum firmaretur eadem infallibilitas auctoritatibus etiam conciliorum Lateranensis & Florentini. Nec plura Amigonius contra Senonensis abbatis librum. Sed Romanus pontifex Benedictus certior factus de hujusmodi animadversionibus, putans illum hæc exarasse ad hoc, ut liber supprimeretur, vel aliter informatus, ad se advocavit die quinta octobris abbatem sancti Gregorii de Urbe, simulque scriptorem Amigonium. Perrexit abbas sancti Gregorii Aurelius Guidottus ad Romanum pontificem, sed sine socio, qui tunc temporis secesserat in urbem Tiburtinam, imperavitque illi pontifex, ut illico vocatum ex Tibure ad Urbem Amigonium ad locum suæ professionis, hoc est ad monasterium Classense, vel Fabrianum remitteret. Morem gessit abbas Amigonius, solumque statim vertens, licet adversa valetudine laboraret, Pisauri constitit iter prosequi non valens, & in ea urbe post paucos dies colloquium habuit cum eodem abbate Senonense, qui ex Lotharingia Romam se conferebat. Colloquium superaddere non piget ex relatione præfati Senonensis abbatis, quæ est hujusmodi: „ Ex mea abbatia Senonensi in Lotharingia profectus die prima mensis octobris hujus anni 1725. & Romam me conferens, die XXVI. ejusdem mensis perveni Pisaurum circa horam decimam-quartam more Italico. Ibi exceptus fui nomine eximii viri domini comitis Passionei, cui commendatus fueram ab excellentissimo domino Passioneo archiepiscopo Ephesino, nuntio sanctissimi Domini nostri papæ Benedicti XIII. in Helvetia, ejusdem domini comitis fratre amantissimo, ac in domum, quam idem dominus comes Pisauri habet, deductus, ubi mihi ac socio omnis exhibita est humanitas a domino Buffi medico apud Forum-sempronii, qui id ab eodem eximio domino comite in mandatis habuerat. Circa horam decimam-septimam nuntiatum est mihi quemdam R. P. abbatem Camaldulensem adesse ad januam, venisseque, ut me inviseret. Miratus sum, quommodo cum nec Pisauri notus, nec quemquam ibi vidissem, potuisset R. abbas scire meum adventum. Nihilominus cum honore exceptum introduxi. Statim ac in parte cubiculi separatim sedissemus, dixit mihi se fuisse abbatem Classensem, deinde Romæ degisse in monasterio sancti Gregorii, & indultum obtinuisse a summo pontifice, quo ei permittebatur, ut reliquos vitæ suæ dies ibidem transigeret; ad quæ adjunxit: *Propter te nunc vado in exilium*. Obstupui ad hæc verba, & causam sciscitatus sic sermonem prosecutus est. Aliquas, inquit, notatiunculas politicas feceram in librum, quem de infallibilitate summi Pontificis edidisti, non quod librum improbarem, cum eximius sit & doctissi-

Ann. Chr. 1725.

„ mus, sed quod putarem aliquas in eos lineolas esse commutandas; „ eo quod in libro dicato summo pontifici non conveniret quidquam „ reperiri, quod non ab omnibus probaretur. De istis notatiunculis sermonem habui cum aliquo apud collegium de Propaganda Fide. Is, „ cum quo verba feceram, ea renuntiavit eminentissimo cardinali Barberino, a quo mandatum accepit, ut notas meas in scripto traderem; „ quod cum præstitissem, eminentissimus cardinalis suspendi jussit prælum Italicæ versionis. Id nuntiatum est Sanctissimo ab aliquo, qui „ rem aliter, ac se habebat, retulit, ejusque animum adversum me „ exacerbavit. Unde factum est, ut Sanctissimus superiorem sancti Gregorii & me ad se accerseret. Eram tunc Tibure. Superior solus adivit summum pontificem, a quo graviter objurgatus, accepit in mandatis, ut statim me Tibure evocaret, Roma pelleret, mitteretque „ Fabrianum. Hic autem substiti propter adversam valetudinem. Hæc „ fuit narratio patris Amigonii, & si non eodem fortassis ordine, eadem tamen sermonis serie facta a me & fidelissime relata. Expleta „ ab eodem prædicta narratione, cum vehementer scire cuperem, quænam fuissent ejus adnotationes, rogavi, ut eas mihi vellet exhibere. „ Respondit se eas non habere, eo quod ipsum earum autographum „ tradidisset eminentissimo cardinali Barberino. At ex versione Italica „ libri mei, quam in manibus habebat, se posse mihi eas indicare. „ Cui ego: Pergratum feceris. Tunc ille aperto libro ostendit quædam „ loca lineolis a se exaratis subnotata, quæ minus accurata existimabat.

„ Primo, quod decretales epistolas summorum pontificum, qui ante „ quartum seculum vixerunt, suppofuissem falsas.

„ Secundo, quod capite quarto pagina 71. dixissem non mirum fore, si Zozimus papa non statim advertisset venenum confessionis Cœlestii, cum id posterioribus seculis accidisset aliquibus auctoribus catholicis, qui illam esse opus eximii cujusdam doctoris ecclesiæ putaverunt. Ex hoc enim (dicebat pater Amigonius) Jansenistas posse „ ansam arripere exinde inferendi Innocentium X. non bene intellexisse quinque propositiones, quas in Jansenio damnavit.

„ Tertio, quod capite sexto dixissem tempore divi Cypriani infallibilitatem summi pontificis non fuisse creditam.

„ Quarto, quod ubi egi de conciliis generalibus, non firmassem infallibilitatem summorum pontificum ex conciliis Lateranensi & Florentino.

Ad hæc, quæ mihi objiciebat pater Amigonius, sic respondi singillatim: Ad primum mirum mihi esse, quod in hac luce litterarum „ nollet dici posse epistolas decretales ante Siricium papam esse suppositias, cum hodie de earum suppositione omnes viri docti conveniant, præcipue cum ipse cardinalis Bellarminus id etiam ante annos plusquam centum palam edixerit. Respondit ipse id quidem verum esse, sed nihilominus sententiam contrariam fortassis cum aliqua „ probabilitate adhuc propugnari posse, sed ego dicenti nullatenus „ acquievi.

„ Ad secundum respondi maximum esse discrimen inter tractationem „ generalem, quæ primum fit de quavis materia sive in conciliis generalibus, sive apud summos pontifices, eorumdemque circa easdem materias definitiones. Has semper esse infallibiles, illam non item. Proindeque cum Innocentius X. definiverit quinque propositiones Jansenii

„ nii esse hæreticas, nihil habere Jansenistas, quod pro se inferre possint, etsi Zozimus in prima tractatione de confessione Cœlestii non „ statim ejus venenum advertisset, ob præventionem quamdam in favorem ejus, inde nimirum, quod simulasset iste hæreticus se ejus definitioni in omnibus velle acquiescere. Cum vero pater Amigonius „ aliquid adhuc vellet reponere, dixi illi per jocum, alludens ad id, „ quod dixerat mihi Sanctissimum fuisse contra se præoccupatum: „ *Tua experientia didicisti posse aliquando præoccupari summos pontifices*; „ quod audiens statim se dedit in cachinnum.

ANN. CHR. 1725.

„ Ad tertium respondi objectionem a me relatam & confutatam eum accepisse pro mea assertione. De hoc judicium esto apud eos, qui paginam 109. & sequentes mei libri legere voluerint.

„ Ad quartum respondi me non debuisse allegare contra theologos „ Gallos auctoritatem conciliorum Lateranensis & Florentini, quia illi „ hæc concilia pro œcumenicis non agnoscunt, sicut quando disputarem „ contra Calvinistas aut Lutheranos, non uterer definitionibus concilii „ Tridentini, cujus auctoritati non acquiescunt. "

Atque ita solutum fuit colloquium. Institit Amigonius apud Romanum pontificem, & apud cardinalem Barberinum pro sua reversione in Urbem, quam tamen obtinere nequivit, præsertim cum etiam cardinalis Barberinus fateretur se ob eamdem causam in ejusdem pontificis indignationem incurrisse; eam vero obtinuit mortuo Benedicto XIII.

Dicti Romani pontificis facultate & vi sui decreti ex sententia sacræ congregationis Concilii emanati sub die XV. julii anni 1724. Michaelangelus Gasparinius abbas generalis Camaldulensium monachorum, ad trutinam vocatis testamentis, instrumentis, libris, tabellis aliisque documentis, quibus onera Missarum exarata continebantur in ecclesiis monasteriorum congregationis, seduloque perspectis & examinatis redditibus unicuique oneri attributis, eorumque diminutionibus tam perpetuis, quam temporaneis, hoc & sequentibus annis reduxit onera prædicta Missarum ad eleemosynam scutorum sexaginta monetæ Romanæ pro qualibet Missa perpetua quotidiana, abolitis Missis & anniversariis, quorum non erat statuta merces, mandata insuper anniversaria Missa decantanda in monasteriis professionum una die infra octavam commemorationis omnium Fidelium defunctorum, & applicanda quotannis pro animabus illorum, pro quibus in provincia celebrandæ vel applicandæ erant Missæ usque ad diem reductionis, quæ fortasse non fuissent celebratæ vel applicatæ.

ANN. CHR. 1726. LXII. Miracula B. Thomæ a Costacciario.

CUM Sosteneus-maria Caballus episcopus Eugubinus sacram visitationem perageret in oppido Costacciarii, patres Minores Conventuales sancti Francisci, in cujus ecclesia jam ab anno 1337. quiescebat & colebatur corpus beati Thomæ eremitæ Camaldulensis, ipsum rogaverunt, ut translationi ejus sacri depositi intervenire dignaretur, simulque præsentia sua sollemne festum decoraret. Adfuit itaque episcopus ad primas vesperas, quas pontificali ritu egit, die autem postera prima septembris, quæ erat Dominica, Missam celebravit, concionemque habuit ad populum, tum vespere subsequutus est publicam supplicationem, in qua præcedebant omnes confratriæ loci, tum patres Conventuales, inter quos etiam bini & bini intermixti erant eremitæ Camaldulenses Montis-cucchi, demum spectabatur insignis reliquia sacri corporis, quam super humeros deferebant canonici Eugubini. Ea occasione patres Conventuales exorarunt eumdem episcopum, ut festum beati Thomæ una

ANN. CHR. 1726.

cum populi supplicatione, quæ hactenus facta fuerat in vigilia Annuntiationis beatæ Mariæ Virginis, die pretiosæ ejus mortis, deinceps perpetuis temporibus fieret sollemniter dominica prima septembris, obtenta etiam ab apostolica sede indulgentia. Collecta tunc fuere plura testimonia jurata miraculorum beati Thomæ, quæ contigerant novissimis temporibus, processusque continuatus fuit etiam annis sequentibus, præsertim in curationibus morborum intestinalium, quæ ope beati viri a fidelibus populis obtinebantur, vel etiam unctione olei lampadis ad ejus sepulcrum ardentis.

LXIII. Regulæ Oblatarum Camaldulensium.

ALPHONSUS-MARIA Eufemius monachus Camaldulensis in ms. relatione a se promoti instituti Oblatarum Camaldulensium, post narratam historiam collectionis aliquot puellarum in Urbe, quæ regulariter viverent, ut ad annum 1722. diximus, refert intentionem sui præcipuam in hocce instituto eam fuisse, ut constitueretur numerus sponte Oblatarum, quarum officium foret perennis laus beatæ Mariæ Virginis, ita nimirum, ut una ex ipsis in capella loci, succedente alia, laudes semper, preces, & inter cetera psalterium Virginis compositum a seraphico doctore sancto Bonaventura recitaret, quod officium cum psalmis & canticis ediderat anno 1721. Collecto parvo numero obtinuit a sanctissimo pontifice Benedicto XIII. in protectorem hujus novæ congregationis Camillum Cybo patriarcham CP. eo tempore, quo deerat ab Urbe Antonius-felix cardinalis Zondadarius totius Camaldulensis congregationis patronus. Accidit circa hoc idem tempus, ut idem Eufemius a secretario cardinalis Vicarii dirigeretur ad Theresiam Macchezani sanctimonialem non vulgaris perfectionis, vicariam monasterii Septem Dolorum Urbis, quæ in reciproca collatione multarum spiritualium rerum, eidem monacho manifestavit piissimam suam, quam semper aluerat, intentionem fundandi locum, in quo continuata adoratione coleretur augustissimum Altaris sacramentum. Utramque itaque, & sanctissimi Sacramenti, & beatissimæ Virginis venerationem facile componi posse intellexit Eufemius. Operi ergo se totum accinxit; & prius mandatum accepit ab eodem protectore Cybo extendendi constitutiones pro novo Oblatarum cœtu, quas exaratas subjecit judicio Aurelii Guidotti abbatis sancti Gregorii de Urbe, in quo monasterio degebat Eufemius, inde Cœlestini Galliani abbatis & procuratoris generalis monachorum Cœlestinorum, procuratoris insuper fiscalis sacræ Visitationis, Alphonsi Trinitarii discalceati, & demum Romani-augustini Florii lectoris Camaldulensis in monasterio sancti Romualdi de Urbe. Oppositum fuit tunc temporis constitutiones hujusmodi ægre exequi posse; dictum quoque est venturum tempus, quo monasteria Camaldulensia adigerentur ad alendas præfatas Oblatas, tunc redditibus carentes. Deterritus non est Eufemius, & ope ejusdem Camilli Cybo, qui evaserat Major-domus pontificis, impetravit, ne removeretur ab Urbe. Visitatus quoque fuit recessus Oblatarum jussu cardinalis Vicarii a quodam religioso observante ordinis sancti Dominici, qui favorabilia verba retulit. Octava mensis junii hujus anni ex brevi Benedicti XIII. obtinuerunt Oblatæ, ut in ipsarum ecclesia posset celebrari sanctissimum Missæ sacrificium; ex alio mense decembri ad Prosperum Marefuscum cardinalem Vicarium, ut sine limitatione Missæ celebrarentur, & Oblatæ sacramenta recipere valerent in propria ecclesia, ex decreto ejusdem cardinalis die XXIII. ejusdem mensis. Interim habitationem mutarunt, & alium sibi locum constituerunt in via Lungaria, convertentes domum in oratorium & in monasterium cum rota & colloquutorio, in quo oratorio nocte & die

psal-

psallebant, recitabant officium Camaldulense ad instar monialium, feriis quintis officium decantabant Sanctissimi Sacramenti; feria v. sexagesimæ festum celebrabant sanctæ Infantiæ beatæ Mariæ Virginis sub ritu duplici secundæ classis, & die octava cujuslibet mensis idem officium sub ritu duplicis majoris. Anno 1728. sub die XVI. martii indulsit idem Romanus pontifex, ut Oblatæ Camaldulenses recipere possent dotes ab archiconfraternitatibus aliisque locis piis eodem modo, quo recipiebant moniales sanctæ Rufinæ, Septem-Dolorum, sanctissimi Infantis Jesu, & Oblatæ Turris speculorum. Coacto vero Eufemio postea abscedere ab Urbe, & nolente cardinale Zondadario, ut spirituale regimen earumdem Oblatarum haberent monachi Camaldulenses, aliis confessariis & animarum moderatoribus commissæ fuere. Ceterum constitutiones, quas observant, sunt Camaldulenses, accommodatæ mulieribus. Oblatæ dimitti possunt intra decem annos a professione, si res ita exigat, restituta dote. Vovent alternativam adorationem sanctissimi Sacramenti, & laudem perennem beatissimæ Virginis. Demum si quæ inter ipsas ad majorem ferantur perfectionem, ædificare possunt sibi domunculas solitarias in horto, ubi ad instar eremitarum Camaldulensium reclusionem vel ad tempus, vel ad vitam experiri possunt, debitis obtentis facultatibus. Perseverant ad hanc diem in Urbe justo numero, & singulari secularium ædificatione. Ad instar Urbanarum Oblatarum alia pro similibus Oblatis ædificata fuere domicilia in urbibus Faventina & Britonoriensi, & Petrioli in diœcesi Firmana. Ex iis Faventinum domicilium commodius est tum loco, tum redditu, cum adnexa ecclesia in honorem sancti Johannis-evangelistæ & sanctæ Idæ virginis.

LXIV. Plura monumenta collecta.

JUSSU emanato anno præcedenti a sacra congregatione præposita negotiis episcoporum & regularium reaptata fuit ecclesia parœcialis sanctæ Mariæ de Trivio in Monte-coronario, olim abbatia, tunc vero subjecta & unita monasterio sancti Nicolai Burgi-sancti-sepulcri, in qua colebatur prodigiosa imago beatæ Mariæ Virginis. Extat de ea ecclesia ms. relatio Johannis-baptistæ Braschi, olim episcopi Sarsinatis, ad cardinalem Zondadarium, pluresque epistolæ ea occasione scriptæ tum ab episcopo Civitatis-ducalis administratore ecclesiæ Sarsinatis, tum a Bonifacio Lambardo abbate sanctæ Mariæ in Balneo, œconomo & directore constituto ejus fabricæ.

Supremus hic annus fuit venerabili Pachomio cognomine Simonovitz Croatæ seu Slavo ex Marchiæ Transdanubialis pago Gutti nuncupato, nato anno 1650. eremitæ autem Viennensi ab anno 1671. postquam tirocinium posuerat in eremo Montis-argentini. Anno 1683. obsidionali urbis Viennæ intrepidus ad ultimum perstitit in eremo, absconditque pretiosas ipsius suppellectiles, & vix discedente hoste primus iterum rediit. Unus ex iis fuit, qui ad novam Zoborensem solitudinem est destinatus anno 1693. Cæcitate oculorum contracta numquam tamen se ab observantia subtraxit, sed quo poterat modo, utilis esse sibi & proximis curabat; passionis Dominicæ, Deiparæ Virginis & sanctorum Benedicti & Romualdi cultus studiosissimus integros dies noctesque in mysteriorum meditationem & in honorem Sanctorum insumebat. Die demum sanctorum Innocentium ætatis anno 76. meritis & virtutibus onustus ad Deum transiit tumulatus in eadem eremo.

Quinta februarii defunctus est etiam in eremo Camaldulensi Etruriæ Raphael Minuccius a Prato-veteri annorum XLV. quorum XXVI. in vita eremitica insumpserat. Illibati ejus mores, dum in seculo degeret, obti.

Ann. Chr. 1726.

obtinuerant a Deo ejus vocationem ad eremum anno 1700. Pœnitentiis, & exactissima regularum observantia pervenit ad sublimem gradum perfectionis, magistrumque egit novitiorum, prior fuit eremi Cortonensis, & visitator generalis. Bis postulavit reclusionem, in qua abstinentias auxit, orationem pariter duplicavit. Abhorrebat a quacumque vel levi culpa, & aliquando laicum ductorem sui itineris donis cumulavit, ut se compesceret a quocumque verbo turpi. Annuntiata sibi morte, quiete mirabili & ex abundantia cordis protulit illa verba: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi*. Post ejus obitum in cella reperta non fuere nisi pœnitentiæ instrumenta, aliquot etiam spiritualia excerpta, quæ sibi aliisque, qui proficere vellent, exaraverat.

Ladislaus Radossany eremi Viennensis doctissimus asceta in lucem protulit Epitome antiquarii tripartiti sacri ordinis Eremitico-Camaldulensis. Neostadii Austriæ typis Samuelis Muller in 4. 1726. De ipso alibi.

LXV. Controversia Grandii de Pandectis.

Guido Grandius edidit Pisis hoc anno *epistolam de Pandectis* ad Cl. V. Josephum Averanium jurisprudentiæ Professorem in universitate Pisana, quam ante tres annos scripserat. Denuo anno sequenti reimpressa fuit epistola Florentiæ, illustrata adnotationibus & aucta appendice quinquaginta documentorum ineditorum medii ævi. Confutavit in ipsa opinionem Henrici Brencmanni in historia de Pandectis publici juris facta Ultrajecti anno 1721. quæ opinio ea erat, quod unicum exemplar Pandectarum, ex quo exscripta fuissent cetera exemplaria per Occidentem, foret illud, quod modo asservatur Florentiæ, possessum antea per plura secula a Pisanis, & repertum ab ipsis anno 1135. in urbe Amalphitana, quodque putabatur autographum ipsum Justiniani; conjiciebat e contra Grandius exemplar Pisanum vel Pisas deportatum fuisse a Bulgaro celebri JC. discipulo Irnerii, vel a Burgundione Pisano, quo donatus fuerit ab imperatoribus Orientis seculo undecimo. Accessit opinioni Grandii Virginius Valsecchius Casinensis in Academia Pisana Sacrarum literarum & historiæ ecclesiasticæ professor epistola de veteribus Pisanæ civitatis constitutis ad eumdem Grandium. Occasione hujus epistolæ & opinionis certamen literarium habuit cum Bernardo Tannuccio a Stia JC. & Pisano doctore, qui anno 1728. altera epistola nonnulla refutavit in epistola Grandii contenta. Tannuccio respondit eodem anno Grandius libro edito Pisis cum titulo: *Vindiciæ pro sua epistola de Pandectis adversus inanes querelas & oppugnationes Bernardi Tannuccii ad Academicos Cortonenses*. Secundo in scenam prodiit Tannuccius altera defensione edita Florentiæ anno 1729. cui novo examine historiæ Pandectarum Pisanarum satisfecit Grandius anno 1730. Faventiæ sub nomine Bartholi Lucaberti. Potentia tamen adversarii suppressa fuerat hæc nova responsio; immo cum aliquot ipsius exemplaria Florentiam devecta fuissent, ex mandato Magni-ducis Etruriæ debebant incendio perire, sed evasere ignem, cum constitit Magno-duci auctorem ipsius fuisse Grandium. Huic responsioni præivit idem Grandius disquisitione critica: *De interpolatione Gratiani*, sub fictitio nomine *Diomedis Bravæ patritii Tranensis*: Bononiæ 1690. sed revera Pisis anno 1730. cujus tamen disquisitionis nunquam apparere voluit auctor, sicut anno 1724. renuit auctor credi *Diacrisis Q. Lucii Alphæi in secundam editionem philosophiæ nov-antiquæ R. P. Thomæ Cevæ cum notis Jani Valerii Pansii*, quam ementito Augustoduni loco ediderat dicatam excellentissimo philosophorum & medicorum collegio almæ universitatis Pisanæ, carmine confectam. Tempore, quo literariis hujusmodi concerta-

tio

tionibus impeditus erat Grandius, non omittebat suis mathematicis electis studiis operam dare. Quare eodem anno 1728. prodierunt *Flores Geometrici ex Rhodonearum & Clœliarum Curvarum descriptione resultantes*, quos una cum novi expeditissimi Mesolabii auctario illustrissimæ atque excellentissimæ D.D. Cloeliæ Grillo-Borromeæ comitissæ clarissimæ & doctissimæ in obsequii sui ac venerationis argumentum dedicavit Florentiæ 1728. typis Regiæ Celsitudinis, licet Rhodoneæ ante quinque annos jam lucem aspexissent insertæ Transactionibus Anglicanis.

ANN. CHR. 1726.

Sepulcrale elogium in eremo Gallicana Camaldulensi de Gros-bois. *Hic, quidquid habuit mortale, deponi voluit Yvo-maria de la Bourdonnaye, gente satus apud Armoricos antiqua, nobilitate ecclesiæ, militia, togæ honoribus decorata, magni vir ingenii, majoris animi, quem nec spes unquam, nec metus inflexit, primum in Armorica curia cum patre senator, deinde libellorum supplicum magister, ad Pictones, ad Normannos superiores, ad Aquitanos, ad Aurelianenses missus dominicus, regias nationes sic curavit, ut regi & plebi satisfaceret, egenorum pater, vexatorum fautor, sui desiderium discedens ubique reliquit, nil retulit præter populorum amorem & vota, denique consistorianus comes, postquam cum familiis justitiæ inclytis d'Ormessonibus kalonibus affinitates optatas contraxisset, sibi & Deo in hoc secessu unice vacans, fidei, quam illibatam obtinuerat, pietatis, a qua nec inter seculi illecebras unquam recesserat, patientiæ visu deficiente exercitæ præmium, obtinuit felicem ad Deum transitum anno millesimo-septingentesimo vigesimo-sexto, die vigesima-sexta augusti, annos natus septuaginta tres. De la Bourdonnaye libellorum supplicum magister filius, Dormesson comes Consistorianus & rei ærariæ præfectus gener parenti optimo mœrentes posuere.*

ANN. CHR. 1727. LXVI. Centenarium S. Romualdi.

OCTAVO recurrente completo seculo monachatus almi parentis Romualdi, & septimo ab ejus gloriosa morte, celebratum fuit sollemniori pompa in congregatione Camaldulensi festum ipsius sancti patris, sed Fabriani præsertim, ubi sacræ ejus corporis conduntur exuviæ, & Venetiis, ubi potissimum eremiticæ vitæ auspicatus est prima fundamenta. Extant edita tum oratoria, tum alia sacra carmina, tum relationes celebrati centenarii, quæ singillatim referre supersedemus. Ea etiam occasione plures sancti Romualdi vitæ prodiere; Perusii composita a Nicolao Perusino eremita Coronense dicata Victoriæ-mariæ Pallavicinæ Alteriæ; Romæ & Ravennæ auctore Apollinare Montanario abbate; *Sacro apparecchio, ovvero esercizio di nove giorni alla Festa di S. Romualdo con aggiunta di divozioni*; Romæ; quod postremum opus recusum fuit Fabriani anno 1741.

Quoad Montanarium, obiit is hoc anno, cum regimen teneret monasterii Classensis; multis annis rexerat abbatiam sancti Gregorii de Urbe, cujus ecclesiam & monasterium a fundamentis pene extruxerat. Vitam sancti Romualdi, quam innuimus, ediderat primum Romæ anno 1707. sub nomine Renati Monti, & nuncupaverat Josepho Vallemannio archiepiscopo Atheniensi, postea cardinali. De ea verba facit Jo: Albertus Fabritius in Bibliotheca Latina agens de sancto Petro Damiani [a]. Exaraverat insuper Montanarius problematicas orationes, quarum una prodiit Florentiæ anno 1698. *An alapa Malchi injuriosior fuerit Christo, quam osculum Judæ?* Quidam familiaris cardinalis Annibalis Albani pro re certa enarravit eumdem cardinalem sibi retulisse Clementem XI. Romanum pontificem eam de Montanario æstimationem retinuisse, ut, si diu-

a T. II. Bibl. pag. 8.

Ann. Chr. 1727.

si diutius vixisset, ipsum inter S. R. E. purpuratos patres recensuisset; monasticam enim observantiam, doctrinam & industriam in rebus gerendis abbatis Montanarii summus hierarcha suspiciebat, præmioque donandam arbitrabatur. Suffectus est in ejus locum, recusato episcopatu, tertia vice Petrus Cannetus in abbatia Classensi.

Marinus Miserocchius Ravennas monachus Camaldulensis Venetis typis protulit Italice vitam beati Petri Damiani cardinalis & episcopi Ostiensis ex priore Fontis-avellanæ.

Germanus Bonellus a Bagnacaballo alter Camaldulensis cœnobita transtulit ex Hispanico idiomate in Italicum vitam beatæ Osannæ tertii ordinis sancti Dominici; Romæ 1727. E nostra ad Vallisoleti in Hispania congregationem monachorum nigrorum a multis annis transiit, debitis obtentis facultatibus.

LXVII. Capitulum eremitarum Gallicanorum

Celebratum fuit hoc anno mense octobri capitulum generale eremitarum Camaldulensium Gallicanorum, in quo ex decreto sacræ Inquisitionis Romanæ, & etiam ex mente christianissimi Galliarum regis cautum fuit, ut privarentur in eo voce activa & passiva eremitæ, si qui forent Appellantes & Refractarii, qui non subscriberent formulario Alexandri VII. simulque libere & ingenue bullæ *Unigenitus* Clementis XI. Vigebat siquidem fama, quod in eremo de Gros-bois reperirentur plures libri Jansenismum sapientes, & quod locus solitarius asylum esset hujusmodi librorum. Emicuit ea occasione zelus cardinalis protectoris Antonii-felicis Zondadarii, qui opera cardinalis Herculis Fleury, sed propter multiplices hujus occupationes, opera alterius S. R. E. cardinalis de Bissy in eodem capitulo non solum sanam doctrinam præ falsa sustineri fecit, rejectis quatuordecim Apellantibus, & quidem provectioris ætatis, iisque collocatis in tribus eremis, sed etiam observantiam constitutionum Camaldulensium. Statutum nimirum fuit, ut ii, qui regimina per aliquod tempus exercuissent, vacarent, neque permitterentur continuare in dignitatibus; dispensatione tantummodo obtenta a Romano pontifice Benedicto XIII. ut si ob numerum Appellantium parvus foret numerus eligendorum, reeligi possent ii, qui complebant tempus suorum officiorum. Pariter, ut nemo duplex officium gerere posset. Pro quibus recte stabiliendis idem cardinalis protector præter epistolas ad cardinales præfatos, literas dedit Johanni-baptistæ Carbonerio eremitarum tunc Majori, Thedosio de Tenevil eremitæ Vallis-Jesu, de quo magnam gerebat æstimationem cardinalis de Bissy, & Bartholomæo Massæo archiepiscopo Atheniensi apostolico nuntio apud Galliarum regem. Verum contigit in eo capitulo duplex erratum; alterum, quod unus ex definitoribus, post appellationem Bullæ *Unigenitus* ad futurum concilium, concurrerit ad ceteras electiones; alterum quod electus fuerit in priorem unius eremi eremita absens, qui subscripserat bullæ, sed cum conditionibus, dum ceteri definitores existimaverant eum simpliciter & pure ipsam recepisse. Quapropter remedium & sanationem exigebant acta capituli & ipsæ electiones, sicut etiam posteriores electiones factæ a superioribus bona fide. Petita fuit sanatoria ante capitulum celebratum anno 1733. sub Macario Pene Majore, opera nuntii apostolici archiepiscopi Rhodiensis Raynerii ex comitibus de Ilcio. Propositum fuerat, ut Veneti eremitæ Coronenses in Gallias destinarentur, tum ad convellendos Jansenismi errores, tum ad firmanda capita observantiæ eremiticæ, & jam reperti fuerant, qui se obtulerant; verum facile Galli eremitæ subterfugerunt extraneorum directionem. Legimus [a] subsequen-

[a] *Mercurio mens. junio Anni 1737.*

ſequenter ad annum 1737. priorem de Gros-bois, qui ſe ingeſſerat in negotiis Chavelini miniſtri regii, deportatum fuiſſe juſſu regis ad aliam eremum. Hæc procella, quæ agitavit non ſolum Galliarum eccleſias & illuſtres religioſos ordines, ſed etiam parvam eremiticam congregationem Camaldulenſem ab anno 1727. ad 1758., Dei bonitate, qui vigilabat ſuper illam, ſedata fuit a Placido Babel electo congregationis Majore anno 1755. qui ſanam doctrinam ſtabilivit ſapientia & prudentia ſua, itaut rex, qui certior factus fuit, plauſu exceperit piam & veracem ipſius directionem.

LXVIII. Decreta R. pont. & S. Rit. Cong. de Sanctis.

SANCTISSIMUS *Dominus noſter Benedictus papa XIII. ad humillimas preces procuratoris generales eremitarum Camaldulenſium Montis-coronæ benigne indulſit, ut Miſſæ, quas in vim ſuorum ſtatutorum Monachi totius ſuæ congregationis offerre tenentur pro religioſis dictæ congregationis ab hac vita migrantibus, in quocumque altari eccleſiarum ſuarum celebratæ fuerint, perinde ſuffragentur, ac ſi ad altare privilegiatum celebratæ eſſent. Datum die* XXVIII. *novembris* 1727. *L. card. Picus præfectus L. ✠ Sigilli. Raphael Coſmus de Hieronymis ſecret.*

Decretum ordinis ſancti Benedicti. *Cum aliquoties contingat feſtum ſancti Benedicti abbatis, quod fit die* XXI. *martii, incidere in aliquam diem Majoris hebdomadæ, ac proinde juxta rubricam ad aliam poſt Dominicam in Albis transferri debere, Sanctiſſimus dominus noſter Benedictus XIII. ad humillimas preces P. D. Seraphini Tanſii abbatis ac procuratoris generalis congregationis Caſinenſis, ut in celebratione feſti & officii ſancti patriarchæ omnes monachi & moniales ejuſdem regulam profitentes uniformiter conveniant, benigne indulſit atque conceſſit, ut quoties idem feſtum ob eam cauſam transferri debet, tunc feria tertia poſt Dominicam in Albis eidem celebrando aſſignetur, itaut memorata feria tertia eo caſu intelligatur dies propria prædicti feſti, adeoque in ea officium ſancti Benedicti a dictis monachis & monialibus, non obſtante occurrentia alterius officii ſive ejuſdem, ſive inferioris ritus, etiam ſi dies eſſet propria alicujus Sancti, perpetuo celebretur. Die* XXIII. *januarii* 1727. *N. card. Coſcia præfectus. L. ✠ S. N.M. Tedeſchi archiep. Apamenus S. Rit. Cong. Secr.*

Aliud ordinis ſancti Benedicti. *Ad humillimas preces P. D. Seraphini Tanſii abbatis & procuratoris generalis congregationis Caſinenſis ſanctiſſimo domino noſtro Benedicto PP. XIII. porrectas Sanctitas ſua benigne indulſit, ut in feſto ſancti Benedicti Miſſa ipſius propria in eccleſiis tam monachorum, quam monialium præfati ordinis, ubicumque exiſtentibus, ab omnibus etiam ſacerdotibus ſecularibus & regularibus ad eas confluentibus cum Miſſali monaſtico in poſterum celebrari poſſit & debeat. Die* X. *februarii* 1727. *N. card. Coſcia præfectus. L. ✠ S. N. M. Tedeſchi archiep. Apamenus S. Rit. Cong. Secr.*

Indulgentiam plenariam inſuper conceſſit idem pontifex ſub die IV. aprilis omnibus viſitantibus aliquam eccleſiam monachorum vel monialium ordinis ſancti Benedicti die feſtiva ſanctæ Gertrudis virginis & magnæ abbatiſſæ, ad decimam-ſeptimam novembris. Sacra Rituum congregatio anno 1725. XVIII. auguſti decreto ſuo, cui annuerat præfatus pontifex XXIII. ejuſdem menſis, indulſerat, ut officium dictæ ſanctæ Virginis, quod ſub ritu duplici eatenus celebratum fuerat, celebraretur deinceps ab omnibus monachis & monialibus ordinis ſancti Benedicti ſub ritu duplici ſecundæ claſſis.

LXIX. Miracula S. Romualdi & S. Alberici.

CASIMIRUS eremita Camalduli Etruriæ in verbo veritatis teſtatur, quod,

Ann. Chr. 1727.

quod, cum degeret hoc anno in eremo sancti Johannis-baptistæ de Cortona, correptus fuit gravissima rheumatis infirmitate, quæ ei motum ademit in omnibus membris, ore & lingua exceptis, & sensu quoque privavit ob contumaces vigilias, cumque humanis omnibus destitueretur auxiliis, hortatu Marii Sciarpaglini medici sanctissimo viatico munitus est, parato etiam oleo sacro infirmorum. Erat dies præcedens festum sancti patris Romualdi XVIII. junii, quare delata ad ipsum fuit reliquia præfati Sancti, ut eam oscularetur. Nocte sequenti ita ex gravissimo morbo convaluit, ut Sacrum celebrare potuisset, nisi decubitus sexaginta dierum vires omnes sustulisset; sed paulatim remissis viribus, omnimodam sanitatem recuperavit, appenso voto ad altare sancti Romualdi in ecclesia eremi Cortonæ; & supradictus medicus attestationem publici notarii Cortonensis manu firmatam confecit in veritatis corroborationem.

In cella sancti Alberici diœcesis Sarsinæ, ubi semper moratur eremita Camaldulensis ad explendam concurrentium populorum devotionem, reperitur lapis ab humo tres palmos elevatus, ad longitudinem & latitudinem corporis humani, super quem decumbunt infirmi, qui ex omnibus, præsertim vicinioribus locis, adveniunt, & præsentissimam percipiunt sanitatem ab infirmitatibus suis, potissimum intestinalibus. Oblatus Camaldulensis Bernardinus de Clericis a Sancto-Mamante, qui hoc anno missus fuit a patribus Camaldulensibus habitator hujus eremi sive cellæ, viginti annorum spatio, quibus commoratus est, processum instituit horum miraculorum, & in authentica forma ea recensuit, quæ reperiuntur in Adversariis nostris. Præter curatos morbos iliorum mirabile etiam legitur contigisse circa hæc tempora, ut deferentes ibidem carnes bovinas vel suillas ad manducandum (nulla enim taberna meritoria reperitur in viciniis) quacumque adhibita diligentia, in marsupiis, intra quæ eas detulerant, invenire minime valerent; ad declarandam profecto sancti eremitæ austerissimam pœnitentiam & abstinentiam, qui non patiatur, ut in loco a se sanctificato carnes adhibeantur ad cibum. Hoc ipso anno episcopus Pichi administrator urbis Sarsinæ typis edendam curavit orationem, quam eremita quidam Camaldulensis composuerat in honorem ejusdem sancti Alberici.

Ann. Chr. 1728.
LXX.
Altare S. Romualdi privilegio donatum.

DECRETUM ordinis Camaldulensis: „Ad humillimas preces P.D. Augustini Romani de Floribus a Cremona abbatis & procuratoris generalis monachorum Camaldulensium, qui supplicavit pro indulgentia plenaria ad diem XIX. junii & pro altari privilegiato quotidiano in omnibus & singulis ecclesiis sui ordinis, Sanctitas sua benigne annuit pro utraque gratia ad septennium. Et de prima constat ex brevi dato sub die XVIII. martii anno 1728. pontificatus sui anno quarto. De altera vero ex decreto sacræ congregationis Indulgentiarum sub die XIX. junii ejusdem anni, cujus tenor est, qui sequitur: *Sanctissimus concessit privilegium altari sancti Romualdi in omnibus ecclesiis ordinis Camaldulensis ad septennium*. Romæ typis R. Cam. Apostol. 1728. "

Eodem anno die XIX. julii præfatus Romanus pontifex permisit abbati generali Camaldulensi destinationem sacerdotum secularium, vel regularium aliorum ordinum, qui possent benedictiones impartiri Coronis Dominicis beati Michaelis, in iis regnis & provinciis, ubi non forent monachi aut eremitæ Camaldulenses; ibidemque instituere societates virorum & mulierum ejusdem Dominicæ Coronæ. Die sexta aprilis ad instan-

instantiam procuratoris generalis Montis-coronæ confirmavit & auxit indulgentias dictæ Coronæ concessas a Clemente X. anno 1674. & insuper impartitus est indulgentiam plenariam iis, qui singulis feriis sextis per integrum annum eam recitaverint in perpetuum.

Ann. Chr. 1728.

In monasterio sancti Michaelis de Muriano obiit hoc anno die undecima augusti Johannes-benedictus Tassis abbas Camaldulensis, qui multa monumenta collegerat tum ad historiam Camaldulensem, tum ad epistolas Ambrosii spectantia, eaque transmiserat ad Petrum Cannetum abbatem. Assiduus cum esset scriptor forulos omnes excussit archivorum in iis monasteriis, quæ rexit, & collecta reliquit, quæ faciunt ad ipsorum illustrationem.

LXXI. Obitus Monachorum Camald.

Decessit etiam in cœnobio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia Gregorius-angelus Farullius asceta ejus loci, qui multa edidit tum suo, tum ementito nomine, quorum catalogum hic exhibemus. *Vitam beati Ambrosii Traversarii ex Porticu Æmiliæ generalis perpetui Camaldulensis*, sub nomine Nicolai Castruccii a Porticu, & dicavit Cosmo III. Magno duci Etruriæ; Florentiæ 1722. Sequenti anno sub alio abbatis Petri Farullii civis Florentini nomine, ex documentis antiquissimis archivi Eugubini *Chronhistoriam antiquæ, nobilis & observantissimæ abbatiæ sanctæ Crucis Fontis-avellanæ ordinis Camaldulensis* in lucem emisit Senis, nuncupatam Clementi-reginaldo Archibusieri abbati generali; Bassani, sed realiter Florentiæ. Eodem anno sub eodem nomine *Vitam beatæ Elisabeth Salviatæ abbatissæ Buldonensis*, quam dicatam voluit Violanti-Beatrici ex Bavaria magnæ principissæ Etruriæ & gubernatrici Senensis urbis. *Chronologiam familiæ Giugniæ Florentinæ*; Lucæ, nomen assumens Philippi Cherubini, sicut alteram *antiquissimæ Canigianæ familiæ*; Senis anno præcedenti. Sub Francisci Masetti nomine eodem anno 1722. *notitias historicas protulit urbis Senarum* Lucæ impressas, & hoc anno 1723. *additiones & supplementa*. *Descriptionem eremi Camaldulensis, & monasteriorum sanctæ Mariæ-angelorum, sancti Felicis in Platea, sancti Benedicti extra Florentiam*; Lucæ 1723. Francisci Masetti nomine adhibito. Anno 1717. *historiam ediderat antiquissimæ urbis Arretii*, & etiam *urbis Burgi Sancti Sepulcri*. Omnia tamen sine methodo, absque stilo, plura quoque otiosa, sed & multa utilia ex iis expiscari possunt.

Concutientibus seculo præterito totam Romandiolæ provinciam horribilibus terræmotibus, magistratus civitatis Britonorii cum consensu consilii generalis, & cum capitulo canonicorum cathedralis ecclesiæ decreverant unanimiter votum nuncupare beatissimæ Virgini Mariæ de Lacu insigni protectrici ejusdem civitatis, visitandi scilicet & se conferendi processionaliter singulis annis ad suam ecclesiam de Lacu, quæ erat juris abbatiæ Uranensis monachorum Camaldulensium, & ante ejus sacratissimam imaginem decantandi Missam sollemnem, atque offerendi in oblationem aliquot ceræ candelas in devotam gratiarum actionem pro accepto beneficio præservationis a terræmotibus. Votum emissum anno 1672. adimpletum fuit fideliter usque ad annum 1726. sub die XIV. junii, qua obligatio solvendi votum recurrebat; atque capitulum cathedralis ecclesiæ mittere solebat sacristam aut magistrum cœremoniarum ad abbatem Uranensem die antecedenti, petendo civiliter commoditatem ecclesiæ pro peragenda die sequenti votiva functione. Pariter magistratus mittebat secretarium, vel saltem unum ex domicellis suis. Eodem tempore, quo emissum fuit votum, episcopus Britonoriensis indebite sibi adjecerat jurisdictionem in præfatam ecclesiam, quam prætensam de ju-

LXXII. De voto urbis Britonorii adeundi ecclesiam S. Mariæ de Lacu.

Ann. Chr. 1728.

re suo per plures annos visitavit, argumentumque juris sui desumebat ex hac votiva actione, quæ in ea ecclesia exercebatur. Sed ut vidimus ad annum 1711. a sacra congregatione decretum fuit contra episcopum, ecclesiam de Lacu omnino esse exemptam ab episcopali jurisdictione. Anno 1727. cum canonici petere licentiam ab abbate recusarent, consilio inito cum magistratu & cum confraternitatibus laicalibus, comitante populo civitatis, se contulerunt processionaliter ad ecclesiam patrum Cappuccinorum Montis-maji, ibique ante imaginem beatæ Mariæ Virginis de Lacu in papyro impressam, quam miraculosam patres illi decantabant, functionem & votum expleverunt. Prohibuit deinceps provincialis Cappuccinorum expositionem ejus imaginis. Præsenti anno cum amicabile temperamentum inter partes quæreretur, ex parte canonicorum irritum evasit, qui confugientes ad episcopum, ut vel commutaret votum, aut provisionem aliquam suggereret, obtinuerunt per modum provisionis circumduci processionem per civitatem Britonorii, & deferri sanctam reliquiam de capillis beatæ Virginis Mariæ, & Missam sollemniter decantari ad altare beatæ Virginis de Populo in ecclesia cathedrali. Insurrexit Casimirus Galaminus abbas Uranensis, & contra provisionem hujusmodi in actis Curiæ episcopalis protestationem interponi mandavit, ac scriptura edita ostendit votum eundi ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Lacu factum anno 1672. fuisse perpetuum, obligare magistratus & canonicos successores, licet successores votum non emiserint, canonicos teneri quotannis petere ab abbate commoditatem ecclesiæ, episcopo demum nullum jus esse votum dispensandi vel commutandi. Alia Scriptura demonstravit patres Cappuccinos non posse exponere chartam beatæ Mariæ Virginis, quam miraculosam gloriabantur, eo quod non prodigio, sed turbine venti ea charta deportata fuerit in eorum hortum, & episcopi anteriores, ipseque vivens episcopus prohibuisset ejus expositionem populo, essetque una ex iis chartis venalibus, quæ tantummodo repræsentabant veram imaginem simulacri beatæ Mariæ Virginis de Lacu, neque benedictione peculiari aut ordinariorum approbatione esset insignita, quemadmodum coronatione ex munere capituli sancti Petri de Urbe gaudebat imago beatæ Virginis de Lacu. Verum his aliisque omnibus differentiis extinctis die decima-quarta junii magistratus, canonici, & clerus urbis Brittonorii ad hodiernam diem adimplent votum ab eorum majoribus emissum, præmissis solitis urbanis actibus cum abbate Uranensi.

Ann. Chr. 1729. LXXIII. Decreta Pontificia & S. Congreg.

INDULGENTIA plenaria concessa fuit hoc anno visitantibus ecclesias sancti Romualdi die ipsius festiva sequenti decreto: *Benedictus papa XIII. Ad augendam Fidelium religionem, & Animarum salutem cœlestibus ecclesiæ thesauris pia caritate intenti, omnibus & singulis utriusque sexus Christi Fidelibus vere pœnitentibus & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis monachorum ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensis ubicumque existentibus die festo sancti Romualdi* XIX. *mensis junii celebrari solito, a primis vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium pecccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus, præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem* &c. *Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris*

toris die XVII. *februarii* 1729. *pontificatus nostri anno* V. *F. card. Oliverius.*

Decretum sacræ Congregationis Indulgentiarum pro Camaldulensibus. *Ad humillimas preces R. P. D. Augustini Romani de Floribus a Cremona abbatis sancti Romualdi in Urbe, ibique suæ congregationis procuratoris generalis, die* IX. *februarii* 1729. *Sanctissimus D. N. Benedictus XIII. benigne concessit privilegium quotidianum perpetuum altari sancti Romualdi in omnibus ecclesiis monachorum, eremitarum & monialium ordinis Camaldulensis. Johannes archiep. Tyri secret. L. ✠ Sigilli.* Cum in ecclesia eremi Taurinensis deficeret altare dedicatum sancto parenti Romualdo, efformata fuit tabula manu Sebastiani Riccii eximii pictoris Veneti, & collocata loco tabulæ Flagellationis D.N.J.C. Tabula sancti Romualdi ære incisa fuit a Josepho Wagner excellenti cœlatore in urbe Venetiarum.

Decretum congregationis Camaldulensis. *Lectiones & orationem proprias sancti Parisii monachi congregationis Camaldulensium confessoris ab eminentissimo & reverendissimo domino cardinale Zondadario Ponente revisas & correctas, & ad instantiam patris abbatis domni Clementis-reginaldi Arcbibusierii procuratoris generalis congregationis Camaldulensium in sacra Rituum congregatione relatas sacra eadem congeegatio approbavit, ac in officio diei festi ipsius Sancti pro secundo nocturno ab omnibus monachis, eremitis & monialibus præfatæ congregationis in posterum recitari posse benigne concessit. Die* XX. *augusti* 1729. *N. card. Coscia pro-præf. L. ✠ S. N.M. Tedeschi archiep. Apamenus Sac. Rit. Congr. secret.* Extensa fuit earumdem lectionum & orationis recitatio ad ecclesiam Tarvisinam, orante Augusto Zacco episcopo ejus urbis.

Canonici sancti Salvatoris, alias congregationis Rhenanæ, extorserant ab eodem Romano pontifice Benedicto XIII. privilegium præcedentiæ super monachos Benedictinos, asserendo se iisdem prærogativis debere frui, quibus fruebantur canonici Lateranenses, quorum instantiis indulgens Pius IV. anno 1564. eamdem præcedentiam super omnes S. Benedicti ordinis congregationes concesserat; sed cardinales Bernardus-maria de Comitibus, Leander Portia, & Angelus Quirinus, qui erant ex ordine sancti Benedicti, supplicem libellum obtulerunt eidem Romano pontifici, ut antequam firmaret hujusmodi privilegium ad favorem præfatorum canonicorum, dignaretur ipse per se audire Benedictinorum rationes, vel saltem committere sacræ Rituum congregationi discussionem earumdem rationum. Eodem tempore Venetiis contra dictum Breve facta fuerat instantia Principi, ne privilegium canonicorum admitteret, si prius non audirentur congregationes monasticæ. Demum prodiit die XXXI. decembris hujus anni rescriptum ex secretaria Status ipsum pontificem Benedictum XIII. nullum voluisse & velle inferre præjudicium ordini Benedictino circa præcedentiam, inauditis rationibus ejusdem conspicui ordinis.

LXXIV. Electio Petri Canneti in abbatem generalem.

IN capitulo generali Faventiæ celebrato mense majo destinatus est in abbatem generalem ordinis Camaldulensis, simulque motu proprio pontificis Benedicti XIII. confirmatus in abbatem Classensis monasterii, cujus a biennio apostolica auctoritate regimen tertia vice tenebat, Petrus Cannetus Cremonensis illustris abbas Camaldulensis, qui a tricennio prudentia & magnitudine animi, nec non pietate & doctrina plurima rexerat monasteria, notissimus præterea in Romana curia, & penes S.R.E. cardinales & prælatos, atque apud literatos viros. Adjuncti ei sunt in visitatores Michael-angelus Bottari Venetus, & Guido Grandius Cremonensis

ANN. CHR. 1729.

nensis celeberrimus Mathefeos profeffor in univerfitate Pifana, cui etiam ex pontificio beneplacito permiffa fuit continuatio regiminis monafterii fancti Michaelis Pifarum. Ea pariter occafione, quandoquidem Canneto generali placebat magis commoratio in abbatia Claffenfi Ravennæ, conftitutus eft abbas fanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, quæ fedes erat abbatis generalis, Ferdinandus-Romualdus Guicciolius Ravennas, retentis privilegiis & juribus parœcialis ecclefiæ generalitiæ fancti Hippolyti, perinde ac ibidem abbas generalis refediffet. Actum fuit in eodem capitulo de transferenda fede profeffionis, deducendaque familia monachorum fancti Mathiæ de Muriano Patavium, quandoquidem monafterium illud minitabatur ruinam, effetque fitum in loco aeris facti infalubrioris; e contra Carmelitæ excalceati pro admittendis fanctimonialibus fui ordinis in eo cœnobio, proponebant Camaldulenfibus monafterium intra urbem Patavinam. Facta fuit proinde tum abbati fancti Mathiæ, tum abbatibus fancti Michaelis de Muriano & fancti Johannis-baptiftæ de Judaica facultas agendi cum Carmelitis, & referendi fuperioribus majoribus acta ad refolutionem hujus tractatus. Verum propofita commutatio in fumum evanuit, & abbates ac monachi ex profeffione fancti Mathiæ majori ex parte recufarunt antiquum fuorum majorum locum derelinquere. Ceterum fupradicta electio Petri Canneti in abbatem generalem fimulque in abbatem Claffenfem non folum confirmata, fed & laudata fuit a fanctiffimo pontifice Benedicto XIII. per literas cardinalis Lercari fub die fexta julii, fanato pariter omni defectu, quem incurriffet electio per proteftationem contrariam duorum vocalium capituli, & declarata pro hac vice parœcia fancti Hippolyti fubjecta eidem abbati generali, licet ftationem fuam elegiffet in monafterio Claffenfi.

LXXV. Monachorum, eremitarum & monialium obitus.

POST quatuor menfes a completa generalitia dignitate obiit Venetiis in monafterio fancti Johannis-baptiftæ de Judaica, quod ad fui quietem fibi elegerat, die decima-octava menfis octobris Michael-angelus Gafparinius Venetus abbas, in cujus funere oravit Stanislaus Santinellius congregationis de Somafcha. Extant ipfius Gafparinii, præter fcripturas plurimas ad res Monaftico-Camaldulenfes fpectantes, exercitationes geometricæ & mathematicæ, quibus ingenium fuum excoluerat primis annis.

Alter deceffit in monafterio fanctæ Mariæ in Gradibus octuaginta annos natus Antonius-Francifcus Caramellius Florentinus abbas, qui & vifitatoris officium bis gefferat in congregatione, ac doctrina & prudentia in regimine aliorum monafteriorum inter Camaldulenfes effulferat. Generalitiam dignitatem refpuerat anno 1714. Florentinam bibliothecam fanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ auxerat magnis fumptibus & libris exquifitiffimis, altare majus fanctæ Mariæ ad Gradus erexerat, politiffimumque in ipfa ecclefia laqueare extruxerat. Inter ceteras fcientias mirifice etiam Medicam fibi comparaverat. Poefis non vulgari genio præditus inter Arcades Lentifci nomine floruerat. Laudatur Caramellius a Francifco Caro & a Stephano Cofmo clericis regularibus Somafchæ in epiftolis clarorum Venetorum ad Antonium Magliabecchium [a], a Mabillonio in Mufæo Italico, & in Bibliotheca Cinelliana. Tempore, quo morabatur Venetiis, omnium æftimationem & amorem fibi conciliaverat tum eruditione fua, tum facris concionibus etiam coram fereniffimo principe, inter quas edita fuit oratio panegyrica in laudem fancti Philippi Nerii anno 1683. Orationem pronuntiavit fuper ejus cadaver Octavius Rufchius Pifanus S. J. Sepulcralis vero ei appofita eft hujufmodi in-

[a] Pagg. 185. 187. 256.

inscriptio: *D. Antonio Francisco Caramellio abbati, S. Th. D. monachorum vere patri, quem multiplex doctrina & eruditio, vitæ integritas ac morum suavitas omnibus carum reddidere, obiit octuagenarius pridie kalendas januarias* M. DCC. XXIX. *D. Andreas Tartinus monachus patri beneficentissimo grato animo posuit*. Mense julio anni sequentis Ludovicus Balduccius Academicus Philergita Philergitæ accademico Caramellio cecinit paraphrasim lyricam Etruscam super sequentiam *Dies iræ* ad ejus funus celebrandum, eamque in lucem protulit Foro-livii, & Canneto generali dicavit.

Tertia novembris octuagesimum annum attingens in Camaldulo Fontis-boni ereptus est ex hujus vitæ ergastulo Evangelista Baracchi eremita ex Buccena villa Clusentini. In sacra eremo professus est quarta octobris anni Christi 1676. XXV. suæ ætatis anno. Fuit exemplar perfecti eremitæ, pauperrimus corpore & spiritu, obedientiæ constitutionum & majorum unice adhærens, & ab omnibus terrenis integre avulsus; quare infimam suam originem lætus omnibus publicabat; neque tamen passus est unquam consanguineos suos vel religiosos visitare, licet parum ab ipsis abesset. Psalmis & orationibus semper intentus, bis in die se ad sanguinem flagellis cædebat, cilicio continuo utens. Sed ex circumstantiis ejus mortis innotescit, qualis fuerit ipsius vitæ sanctitas; nam cum bona valetudine gauderet, ante aliquot dies prænuntiavit, se die festo sancti Caroli non futurum amplius in vivis. Die itaque antecedenti tertia novembris in refectorium ad mensam communem se contulit, contigit ei coram assidentibus publice legere, pavimentum post lectionem osculatus est, deinde refectionem suam accepit, & contra morem benedictione crucis parietes refectorii signavit. In cubiculum se recipiens confessarium suum eremitam statim postulavit; confessionem sacramentalem peregit, oleo infirmorum se muniri enixe petiit, quod tamen ei denegavit confessarius, eo quod ad extrema perductus non videretur, & interim dum infirmarium quærit confessarius, rediens eum in agone jam positum reperit, ex quo brevi expiravit. Reperta fuit ipsius cella ita composita, perinde ac ex ea in alteram foret sibi transmigrandum, immo inventa est absolutio sanctissimi Rosarii suis manibus descripta atramento adhuc recenti, quam paraverat, antequam in refectorium se conferret. Quæ omnia profecto fuere indicia præcognitæ suæ mortis.

Ad Deum pariter evolavit mense aprilis septuagesimum-quartum annum agens Berenices Brighenti monialis sanctæ Christinæ de Bononia, & ex honesta familia ibidem orta, post quinquaginta vitæ monasticæ annos. Paupertas, patientia, humilitas & obedientia in ea eluxerunt, delicias putabat panem & herbas tantummodo comedere nullo liquore conditas, etiam temporibus suarum infirmitatum. Feriis sextis adaugebat abstinentiam, denegabatque sibi potum ipsius aquæ. Correpta apoplectico & paralytico morbo, cui accessit privatio visus in oculis, undecim annorum spatio patientissima fuit. Jussu obedientiæ ter magisterium novitiarum subiit, terque regimen tenuit monasterii & officium abbatissæ. Ceteris imperare fugiens, enixe a Deo postulavit, ut se exaudiret, & exaudita est, ut retulit quædam Dei famula, sed suo incommodo, ob supervenientiam cæcitatis. Intempesta nocte ante matutinam synaxim surgebat e lectulo, & in interiori oratorio sanctissimi Rosarii coram imagine beatissimæ Virginis ad multas horas protrahebat orationem, nihilque fere petebat, quod statim non obtineret. Inter cetera purgari se

in

ANN. CHR. 1729.

in hoc mundo impense petiit, & morbi ipsius adaucti fuere. Frequenter in suis infirmitatibus ad se vocare consueverat quamdam monialem consobrinam suam; sufficit verbum confessarii, ne deinceps vel involuntarie eam ulterius advocaret. Prævidit momentum dissolutionis suæ; quare accito ad se patre spirituali, clara mente vividisque sensibus ultimam ad ejus aures deposuit vitæ suæ confessionem, & absolutione percepta placidissime spiritum emisit, remanente ejus corpore palpabili, ut erat, dum viveret. Prædixit sanctimonialibus neminem ex ipsis morituram, nisi transacto multo tempore; reapse prima occubuit post septem annos. Tempore ejus obitus alia ipsius consobrina, quæ erat secularis, vidit monialem cucullatam albam, quæ luce sua perstringebat ejus oculos, quæque sollicite eam expergefecit dicens: Vale, vale, nunc recta in cœlum propero. Ex facie & ex verbis agnovit esse consanguineam suam monialem; quare postera die se conferens ad monasterium sanctæ Christinæ, intellexit eodem momento, quo habuit visionem, ipsam e vivis excessisse. Alia spiritualis anima affirmavit Berenicem in paradisum evolasse omnino ab igne piaculari intactam.

ANN. CHR. 1730.
LXXVI.
Tiburtii de Frankin eremitæ M. C. elogium.

UNDECIMA januarii in eremo sancti Georgii de Garda Veronensis diœcesis præmia laborum suorum a Deo retulit præsenti anno Tiburtius Frankin eremita Coronensis. Natus in arce paterna Ardolf in Bavaria ex nobilissimis parentibus comitibus de Frankin anno 1655. undecima decembris, nomen in baptismate obtinuit Constantini. Sextumdecimum agens annum clericis regularibus Theatinis nomen dedit Monachii, ita persuasus a consanguineo suo Carmelita excalceato, & impulsus ex fortuito involuntario casu, qui ei contigit; dum enim brevi sclopo luderet in urbe Praga, consobrinum suum ignito globulo e vita sustulerat. Post decem annos summa probitate & doctrina transactos inter ipsos clericos regulares, cum Romæ esset, magno fervore petiit recipi in ordinem eremitarum Coronensium, & Oddo Becellus prior ipsum admisit in Rhuensem Patavinum recessum, ubi habitum sancti Romualdi induit septima novembris anni 1681. professionem autem emisit ipsa die anni sequentis. Post duos tirocinii annos, elapsis etiam præterea septem mensibus, electus est magister novitiorum; tales brevi tempore profectus in virtutibus, & in eremitica conversatione fecerat. A senatu Veneto declaratus fuit idoneus habilisque, licet advena, ad omnia officia gerenda in ditione Veneta anno 1687. Quare tum priorem Rhuensis eremi egit, tum eremi Centralis Vicetiæ, tum visitatorem, procuratorem generalem, & Majorem, semperque tironum magistrum, cum a majoribus officiis vacabat; fuit etiam vicarius generalis in Polonia. Quantum honoribus & plausibus ejus virtus insignita fuit, tantum etiam tribulationibus & depressionibus subjacuit, in quibus tamen perfervidam corporis sui constitutionem superans mansuetissime & patientissime se gessit; hinc etiam, dum in officio erat, monita & correctiones ea suavitate temperabat, ut omnibus ejus virtus & prudentia admirationi forent. Expleta dignitate Majoris missus fuit ad eremum sancti Georgii Veronæ, & cum junior ætate esset ceteris, munera inferiora ipsi contigerunt, legendi ad mensam, inserviendi Missæ prioris, quæ summa animi voluptate adimplebat. Cardinalis Georgius Cornelius episcopus Patavinus post colloquium cum ipso habitum, adstantibus dixit: Cum sancto viro hactenus loquutus sum. Assidua erat ejus oratio, obscuritatibus tamen & desolationibus spiritus amarissima, adjuncta gravissimo

simo

ſimo metui ſuæ æternæ ſalutis; has ad mortem ſuſtinuit, lumine fidei tantummodo vivens. Orationi addebat flagella pluries in die repetita, cilicia, catenulas ferreas, ſed præſertim continuam vigilantiam, ſuique abnegationem in omnibus. Dies integras tranſigebat ſine cibo etiam in itineribus. Ulcus in crure poſtremis annis inviĉtiſſime toleravit, ſeſeque incisioni ſubjecit. Pleuritide demum correptus ſeptuageſimo-quinto ætatis anno conſtantiæ ſuæ ceterarumque virtutum coronam a Deo promeruit. Corpus ejus floridum poſt mortem & palpabile remanſit, ita ut obſtupuerit medicus, & ad hodiernam diem tale conſervatur. Vitam ipſius ſcripſit in Diario Camaldulenſi Baſilius Du-vergius eremita Viennenſis.

LXXVII. Alterum Placidi Tomaſelli.

ALTER in eremo Coneliani ſolitarius deceſſit quinta januarii Placidus Tomaſellus a Strigno territorii Tridentini, profeſſus ab anno 1690. Poſt matutinam ſynaxim orare continuabat in eccleſia uſque ad meridiem. Ad prandium inde progrediens utebatur ſemper cibis frigidis; micæ vero panis, quæ ſupererant, lautum erant cœnæ edulium. Herbis amaris vinum reddebat palato inſipidum & moleſtum. Nunquam ignem in cella accendebat, & poſt horam canonicam Veſperarum redibat in eccleſiam uſque ad noĉtem oraturus. Hujus vitæ tenorem protraxit ad mortem, præter duos poſtremos annos, quibus coaĉtus fuit ex obedientia ob infirmitates in cella permanere. Cubabat ſuper nudos aſſeres, quibus etiam Crucem ſuperextenderat. Patienter tulit ulcera in cruribus; nutibus Superiorum hilariſſime parebat; extremam paupertatem delicias putabat. Beatiſſimæ Virginis devotioni in ſe & in aliis promovendæ ſemper ſtuduit, quare geminabat quotidie, immo pluribus vicibus recitabat coronas Roſarii. Hieronymus Giudice cauſidicus Coneliani ad extrema redaĉtus, & ſacro oleo unĉtus, ſumpta buccella panis benediĉta a pio eremita, brevi convaluit. Alia vice requiſitus Placidus ut ſuper ſimilem panis portionem benediĉtionem proferret, renuit, ſed ob importunitatem obediens ſubdidit, benediĉtionem effeĉtum hac occaſione non habituram, & reapſe defunĉta eſt infirma, pro qua requirebatur. Roſaria ejuſdem Virginis diſtribuebat libentiſſime, quorum unum e periculo proximæ mortis liberavit feminam parturientem. Dicitur etiam, quod a Deo dignatus fuerit dono cognoſcendi internum hominum, quorum aliquos opportune admonebat, ne ulterius differrent expiare peccata ſua ſacramento pœnitentiæ; id quod ſalutem præſertim æternam virorum ad ſe confluentium tutam reddebat, valde autem incertam, ſi ſacramentalem confeſſionem diſtuliſſent, vel neglexiſſent.

LXXVIII. Tertiam Marini Maranæ erem. M. C.

HOC ipſo anno die decima-nona maji feliciter ad Deum tranſiit in ſolitudine Montis-coronæ Marinus Marana Coronenſis eremita. Januæ anno Chriſti 1657. decima-ſeptima-februarii ex nobiliſſima familia natus, fratuelis Pauli Maranæ epiſcopi Aſculani, poſt pueritiam ſanĉte & incorrupte tranſaĉtam, ſolitudinem & vitam ab hominum conſortio remotam appetens, quinto-decimo ſuæ ætatis anno, votum vovit ingrediendi congregationem eremitarum Camaldulenſium. Emiſſo voto epiſtolam ſcripſit priori ſanĉtæ Theclæ eremi paucis milliaribus diſſitæ ab urbe Januenſi. Verum obſtitit ætas, quin potiretur ſuo ſanĉto deſiderio. Præterea a theologis examinato ejus voto, liber ab ejus exequutione judicatus fuit; quare ut & ceteris morem gereret, & ne interea commoraretur in ſeculo, congregationem ingreſſus eſt clericorum Barnabitarum ſanĉti Pauli Decollati, quæ inſigniter florebat in patria, in collegio ſcilicet ſanĉti Bartholomæi Armeniorum anno 1673. profeſſione emiſsa anno ſequenti. Rhetoricam Mediolani prius docuit, ubi ala-

ANN. CHR. 1730.

pam ab audaci juvene ſcholare retulit, eximia cum patientia porrigens ei alteram maxillam, & precibus validis interceſſit, ne a ſuperioribus juvenis temeritas debita pœna mulctaretur. Inde ad philoſophiam & ſacram theologiam docendam Pragam Bohemiæ miſſus, tum ob imbecillem ſalutem Romam deſtinatus eſt ad collegium ſancti Caroli, tum etiam Zagarolium, ubi vicarii munus implevit. Semper tamen infixa erat illi ſagitta in pectore, memor ſui juvenilis voti ingrediendi eremitarum Camaldulenſium familiam. Quare Deo ſe commendans, enixe poſtulavit a Monte-coronenſibus ſui receptionem, quam facile obtinuit, atque debitis exoratis licentiis habitum eremiticum induit die tertia auguſti anni *1692.* trigeſimo-quinto ætatis anno, mutato nomine Joſephi-mariæ, quod habuerat in ſeculo, & Angeli-franciſci, quo appellatus fuerat in clericorum congregatione, in illud Marini. Ampliſſima ſegete deſcribit tenorem ejus vitæ, eximiaſque virtutes, quas adimplevit in eremitico inſtituto, Nicolaus Peruſinus Coronenſis aſceta in deſcriptione vitæ ipſius Marini, Anconæ publicata anno 1738. & dicata Georgio Spinulæ S. R. E. cardinali Camaldulenſium protectori, fidem, ſpem, caritatem in Deum & in proximos, animarum zelum, extremam paupertatem, puritatem & munditiam cordis & corporis, religioſiſſimam obedientiam, exactiſſimam regularum & conſtitutionum obſervantiam, ſilentium, perpetuam clauſuram, & pene continuum ſolitarium receſſum, triginta & octo annorum ſpatio nunquam exeunte Marino ab eremis Montis-coronæ, & Tuſculi, neque titulo recreationis volente ſe conferre ad abbatiam eremi Coronenſis milliario diſtantem. Septem annis recluſionis leges ſuſtinuit, a qua timore immaturæ mortis ipſum abſolverunt ſuperiores. Quis autem referre valeat aſſiduitatem orationis & perfectæ contemplationis famuli Dei, devotionem erga Sanctiſſimum Sacramentum & erga Deiparam, cum perpetua fere extaſi & mentalibus illuſtrationibus in cognoſcendis aliorum operationibus? hinc aliquando ſecreta vidit cordium, & manifeſtavit, futuraque prævidit; quis ſimul horribiles pugnas, quas a dæmone paſſus eſt? Inſignis quoque fuit in humilitate, ſuique deſpicientia, abhorrens a quacumque dignitate & officio, in patientia & imperturbabilitate animi in ſufferendis adverſitatibus, atque in haud ſeparabili omnium ſuorum ſenſuum mortificatione. Sed hæc omnia novit Deus, noverunt ceteri eremitæ, quantum humilis vir, qui omnia occultabat, diſcernere permiſit. Primis annis commoratus eſt in Monte-corona, inde in eremo Tuſculana, ſed anno 1713. ex Tuſculana iterum translatus fuit ad eremum Montis-coronæ, ubi poſtremos decem & octo annos complevit, quia in Tuſculana crebris viſitationibus ſecularium ejus ſolitudo divexabatur. Contigit poſt acerbiſſimas infirmitates ejus mors die XIX. maji; ad ejus obitum hæc mira contigere; poſt multas horas ſanguis floridus & vividus exiit ex extremitate manuum ipſius, & ſuaviſſimus odor efflavit ex ejus corpore. Superſunt teſtimonia plurium eremitarum aſſerentium eumdem odorem perſeveraſſe multis annis in oratorio cellæ, quam famulus Dei inhabitaverat. Dum vivebat, fuit in ſumma veneratione apud cardinalem Carolum-auguſtinum Fabronium, & apud principem Marcum-antonium Burgheſium, quorum primus, quoties Tuſculum ſe conferebat, gaudebat pia eremitæ converſatione, & ubique ipſum prædicabat magnum virum, verum eremitam, & fidelem Dei ſervum. Remigius ab Averſa, qui triginta & amplius annis præcipua obivit officia in congregatione Coronen-

ronensi, in epistola ad eumdem Nicolaum vitæ scriptorem, testatur se decem vicibus, quibus eremitarum totam congregationem visitavit, non invenisse eremitam virtutis adeo consummatæ, ut eumdem Marinum Maranam.

ANN. CHR. 1736.

LXXIX. Et Petri Canneti abbatis generalis.

POST brevem aliquot dierum morbum excessit e vita prima octobris hujus anni Petrus Cannetus abbas generalis congregationis Camaldulensis, simulque præsul Classensis, septuagesimo suæ ætatis anno, quorum quinquaginta in religione & in assiduis studiis insumpsit. Proposuerat sibi primis annis celebriores viros Camaldulensis ordinis, eorumque opera illustrare, ac bibliothecam quamdam Camaldulensem efformare. Hinc cum Johanne-benedicto Tassis Veneto præsule, & cum Guidone Grandio monacho, ac cum Eduardo Baroncinio eremita Camalduli-majoris commercium epistolicum aperuit; extantque tum ejus, tum responsivæ literæ, quibus historia bibliographa Camaldulensis clarius lumen accipit. Inde se totum accinxit ad publicationem epistolarum Ambrosii Camaldulensis, quibus scholia præfixit, & adnotationes eruditissimas subjecit; hæ demum epistolæ post ejus mortem prodiere, ut dicemus ad annum 1759. Ter monasterium Classis rexit; postrema vice generalitiam dignitatem etiam conjunxit, ut vidimus anno antecedenti. Parentatum est ei Faventiæ, ubi obiit; in monasterio Classensi, de quo fuit optime meritus; & in oppido sancti Archangeli territorii Ariminensis. Referimus duas ejus memoriæ inscriptiones funebres appositas: *Petro Canneto Cremonensi cœnobii Classis Ravennæ tertium antistiti, supremo Camaldulensis ordinis præfecto, suavitate morum, animi pietate, eruditione præstantissimo viro, de se ipsis optime merito Cappuccini fratres sancti Archangeli justa persolvunt*. Alterum. *Chariteo Nesio, summo Camaldulensis coloniæ pastori, Græcis, Latinis, Italicisque literis instructissimo, liberalium artium, sacrarumque academiarum in Æmilia restitutori, fama apud exteros immortali, Academici Archangeliani ob collata beneficia parentant*. In locum Canneti suffectus fuit in abbatem generalem Florianus-maria Amigonius Meldulensis, alter non minus pius quam doctus præsul ex eadem Classensi professione, sicut anno sequenti ob mortem Michaelis-angeli Bottarii visitatoris substitutus Petrus Blanchinius Venetus.

LXXX. Historica monumenta collecta.

DECRETO capituli generalis eremitarum congregationis Pedemontanæ efformato anno præterito, annuente & permittente Victorio Amadeo Sardiniæ rege & Sabaudiæ duce, facultate etiam obtenta ab aula Viennensi Cæsareæ majestatis, destinatus fuerat Michael a Gassino eremita, vir multæ probitatis, modestissimæ indolis, in oratione & mortificatione exercitatus, & ejus exemplaritatis, ut facile omnium sibi amorem conciliaret, una cum fratre converso, cui postremo ab aliquot annis animus factus fuerat, ut se in ditionem Mediolanensem conferret novæ eremi fundationem curaturus ope benefactorum, qui valde dispositi videbantur tum erga eremiticum institutum, tum ad ipsum propagandum in eorum urbibus. Novariæ primum ambo eremitæ constiterunt, ubi Gilbertus Borromæus S. R. E. cardinalis erat episcopus, qui eorum zelum collaudavit, omnemque favorem pollicitus est, si fundatio in sua diœcesi contingeret, facultatemque omnem ad eam fecit. Inde progredientes ad Insulas Borromæas, adierunt comitem Carolum Borromæum, in quo spem omnem fundabant, qui eos excipiens omnibus humanitatis signis, & spondens protectionem suam, nunquam tamen se voluit declarare futurum eremi fundatorem; eligerent propterea situm aptum in territoriis feudorum suorum, ac cellam promitte-

Ann. Chr. 1730.

bat ibidem se conditurum; prope Aronam locum repererunt ceteris aptiorem, sed nemo se obtulit, excepta fundatione aliquot cellarum, qui rem in se susciperet, vel eremo initia dare, vel assignare redditus proponeret. Re itaque infecta domum rediere, exposueruntque capitulo eremi Taurinensis irritos suos labores. Ipsa eremus Taurinensis ratione plurium expensarum, quibus obnoxia fuerat, & erat, par non putabatur eremo auspicandæ, vel fundamentis jaciendis. Domini de Boggetis Taurinenses benefactores eremi Silvæ-majoris spondebant contributionem triginta millium librarum ad inceptionem operis; sed Michael eremita deputatus, qua de causa, ignoramus, renuit oblationem. Reversi propterea Mediolanum ad præsentiam venere archiepiscopi cardinalis, qui gratiose eos excepit, & post plura in contrarium opposita consensum præstitit novæ fundationi. Nobiles omnes auxilium spondebant, animos addebant, suspiciebant eorum pietatem, & præcipue Michaelis sacerdotis, qui ob frugalitatem victus, & sanguinolentas disciplinas, quas sibi quotidie infligebat, ceteraque virtutum ornamenta, ut Sanctus passim proclamabatur. Quolibet mane in ecclesia Visitationis omnes Missas audiebat, & ibidem orabat sine aliquo adminiculo. Verum tribuitur ipsi defectus hujus fundationis, quæ facile evenire potuisset, si minus verecundiæ suæ tribuisset. Cautus enim & modestissimus omnino neglexit colloqui, seque sistere coram iis, qui fundationem profecto promovissent. Antequam scilicet eremitico instituto Michael nomen daret, sectatus fuerat medicinam, in qua adeo profecerat ut etiam primis exercitii artis medicæ annis electus fuerit & missus a regia tutrice Johanna-baptista ducissa Sabaudiæ & matre regis Victorii ad curandum ministrum primarium aulæ. In Camberio, ubi residebat, nomen magnum sibi fecerat & ob difficiles & fortunatas curationes, ob tractus etiam nobiles animi sui, reportaverat ab eodem Victorio Amadeo Sabaudiæ jam duce literas patentes protomedici Sabaudiæ. Sed ille pertæsus talis professionis, & ad aliam a Deo vocatus, secreto & admiratione omnium se recepit ad eremum Taurinensem, ubi pluribus annis vixit ab omnibus habitus pro sancto viro. Religionem ingressus, nonnisi jubentibus majoribus, & in casibus gravissimis, artem suam pristinam exercuit, & semper cum consilio medicorum eremi. Diffusa per Mediolanum fama ejus peritiæ, opera facile socii conversi, notitia pervenit ad principissam Borromæam uxorem comitis Johannis filii comitis Caroli, quæ ejus alloquium avide expetivit, consilium sumptura pro infirmitatibus suis; sed Michael renuit omnino, & sæpius invitatus recusavit ipsam adire. Conversus ipsum excitabat, excitabant viri magni nominis, & cupidi novæ fundationis, ipsique stimulos addebant, ut cum principissa colloquium non detrectaret; sed perstans in sententia sua maluit spei omni fundationis nuntium mittere, quam propositum modestiæ suæ infringere; qua in re magnæ virtutis quidem specimen dedit, sed a pluribus fuit improbata nimia ipsius verecundia, vel certe dicendum Dei voluntatem non fuisse, ut eremitica institutio propagaretur in floridissima Mediolanensi ditione.

In eremo Taurinensi septuagesimo-quarto ætatis anno ad Deum abiit Prosper Maglianus ex Fossano, sed semper dictus ex Taurino, nobilibus parentibus comitibus natus anno 1656. & eremita Taurinensis factus anno 1681. qui eximiæ pietati haud imparem doctrinam conjunxit, quare collectanea multa reliquit partim ex sacra Scriptura, partim ex patribus & auctoribus ecclesiasticis ad moralem & asceticam institutionem,

tionem, quæ vel ex Gallico Latina fecit, vel Latina produxit. Prolixum etiam sermonem reliquit de Castitate, eruditione multa refertum. Fuit congregationis visitator generalis & etiam Major, prioris pariter officia gessit in eremis. Ipsi debet eremitarum Pedemontana congregatio, ut officium sancti patris Romualdi ad diem XIX. junii celebratum apud Camaldulenses, decreto prioris generalis & capituli Cartusianorum celebraretur etiam ab universo Cartusiano ordine, adoptatis quoque, quæ propria sunt ejusdem officii; alterum, quod debet, est introductio Sanctissimi Rosarii beatæ Mariæ Virginis, cujus aggregationem obtinuit pro omnibus eremis Pedemontanis, cum priorem ageret eremi Taurinensis, ab Antonino Cloche magistro generali ordinis Prædicatorum.

Kalendis aprilis summus pontifex Clemens XII. univit monasterio sancti Georgii eremi de Garda diœcesis Veronensis prioratum sancti Columbani in parœcia Bardulini, quem in commendationem obtinebat Antonius Vaira episcopus Adriensis, ut refert Johannes-baptista Blancolinius libro IV. de ecclesiis Veronensibus pagina 476. Accessere ducales literæ Venetæ pro accipienda possessione ejus prioratus.

ANNA-

ANNALES CAMALDULENSES

LIBER OCTUAGESIMUS.

Ab anno CHRISTI M. DCC. XXXI.

ANN. CHR. 1731.

I. Concessa recitatio officii & Missæ in honorem S. Petri Urseoli.

CUM juridicus evanuisset processus Prattæ in Confluentinis publico ritu digestus a monachis Cuxanensibus de beato Petro Urseolo Venetiarum duce & cœnobita ejusdem monasterii, transmissus ad claræ memoriæ Johannem Cornelium ducem Venetorum, ut fusissime diximus ad annum 1715. alius rursus processus auctoritate Melchioris de Polignac eminentissimi S. R. E. cardinalis, regis autem Christianissimi apud apostolicam sedem oratoris, & Barbonii Mauroceni serenissimæ Venetæ reipublicæ legati in Urbe, legitima forma exemplatus & transmissus fuerat Romam anno præcedenti, qui una cum eruditissima dissertatione de sancto Petro Urseolo Romanis typis impressus a Justo Fontaninio archiepiscopo Ancyrano nuncupatus fuerat alteri S. R. E. cardinali Petro Othobono Sabinorum episcopo & vicecancellario, ac in eo opere gesta, virtutes, signa cultusque veterrimus ejusdem Sancti egregie declarabantur. Quapropter præsenti anno 1731. prodiit a sacra Rituum congregatione hujusmodi decretum: *Piis enixisque precibus, nomine serenissimæ reipublicæ Venetæ per D. equitem Barbonium Maurocenum ejus apud sanctam sedem oratorem ordinarium, sanctæ memoriæ Benedicto papæ XIII. porrectis pro concessione officii & Missæ in honorem sancti Petri Urseoli olim Venetorum ducis, & deinde monachi ordinis sancti Benedicti, illisque a Sanctitate sua ad sacram Rituum congregationem remissis, & modo ab eminentissimo & reverendissimo cardinali Othobono relatis, sacra eadem congregatio, audito prius R. P. D. Cavalchino archiepiscopo Philippensi Fidei Promotore, reque mature examinata & diligenter discussa, indulsit atque concessit, ut de prædicto sancto Petro Urseolo singulis annis die* XIV. *januarii tam in civitate Veneta, ubi natales habuit, & ducatus honore præfulsit, quam in monasterio Cuxanensi, in quo monasticum habitum induit, & feliciter obiit, corpusque ipsius magna populi veneratione colitur, officium de communi Confessorum non Pontificum*

ficum sub ritu duplici recitari, & Missa respective celebrari possint, si sanctissimo Domino nostro Clementi XII. visum fuerit. Die XXVIII. *aprilis* 1731. *Et facta deinde per me secretarium de prædictis eidem Sanctissimo domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die* II. *maji ejusdem anni* 1731. *C. card. de Marinis præfectus L. ✠. S. N. M. Tedeschi archiep. Apamenus S. R. C. secret.* Benedicto XIII. preces porrectæ fuerant per eumdem Oratorem ab Aloysio Mocenico duce Venetiarum Cornelii successore, & a Marco Gradonico patriarcha ejusdem urbis; sed fatis interea cedente Benedicto mense februario anni præteriti, & re longius protracta in sacra congregatione, definitus fuit cultus sancti Petri Urseoli sub Clemente XII. qui in pontificatu Benedicto successit. Eodem tempore respublica Veneta a Cuxanensibus monachis, ut ii polliciti fuerant duci Cornelio, postulavit insignem sancti eorum ducis reliquiam, brachium scilicet & manum dexteram, ut in patria publicos Divorum honores illi præstaret. Sed de reliquiæ ipsius delatione duobus annis sequentibus.

ANN. CHR. 1731.

Alterius discipuli sancti Romualdi monachorum & eremitarum Camaldulensium institutoris, nimirum beati Johannis Gradonici, qui Urseolum in Gallias comitatus fuerat, vitam nuncupavit illustrissimæ Venetæ familiæ Gradonicæ Amadeus Luccius Venetus Minorita de Observantia, & Venetiis edidit hoc anno.

ANN. CHR. 1732.

II. Dexterum crus ejusdem Sancti transmissum ad Venetam rempublicam.

DIE trigesima septembris in monasterio regali abbatiæ sancti Michaelis de Cuxano ordinis claustralis sancti Benedicti, Nullius diœcesis, & immediate subjecto sanctæ sedi, regnante christianissimo rege Ludovico XV. rege Galliarum & Navarræ, sub pontificatu Clementis XII. capitulum dicti monasterii assentiens petitioni factæ a serenissima republica Venetiarum brachii & manus dexteræ sancti Petri Urseoli ducis ejusdem reipublicæ, & postea monachi professi Cuxanensis, duabus horis cum dimidia post meridiem descendentibus in ecclesiam Salvatore de Copons abbate titulari, Johanne de Copons priore claustrali & vicario generali diœcesis dictæ abbatiæ, Johanne Saleta camerario, Jacobo Puig magno præposito, Emanuelle Viader superintendente ecclesiæ, Cajetano Perarnau priore sanctæ Mariæ de Riquer, Melchiore de Brù præposito Ceritaniæ, Raymundo Rovira eleemosynario, Jacobo Cahors sacrista majore, Josepho Fabre hortis præposito, Johanne-baptista Guanter sacrista minore, Francisco Terrats magno infirmario, monachis omnibus professis dicti cœnobii, induto vero abbate pontificalibus ornamentis, prius ante aram principem dicatam sancto Michaeli archangelo titulari procubuit, inde progrediens ad capellam communiter appellatam sancti Petri Urseoli, expositam reperiit capsam sacrorum ipsius ossium, qua aperta, & sacro thure fumigata, præsentibus iisdem monachis aliisque nobilibus viris, qui invitati fuerant, & in frequentia multi populi, examinata & recensita fuere per ordinem ossa ejusdem sancti corporis. Quare medici & chirurgi repererunt caput integrum, maxillam inferiorem cum undecim dentibus, duo ossa coxarum vocata femora, duas tibias, duas peronides, duas portiones ossis coccidis, os brachii appellatum radium, partem brachii dexteri, & partem sinistri, novem phalanges digitorum pedum & manuum, metatarsum, sex dentes divulsos a maxilla, duas apophyses vertebrarum dorsi, os carpi, triginta frusta ossium, alia quadraginta minora, & libram pulveris ossium; desiderabantur autem ossa duorum brachiorum & manuum, vertebræ dorsi, costulæ,

Ann. Chr. 1732.

costulæ, homoplates, claviculæ, os sterni, & rotulæ, ita ut ægre, immo nullo modo efformari posset brachium a serenissima republica Veneta expetitum. Decreverunt igitur abbas & capitulum monachorum conjungere simul coxam & pedem dexterum ejusdem corporis, atque proinde medici unierunt femur, tibiam & peronidem, & in capsulam ad hoc destinatam ea tria ossa deposuerunt dono mittenda eidem reipublicæ Venetæ; de qua recognitione & repositione efformatum fuit e vestigio authenticum instrumentum manu notariorum firmatum, ut fusius legitur in relatione sollemnis hujus actionis edita Venetiis ex Gallico in Italicum idioma anno sequenti. Capsula ab abbate consignata fuit Johanni de Copons priori claustrali, & Gajetano Perarnau priori sanctæ Mariæ de Riquer monachis suis Cuxanensibus Venetias statim deportanda.

Habita Venetiis notitia de proximo adventu duorum monachorum una cum superius recensitis sancti Petri Urseoli reliquiis, decrevit Senatus Venetus, ut habitationes pro eorum domicilio destinarentur ad monasterium sancti Georgii-majoris, & ut statueretur dies pro transferendis reliquiis ex ea insula in ditissimum thesaurum basilicæ ducalis sancti Marci, quandoquidem tempus sufficiens non erat ad ædificandum in ecclesia divi Marci altare in honorem sancti Petri Urseoli; proxima enim erat dies quartadecima januarii, in qua recolenda primitus, & sollemnissime statuta fuerat ipsius memoria. Decretum pariter fuit, ut ipsa die sacra sancto duci post pontificalem Missam, vesperasque decantandas cum panegyrica oratione in ejus laudem, publica fieret supplicatio per plateam divi Marci, & deferretur sacra reliquia. Magnificus interea & ornatissimus loculus adservando sacro cruri ut elaboraretur imperatum fuit a Senatu, & mandatum hujusmodi cælari epigraphem: *Femur, Tibia & Fibula partis dexteræ sancti Petri Urseoli Venetiarum ducis a monachis sancti Michaelis Cuxani, Ludovici XV. Galliarum regis benevolentia dono data, & in ædem divi Marci sollemniter translata* M.DCC. XXXII. *septima januarii*, more Veneto. Inferius vero: *Senatus decreto* XIII. *decembris. Ad sollemnia* XIV. *januarii confectum, curante M. Antonio Justiniano D. Marci procuratore*. Hæc acta præsenti anno.

III. Collecta aliquot monumenta.

Ad *humillimas preces P. D. Clementis de Oriolo procuratoris generalis eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, sacra Rituum congregatio, inhærendo aliis concessionibus in similibus factis, benigne concessit, ut in tota sua congregatione, nec non ab omnibus monachis & monialibus Camaldulensibus die, in qua ab ipsis officium Desponsationis peragitur, in primis ac secundis Vesperis ac Laudibus ejusdem officii, commemoratio sancti Joseph imposterum fieri possit & valeat; die* XV. *martii* 1732. *A. F. card. Zondadarius Pro-præfectus. L. ✠ S. N. M. Tedeschi arch. Apamenus Sac. Rit. Congr. Secret.*

Aliam literariam controversiam habuit hoc anno Guido Grandius abbas Camaldulensis cum Fideli Soldanio pererudito monacho Vallis-umbrosæ. Præmiserat hic auctor typis Lucensibus anno præterito tamquam prodromum Annalibus suæ congregationis, quos publicare gestiebat, aliquot quæstiones dictas Vallumbrosanas ad chronologiam sui ordinis stabiliendam, qua impetebatur Grandii chronologia, nec non evertebantur ea, quæ protulerat idem Grandius in suis Dissertationibus Camaldulensibus. Respondit noster abbas ad eas quæstiones sub nomine Vitalis Martii (monachus is erat senex nostræ congregationis) Faventiæ anno 1732. Secundam partem quæstionum Vallumbrosanarum Florentiæ protulit Soldanius anno sequenti, quibus responsum dedit Grandius tot li-

teris

teris apologeticis sub eodem Martii nomine. Paraverat Soldanius alterum reponere librum adversus has epistolas; verum a superioribus suis, & a cardinale Vallumbrosanæ congregationis protectore Guadagnio impeditus litibus finem imposuit, & uterque deinceps siluit.

ANN. CHR. 1732.

ANN. CHR. 1733. IV. Alia S. Petri Urseoli reliquia dono data monast. S. Michaelis de Muriano.

QUARTADECIMA januarii regia munificentia, & sollemnissima pompa, ac totius populi frequentia deportata fuit processionaliter reliquia sancti Petri Urseoli per plateam urbis Venetiarum. Die sequenti donata fuit a monachis Cuxanensibus alia minor reliquia abbati & monachis sancti Michaelis de Muriano, una cum sequenti attestatione eodem die firmata, quo firmata fuerat donatio facta reipublicæ Venetæ: *Nos Salvator de Copons & de Tamarit gratia Dei, & sanctæ sedis apostolicæ abbas regalis monasterii sancti Michaelis de Cuxano ordinis claustralis sancti Benedicti tam in capite suo, quam in suis membris immediate subjecti sanctæ Sedi in territorio separato, cum jure celebrandi synodos, & jurisdictionis pene episcopalis, omnibus & universis, ad quos præsentes pervenerint, salutem & benedictionem in Domino nostro Jesu Christo. Notificamus & fidem facimus, quod pars ossis majoris, quod ignoratur, ad quod membrum spectet, & phalangis inclusa in capsula mediocri, vestita serico albo, & cooperta tela argentea fundi viridis, sunt partes ossium sancti Petri Urseoli ducis Venetiarum & monachi hujus monasterii, extractio quorum facta fuit a capsa, ubi quiescunt ossa ejusdem, immediate post extractionem coxæ & cruris dexteri pro serenissima republica. In cujus fidem has expedivimus signatas manu nostra, & firmatas a nostro secretario, qui apposuit magnum sigillum insignium nostrorum. Data ex S. Michaele ex nostro palatio abbatiali die* XXX. *septembris anni* M. DCC. XXXII. *L.* ✠ *S. De Copons abbas sancti Michaelis Cuxani. Honuphrius Bordet notarius & secretarius.* Sequitur attestatio in consignatione sacræ Reliquiæ. *Nos Johannes de Copons prior claustralis officialis & vicarius generalis regalis monasterii & diœcesis abbatiæ sancti Michaelis de Cuxano ordinis claustralis sancti Benedicti fidem facimus nostro juramento ad omnes, ad quos spectabit, reliquias sancti Petri Urseoli descriptas & nominatas in superiori attestatione illustrissimi & reverendissimi domini domni Salvatoris de Copons abbatis dicti monasterii, nobis datas fuisse sine sigillo; nos autem eas contradistinxisse separatim cum filo sericeo rubro, & apposuisse cum cera rubra parvum sigillum nostrorum insignium, quas certificamus esse easdem, quæ nobis consignatæ fuere, & quas nos vidimus extrahi ab urna, quæ continet unice ossa dicti Sancti. Et ut nobis præstetur omnis fides, firmavimus præsentes & ordinavimus secretario nostro, ut eas subscriberet & in cera rubra apponeret parvum insignium nostrorum sigillum. Datum Venetiis in monasterio sancti Georgii majoris hac die* XV. *januarii anni* M. DCC. XXXIII. *L.* ✠ *S. De Copons prior claustralis & vicarius generalis monasterii sancti Michaelis de Cuxano. De Perarnau Secretarius.*

Eadem die Marcus Justinianus episcopus Torcellanus reliquias præfatas recognovit, & publicæ fidelium venerationi exponendi & collocandi in ecclesia sancti Michaelis de Muriano ordinis Camaldulensis facultatem fecit. Quare elaboratum est insigne reliquiarium, in quo ad hodiernam diem servatur, & exponitur quotannis publico fidelium cultui major pars ex iis duabus die XIV. januarii, monasterio sancti Mathiæ de Muriano alia minore portione earum duarum reliquiarum concessa, gratia propagandi majoris cultus, per abbatem sancti Michaelis.

ANN. CHR. 1733.

In grati vero animi testimonium Jacobus Tirinelli abbas sancti Michaelis de Muriano, de consensu capituli monachorum sui monasterii, ex magno reliquiario argenteo figuris deauratis insignito, in quo summa veneratione colebantur & asservabantur sacræ reliquiæ sancti Romualdi abbatis, partem extraxit die XVIII. ejusdem mensis, quæ Metatarsum a peritis adjudicata fuit, & dono dedit eidem priori Johanni de Copons exhibendas præfato abbati Cuxanensi, cum sequentibus literis:

Illustrissime ac Reverendissime Domine Domine. Venetiis ex nostro monasterio sancti Michaelis de Muriano X. *kalendas februarii* M. DCC. XXXII. *more Veneto. Qua jucunditate animi intelleximus Petrum Urseolum unum ex primoribus S. P. N. Romualdi discipulum, in Romana etiam curia sanctitatis titulo insignitum, eadem quoque accepimus particulas ex sacris ejus lipsanis a dominatione tua illustrissima et reverendissima nobis per summam benignitatem missas, et a reverendissimo patre domno Johanne de Copons tuo nomine exhibitas. Pro quo quidem munere Camaldulensis familia, quam eodem insigniter ornasti, quas potest, maximas gratias agit et habet, sempiternam tanti beneficii memoriam caste integreque pollicita. Interim, ut grati animi nostri argumentum aliquod exhiberemus, reverendissimo priori præfato tradidimus dominationi tuæ illustrissimæ ac reverendissimæ deferendum unum ex sacris ossibus S. P. N. Romualdi incolæ quondam hujus monasterii, cui tu tanta cum laude praees, rati non injucundum futurum tibi munus, quod etiam publicæ venerationi expositum adorantes hujus regionis populi fortasse lætabuntur, consequutos esse se, quod eorum majores per impiam pietatem, ut loquitur sanctus Petrus Damiani, olim consequi cogitarunt. Vale domine colendissime, et nos Deo in orationibus tuis commenda.*

Alia sancti Petri Urseoli reliquia oblata fuit ab iisdem monachis serenissimo duci Carolo Ruzino, qui eam dono dedit Carmelitis Excalceatis Venetiarum. Aliam obtulerunt ecclesiæ sancti Georgii-majoris, ubi præfati Cuxanenses monachi stationem habebant. Quare cultus & veneratio erga sanctum principem Urseolum invaluit, ædificatis etiam altaribus in ejus honorem, sed præsertim in nova ecclesia regii hospitalis de Pietate Venetiarum, & in ecclesia PP. Dominicanorum de Pelestrina, præter aras a Camaldulensibus erectas.

Occasione sollemnis deductionis insignium reliquiarium sancti Petri Urseoli Venetias, Guido Grandius abbas Camaldulensis, qui ante biennium ediderat in eadem urbe compendium vitæ hujus Sancti, commissionem acceperat anno antecedenti a Petro Garzonio Veneto patritio historiographo & magni concilii Sapiente edendi fusam vitam sancti Petri Urseoli, quæ Venetis typis dicata Carolo Ruzino Venetiarum duci prodiit initio hujus anni.

Ad humillimas preces R. P. D. Leopoldi Grapalli congregationis Casinensis abbatis et procuratoris generalis officium sancti Petri Urseoli antea Venetiarum ducis, et deinde monachi ordinis S. Benedicti, jam pro tota ditione serenissimæ reipublicæ Venetæ concessum una cum lectionibus secundi nocturni propriis, per emin. et reverend. D. card. Ottobonum diligenter correctis atque relatis, nec non elogio ipsius Sancti in Martyrologio Romano apponendo, in posterum ab omnibus monachis et monialibus sub regula S. Benedicti militantibus die XIV. *januarii sub ritu duplici recitari, et Missam respective celebrari concessit, si Sanctissimo Domino nostro placuerit. Die* V. *decembris* 1733. *Factaque postmodum de prædictis eidem SS. D. N. relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die* XI. *ejusdem mensis et anni* 1733.

1733. *A. F. card. Zondadarius propræfectus.* L. ✠ S. *N.M. Tedeschi archiep. Apamenus S. Rit. Cong. Secr.*

ANN. CHR. 1733.

V. Mors Arnoldi le Maire eremitæ Galli.

MENTIONEM fecimus ad annum 1673. Arnoldi le Maire eremitæ Camaldulensis Galli, ignorantes tunc verum annum ejus mortis; admoniti sumus ipsum obiisse hoc anno die quinta decembris septuagesimo-nono ætatis suæ, quadragesimo autem religionis, in eremo sancti Ægidii de Besse. Solitudinem, & fugam omnem ab hominibus ita adamavit, ut aliquando interrogatus a nepte sua, quæ eum de facie non cognoscebat, quam tamen probe ipse sciebat neptem esse suam, quid foret de Arnoldo le Maire eremita? contentus fuerit respondere, ipsum bene valere, & ea insalutata abire. Jejunia quadragesimalia semper observavit juxta antiquum morem, sumens cibum ad vesperam, ceteris temporibus tribus diebus in hebdomada vescebatur solo pane & aqua, disciplinas ad sanguinem ingeminabat, & circulo ferreo una cum cuspidibus armatis corpus suum cingebat, quod pœnitentiæ instrumentum abscondere non potuit invita sua humilitate; nam duodecimo ante obitum anno iter faciens, & abreptus aquis cujusdam fluminis, ubi vix evasit periculum mortis, ductus fuit in domum quorumdam religiosorum, & coactus, licet reluctans omnino, ad se exuendum vestibus madefactis, sui erubescentia, omnium vero horrore, apparuit ferreus nexus. Tres horas dumtaxat somno indulgebat, quem etiam ut fugeret, tempus insumebat vel in oratione, vel in laboriosis exercitiis. Vir tam sæviens in se ipsum mitissimus & suavissimus erat cum aliis, quos omnibus caritatis officiis prosequebatur. Triginta annorum spatio primas obivit dignitates prioris, visitatoris & Majoris. Pauperes & mendicos ita amabat & fovebat, ut quamvis eremiticæ domus extrema penuria rerum laborarent, partem tamen quotidie cum ipsis divideret. Optimo cum esset ingenio & sensu præditus, admirabili simplicitate ornatus, suavitate morum singularis, solitudine & pœnitentia percelebris ab omnibus diligebatur; hinc & in vita, & post obitum frequentissimi cujuscumque conditionis adfuerunt, tum ad ejus consilia & consolationes percipiendas, tum ad ejus funus honorandum. Apoplectico ictu, cui successit paralysis, correptus, sacramenta maxima devotione & spiritus præsentia percepit, & inter fratrum manus expiravit, rapientibus singulis quidquid ad manus veniebat, quodque ad ipsius usum inserviisset.

VI. Aliorum eremitarum, sed præsertim Petri Giampedi obitus.

DECESSIT etiam undecima decembris frater Gabriel a Pasciano casali urbis Cavæ. Decimum-octavum annum agens nomen dedit in congregationem eorum eremitarum, de quibus diximus ad annum 1686. qui ecclesiæ sanctæ Mariæ Advocatæ inserviebant; supervenientibus ibidem eremitis Camaldulensibus suppliciter expetiit eorum numero accenseri sub titulo Oblati; quare viginti & octo annos penes veteres eremitas, & quinquaginta apud Camaldulenses vixit, moriens nonagesimo-sexto suæ ætatis anno. Simplicitate & innocentia angelica præditus erat, ea autem patientia insignitus, ut nunquam querulum verbum emitteret, rigores vero & austeritates religionis libentissime sustineret. Licet domesticis continuis operibus exercitus semper erat in ecclesia, quantum ea patiebantur, vel potius continue orabat inter ipsa manualia exercitia. Meruit multoties videre puerulum Jesum super corporale, dum inserviebat Missis, duos quoque Angelos conspexit cum duabus coronis die festiva sancti Andreæ apostoli. Ita passionem Dominicam dum meditabatur, Christum aspiciebat vel flagellatum, vel Crucifixum. Sæpius etiam beatissima Virgo se illi conspiciendam præbuit vel in ecclesia, vel in offi-

Ann. Chr. 1733.

cinis, ubi aliqua agebat. Plures a dæmone tentationes passus est, quas omnes invocatione nominis Jesu vicit, & præcipue quando dæmon ei illusurus sub figura ejusdem beatæ Virginis Mariæ apparuit. Moriens remansit in omnibus membris flexibilis, perinde ac viveret.

Illustrior fuit obitus Petri Giampedi ex nobili familia Fabrianensi eremitæ Coronensis. Natus anno 1661. primos annos transegit in aula principis Johannis-baptistæ Burghesii in Urbe; de ipsius innocentia & pietate elogia faciebat princeps Marcus-antonius filius Johannis-baptistæ. Anno 1682. XXI. januarii eremitam induit in Monte-corona, professus est eadem die anni sequentis. Volatus edidit in via perfectionis, Deo unitus per altissimam contemplationem. In ecclesia dies noctesque impendebat, quare anticipabat vigilias noctis, & post matutinam synaxim perseverabat in choro usque ad horam Sacrum faciendi. Humillime de se sentiebat, & cardinali Josepho Vallemannio suo consobrino, qui ipsi exhibuerat episcopatum, respondit per jocum, se faciem non habere neque decorem episcopi; quamcumque sui æstimationem pati non poterat. Cum chirurgi manus deberet ei fieri quædam incisio, Crucifixum dextera tenens, sine motu, voce aut gestu aliquo vulnus sustinuit, inde flens se Dei misericordia dolorem non sensisse testatus est, adeout chirurgus palam dixerit: Vel ferreus homo hic est, vel Sanctus. Polonicas eremos rexit, ut fortius firmaret ibidem eremiticam observantiam, visitator inde & Major, donec, ut dignitatibus locum præcluderet, reclusionem petiit, a qua tamen dimotus est, ut iterum regimini eremorum præficeretur. Anno 1726. enixe petiit, & obtinuit absolutionem a guberniis. Multis noctibus, dum nivibus omnia rigerent, e cella exiliebat, & ad sanguinem se flagellabat ad quadrantem milliarii. Mense februario hujus anni cum in eremo Montis-coronæ degeret languens, translatus est ad valetudinarium, Sacramenta postulavit, quæ ei subministrata fuere, licet indicia nulla essent proximæ mortis. Die sequenti exoravit, ut sibi fas esset celebrare sanctissimum Altaris sacrificium, quod ei denegatum est, & permissum tantummodo, ut Sacrum audiret. Sedens itaque super cubile Missam audivit, & famulus regrediens ad ejus servitium invenit ipsum jam defunctum septuagesimo-secundo ætatis suæ anno. Oblitus fuerat sacerdos ipsius commemorationem facere in Memento Vivorum, quare supplevit in altero Defunctorum; quod certe Divinæ voluntati adtributum fuit. Piissimam memoriam reliquit vitæ & obitus sui apud posteros.

Perfecta hoc anno fuit ædificatio eremi Scardavillanæ in Monte-lipone territorii Meldulensis, sub titulo Sanctissimi Crucifixi, quadrante milliarii dissita ab ecclesia sanctæ Mariæ, quæ fuit prima eremitarum mansio, & assignata est ibidem familia duodecim eremitarum ex iis Camalduli-majoris in Etruria.

In Pedemontio quoque proposita est eremitis Taurinensibus fundatio parthenonis pro incolatu sanctimonialium Camaldulensium, tractatusque eo devenerant, ut non requireretur nisi assensus & approbatio apostolicæ sedis, ut epistola sua notum fecit die XIV. augusti cardinali protectori Zondadario Bonifacius Scotia eorumdem eremitarum Major, quæ tamen fundatio effectu caruit, nec ulla ulterius de ipsa superfuit memoria.

VII. Fundatio eremi Maikensis in Hungaria.

Ad hunc annum quidem referenda est fundatio speciosissimæ eremi Maikensis in Hungaria in comitatu Comaroniensi, dimidio itinere inter civitates Comaronii & Albæ-regalis, cujus sequentia monumenta ad nos

trans-

transmisit clarissimus eremita dicti loci Ladislaus Radossany præcipuus ex benefactorum liberalitate hujus eremi fundator & institutor: „ De initiis, „ inquit idem Ladislaus in epistola humanissima ad nos data, de initiis „ loquuturi Camaldulensis eremi in prædio Maik regni Hungariæ in „ comitatu Comaroniensi fundatæ a Josepho e comitibus Eszterhazy re- „ gnorum Croatiæ & Dalmatiæ prorege, aliqua præmittenda de ipsius „ celeberrimis majoribus. Paulus sub gloriosissimo & sanctissimo rege „ Stephano I. fidem christianam amplexus per sanctum Adalbertum ar- „ chiepiscopum baptizatus est. Emmericus ad Damiatam urbem in Asia „ pro religione dimicans & hostes prosternens, infidelium numero ob- „ rutus cecidit gloriose profuso sanguine. Ludovicus sub Salomone Hun- „ gariæ rege supremus armorum belli dux capto Belgrado post sangui- „ nem effusum occubuit. Michael sub sancto Ladislao rege debellatis „ Cumanis nobilem Virginem a barbaris ereptam ex eorum manibus „ sustulit, & ab evidenti vitæ & pudicitiæ periculo liberavit. Nicolaus „ Josephi avus S.R.I. princeps & regni Hungariæ palatinus, aurei vel- „ leris eques. Pater Josephi Paulus celebratissimus ob magnificentissimas „ erectas arces, ob acquisitionem dominiorum, ob erectionem plurium „ monasteriorum cœnobitarum & monialium, ac novissime ob fundatio- „ nem eremi Camaldulensis in monte suo Lanser prope Sopronium, „ erectis in ea universis necessariis ædificiis, ac ecclesia in honorem san- „ cti Michaelis archangeli munifice extructa. Cujus immortalis meriti, „ pietatis & beneficentiæ ex asse hæres Josephus Eszterhazius regnorum „ Chroatiæ & Dalmatiæ pro-rex, ne tantis dignitatibus ac stipendiis in- „ gratus in Altissimum largitorem censeretur, novam eremum Camal- „ dulensem promptissimo animo fundare constituit, in hæreditario suo „ dominio Gesztessiensi. Quem in finem me Ladislaum Radossanyum, alias „ per Hungariam & Austriam ordinis Camaldulensis vicarium generalem, „ Vindobona ad se evocavit, prædiumque suum Maik nuncupatum an- „ no 1733. die XXVII. junii universis cum pertinentiis, Deo altissimo, „ mihi, & ordini Camaldulensi libentissime obtulit, ac desertum avitum „ templum præposituræ de sectis lapidibus intus & foris erectum, quod „ alias ante plura secula ordinis Præmonstratensium fuisse vulgabatur, „ identidem litavit, ac coram Locum-tenente regio, tunc Francisco Lo- „ tharingo, postmodum augustissimo imperatore, vigesima-octava julii „ ejusdem anni donationem suam protulit ex arce sua Tata, approba- „ tam in Posoniense civitate die XVIII. aprilis anni sequentis; eadem „ die XXVIII. julii patentes literas dedit idem comes Eszterhazius de „ præfata donatione ad bonorum suorum curatores. “

Ann. Chr. 1733.

En insignis beneficii monumentum. *Comes Josephus Eszterhazy de Galantha perpetuus in Frakno arcium & dominiorum Sempthe, Papa, Tata, Gestes, Devecser & Ugod hæreditarius dominus, regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque banus, sacratissimi principis ac domini domini Caroli sexti Dei gratia electi Romanorum imperatoris semper augusti, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæque &c. regis, archiducis Austriæ, ducis Burgundiæ &c. actualis intimus consiliarius, camerarius, generalis vigiliarum præfectus, colonellus, comitatus Comaroniensis supremus comes, & confiniorum Collassianorum Vunanorumque supremus capitaneus ad perpetuam rei memoriam tenore præsentium significamus, quibus expedit, universis. Pio ac deliberato recolentes animo, quam pium, laudabile, Deoque ter O. M. acceptissimum sit ac salutare, dum de bonis temporalibus suprema bonitate nobis dispensatis quidpiam in thesaurum immarcessibilem*

ANN. CHR. 1733.

bilem & spem æternæ retributionis transfertur, quod vix unquam magis meritorie & salubrius efficitur, quam cum claustra ac asceteria, in quibus religiosæ personæ abdicatis seculi deliciis, pia sanctorum patrum imitantes exempla, in assiduis orationibus jejuniisque, ac aliis Christianæ pietatis operibus divinam misericordiam pro nobis possint ferventius exorare, fundantur ac eriguntur. Hinc ad sacrum ordinem eremitarum Camaldulensium de Monte-corona] nuncupatorum, arctiori utpote vivendi genere divino servitio mancipatorum singularem gerendo amorem & affectum, assumptis in nos universorum quorumcumque hæredum ac successorum nostrorum oneribus, totale ac integrum prædium nostrum vulgo Maik nuncupatum, inque inclito comitatu Comaroniensi situatum, ac ad dominium nostrum Gesztes spectans], alias in diœcesi Jaurinensi existens & habitum, cum universis agris, silvis, pratis, pascuis, ac piscinis, aliisque nuncupati prædii quocumque nomine vocatis appertinentiis, simul ac terris in contiguitate antelatarum piscinarum extructis molendinis, una cum pervetusto, quod aliunde religiosi cujuspiam ordinis antiquius fuisse manifeste dignoscitur, de quadratis in & extra lapidibus quondam magnifice extructo, injuria nihilominus temporum, proh dolor! pene desolato templo, primo & ante omnia ad debitam erga divinam clementiam pro multimodis nobis desuper concessis beneficiis contestandam gratitudinem, proque incremento solius divinæ gloriæ, ac spirituali animæ nostræ solatio, R. P. Ladislao Rodossany actuali quippe Germano-Hungaricæ nationis vicario generali, ac per ipsum suo sacro ordini eremitarum Camaldulensium, in salutem ac refrigerium animarum nostrarum, parentum item & cognatorum, antenatorumque nostrorum tam vivorum], quam defunctorum, sponte ac libere, eaque juris perpetuitate, qua videlicet nos ac antecessores nostri ab antiquo possederunt, vel possidere potuerunt, pro erigenda nova Camaldulensi eremo, honori gloriosi Christi martyris divi Johannis Nepomuceni dicanda, institutique sui conformia domicilia extruendo, titulo fundationis conferimus, donamus atque imperpetuamus, ita quidem, ut quidquid juris, dominii ac libertatis in præmemorato prædio Maik suisque appertinentiis præattactis ad nos spectare dignoscitur, aut in futurum quoquomodo spectare dignosceretur, id totum præsentium per vigorem in præfatum R. P. Ladislaum Radossany vicarium generalem totumque suum sacrum ordinem jam plene perpetuoque sub suis veris & antiquis limitibus, nullam juris, dominiique proprietatem nobis, successoribusque nostris reservando, translatum esse declaramus. Et ut de præsentis voluntariæ donationis nostræ indubia effectuatione eo certior reddatur sacer ordo Camaldulensium, non solum ad implementum hujusce fassionis nostræ suis punctis & clausulis modo circumscriptæ nos successoresque nostros virtute præsentium obstrictos declaramus, quin & pro majori stabilimento & perpetua firmitate rei recepta alioquin patrii juris nostri Hungarici sollemnitate, in loco quoppiam authentico vivæ vocis nostræ oraculo præmissa universa ratificabimus. Pro qua munificentia, beneficio, affectu & christiano zelo nostro idem quoque R. P. Ladislaus Radossany, alias ordinis prænuncupati per Germaniam & Hungariam vicarius generalis, a supremo tribunali Italico hac in parte sufficienter auctorizatus, se successoresque suos fide religiosa obstrictum, obstrictosque declaravit, præter diurna videlicet æque ac nocturna precum suarum suffragia, ad infrascripta sacrosancta Missæ sacrificia perpetuis temporibus indubie celebranda; & quidem pro avo nostro comite quondam Nicolao Eszterhazy regni Hungariæ palatino sacra duodecim; pro avia nostra comitissa Christina Nyary sacra itidem duodecim,

pro

pro genitore nostro comite Paulo Francisco Eszterbazy duodecim; pro genitrice nostra comitissa Catharina Toboly duodecim; pro fratre nostro germano comite Antonio quondam Eszterbazy duodecim ; pro sorore pariter germana nostra comitissa Rosalia Eszterbazy comitis quondam Francisci de Batthyan consorte duodecim; pro vivis de familia nostra Eszterbazyana universis duodecim, non secus ac pro defunctis modo dictæ familiæ nostræ duodecim singulis mensibus absolvenda . Pro defunctis item familiæ S. R. I. comitum ab Egks & Hungerspach annue sacra octo. Ad intentionem porro nostram & consortis nostræ carissimæ Mariæ Franciscæ S.R.I. comitissæ ab Egks & Hungerspach hebdomadatim sacrum unum. Fatis vero cedentibus nobis præfata sacra annua quinquaginta-duo constituentia pro refrigerio animarum nostrarum celebraturi. Anniversaria quoque quotannis divisim cum totidem Missæ sacrificiis, quotquot pro tempore in toties fata eremo Maikensi reperientur presbyteri, adjunctis officiis Defunctorum , psalteriis Davidicis aliisque præscriptis precibus , eo quo supra conscientiæ obligamine se successoresque suos absoluturum absoluturosve obstrinxit. Insuper ad præmissa universa jus regium sive consensum, sacræ item congregationis Romanæ approbationem , non secus & episcopi diœcesani , ac reverendissimi ordinis sui generalis totiusque supremi tribunalis Italici proxime celebrandi capituli generalis confirmationem semet toties mentionatus R. P. Ladislaus Radossany exoperaturum obtulit, successoresque suos eatenus obligavit. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam præsentes literas nostras fundationales, donationales propriæ manus nostræ subscriptione , & usualis authentici sigilli nostri appensione roboratas extradandas & concedendas esse duximus. Datum in arce nostra Tata die XXVIII. *mensis julii anno Dñi* M. DCC. XXXIII. *Comes Josephus Eszterbazy . L. ✠ S. Franciscus Balogh manu propria.*

Sacræ , Cesareæ regiæque catholicæ majestatis per regnum Hungariæ Locumtenens Nos Franciscus Dei gratia dux Lotharingiæ, rex Hierosolymæ, marchisius, dux Calabriæ, Barri, Gheldriæ, Montis-ferrati, in Silesia Teschenæ &c. *princeps Carolopolis , marchio Mussipontis & Nomenei* &c. *comes Provinciæ, Valdemontis , Albimontis, Zutphaniæ , Sarvverdenæ, Salmæ, & Falkensteni* &c. *Damus pro memoria, tenore præsentium significantes , quibus expedit universis. Quod spectabilis & magnificus comes Josephus Eszterbazy Tit. , ut supra , anno et die locoque datarum præsentium coram nobis personaliter constitutus certam quamdam Latino idiomate in stylum redactam , ac pro sacri ordinis eremitarum Camaldulensium de Monte-corona nuncupatorum celebratam , eidemque denuo relectam , ac in omnibus punctis, clausulis, paragraphis et particulis per memoratum comitem fatentem confirmatam et ratificatam exbibuerit et præsentaverit perennalem fassionem hujusmodi tenorem in se complectentem : Comes Josephus Eszterbazy* &c. ut supra de verbo ad verbum. *Unde nos præsentes literas testimoniales super præinserta perennali fassione per titulatum comitem fatentem facta , ac per eumdem prævio modo confirmata et ratificata præmemorato sacro ordini eremitarum Camaldulensium Montiscoronæ nuncupatorum jurium eorumdem futura, uberiorique pro cautela necessarias sub sigillo nostro secreto authentico extradandas esse duximus et concedendas, communi suadente justitia. Datum in libera regiaque civitate Posoniensi die* XVIII. *mensis aprilis anno Dñi* M. DCC. XXXIV.

Franciscus. L. ✠ S.

Supradicta die XXVIII. julii patentes literas præfatus comes Josephus dedit de superiori donatione bonorum suorum curatoribus & provisoribus,

ANN. CHR. 1733.

bus, quæ sunt hujusmodi. *Nos comes Josephus Eszeterhasy de Galantha* &c. *damus pro memoria* &c. *quod veluti prædium nostrum Maik in dominio nostro Gesztesiensi situatum, vigore fassionis nostræ die hodierna emanatæ cultus Divini fine sacro ordini Camaldulensium contulerimus, donaverimusque, ita illius incremento ulterius quoque promptissime intenti indulgemus omnino, ut idem sacer ordo cellarum suarum postibus & fenestralibus, ecclesiæ item, et in eadem erigendorum altarium instaurationi e marmore in dominiis nostris Tata et Gesztes reperibili, ipsius vero monasterii ædificio de lapide ordinario quocumque loco infra ambitum bonorum nostrorum eidem sacro ordini visum fuerit, sufficientem ac requisitam quantitatem frangi, quin fundamenta quoque in possessione Kornye reperibilia effodi curare, ruinatæ itidem arcis nostræ Oroszfanyensis lapides et rudera in suam necessitatem convertere, ac insuper lapides quoque jam efabricatos, qui in arce nostra Gesztes penes portam aliquanto remotius ambitus forma existente ædificio reperiuntur, libere sibi accipere et abducere non absimiliter pro calce lapides ædificio suo sufficientes, ac lignis nostris exurendos frangi curari possit. In silvis nostris, si quæ ad ædificium apta et utilia ligna inveniuntur, talia etiam gratuito eidem sacro ordini dari jubemus. Interea autem in præscripto prædio Maik existentes ternas piscinas decursu trium annorum, singulo quippe anno unam piscinam piscium minutiis providebimus, Eo tamen circa præmissa a nobis concessa beneficia declarato, ut ligna, lapides et calcem propriis omnino sumptibus prædictus sacer ordo secari, frangi, exuri fieri, et convehi curare teneatur. Quæ omnia, quod absque ullo defectu administrari faciamus, ac ea sacro ordini indulgeamus, præsentibus reversalibus nostris eumdem assecuramus, eoque nos obligamus, immo idipsum nunc pro tunc, et tunc pro nunc universis officialibus nostris serio committimus, quatenus non modo hæc omnia admittant, minus sacrum ordinem in libero eorum usu turbent, quin potius omnem possibilem assistentiam eidem præbeant. In quorum fidem, majoremque firmitatem præsentes obligatoriales et reversales literas nostras dedimus, usuali sigillo nostro et propriæ manus nostræ subscriptione roboratas. In arce Tata die* XXVIII. *mensis julii anno Dñi* M. DCC. XXXIII.

Comes Josephus Eszterhazy manu propria. *L. † S.*

„ In capitulo generali eremitarum Camaldulensium Montis-coronæ fundatio beneficentissimi comitis acceptata est, scriptis literis per Bartholomæum scribam, quibus aguntur gratiæ. Sacra congregatio eminentissimorum & reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præposita, referente eminentissimo domino cardinale Petra ponente, attenta relatione episcopi Jaurinensis, in cujus diœcesi fundanda erat eremus, eidem benigne commisit, ut veris existentibus narratis, & constito sibi de consensu parochi & aliorum regularium interesse habentium, ac fabricam dictæ eremi cum ecclesia, campanili, choro, sacristia, refectorio, dormitorio, hortis & spatiis numeris omnibus esse absolutam, & suppellectili tam sacra, quam profana sufficienter instructam, eique annuum perpetuum redditum pro alendis saltem duodecim religiosis vere & cum effectu fuisse assignatum, ad erectionem & fundationem formalis eremi cum clausura, ac religiosorum introductionem servatis servandis deveniat, omni prorsus quæstuatione futuris temporibus ipsis penitus interdicta. Ita tamen, ut in reliquis omnia, quæ per sacros canones, sacrum concilium Tridentinum, constitutiones apostolicas & ordinis circa hujusmodi novarum domorum regularium erectiones præscripta sunt,

„ ad

"ad amussim serventur. Romæ xx. aprilis 1736. cardinale Francisco
" Barberino publicum scriptum obsignante. Interim ipse comes fundator
" Josephus, optimus etiam architectus ordinavit delineationem eremi,
" accedente consensu & auctoritate superiorum ordinis. Inclytus
" comitatus Comaroniensis Cæsaream majestatem sub vice-comite Michaele
" Nedeczky interpellavit pro hujusmodi erectione, & pro imperiali
" beneplacito; præhabito quoque consensu diœcesani Jaurinensis episcopi
" Adolphi a Sancto-Georgio ex congregatione clericorum Scholarum
" Piarum, Carolus VI. die XXXI. maji anni 1738. donatis florenis mille
" ducentis in antecessum, erectionem Maikensis eremi confirmavit suo
" imperiali rescripto. Josephus alter filius Josephi comitis Eszterhasius,
" impedito patre negotiis publicis in Chroatia, primum lapidem triangularem
" primæ cellæ cum sollemnitate imposuit; secundæ celsissimus
" & reverendissimus S.R.I. princeps ac regni Hungariæ primas Emmericus
" Eszterhasius de Galantha; tertiam & quartam cellam ipse fundator
" in memoriam duarum conjugum suarum erigi ordinavit, quintam
" Franciscus e comitibus Eszterhasiis donans mille Florenos Rhenenses;
" sextam comes Emmericus ex iisdem comitibus. Accessere pro
" ædificatione trium cellarum Lengyeltoti dominus perpetuus Ludovicus
" Lengyel, Josephus Hartuig pro alia cella, Johannes Baranyay
" generalis equitatus, Sigismundus de comitibus Bereny, comitissa Anna
" Erdodi, Ladislaus Szoreny episcopus Sirmiensis, baro Johannes-nepomucenus
" de Nuyady, comes Franciscus de Gyulay, comes Josephus
" Cziralvi de Dienesfalva, qui certatim exædificari fecerunt cellas
" suas. Pro erigenda ecclesia pius fundator legavit, præter materialia,
" decem mille florenos Rhenenses, addendo aliud legatum florenorum
" 1400. pro Sacris votivis. Accessit liberalis testamentaria pagina
" duorum pagorum cum omnibus subditis prope locum Balaton sitorum
" cum beneficio liberæ piscationis, conscripta a domino Adamo
" Ziczy ad septemdecim annos. Auxit eremum protectione sua regia
" Cæsarea majestas sacra Theresiæ Hungariæ reginæ attributis duobus
" millibus florenis. Ecclesia & eremus dicata fuit sancto Johanni Nepomuceno.
" Exurgebat olim ibidem insignis basilica & præpositura ordinis
" Præmonstratensium ex veteri instrumento anni 1281. *Johannis
" præpositi Præmonstratensium de Maik*, cum sigillo pendulo repræsentante
" effigiem beatæ Mariæ virginis stantis, & Jesum inter brachia
" tenentis, cum verbis: *Sigillum capituli de Maik*." De ipsa eremo
aliqua addemus ad annum 1747. emortualem piissimi fundatoris comitis
Josephi, ex relatione præfati patris Ladislai.

ANN. CHR. 1733.

IN capitulo generali Faventiæ mense majo celebrato electus fuit in abbatem generalem Zenobius Valmori Florentinus ex provincia Etruriæ, Parisius Giorgini Meldulensis ex illa Æmiliæ, & Robertus Palladinus Veronensis ex provincia Piceni in visitatores. Inter cetera capituli decreta, statuta est mutatio pilei ex albo in nigrum, ad instar congregationis Montis-oliveti, quæ ante aliquot annos eamdem mutationem invexerat, stabilitumque fuit, ut uniformiter ad diem primam julii monachi omnes deinceps assumerent, & uterentur pileo nigro. Verum, quoniam controversia a nonnullis præsulibus excitata est, an capitulum generale facultatem haberet inducendi mutationem in vestibus, res longius dilata est, & anno dumtaxat 1740. communiter recepta fuit apud omnes hujusmodi mutatio. Prodiit itaque Pisis anno sequenti disceptatio

ANN. CHR. 1734. VIII. De mutatione coloris pilei apud Camaldulenses monachos.

ANN. CHR. 1734.

tio appellata *Neo-pilea* in defensionem hujus decreti edita a Guidone Grandio, qui congestis pluribus antiquitatis monumentis ad oculum demonstravit pileum non esse substantialem vestem monasticam, sed ornamentum vel tegumentum capitis, qui proinde pro libitu ab habentibus debitam auctoritatem mutari possit. Contra hanc disceptationem aliam adversam protulit Casimirus Galaminus, quare multum agitata fuit causa tum apud cardinalem protectorem, tum apud sacram congregationem, donec communi consensu, nulloque reclamante usus pilei nigri invaluit, ex decreto ejusdem sacræ congregationis sub die VI. februarii anni 1740. Ceterum Grandius, qui a literatis viris, & a pluribus præsulibus exoptabatur insigniri dignitate generalitia, per breve apostolicum declaratus fuit Ex-generalis, perinde ac supremum consequutus fuisset munus.

Sacra Rituum congregatio, quæ approbaverat lectiones proprias sancti Petri Urseoli pro secundo nocturno, easque extenderat ad omnes monachos ordinis sancti Benedicti anno præcedenti, hoc anno approbavit pariter orationem propriam ejusdem Sancti. Eidem sacræ congregationi porrectus fuit etiam supplex libellus contra abbatem monasterii sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia, eo quod in ecclesia sui monasterii sanctum Petrum Urseolum albis vestibus exprimi fecisset. Fingitur exhibitus libellus ab eodem Sancto conquerente apud patres purpuratos colorem habitus sui absque debita facultate impudenter commutatum. Interpellatus fuit Grandius, ut responderet, qui erudite & nervose retulit hujusmodi supplicem libellum remittendum esse ad sanctum parentem Benedictum, qui capite LV. suæ regulæ agens de vestimentis monachorum imperat, ut de vestium colore non causentur monachi, ostenditque promiscuum semper fuisse in toto Benedictino orbe colorem, pluresque existere in monasteriis Camaldulensibus antiquas picturas sancti Petri Urseoli induti vestibus albis, præter rationem, quam habent Camaldulenses ipsum sic induendi, eo quod fuerit discipulus sancti Romualdi, qui aliquando alumnos suos instituit, ut vestes albas adhiberent, neque in hac albarum vestium usurpatione aliquid opponi vel contra fieri lectionibus novis ab eadem congregatione concessis, in quibus nihil agitur de colore vestis monasticæ ejusdem sancti Petri Urseoli.

IX. Historica aliqua simul collecta.

COMMISSARIUS imperialis urbis Mantuæ volebat, ut monachi Camaldulenses sancti Marci derelicto suo cœnobio se reciperent in domum quamdam privatam, ad hoc ut in ipsorum monasterium recluderet moniales sancti Georgii, quæ ex burgo translatæ fuerant ad aliud urbanum sacrarum virginum asceterium, appellatum *la Cantelma*; sed cum hoc postremum sufficiens non foret ad utrasque recipiendas, cogitabat eas reducere ad divi Marci. Sanctimoniales Cantelmæ variis officiis operam dedere, ut monasterio suo adjungerentur domus proximæ secularium, adhoc ut habitatio ipsarum extenderetur, capaxque evaderet receptioni aliarum monialium; ita pariter monachi exorarunt, ne loco dimoverentur, ut etiam tempore præterito curaverant, ne ipsorum monasterium evaderet hospitale militum infirmorum; atque proinde quieti intra habitationem suam substiterunt.

Clemens XII. bulla data XXV. maji hujus anni apud sanctam Mariam-majorem, ut consuleret indigentiis hospitalis Bonifacii in via sancti Galli Florentiæ, suppressit quatuor monasteria monialium, sancti Miniatis, dictum *il Ceppo* congregationis Montis-oliveti, S. Angeli-raphaelis ordinis sancti Francisci, sancti Lucæ ordinis sancti Augustini, & Paradisi ordinis sanctæ Birgittæ, quorum monasteriorum plures superstites monia-

les

les transierunt ad illustrius asceterium sanctæ Agathæ de Florentia.

Inscriptiones appositæ hoc anno a S. R. E. cardinale Quirino in capella ad altare majus sancti Gregorii ecclesiæ monachorum Camaldulensium de Urbe.

Sancto Andreæ apostolo, quod sollemni ejus die tricesima novembris anni M. DCC. XXIII. *in basilica sancti Marci episcopalem unctionem receperit Angelus-maria cardinalis Quirinus, antistes primum Corcyrensis, deinde Brixiensis, venerationis argumentum tantis auspiciis debitum exhibiturus, princeps hoc sacellum templi eidem dicati ara, imagine, pavimento, aliisque ornamentis instruxit, anno* M. DCC. XXXIV. Itidem: *S. Gregorio Magno, quem hujus Templi ædes patronum alterum, antea conditorem, monachum & abbatem venerantur, æque ac Andreæ apostolo devoti cultus obsequium præstaturus Angelus-maria tituli sancti Marci cardinalis Quirinus S. R. E. bibliothecarius, sacellum hoc ornavit, quo grati pariter animi erga ædium incolas Camaldulenses monachos ob Vangadiciæ abbatiam, quam in eo ordine obtinet, statueret monumentum anno* M. DCC. XXXIX. Retro vero ipsum altare: *D. O. M. Aram marmore insignem, atque ære eminentissimi S. R. E. cardinalis Angeli-maria Quirini liberalitatis amorisque erga monachos Camaldulenses perpetuum monumentum in honorem SS. Andreæ & Gregorii sacris ritibus dedicavit D. Paulus Antonius Mastrius abbas.* VI. *nonas maji anno Dñi* M. DCC. XXXIV. Retro altare SS. Sacramenti anno præterito: *In honorem S. Pantaleonis martyris D.P.A. Mastrius abbas Camaldulensis die* XXX. *augusti* M. DCC. XXXIII. *consecravit.*

Præfatus Clemens papa XII. die x. junii centum annos indulgentiæ impartitus est fidelibus visitantibus cellam sancti Romualdi in eremo Camaldulensi, quam anno præterito ædificaverant de novo eremitæ, seu temporum injuria attritam restauraverant, addito altari, in quo exhibebatur miraculum fagi aliorsum divina virtute projectæ. Præterea pro advenarum commoditate, & ad eorum explendam devotionem, cum antea ea cella ab eremita habitaretur, decreverant, ut deinceps a nullo incoleretur, sed inserviret pro sanctuario ab advenis visitando. Eodem anno dum capitulum culparum reficiebatur, inventa fuit capsa, ubi requiescebant ossa Aloysii Massei celeberrimi & pœnitentis eremitæ. Ipso præsenti & sequenti anno sarta tecta tum ecclesia, tum aliæ ædes sacræ, tum imagines, quæ nonnihil damni passæ fuerant ex aquarum stillicidis.

Idem Romanus pontifex facultatem fecit pronepti suæ Virginiæ marchionissæ Corsini-Nicolini ingrediendi & visitandi sacram eremum Camaldulensem, monasterium Vallis-umbrosæ & montem Alverniæ. Id præsentientes eremitæ Camaldulenses marchionissam commonefactam voluere, anno 1541. Eleonoram de Toleto magnam Etruriæ ducissam se abstinuisse ab hujusmodi visitatione, & in monasterio Camalduli substitisse tempore, quo Cosmus I. magnus dux eremum invisit; anno similiter 1598. Christinam Lotharingam alteram magnam Etruriæ ducissam, Mariam Mediceam, & Flaviam Peretti usas non fuisse brevi Clementis VIII. qui similem copiam ipsis fecerat. Visum est marchionissæ uti potius, quam nuncium mittere apostolico indulto, & eremitæ deductam ipsam a viro suo marchione Josepho summo honore excepere. Post septennium, anno nimirum 1741. cardinalis Nerius-maria Corsini eamdem eremum devotionis gratia visitavit, cellamque condidit sub invocatione sancti Andreæ Corsini.

Ope imaginis sanctissimæ Virginis Mariæ, quæ colebatur in ecclesia

Ann. Chr. 1734.

eremi Belli-montis in Pedemontio, obtenta fuit tanta imbrium inundatio in universali provinciæ illius siccitate, ut segetes suffecerint non dumtaxat indigenis loci, sed distributæ fuerint etiam inter regiones proximas, quæ justo Dei judicio flagello ariditatis & caritatis premebantur.

Ann. Chr. 1735.

X. Principis Ragokzy cor conditum in eremo Gallicana.

DEFUNCTUS est hoc anno Franciscus Leopoldus princeps Ragokzy qui accusatus apud imperatorem Leopoldum tamquam turbas contra ipsum cieret in Hungaria, circa annum 1701. fuga se subtraxerat ab eo regno; declaratus fuerat inde anno 1704. & iterum anno 1707. princeps Transylvaniæ, demum anno 1713. sub nomine comitis de Saaros se receperat in Gallias, ubi etiam eodem anno secesserat in solitudinem Camaldulensem de Gros-bois prope Parisios, in qua vitam exemplarem ducens, & solitariæ vitæ indulgens, pœnitentiis vacans actibusque humilitatis, mansit usque ad annum 1717. Quo anno Massiliæ navem conscendens, Adrianopolim se recepit, summa æstimatione receptus ab Ottomanica potentia, & amorem sibi concilians omnium, quibus perspectæ erant raræ ipsius qualitates. Vixit inde solitarius apud Rodostium locum situm super ripam maris Marmoræ inter duo castra, vulgo *Dardanelli*, & Constantinopolim, ubi & decessit die octava aprilis quinquagesimo-nono suæ ætatis anno. Editum fuit sub ejus nomine: *Testamentum politicum & morale principis Ragokzy*; sed a nonnullis dubitatur, an fuerit ejus fœtus. Certiora sunt opera, quæ Rodostii composuit, nimirum *Meditationes in sacram Scripturam*, & *Confessiones*, quas ad eremitas Parisienses transmisit post ejus obitum consignandas una cum corde balsamo condito apud ipsos humando. Epistola, quam idem princeps scripsit cum corde transmittendam, redundat sensibus plane christiani & piissimi hominis, & se subscribit: *Cinis & pulvis, appellatus olim Franciscus princeps*. Post biennium erectum fuit illi sequens monumentum: *In hujus cœnobii cœmeterio jacet cor serenissimi Francisci Dei gratia sacri Romani imperii & Transylvaniæ principis Rakoczy partium regni Hungariæ domini, Siculorum comitis* &c. *qui miro divinæ providentiæ ordine per varia vitæ discrimina ductus, in Domino requievit Rodostii ad Propontidem anno salutis mundi* 1735. *die* VIII. *aprilis, ætatis suæ* 59. *Pro grati animi monumento ipsi, dum viveret, nolenti serenissimo, repugnantique præ modestia principi, post mortem R. P. Macarius Pene Camaldulensium Major eremique hujus prior hunc posuit lapidem anno Dñi millesimo-septingentesimo trigesimo-septimo.*

In professione Mariæ-isabellæ Constantiæ Zinnani nobilissimæ virginis Ravennatis editum fuit in urbe Bononiæ poema, cui titulus *Le Vocazioni* distributum in libros tres, quorum primi auctor est Florianus-maria Amigonius, secundi Ruggerius Calbi medicus & poeta Ravennas, tertii Camillus Brunori, quibus addidit prologum Bonifacius Collina monachus Camaldulensis.

XI. De altari privilegiato S. Romualdi.

DECRETUM ordinis Camaldulensium. *Cum sub die* IX. *Februarii* 1729. *san. mem. Benedictus XIII. benigne concesserit Privilegium quotidianum perpetuum Altari Sancti Romualdi in omnibus, & singulis Ecclesiis Monachorum, Eremitarum, & Monialium Ordinis Camaldulensium; Cumque deinde dubitatum fuerit, an præfatum Indultum intelligendum tantum sit pro Altaribus tunc erectis, vel etiam pro Altaribus in posterum erigendis; Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis proposita, instante pro resolutione prædicti dubii R. P. D. Petro de Zagbis Procuratore Generali ejusdem Ordinis, sub die prima octobris* 1735. *censuit*,

fuit, prædictum Indultum comprehendere tam Altaria, quæ tunc reperiebantur erecta, quam inposterum erigenda.

ANN. CHR. 1735.

Et facta de præmissis Sanctissimo Domino relatione per me infrascriptum Secretarium sub die quinta ejusdem mensis octobris, Sanctitas Sua benigne approbavit. L. Episcopus Albanensis Card. Picus Præf. Loco ✠ Sigilli. Jo: Archiepiscopus Tyri Secr.

ANN. CHR. 1736.

XII. De Augustino Morellio eremita M. C. deque aliis scriptoribus Camaldulensibus.

AUGUSTINUS Morellius eremita Camaldulensis Montis-coronæ in regno Neapolitano sequens opus hoc anno edidit: *Salomonius ecclesiastes ad mentem orthodoxorum sanctorumque patrum a P. Augustino Morelli ordinis Camaldulensium paraphrasi explicitus, & clementissimo Carolo regi utriusque Siliciæ, Hierusalem &c. Infanti Hispaniarum, duci Parmæ, Placentiæ, Castri &c. ac magno principi hæreditario Etruriæ dicatus*; Neapoli M.DCC.XXXVI. ex asceterio SS. Salvatoris ad Prospectum Neapolis. Ejusdem auctoris fœtus sunt: *Commentarii literales & morales ad Proverbia Salomonis, nuncupati D. Trojano Caracciolo ecclesiæ Nolanæ episcopo*; Neapoli M.DCC.XLIII. Protulerat anno 1724. historiam concilii Tridentini, excerptam ex illa cardinalis Sfortiæ Pallavicini S. J. & in septem libros tributam, in quibus confutantur impiæ novitates hostium ecclesiæ Romanæ, & in postremo libro etiam historia falsa ejusdem argumenti vulgata sub fictitio nomine Petri Suavis; hanc historiam dicavit Morellius Michaeli Friderico Althan S. R. E. cardinali episcopo Vacciensi, actuali pro-regi & præfecto generali regni Neapolis; ibidem 1724. Lucem nondum vidit, quod sciamus, *Canticum canticorum Salomonis, seu de Mariæ Deiparæ laudibus*, quod illustravit idem auctor, cujus patria Aversa, ex qua etiam fuit Johannes-baptista alter eremita Monte-coronensis, qui opus sacrum protulit, cui titulus: *S. Romualdo gran padre degli eremi*, una cum brevi compendio vitæ sancti Romualdi Neapoli impresso, & denuo edito a Michaele-aloysio Muzio ejusdem urbis, inscripto ducissæ Mariliani Isabellæ Mastrilli. Florebat etiam inter Neapolitanos eremitas hoc tempore Hieronymus ab Atri, cujus sunt allegationes in jure doctissimæ ad favorem eremitarum, quæ lucem viderunt, & primariorum Neapolis causidicorum laudes retulerunt.

Obiit hoc anno XXVII. novembris alter eremita ex Pedemontanis Victorius Testa a Diano non longe ab Alba Taurinorum. Reliquit compendium vitæ venerabilis fundatoris Alexandri Cevæ, quod promptum habebat, ut typis traderetur, ac dicaverat Carolo-emmanueli III. regnanti Sardiniæ regi, principi tunc Pedemontii; ipsum inseruit una cum alio compendio Valeriani Castillionii abbatis Casinensis, suæ fusissimæ collectioni documentorum & memoriarum ejusdem fundatoris D. Apollinaris Chiomba benemeritus Taurinensis congregationis eremita. Præter doctrinam, etiam Medicam, in qua secularis se exercuerat Victorius, laudanda est in eo singularis pietas, in qua & vivens, & moriens excelluit, ob quam meruit & regimina eremorum, & munus visitatoris generalis.

In urbe Tarvisina ad usum monialium Camaldulensium, illarum præsertim sancti Parisii ejusdem urbis, editæ fuere præsenti anno: *Dichiarazioni e Costituzioni de PP. dell' ordine Camaldolese sopra la regola del P. S. Benedetto, tradotte dal Latino in Italiano*. Hæ tamen Italicæ constitutiones insciis majoribus in lucem prolatæ omnimodam approbationem non meruerunt. Bononiæ vero lucem vidit: *Regola del Monastero di S. Cristina di Bologna, accommodata da Giangirolamo Gazoni*

ANN. CHR. 1736.

zoni Barnabita. Venetiis demum productæ fuere vita S. Gherardeschæ Pisanæ viduæ tertiariæ Camaldulensis; & altera B. Mariæ de Chinsica Pisanæ eremitæ sancti Pauli de Pugnano.

XIII. Inscriptiones ad eremum & ecclesiam Gamugnensem.

Cl. V. ANTONIUS-MARIA Biscionius canonicus sancti Laurentii, & præfectus bibliothecæ Mediceo-Laurentianæ hujusmodi inscriptiones confecit, ad renovandam memoriam ecclesiæ & eremi Gamugnensis in diœcesi Faventina: *Ecclesiam hanc Deo, divoque Barnabæ apostolo dicatam, ac apud monasterium eremitarum sancti Benedicti ædificatam, in quo divus Petrus Damiani diu degit, temporis vetustate partim collapsam, partimque ruinam minitantem, Florentinæ basilicæ sancti Laurentii prior & canonici a solo reficiendam curarunt anno Dñi* M. DCC. XXXVI. Cum autem in veteri ecclesia repertæ fuissent aliquot sacræ reliquiæ, eæ repositæ fuere sub mensa novi altaris cum sequenti epigraphe: *Quum anno Dñi* M. DCC. XXXVI. *instaurationis gratia hujusce fere collapsi templi altare vetus destrueretur, ac sub ejus mensa quædam Sanctorum reliquiæ in capsula lignea in lapidis cavitate reposita repertæ fuerint una cum membranacea schedula, in qua legebatur:* In honorem SS. Benedicti, Martini ac Nicolai; *ne antiquissima memoria penitus deperiret, prior & canonici Florentinæ basilicæ S. Laurentii easdem reliquias fideliter servatas in eadem capsula & lapide sub novæ aræ mensa eodemque anno iterum reponendas mandarunt*. Decimo-sexto seculo ecclesiæ collegiatæ sancti Laurentii de Florentia unitum fuerat monasterium Gamugnense.

XIV. Officium Patrocinii Sancti Joseph concessum Camaldul.

DECRETUM ordinis Camaldulensis: *Cum ex parte P. Abbatis D. Petri-francisci Zaghis procuratoris generalis ordinis Camaldulensium pro extensione officii proprii & Missæ Patrocinii S. Joseph ad universum suum ordinem sacræ Rituum congregationi humillime supplicatum fuerit, sacra eadem congregatio gratiam in similibus factam extendendo benigne indulsit, ut imposterum ab omnibus monachis & monialibus totius præfati ordinis singulis annis in una die post tertiam Dominicam Paschatis Resurrectionis Domini, ab ipso P. Abbate designanda, excepto tamen die Dominico, petitum officium recitari & Missa respective celebrari possit & valeat. Die* XI. *augusti* 1736. *A. F. card. Zondodarius pro-præf.* L. ✠ Sigil. *T. Patriar. Hierosolymit. S. R. C. secret.* Pro recitatione præfati Officii & celebratione Missæ Patrocinii S. Joseph a sacra Rituum congregatione monachis & monialibus nostri ordinis Camaldulensis, ut in superiori decreto concessi, assignata fuit feria sexta post tertiam Dominicam Paschatis Resurrectionis, dummodo non sit impedita festo altioris vel similis ritus, alias sabbatum immediate sequens. Cum autem prædictum officium in nonnullis diœcesibus, & præcipue in toto statu serenissimæ reipublicæ Venetæ & in Etruria celebraretur Dominica tertia post Pascha, statutum fuit, ut monasteria in iisdem locis constituta illud pariter celebrarent in eadem Dominica, ut se eorumdem locorum celebritati conformarent. Officium vero & Missa propria ejusdem festi habentur separatim impressa, ac etiam in novissimis breviariis & missalibus inter ea, quæ aliquibus locis concessa sunt.

ANN. CHR. 1737.

XV. Mors Romani Merighi abbatis Camald.

SEPTUAGESIMO-NONO ætatis anno die XVII. maji spiritum Deo reddidit Romanus Merighius abbas Camaldulensis. Morretani in diœcesi Imolensi natus ex antiqua familia ejus loci, & conjuncta cum nobilioribus familiis urbis Imolæ, nomen dedit in Classensi cœnobio anno 1674. ubi brevi tempore ob aciem ingenii ita in studiis profecit, ut vigesimo-secundo vitæ suæ anno professor publicus philosophiæ in eo

celebri

celebri gymnasio declaratus fuerit, inde etiam theologiæ, & paulopost examinatoris synodalis munus obtinuerit a Fabio Guinigio archiepiscopo Ravennate, qui etiam tradidit illi imbuendum in scientificis disciplinis nepotem Dominicum Guinigium, Ingenium suum declaravit Merighius præsertim in poetica facultate, non in sola Concordium Ravennatum Camaldulensium academia, sed & in Arcadia sub nomine Retili Castorei; quare laudes retulit ejus custodis Marii Crescimbenii, marchionis Johannis josephi Ursii, Eustachii Manfredii, Petri-jacobi Martellii, Theobaldi Cevæ aliorumque celebrium poetarum; amicitias vero inivit insigniorum virorum sui temporis, & gratiam plurium purpuratorum patrum Petri Ottoboni, Ferdinandi ab Abdua, Henrici Norisii, Petruccii, Homodei, Barberini, Duratii & Benedicti Pamphilii. Abbas factus, & postea pro congregatione Camaldulensi destinatus procurator generalis in curia Romana, ita tum in studiis scientiarum, tum in œconomicis rebus augendis, & præsertim in diducendis rationibus capsæ publicæ Camaldulensis incubuit, ut adversam contraxerit valetudinem, & quadam die oppressis spiritibus facie ceciderit super libros, extra sensus omnino factus. Hæc fuit origo morborum ipsius, quibus nunc validius, nunc remissius tortus est toto quadraginta annorum spatio, quibus supervixit. Visitator inde electus est anno 1699. tum ad varia gubernanda monasteria adhibitus; verum considerans se in dies vigore destitui, gravioresque evadere molestias, quibus affligebatur, dimissionem petiit, immo abdicavit se a quacumque dignitate, & etiam a titulo abbatiali. Sed Romanus pontifex Benedictus XIII. qui viva voce dimissioni consensit, privationem tituli abbatialis non admisit. Nomine igitur & titulo abbatiali retento, sed liber ab omni administratione & ab aliorum cura totum se perfectioni sui spiritus addixit, continuis jaculatoriis, assiduis precibus, ferventi meditatione, & irremissa sacrorum librorum lectione id unum postulans, salutem animæ suæ, & æternitatem præ mente & oculis habens, cujus verbum cubitalibus literis exprimi fecerat in omnibus locis, in quibus frequentius commorabatur. Octo annis gemitibus, suspiriis & ferventibus lacrymis Dei misericordiam exorans, intrepidus & impavidus ad extrema devenit, feliciter & gaudens mortem aspexit. Elatum fuit ejus funus in oppido Bagnacaballi, ubi extremo omnium mærore defecit, elegantem orationem in ipsius laudem proferente patre Montio Minorum Conventualium dicti loci custode. Sollemnia etiam parentalia celebrata ipsi fuere in abbatia Classis. Laudatur plurimum ejus pietas in pauperes, quorum duodecim pecunia, quæ ad usum ejus erat, pavit tempore, quo Foro-liviense monasterium rexit, aliis in locis quidquid ad manus veniebat, inter mendicos distribuebat. Silentii quoque & solitudinis fuit amantissimus, etiam in ipsa urbe Roma, quantum patiebantur negotia sibi commissa. Propagavit ubique cultum erga sanctam Gertrudem abbatissam magnam, in cujus honorem Oratorium Foro-livii anno 1710. edidit; ediderat anno 1707. Bononiæ alium libellum ad promovendam devotionem erga ipsam. Initio seculi, hoc est anno 1702. aliud Oratorium concinnavit ad gloriam sancti Romualdi, quod pluries fuit reimpressum. Mysteria Coronæ Dominicæ & Rosarii beatæ Mariæ virginis exposuit Foro-livii anno 1708. Poemata plura sua cardinali Gualterio & Raymundo Ferretto archiepiscopo Ravennati duas in partes tributa dicavit; ibidem eodem anno. Oratorium sancti Francisci Salesii anno 1713. aliud in honorem beati Guidi monachi Camaldulensis anno 1716. Idillia inscripta *Nessus & Logildis*, sive Sensus &

Ann. Chr. 1737.

Rationis Venetiis & Neapolis lucem iterato aspexere. Fuga sancti Romualdi a seculo Venetiis anno 1729. aliaque complura edidit, vel composuit, quæ servantur in bibliotheca monasterii Classensis, de quo semper optime meritus fuerat.

XVI. Aliorumque insignium virorum.

Nonagenario major dies suos clausit xv. januarii in monasterio sancti Michaelis de Muriano Sebastianus Ziani Venetus alter abbas Camaldulensis. Laudatus fuit primis juventutis suæ annis tamquam eloquentissimus rethor ab Antonio Lupis in epistola. Scripta reliquit collectanea multa artium & scientiarum, ac insuper decreta Camaldulensis congregationis monachorum per materias digesta simul univit, assiduus librorum lector & scriptor ad mortem usque.

Hiacynthus Picus eremita Pedemontanus defunctus præsenti anno die VIII. februarii, solitudinis & silentii studiosissimus in moralibus scientiis ita profecerat, ut non a secularibus dumtaxat, sed etiam ab ecclesiasticis viris assumeretur in rebus dubiis pro consilio. Hinc duo spissa volumina in re morali conscripsit spectantia ad Regulares, quorum primo titulum fecit: *Compendium morale de magno statu religioso, in quo expenduntur & enucleantur præcipuæ obligationes Regularium, eorumque privilegia a sancta sede emanata, omnia ab approbatis doctoribus decerpta;* secundo autem: *Speculum Prælatorum*, sive *de Prælatorum Regularium statu, gubernatione, deque præcipuis eorum obligationibus tam in ordine ad seipsos, quam ad subditos; de mediis quoque, quibus religionem in suo fervore conservare Prælati possunt.* Totum opus complet efficacissima & ingeniosa ad Prælatos parænesis ex sacræ Scripturæ verbis concinnata. Ejusdem auctoris est *Convivium spirituale, sive cibus quotidianus animæ continens binas præparationes ad Missam vel ad Communionem; methodum audiendi Missam, jaculatorias aspirationes, salutationes & piissima colloquia; in eremo Roreæ* 1733. quod in meliorem formam redegit anno sequenti. Eremorum Pedemontanarum fuit non semel prior.

Demum postquam ordinem Camaldulensem benigna protectione fovit per decem & octo annos Antonius-felix Zondadarius S.R.E. cardinalis, purpuratus magnæ pietatis, & zelo honoris Dei percitus, supremum diem obiit, cui substitutus est a Clemente XII. in patronum ejusdem ordinis magnus alter cardinalis Georgius Spinula. Testamentariis tabulis suis cardinalis Zondadarius vestibus sacris donata voluit monasteria & ecclesias monachorum & eremitarum Camaldulensium.

Patres in dieta monachorum Camaldulensium congregati declararunt in novum comprotectorem (protector enim principalis, & primus est sanctus Michael archangelus) totius congregationis Camaldulensis unanimi consensu sanctum Joseph sponsum sanctissimæ genitricis Dei Mariæ, & ut talem habuerunt, & haberi voluerunt semper futuris temporibus in tota congregatione; cujus Patrocinii officium elapso anno speciali indulto a Camaldulensibus recitari concesserat sacra Rituum congregatio per instantiam a procuratore generali Romæ factam, ut diximus anno præcedenti.

XVII. Compositio litis eremi Taurinensis cum PP. Societatis Jesu.

Ab anno 1605. Paulus V. applicaverat eremo Taurinensi capellanias & bona spectantia ad sacristiam insignis abbatiæ SS. Solutoris, Aventorii & Octavii. Quinque erant capellaniæ, prima sub titulo sanctæ Mariæ de Spinetta, sive de Spina, secunda sub titulo sancti Petri de Odoasio, utraque in territorio urbis Taurinensis, tertia sub titulo sancti Victoris in territorio Peccetti, quarta sub titulo sancti Juliani in territorio Baldisserii, postrema in territorio Moncucci sub titulo Omnium Sanctorum,

ANN. CHR. 1737.

ctorum, sed rectius sanctorum Solutoris, Aventoris & Octavii. Eremitæ Taurinenses trium posteriorum statim possessionem inierant, sed duarum priorum possessionem jam receperant patres Societatis Jesu collegii veteris Taurini, cui unita fuerant bona mensæ abbatialis, ut unita fuerant bona prioratus monasterio Cisterciensium congregationis Fulliensis. Ab ipsius fundatoris eremi Alexandri Cevæ tempore patres S. J. exorati fuerant, ut cedere vellent eremitis duas priores capellanias earumque bona. Reluctati sunt semper, lisque mota fuit in Romana Curia magnis expensis toto seculo elapso, neque tamen eremitarum rationes exauditæ fuere. Cum vero hisce temporibus Romana sedes concessisset regi Sardiniæ potestatem judicandi in causis ecclesiasticis quoad possessorium, tentarunt eremitæ litem coram senatu Taurinensi, ab advocatis animati ad tuenda jura sua. Sed patres Societatis Jesu rem in arbitros ponentes induxerunt etiam eremitas ad litem finiendam juxta horum consilium; quare assumpto pro communi arbitro advocato generali fiscali Benzio adjudicatæ fuere ex quinque tres bonorum partes eremitis, & duæ patribus S. J. die XV. maji, finisque litibus & expensis positus fuit.

ANN. CHR. 1738. XVIII. Abbatis Augustini de Floribus obitus ejusque opera.

DIE octava februarii post diutinam infirmitatem patientissime toleratam obiit Faventiæ Augustinus-Romanus Florius vel de Floribus Cremonensis, abbas sancti Johannis-baptistæ ejusdem urbis. Luxit ejus mortem Franciscus Arisius Cremonensis in vita præpositi Balladori eodem anno typis edita Cremonæ, ubi mentionem faciens plurium scriptorum vitæ sancti Homoboni, laudat vitam compositam ab eodem Florio & typis vulgatam Romæ anno 1722. sub nomine Johannis-baptistæ Florii. De ceteris ejus operibus series texitur in bibliotheca Volante Cinellii postremæ editionis; & sunt *Hymnus de Deo, solis Scripturæ sacræ dictis & sententiis compositus*; Faventiæ 1706. iterumque Romæ anno 1722. sub titulo: *Laus Dei*. Sacram Scripturam ita memoriter tenebat Florius, ut quacumque data occasione, quocumque instituto familiari colloquio, sermonem suum omnibus divinorum librorum sententiis respergeret. *Regula Virginum Tavellarum* Ravennæ 1733. *Ecclesia in triplici statu legis naturalis, legis veteris & legis novæ*; Romæ 1699. *Vita beati Jacobi Philippi Bertonii*; Faventiæ 1713. *Vita beati Pauli Justiniani institutoris eremitarum Montis-coronæ*; Romæ 1724. & iterum ibidem aucta anno 1729. & dicata Benedicto XIII. Romano pontifici. Hanc excerpsit ex duobus spissis voluminibus concinnatis a Johanne Advogario eremita Rhuense mss. quæ habuit Florius sub oculis, permissione Tiburtii Franckin Majoris eremitarum Coronensium. *Vita beati Ludolphi Pamphilii*; Romæ 1722. *Vita beati Michaelis eremitæ institutoris Coronæ Dominicæ*; Romæ 1722. *Lux animæ ex Hispanico Alexandri Matris Dei discalceati Trinitarii*; Romæ 1724. *Manuale Christianum ex Hispanico ejusdem*; Romæ 1727. Cognitio linguæ Hispanicæ, sed præsertim prudentia & perspecta pietas & doctrina Florii acceptissimum ipsum fecere cardinali de Belluga, cujus fuit theologus, & aliis pluribus S. R. E. cardinalibus: fuit etiam censor in archigymnasio Sapientiæ Urbis, consultor sacræ congregationis Indicis, & assedit inter theologos, subscripsitque actis concilii Romani sub Benedicto XIII. anno 1725. Editis subdimus syllabum omnium operum ipsius, quæ Italice & Latine scripsit, quæque asservantur majorem in partem in bibliotheca Classensi: *La segreta politica de' Giansenisti scoperta in lingua Franzese per un Dottore della Sorbona, e poi svelata nell' Italiana favella da D.*

Gustavio Normanio Felderio, *con questo motto nel frontispizio* : Magna est pietas latebras prodere impiorum, & ipsum in eis, cui serviunt, diabolum debellare. *S Leo papa serm.* 4. *de Collect. & eleemosyna. La scienza del Cristiano* ex alio Gallico: *La scienza de Santi*; nonnullis expurgatis. *Una lettera di buon' aviso ad una famosa donna in Roma*; Exponit statum infelicissimum mulierum in voluptatibus suis perditarum ad proximorum ruinam. *Epistola ad amicum Romæ scripta*, *cum S. M. Benedictus XIII. probibuit ludum*, *qui vulgo dicitur* il Lotto; justitiam & sanctitatem decreti ostendit. *Fragmenta historica*, *quibus urbs Classis ab ultimo excidio vindicatur*. Notitiam exhibet ex Ravennatibus historicis aliisque de antiquo portu Ravennate, & de contigua civitate Classis, cujus modo vix superest nomen. *Esame del P. Pardies sopra l' anima delle Bestie*. Iste auctor ex epistola decima Johannis-francisci Borri in lucem edidit publicam prædictum opusculum, in speciem quidem, ut ipsum impugnaret, sed revera ut typis evulgaret doctrinam seu epistolam Romæ a Sacra congregatione Indicis prohibitam; quod ne appareret, exordium mutavit, & levissimas suas impugnationes apposuit in fine, ommissis nonnullis exemplis a Borro adductis, quæ talia sunt, ut evidentissime convincant animas brutorum esse formaliter cognoscitivas, ita ut idem Borrus ab experientia convictus fateatur hominem non posse in statu suæ ignorantiæ exacte satisfacere, & solvere difficultates, quæ contra automata ex præindicatis exemplis proponuntur. *Aliud examen totius præindicatæ epistolæ Borri cum exacta confutatione omnium fere verborum ejusdem*. Prædicta litera est decima in ordine in opusculo Borriano inscripto; *La chiave del Gabinetto*. In hujus literæ examine Florius differit de essentia & qualitate animæ sensitivæ brutorum etiam contra Aristotelicos. *Faenza Piazza d' Armi sotto il pontificato di Clemente XI. Clavis aurea doctrinæ sancti Augustini in materia de Gratia*, *Natura & Libero arbitrio*. *In librum sancti Augustini de Correptione & Gratia*, *præsertim in capita* XI. & XII. *ubi agitur ex professo de duplici adjutorio sine quo non*, & *adjutorio quo.*, & *ostenditur quam gratiam significent juxta doctrinam & mentem S. Augustini*. *Expositio omnium propositionum Quesnellii in materia de Gratia*. Ostenditur in unaquaque dictarum propositionum Quesnellium non fuisse Augustinianum, nec Thomistam, ut opinantur plerique, sed tantummodo Calvinistam. *Universa doctrina D. Thomæ de Motione Dei*, *ut auctoris Naturæ*, *in unum collecta ex omnibus ejusdem operibus*, *unde fit manifesta vera & genuina sententia S. Doctoris contra physice prædeterminantes*, & *contra physice præmoventes*, *juxta mentem ejusdem sancti magistri*; *sed non bene intellectam*. *De quidditate spiritus & corporis dissertatio physico-theologica in duas partes divisa contra Cartesianos*. *De eadem materia dialogus juxta doctrinam S. Thomæ in favorem animæ sensitivæ brutorum contra Cartesianos*, & *Pherecreatem antiquissimum philosophum primum auctorem & magistrum Atheismi & opinionis Cartesianæ*. *Nova versio Latina & interpretatio libri S. Dionysii Areopagitæ de cœlesti hierarchia*. Extat ms. in bibliotheca a cardinale Fabrono extructa pro patribus S. Philippi Nerii de Pistorio. *De Babylone magna in Apocalypseos capp.* XVII. & XVIII. *descripta*. Hoc opusculum continet multa paucis nota & scitu digna. Ostenditur enim, & quidem manifeste, contra communem veterum ac recentiorum interpretum opinionem, quod Babylon magna in præfatis capitibus descripta est Constantinopolis; & Bestia, super quam sedet meretrix magna, quæ est symbolum Babylonis prædictæ, non est aliud

quam

quam præsens imperium Turcarum. Ea occasione innuitur, quod imperium Turcarum non post multos annos incipiet graviter declinare, & civitas CP. caput hujus imperii in cineres redigetur, ut expresse habetur capite XVIII. Ostenditur pariter, quod ex ruina imperii Turcarum consurget regnum Anti-christi, juxta prophetiam Danielis capite VII. Quare infertur nova rerum series in mundo, qui paucis tantum adhuc seculis est duraturus. *Origine e progresso della divozione o concorso alla sacra imagine della B. Vergine del bosco alle Alfonsine*. Hæc sunt inedita Florii opuscula. Compendium vitæ ipsius legitur ad calcem alterius fusioris ven. Paulæ a Voluntate Dei.

ANN. CHR. 1738.

Carolus VI. Romanorum imperator electus die XXXI. maji confirmat sua apostolica regia auctoritate donationem factam eremitis Montis-coronæ in Hungaria a comite Josepho Eszterhazyo prædii Maik, & permittit, ut ibidem ex dote assignata ab eodem comite & ab aliis benefactoribus erigatur eremus, in qua ex redditibus vivant eremitæ, & sine quæstuatione.

In ecclesia sancti Damiani de Bononia sub Benedicto Locatellio Veneto abbate Camaldulense instituta est societas piorum virorum sub die XXX. octobris in levamen animarum Purgantium, una cum legibus & capitulis adnexis, quorum duo sunt recitatio quotidiana officii Defunctorum, & benedictio effusa super populum cum sanctissimo Sacramento ab hora XXIV. diei ad primam noctis.

ANN. CHR. 1739.

XIX. Abbatia de Fullina libera dimittitur congregat. Camald.

CLEMENS XII. Romanus pontifex XVI. kalendas maji pontificatus anno nono abbatiam Sanæ-vallis de Fullina cum omnibus suis redditibus, ecclesiis, bonis & juribus liberam dimisit congregationi Camaldulensi, cum ea obligatione, ut imposterum abbati commendatario abbas claustralis numeraret septingenta annua scuta monetæ Romanæ, in eo vero monasterio numerus duodecim monachorum in perpetuum stabiliretur; fidejussores autem ejus solutionis faciendæ commendatario forent omnes abbates monasteriorum Camaldulensium. Id facili negotio impetratum fuit ab eodem Romano pontifice, tum quia assignationes eatenus factæ ab abbatibus commendatariis pro sustendandis monachis, impares erant, tum quia in ecclesia abbatiæ, licet cura non adesset animarum, sacramenta tamen administrabantur a monachis, & cetera pietatis & caritatis officia, præsertim vero explicatio doctrinæ Christianæ populis. Abbatia porro tunc recideret in monachos, cum supremum diem obiret Sergius Pola episcopus Famaugustanus, qui erat hoc tempore abbas commendatarius, substitutus, dum vivebat, a cardinale Benedicto Pamphilio.

XX. Confirmatio eremi Wigrensis in Lithuania.

AUGUSTUS III. Poloniæ rex &c. confirmat privilegium Augusti II. Poloniæ regis patris sui datum die XVIII. julii anni 1715. eremitis Camaldulensibus silvæ Wygrensis in Lithuania. Datum Varsaviæ 1739. die XIX. januarii anno regni sui V. integrumque regium diploma patris suo inserit. Licet enim fundatio in ea silva facta a Johanne Casimiro rege Poloniæ certa esset & indubitata, uti ex constitutione anni M.DC.LXVII. approbata, ex occasione tamen conflagrationis originalis privilegii variæ lites & controversiæ excitatæ fuerant a regiis venatoribus contra Camaldulenses eremitas. Ut ergo intentioni piissimi fundatoris fieret satis, & ut duodecim eremitæ ibidem ali possent, una cum obligationibus instrumenti fundationis, communicato consilio cum Hieronymo Grimaldo archiepiscopo Edesseno, & apostolico legato innovavit Augustus II. rex Poloniæ eo anno assignationem boonorum & redditum ejusdem

ANN. CHR. 1739.

eremi, adjungens quinimmo plura alia bona in eremitarum substentationem, & in locorum culturam; cum obligatione, ut a Romano pontifice, vel a nuntio apostolico per delegationem confirmari hujusmodi donationem eremitæ curarent. Die XXVII. julii ejusdem anni commissariis suis præcepit, ut tum veteris, tum novæ donationis possessionem Camaldulensibus eremitis traderent. Quæ omnia rata habet, novoque privilegio roborat hoc anno Augustus III. filius, rex itidem Poloniæ.

Ecclesiam parœcialem sancti Michaelis Prosani subjectam monasterio sancti Blasii de Fabriano, abbas ejusdem cœnobii cedit episcopo Senogalliensi.

Vix patrocinium ordinis susceperat optimus cardinalis Georgius Spinula, cum immaturo fato, omnium bonorum dolore, sed præcipue suorum Camaldulensium raptus die XVI. januarii hujus anni, locum fecit Petro-aloysio Caraffæ, alteri S. R. E. cardinali, quem patronum eorumdem in Romana curia destinavit Clemens XII.

Decessit etiam Franciscus-maria Carena Cremonensis abbas Camaldulensis, cujus extant oratio academica dicata cardinali Fulvio Astalli Æmiliæ legato edita Bononiæ anno 1698. an præstet continuatio belli tempore victoriarum, vel pax? sermo etiam moralis de sancto Laurentio Justiniano impressus Venetiis anno 1703. ac oratio panegyrica de conversione sancti Pauli, edita similiter Venetiis anno 1707.

Emptum hospitium Romæ pro habitatione procuratoris generalis ab eremitis Camaldulensibus Etruriæ, confecto instrumento emptionis die XIV. decembris cum patribus sancti Bernardi ad Thermas.

ANN. CHR. 1740.

XXI. Erectum seminarium Vangaticiense.

CELEBRATUM fuit in consueta urbe Faventia capitulum generale, quod quidem anno antecedenti habendum erat, sed ob notas Italiæ ærumnas, atque monasteriorum incommoda dilatum fuit ad præsentem annum, in quo abbas generalis statutus est Aurelius Guidottus Lucensis ex professione sanctæ Crucis de Avellana, visitatores vero ex Veneta Franciscus-angelicus Federici, & ex Classensi professione Ferdinandus-romualdus Guicciolius Ravennas. Ex eodem capitulo destinati fuere duo abbates Veneti, qui cum cardinale Quirino abbatiæ Vangaticiæ commendatario tractarent erectionem seminarii clericorum, quam aliquot ab annis meditabatur in eadem Nullius abbatia facere idem cardinalis, sicut etiam epistola sua expetierat scribens ad definitores capituli. Seminarium fundatum est, decretique magistri, qui clericos edocerent, perduratque ad hodiernam diem in ædibus, sed separatis, ejusdem monasterii, adstrictis clericis ad inserviendum ecclesiæ abbatiali, ac ad suscipienda in ea sacramenta. Per aliquod tempus etiam deputati sunt monachi, qui philosophiam & theologiam moralem traderent, sed nunc magistri evocantur a seculo. Præterea præfatus cardinalis in dotem seminarii assignavit aliquot abbatiæ beneficia, quando vacarent.

XXII. Monumenta varia monasteriorum.

VIGORE Venetarum legum monasterium sancti Mathiæ de Muriano recognovit investituram abbatiæ sancti Michaelis de Lemmo in Histria, quæ a duobus seculis unita fuerat cum eodem Murianensi cœnobio, a provisoribus magistratus Feudorum, & fidelitatem ac consuetum juramentum præstitit, ac de hujusmodi investitura confectum fuit documentum diplomate bullato Aloysii Pisani Venetiarum ducis sub die XXVII. augusti præsentis anni, cum mandato eorumdem provisorum, ne in bonis dictæ abbatiæ de cetero idem sancti Mathiæ monasterium molestiis afficeretur laicorum, qui tum terras diripuerant, tum jure emphy-

teutico

teutico usurpaverant, graviaque negotia justis dominis facessiverant.

Novum altare in ecclesia abbatiæ Fontis-avellanæ erexit beato Lodulpho loci fundatori Petrus Pamphilius comes Eugubinus cum hac inscriptione: *D. O. M. Sacellum hoc D. Lodulpho Pamphilio Eugubino, hujus eremi Fontis-avellanæ fundatori, qui dimisso patriæ episcopatu, & ad hæc primæva claustra reversus obdormivit in Domino* XX. *januarii* M.XLVII. *Comes Petrus Pamphilius patritius Eugubinus, trinepos Petri, germani fratris Antonii abavi sanctæ memoriæ Innocentii X. P. M. ob religionem erga Gentilem, & insignem suum ac Pamphiliæ gentis patronum extruxit, & ornavit anno Domini* M.DCC.XL.

In ecclesia sancti Gregorii de Urbe ad altare familiæ Eugubinæ Gabrielliæ altera inscriptio: *D. O. M. Beatis Rodulpho episcopo Eugubino, Petro germano fratri, Forti eremitæ monachis cœnobii sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, & Castoræ viduæ tertii ordinis sancti Francisci, virtutibus claris, Fortes Valletta, olim Gabriellius, patritius Eugubinus, comes Bacchareschæ & Corradutii, ac Isabella Valletta nobilis Romana & Setina conjux, Gentilibus suis anno beati Fortis seculari* M.DCC.XL. *pietatis & venerationis monumentum posuere.*

Obiit hoc anno in eremo Nitriensi Emmericus eremita natus anno 1681. ex nobili familia Szilesiana in comitatu Sopronienſi Hungariæ, & professus Kallenbergensis eremi anno 1702. postquam ad majorem sui perfectionem acquirendam Sacerdotio insigniri voluerat, quo etiam facilior sibi redderetur ingressus ad eremum. Pœnitentiis, orationis assiduitate, caritate erga Deum & proximos ita excelluit, ut viventem communiter perinde ut Sanctum non solum ceteri eremitæ, sed & populi haberent; quæ veneratio crevit post ejus obitum; ita ut nunquam alias audito exemplo exequiæ ipsius ex mandato Stephani Nozdroviczky episcopalis vicarii generalis Nitriæ non in cathedrali dumtaxat ecclesia, verum etiam in omnibus civitatis ecclesiis publico omnium campanarum sonitu, festive honoratæ fuerint. Anno 1750. decimo post ejus decessum, occasione tradendi sepulturæ cadaver alterius eremitæ, facie & barba incorruptus repertus est Emmericus, ut in memoriis suis refert pater Basilius du-Vergius.

Pro exaltatione Prosperi Lambertini S.R.E. cardinalis & archiepiscopi Bononiensis ad supremum ecclesiæ pontificatum post mortem Clementis XII. orationem habuit in archigymnasio Bononiensi pro academia Inextricatorum Bonifacius Collina Bononiensis monachus Camaldulensis. Edita est una cum orationibus sex aliorum celebrium virorum, qui universali ecclesiæ bono gratulati sunt ob inaugurationem supremi pastoris.

XXIII. Miraculum beati Michaelis eremitæ Camald.

REFERTUR sub hoc anno ab eremitis Camaldulensibus singularis gratia intercessione beati Michaelis reclusi eremitæ Camaldulensis obtenta. Petrus-igneus filius Francisci Grossi, & Constantiæ Bartholini urbis Florentiæ, monachus Vallumbrosanus, doctor sacræ theologiæ universitatis Florentinæ, & ex decreto apostolico parochus sanctæ Mariæ de Loscore in Clusentino, ætatis annorum 43. febre maligna correptus, & frequentibus convulsionibus agitatus post sacratissimum Corporis Christi viaticum brevi moriturus receptum die XXVIII. julii, recordatus fratrem suum comitem Innocentium Cajetanum Grossi a vehementissimo dentium dolore ejusdem Beati patrocinio liberatum, seipsum vovit beato Michaeli; pollicens se sub habitu peregrini ejus altare visitaturum; post quod votum convalescere cepit, & contra omnium expectationem sanitatem integram

ANN. CHR. 1740.

tegram recepit, ita ut die xxx. augusti celebrationem sancti sacrificii perficere potuerit, sed votum explere nequivit nisi post quinquennium, quo aliena veste indutus gratiarum actiones retulit ad ejus altare in eremo, ut liquet tam ex ejus monachi jurata fide, quam ex alia Frederici Gatteschi medici Puppiensis.

ANN. CHR. 1741. XXIV. Mors Eduardi Baroncinii eremitæ Camald.

EDUARDUS Baroncinius, in seculo Franciscus, Vincentii prænobilis patritii Florentini filius, natus Avenione assiduam operam dedit studiis primis ætatis suæ annis, præsertim cum regrediente Florentiam patre, scientiarum auditor fuit in Lycæo Pisano, ubi condiscipulum habuit Laurentium Corsinum, postea Romanum pontificem Clementem XII. Canonicatum inde obtinuit in Metropolitana patriæ ecclesia, sed captus religione & pietate, quas suspiciebat in eremitis Camaldulensibus, suppliciter expetiit eorum familiæ annumerari, ad quam admissus fuit, & post annuam probationem professus die XIII. junii anni 1690. triginta-quinque annos & novem menses ætatis agens. Cognita ejus doctrina, (in Græcis enim & in Latinis excellebat) nec non peritia, qua dignoscebat veterum scripturarum characteres, demandata ei est provincia ordinandi tum bibliothecam, tum archivum eremi, & Camalduli-majoris, archivum præsertim antiquissimum, & nulli injuriæ aliquando obnoxium. Legit proinde diligentissimus asceta fere omnes editos libros, manuscriptos quoque codices omnes, atque non solum eos ordinavit, sed indicem etiam triplicem elaboravit, nominum, cognominorum & materiarum, immo laceros compegit, & ornavit. Idipsum præstitit quoad veteres chartas, quas omnes percurrit, legit, atque recto ordine temporum & negotiorum disposuit, ut tam ex libris mss. quam ex membranis confecerit exactum & justum Chronicon Camaldulense, notitiis veterum rerum, donationum, privilegiorum & statutorum conspicuum ab anno 1012. ad 1712. quod nunquam in publicum prodire voluit, licet historiam memorabilem ordinis Camaldulensis paucis hactenus notam contineret. Ex eo chronico multum & nos profecimus. Rem pariter œconomicam illustravit, litibus, sententiis, & veteri statu eremi cum novo collato, itaut deperditas antiquas cognitiones in lucem remiserit, quarum omnium chartarum elenchum & abbreviationem concinnavit. Anno 1693. memorandum contigit fædum incendium in ecclesia eremi Camaldulensis. Baroncinius præcipuus fuit, qui inter fumum & flammas imperterritus incedens sacram pixidem proxime igne vastandam ex altari eduxit, ac in tutum locum reposuit. Factus novitiorum magister, inde prior eremi sancti Ægidii de Cortona, demum Major observantiæ eremiticæ fuit religiosissimus custos & assertor tum in se, tum in aliis, sed zelo majoris perfectionis tractus humiliter expostulavit deinceps absolvi ab omni dignitate & munere, ut studiis suis quietique solitudinis unice indulgeret. Qui solitudinis amor tantus fuit, ut etiam adventantes viros nobiles, vel religiosorum cœtuum fama ipsius adtractos fugeret; & si quando admonitus fuisset accessisse ad eremum hujusmodi viros, confestim in cellam suam se proriperet; quod aliquando ei contigit cum cardinale Nereo Corsinio Clementis XII. nepote, qui petens alloquium Baroncinii, nulla ratione id assequi valuit, quia is in cella se recluserat, & pluries vocatus, nunquam honorem colloquendi cum purpurato admittere voluit; quare cardinalis ulterioribus precibus parcens, non passus est eremitæ modestiam lædere, contentusque fuit condere sumptibus suis cellam in eremo. Sæpius idem Romanus pontifex

Clemens

Ann. Chr. 1741.

Clemens requirebat, quid esset de Eduardo? Quæ cum Baroncinio referrentur, respondebat humilis eremita ceteris, ut de alia re sermonem instituerent coeremitis digniores. Quis vero enarrare valeat, quot pœnitentiis voluntariisque macerationibus carnem suam crucifixerit pietate haud vulgari excellens Baroncinius? Exploratum est ipsum in cubili semper supposuisse ligneos asseres, ac super eos cubasse; præter opera manualia hortulum suum excolebat vel paralyticus & infirmus factus, quod cum aliquando ob sauciatam manum peragere non posset, operari non desistebat sana altera manu, lignaque semper ad usum suum deportabat. Ultimis vitæ suæ annis superiores ipsum exemerant ab obligatione accedendi ad ecclesiam in matutinis vigiliis. Ipse vero matutinas laudes iisdem horis decantabat stans in cella sua, immo processiones consuetas, quæ a ceteris eremitis fiebant per ecclesiam vel eremum, ipse peragebat circa cellam; & cum in dies morbis gravaretur, atque adeo discretione majorum etiam a ceteris austeritatibus dispensatus fuisset, tanta arte & industria utebatur, ut nil omitteret tum quoad divina officia, tum quoad abstinentiam & jejunia, tum quoad ceteras eremiticas consuetudines. Ipse sibi quidquid ad vestimenta pertinet, præparabat, emendabat, quidquid etiam ad incommoda sua reparanda, inter cetera horribilem rudemque circulum sibi confecit, pro intestinali morbo necessarium, a quo gravissime torquebatur. Mirum, quantis infirmitatibus subjectus fuerit, quanta vero patientia & uniformitate cum Dei voluntate omnia toleraverit tum in cruribus, tum in manibus, tum in toto corpore podagra, chiragra & paralysi correpto? ipseque solus sibi medebatur, nullius ministerio & officio uti volens. Æquiparatur Eduardus sancto Hieronymo, cujus devotissimus erat, quem imitabatur tum in pœnitentiis, tum in studiis. De ipso etiam referunt, qui eum de facie cognoverunt, quod tanto amore patiendi afficiebatur, ut quasi videretur obedientiæ majorum reluctari, qui hujusmodi pœnitentias caritate & pietate suspendebant. Demum ætate, infirmitatibus atque assiduis studiis confectus animam Deo reddidit XXIII. augusti anni 1741. octuagesimoseptimo ætatis suæ anno. Traditio viget inter eremitas, revelatum fuisse ipsum tribus dumtaxat diebus piacularibus flammis fuisse purgatum. Illud etiam admirari subit, quod cum scabie & crassa crusta pedes illius, dum viveret, essent contecti, post obitum in lavando ejus corpore reperti fuerint nitidi & depurati, perinde ac nunquam fuissent læsi; immo famulus frater, qui lavit vestes ceteraque indumenta & stragmenta cubilis, inter ipsa nullas squammas scoriamque reperiit. Auctor fuit etiam Baroncinius directorii novitii Camaldulensis, quod composuit, cum tironum magistrum ageret.

XXV. & Theophyli Clini alterius eremitæ, aliorumque.

In eadem eremo obiit Baroncinii studiorum socius Theophylus Clini a Monte-scutulo diœcesis Ariminensis post 52. eremitici instituti annos. Canticum poeticum scripsit, & dono dedit Dorotheæ a Neoburgo ducissæ Parmæ, martyrium illustrans sanctæ Dorotheæ & sancti Theophyli Mm. quæ muneribus & pictis imaginibus eorumdem Martyrum eremitam nostrum donatum voluit. Cetera ejus poetica opera quidam Æmiliæ eques typis tradere volebat, sed renuere superiores, neque editum fuit nisi responsorium in honorem sanctæ Gertrudis. Exscripsit etiam Theophylus psalterium sancti patris Romualdi. Cum pictura excelleret, imaginem ejusdem Sancti coloribus expressit, & Angelos in titulis pluteorum bibliothecæ eremi. Ipsius sermones & colloquia de Deo magnis excipiebantur plausibus, nullusque erat, qui cum ipso alloquutus amicitiam

Ann. Chr. 1741.

citiam non stringeret. Præfuit eremo eximia pietate præditus erga proximos & pauperes, anno præsertim magnæ caritatis, quo ut pauperibus copiosiores eleemosynas tribueret, parcissimum etiam victum suum minorem reddidit.

In eremo Taurinensi decessit XXV. maji Joachim a Pecetto ex familia de Tubassis octuagesimo ætatis anno, religionis sexagesimo, qui præter ceteras virtutes, qnibus erat præditus, eo animarum zelo ductus erat, ut frequentissimi ad eum confluerent populi, & præsertim iniquissimi peccatores ad maculas conscientiæ abstergendas in sacramentali Pœnitentiæ tribunali, quos ad peccatorum suorum dolorem ac depositionem, & ad bonam frugem consolatoriis saluberrimis monitis deducebat. Inter hos seligebat abjectissimos, quos majori caritate ex via perditionis ad salutis semitam trahebat, remedia & directionem præscribens, ut in sancta conversione perseverarent. Coercuit tamen zelum suum, cum admonitus a superioribus, qui eremorum quieti prospiciebant, in mandatis accepit, ut temperaret a frequentibus exceptionibus perditorum hujusmodi hominum, ac morem gerere prætulit, quam inexplebili caritati suæ obsecundari.

Memorabile est etiam in eremo abbatiæ Calveti nomen Ludovici Guibour fratris conversi Gallicani, cujus vita abscondita erat in Deo & simplex in oculis hominum, quique decessit XXVIII. maji hujus anni.

XXVI. Ferdinandus Guicciolius electus administrator ecclesiæ Ravennatis.

Ferdinandus-Romualdus Guicciolius Ravennas abbas Camaldulensis, & tunc visitator congregationis monachorum ex professione Classis, in Urbem vocatus a sanctissimo pontifice Benedicto XIV. die XIX. martii hujus anni sacro delibutionis oleo consecratus fuit ab ipso pontifice in episcopum Lycopolitanum, & alio brevi declaratus est administrator apostolicus metropolitanæ Ravennatis ecclesiæ vacantis ob mortem Maphæi Farsetti archiepiscopi. In hac administratione tributa fuit eadem jurisdictio electo, quam habebant archiepiscopi, addita tantummodo quadam limitatione pro cæremoniali cum capitulo canonicorum, & restricta expeditione beneficiorum, quæ tamen non conferrentur sine prævia ejusdem informatione. Eadem autem administratio ipsi commissa fuit, ut perficeret ædificationem metropolitanæ ecclesiæ, quam inceperat præfatus prædecessor. Ravennam statim post sacram ordinationem rediit episcopus, & sabbato ante Dominicam Palmarum possessionem iniit ecclesiæ maxima monachorum Classensium, civium, omniumque ordinum voluptate, qui patritium suum nobilitate, pietate & doctrina clarissimum suffectum gaudebant Ravennati ecclesiæ. Gradus abbatialis, simulque visitatoratus officium, obtentis a summo pontifice & a sacra congregatione necessariis dispensationibus, collata fuere Honestomariæ Honestinio Ravennati alteri probissimo & doctissimo Classensi cœnobitæ.

Fatiscente ob senium ecclesia sancti Michaelis archangeli ad Turrim prope Neapolim, eremitæ Coronenses hoc anno nova & venusta erectione eam a fundamentis ædificarunt cum octo altaribus marmoreis, & pavimento strato ex lapide. Adjuncta fuere nova ædificia capituli, chori & sacrarii ex nuce.

Consecrata fuit nova ecclesia sancti Benedicti eremitarum Monte-coronensium extra Bononiæ urbem die XXVII. augusti, ut diximus ad annum 1619.

In monasterio sancti Mathiæ de Muriano supremum diem obiit Romanus Mauri octuagesimo-tertio ætatis suæ anno, postremus ex professione

fessione sanctæ Mariæ ad Carceres. Astronomiæ deditus, quantum patitur humana conditio, varias phases astrorum, eorumque indicia quolibet anno explicabat.

Ann. Chr. 1741.

XXVII. Decreta SS. Congregationum Rituum & Indulgentiarum ad favorem Camaldulensium.

DECRETUM pro Camaldulensibus. *Cum aliquoties contingat festum sancti Romualdi abbatis, quod in ordine monachorum Camaldulensium fit bis in anno, nimirum* VII. *februarii &* XIX. *junii, incidere unum in diem primam Quadragesimæ, & alterum vel infra octavam Pentecostes aut in Dominicam sanctissimæ Trinitatis, ac proinde in præfato ordine cum officio & Missa minime celebrari valere, Sacra Rituum congregatio ad humillimas preces PP. procuratorum generalium tam monachorum, quam eremitarum Camaldulensium per eminentissimum & reverendissimum dominum cardinalem Guadagni ponentem relatas, ut in celebratione dictorum festorum cum officio & octava omnes monachi & moniales ejusdem regulam profitentes uniformiter conveniant, benigne indulsit & concessit, ut quoties eadem festa ob eam causam transferri debent, tunc festum translationis sancti Romualdi secunda dies Cinerum, & aliud ejus obdormitionis in Domino feria secunda post dominicam sanctissimæ Trinitatis eisdem celebrandis assignentur, ita ut dies secunda Cinerum, & memorata feria secunda post Dominicam sanctissimæ Trinitatis eo casu intelligantur dies propriæ prædictorum festorum, adeoque in iisdem officium prædicti Sancti a dictis monachis & monialibus, non obstante occurrentia alterius officii, sive ejusdem sive inferioris ritus, etiamsi dies essent propriæ alicujus Sancti, perpetuo celebretur. Et ita &c. Die* IX. *decembris* 1741. *F. I. A. card. Guadagni pro-præfectus. T. patriarcha Hierosolymitanus secret.* Benedictus autem XIV. Summus pontifex confirmat eo casu iis diebus assignatis indulgentias diei VII. februarii & XIX. junii concessas a felici memoria Gregorii XIII. Pauli V. & Benedicti XIII. ut liquet ex brevi suæ Sanctitatis emanato die XXII. decembris, pontificatus sui anno secundo.

Decretum aliud pro eremitis Camaldulensibus Etruriæ. *Nuper S. M. Benedictus PP. XIII. sub die* XXVIII. *novembris* 1727. *indulsit, ut Missæ, quas eremitæ Camaldulenses congregationis Montis Coronæ in vim suorum statutorum totius ejusdem congregationis offerre tenentur pro religiosis dictæ congregationis ab hac luce migrantibus in quocumque altari ecclesiarum suarum celebratæ fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratæ fuissent: Sacra congregatio Indulgentiis sacrisque reliquiis præposita ad humillimas preces P. Hieronymi-mariæ procuratoris generalis eremitarum Camaldulensium congregationis Etruriæ sub die* IV. *februarii* 1741. *censuit præfatum indultum extendendum esse ad monachos eremitas Camaldulenses ejusdem congregationis Etruriæ. Et facta de prædictis per me secretarium die* XXII. *ejusdem mensis SS. Domino relatione, Sanctitas sua benigne annuit. L. card. Picus præf.*

Loco ✠ Sigilli. A. M. proton. apost. Erba Secret.

Ann. Chr. 1742.

XXVIII. Delatio bireti tempore Missæ concessa Majori eremitarum Etruriæ, &c.

BENEDICTUS *papa XIV. ad futuram rei memoriam. Cum sicut dilectus filius Johannes Gualbertus modernus Major congregationis eremitarum Camaldulensium Thusciæ nobis nuper exponi fecit, tam ipse, quam pro tempore existentes ejusdem congregationis Majores, qui fere semper ad obeundum munus Majoris hujusmodi in provecta ætate constituti eliguntur, propter cæli rigorem illarum partium, in quibus eremus, in qua residere solent, posita reperitur, sacrosanctum Missæ sacrificium capite detecto sine valetudinis suæ detrimento seu periculo celebrare nequeat, cupiatque propterea opportune sibi & dictis Majoribus desuper a nobis provideri: Nos*

Ann. Chr. 1742.

ipsum Johannem Gualbertum specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. *sententiis* &c. *absolventes* &c. *eidem Johanni Gualberto ac pro tempore existentibus Majoribus congregationis prædictæ, ut ipsi, durante munere sibi demandato hujusmodi, dum sacrosanctum Missæ sacrificium celebrabunt, aliaque Pontificalia & functiones ecclesiasticas in locis suæ jurisdictionis peragent, caput Biretino tectum quoad sacrosanctum Missæ sacrificium hujusmodi, non tamen a Præfatione usque ad peractam sacram Communionem, habere libere & licite possint & valeant, respective auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus. Non obstantibus* &c. *Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo Piscatoris die* XXIV. *augusti* M. DCC. XLII. *pontificatus nostri anno tertio. D. Card. Passioneus.*

Hieronymo-mariæ procuratori generali eorumdem eremitarum Etruriæ benigno rescripto indulsit idem Romanus pontifex Benedictus XIV. ut Major pro tempore congregationis administrare valeret sacramentum Confirmationis suis subditis existentibus in locis suæ jurisdictionis & dominii, & etiam iis religiosis suis, qui ad institutum eremiticum capessendum venissent, non recepto hujusmodi sacramento; verum cum idem procurator generalis Romanam urbem reliquisset, ut se conferret ad proximum Capitulum generale in eremo Camaldulensi, nequivit pontificium rescriptum exhibere pro obtinendo concupito exitu, privilegiumque evanuit.

Ad enixas preces episcopi Lycopoliensis administratoris Metropolitanæ ecclesiæ Ravennatis sacræ Rituum congregationi porrectas pro confirmatione electionis ab illius capitulo & canonicis, ac generali ejusdem civitatis consilio in Patronos minus principales factæ, nempe de sanctis Severo, Calocero, Eleuchadio, Agapito, Liberio, Martiano, Datho, Aderito, Marcellino, Probo & Proculo episcopis Ravennatensibus, nec non de sanctis Romualdo, ac Petro Damiano eorum concivibus, illasque per eminent. & reverend. D. card. de Gentilibus relatas, sacra eadem congregatio, attento, quod hujusmodi electio servatis servandis & juxta formam decreti sanctæ mem. Urbani propе VIII. die XXIII. *martii* 1630. *editi facta fuerit, eamdem electionem supradictorum Sanctorum benigne confirmavit & approbavit. Hac die* XIV. *aprilis* 1742. *A. card. S. Clementis. L. ✠ S.*
T. patriarcha Hierosolymitanus secretarius.

XXIX. Benedicti Locatelli abbatis, & sororis Paulæ obitus.

Quinquagesimo-secundo ætatis suæ anno die XXVIII. februarii obiit Venetiis Benedictus Locatellus Venetus abbas Camaldulensis, dum regimen haberet monasterii sanctæ Luciæ de Vicetia, qui professionem emiserat anno 1707. in cœnobio sancti Michaelis de Muriano. Sub nomine Arcadico Enagii Pellanii plura egregia carmina utraque lingua protulit annis 1715. & 1727. Extat etiam ipsius poema Italicum in mortem Camilli Buccaferrei senatoris Bononiensis in collectione facta Bononiæ anno 1736. In omni genere poesis excelluit Locatellus, justumque volumen conficeretur, si colligerentur monumenta vivacissimi sui ingenii ad poesim nati, præter philosophicas & theologicas disciplinas, in quibus semper se exercuit.

Soror Paula a Voluntate Dei, post extructa aliquot monasteria sororum Cappuccinarum tum Meldulæ, ubi frequentius domicilium habuit, tum in aliis civitatibus, ad Sponsum evolavit, meritis, fide, Dei amore, revelationibus, & cœlestibus charismatibus præclarissima, in cujus parentalibus funebrem laudatoriam recitavit orationem ipsius purissimæ conscientiæ moderator, qui & morienti adfuit, abbas Camaldulensis Flo-ria-

rianus-maria Amigonius. Videatur vita ipsius Paulæ Venetiis paulopost edita & a comite Ferrante Ursellio fuse pieque conscripta.

ANN. CHR. 1742.

XXX. Et Guidonis Grandii abbatis præclarissimi Mathematici.

VIVERE quoque desiit hoc anno Guido Grandius Cremonensis celeberrimus alter abbas Camaldulensis in suo monasterio sancti Michaelis in Burgo Pisarum, quod ex pontificio indulto ad vitam obtinuerat, die quarta julii ætatis anno LXXII. Ab aliquot annis corpore & mente ex continua spirituum dissipatione languere ceperat, ac insensibilis redditus cuicumque voluptati, præter illam studiorum, quibus semper operam dare perseveravit, ita defecerat præsertim in rerum reminiscentia, ut non recordaretur amplius nomina rerum magis obviarum. Anno præterito domi vixerat fere stupidus; in extremum tamen languorem decidit mense majo hujus anni, & nihilominus quotidie e lecto surrexit, quotidie Sacrum & divina officia devote celebravit, sed die XXVI. junii mortali deliquio correptus, dum choro intererat, a familiaribus relatus fuit in lectum, ubi superveniente atrocissimo stertore post octiduum natura cedere coacta est vi morbi. Die sexta julii expositum fuit ejus cadaver in ecclesia abbatiali sancti Michaelis, ipsique parentavit Missæ sacrificio canonicus Ruschius Pisanus coram frequenti populo, præter collegium doctorum, qui interfuere. Orationem autem pronuntiavit Maffejus Pisanus canonicus reg. SS. Salvatoris, erectaque ipsi fuit cum protome sequens memoria: *D. Guidoni Grandio Cremonensi Camaldulensis ordinis Exgenerali, annos XX. hujus monasterii abbati, in Pisano lycæo primum philosophiæ, deinde Matheseos professori celeberrimo, Geometræ nulli secundo, editis ingenii præclaris monimentis clarissimo, theologo summo, Pontificii & Cæsarei juris, historiæ cum sacræ tum prophanæ peritissimo. Quod templum hoc pretiosa suppellectile, monasterium ædificiis, bibliotheca, redditibusque eidem attributis locupletarit, D. Augustinus-Fortunius Forzonius Accoltus monachus eidem bibliothecæ præfectus, viro de universo ordine, de literaria republica, de se optime merito perenne grati animi monumentum. Obiit IV. nonas julii M.DCC·XLII. ætatis suæ anno LXXII.* De rebus suis disponere ex brevi pontificio permissus vasa argentea & cetera mobilia reliquit monasterio Pisano, & copiosam electamque bibliothecam utilitati publicæ cum fundo 2700. scutorum, ut stipendium inde proveniret annuum triginta scutorum bibliothecario, cetera vero inservirent ad augmentum ipsius bibliothecæ; villam insuper a se ædificatam in colle Lugnani tribuit usui monachorum. Auctor vitæ ipsius, qui fuit Johannes-marius Ortes Venetus olim Grandii discipulus, eamque edidit Venetiis post triennium, Grandium describit mediocris staturæ, corpulentum, rubeum pilis, naso amplo, jucundum aspectu, materialem ceteroquin & inconcinnum; ideoque Benedictus Averanius Pisanus professor sub ejus imagine præposita libro Infinitorum cecinit:

Ne sperne effigiem, quæ magnum ingentis Olympi
Mensorem, quamvis parva sit, illa refert.
Ne tamen hac metire virum, qui quantus haberi
Debeat, hic monstrat, major imago, liber.

Numisma ei cusum ab Antonio-francisco Gorio, impressum Florentiæ anno 1738. ab Antonio Selvi egregie Grandium exhibet. Promptum se ostendit ad scribendum in quacumque materia, laboris autem tolerantissimum. Mores illius optimi, beneficia cognovit, libere judicavit, sincerus in religione, in modestia, in pietate. Arte gratiam magnorum

ANN. CHR. 1742.

virorum non quæsivit, domuit indolem suam alioquin perfervidam, virtute. Dicitur recusasse in Urbe prælaturam anno 1716. post visitationem fluminis Padi. Ob reverentiam erga domum Mediceam sprevit propinas ampliores ipsi oblatas in universitatibus Taurinensi & Patavina a rege Victorio Amadeo, & a republica Veneta. Totus in Geometria immersus, coram Clemente XI. proprietates Geometricas reperiit in figuris Sinensibus, quarum characteres ignorabat. Æstimationem omnium virorum literatorum, sed præsertim extraneorum promeritus est, in pretio habitus fuit a Mediceis principibus, a comite Ferdinando-ernesto Erbestein profundissimo mathematico, & a Clemente XII. & a Benedicto XIV. Romanis pontificibus. Sed præstat supradictam vitam legere, in qua quæcumque ad laudem & cognitionem Grandii faciunt, sunt congesta. Eruditissimo alumno suo monachi Classenses post aliquot annos in atrio bibliothecæ inscriptionem aliam statuere hujusmodi: *D.O.M. Guidoni abbati Grandio Cremonensi in Pisano lycæo philosopho & mathematico, Geometriæ principibus facile comparando, aquis Thusciæ dirigendis præfecto, regiæ societatis Londinensis socio, omnigenæ eruditionis cultori & scriptori, pontificibus maximis, magnis ducibus Etruriæ, literariæ reipublicæ probatissimo, abbas & monachi Classenses, ut optimus hujus cœnobii alumnus, qui sapientiæ & religioni vixit, posterorum memoriæ vivat & exemplo, anno* M.DCC.XLVII. *P. C* Alia prostat brevior vita Grandii hoc ipso anno 1742. Massæ edita & collecta a quodam anonymo homine, sicut etiam tertia & ipsa brevis ab abbate Angelo-maria Bandinio conscripta, præter elogia memoriasque honorificas de ipso congestas in literariis notitiis. Ultra allata suis locis Grandii opera habetur ipsius dissertatio *de Formulis Bonæ memoriæ & similibus* Tomo IV. pagina 269. collectionis opusculorum scientificorum Calogerianæ; *Epistola de necessitate opis principum in Astronomia* Tomo XX. pagina 221. *Adnotationes ad vitam sancti Bononii abbatis scriptam a Ratberto monacho* Tomo XXI. 205. *Epistola de Parabolis & Hyperbolis* Tomo XXII. pag. 29. *epistola in systema sonorum D. Narcissi archiepiscopi Armachani* Tomo XXV. pag. 209. In Arcadica societate nomen habuit Dubeni Erimantii, non minus enim floruit in poesi tum Latina, tum Italica, quam floruerit in oratione soluta, & in quocumque dicendi & scribendi genere.

Cardinalis Antonius-xaverius de Gentilibus egit die XXVII. decembris cum congregatione Camaldulensi, pro resignanda ad ejus favorem abbatia sanctæ Helenæ ad flumen Æsinum, cujus commendationem obtinebat, quæque fuerat olim insigne Camaldulensium monasterium.

ANN. CHR. 1743. XXXI. Historica monumenta.

DECRETUM congregationis monachorum Camaldulensium. *Ad humillimas preces D. Zenobii Valmori procuratoris generalis congregationis monachorum Camaldulensium Sanctissimus Dominus noster Benedictus papa XIV. clementer indulsit, ut omnes & singulæ Missæ, quæ pro anima cujuscumque monachi presbyteri, clerici sive laici, necnon monialium præfatæ congregationis, quæ Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraverit, juxta eorum respective constitutiones ad quodcumque altare ecclesiarum etiam respective ipsorum celebrabuntur, Animæ hujusmodi, pro qua celebratæ fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratæ fuissent. Non obstantibus in contrarium quibuscumque. Præsenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romæ die* XXXI. *augusti* 1743.
A. card. S. Clementis. *L.* ✠ *S.* *A.M. Erba Proton. apostol. secret.*

Cle-

Clemens Orioli Major eremitarum Coronensium typis Johannis-baptistæ Conzatti Patavii edidit opusculum Græce scriptum a sancto Johanne Damasceno, quod *Paracletica in sanctissimam Deiparam Virginem Mariam* inscribitur, primum Latinitati donatum a Ludovico Marraccio. Præfationem adjunxit Clemens, & vitam sancti Johannis Damasceni, cum interpretatione etiam Græcarum vocum, quæ argumentum præbent ipsum non fuisse Græcæ linguæ imperitum.

Anonymus eremi Viennensis in lucem protulit libellum inscriptum: *Origo Rosarii J. C. D. N. cum indulgentiis a summis pontificibus concessis, & specialiter a Clemente X.* Præmittitur vita beati Michaelis Eremitæ. Viennæ 1743. typis Gregorii Kutzbock universitatis typographi in 12.

XXXII. Piorum virorum decessus.

In eadem eremo Viennensi defunctus est Ignatius conversus die XXVII. augusti, religionis anno LXIII. utpote qui prope nonagenarius decessit. Ejus virtutes, patientiam, sedulitatem in oratione & in laboribus fuse describit in suis memoriis pater Basilius Du-vergius, qui etiam locum dedit ei in suo Diario Camaldulensi [a], ubi ipsius effigiem incidi fecit, quæ jussu superiorum efformata est, ut vel ad intuitum ejus tamquam in speculo religiosæ vitæ & eremiticæ observantiæ norma pateret.

[a] T. IV. 57.

Alterius Coronensis conversi obitus refertur ad hunc annum, diem autem XXXI. maji, nempe Arsenii a Vico-pantano, prius oblati, inde professi in eremo Coronatæ. Integra & cœca obedientia, assidua pœnitentia continuique labores, magna simplicitas & innocentia morum donum ei pepererunt divinæ præsentiæ & supernaturalis scientiæ; quare licet idiota ita de Deo sermones habebat, & facta ac dicta sacræ Scripturæ in medium proferebat, ut passim ad consilia vocaretur, & omnes dulcedine repleret, cum quibus colloquebatur. Cuidam seculari, qui ad sacram communionem accedebat dixit: Confitere prius tale peccatum, quod commisisti, & tunc securus accedas. Alteri illustri viro manifestavit culpam ab ipso perpetratam; nobilis vir Cavensis miserat ad Arsenium, qui rogaret, ut veniret ad uxorem suam, & precibus Deo commendaret partum, qui difficilis putabatur. Respondit Arsenius nuncio: Vade, quoniam domina tua peperit jam filium masculum. Prædicebat, an convalescere vel mori ex infirmitate aliqua deberent decumbentes lecto. Totam fere diem transigebat in ecclesia audiendis & inserviendis Missis, & tamen parata erant omnia, quæ ad prandium vel ad eremitarum indigentias occurrebant; communiter itaque habebatur ut Sanctus, crevitque opinio ejus sanctitatis post obitum, qui contigit, dum janitor esset eremi sancti Salvatoris, in quo ministerio caritatem suam excellentem erga pauperes ostenderat.

Ex monachis decessere Paulus-antonius Ligi Burgensis abbas Camaldulensis, cujus extant chronologicæ pontificum & imperatorum tabulæ Florentiæ impressæ; & Romualdus Lucchesinius Bononiensis. Editæ fuere Lucchesinii orationes, una habita coram antianis & confalonerio reipublicæ Lucensis anno 1728. alia de sancta Agnete a Monte-politiano pronuntiata in ecclesia sancti Georgii Lucæ, quæ postrema dicata fuit Benedicto XIII. Romano pontifici eodem anno.

Procurata est hoc anno Venetiis nova editio operum sancti Petri Damiani cardinalis & episcopi Ostiensis, & nuncupata Ferdinando Romualdo Guicciolio ex abbate Camaldulensi episcopo Lycopolitano, & Ravennatis ecclesiæ administratori. Additæ fuere notæ breves nostræ ad vitas sancti

Ann. Chr. 1743.

cti Romualdi, aliorumque Sanctorum, quorum memorias collegerat & exaraverat Damianus.

Ann. Chr. 1744.

XXXIII. Aliorum quoque, & Sanctimonialium obitus.

OCTUAGESIMO suæ ætatis anno die XIX. octobris vitam mortalem reliquit in eremo sancti Johannis-baptistæ de Gros-bois Johannes-baptista Carbonerius Parisinus, qui professionem emiserat die XIV. aprilis anni 1681. Exquisiti ingenii vir, felicis memoriæ, & in scientiis acquirendis expeditissimus præsertim ecclesiasticis, reliquit quoddam opus suum ms. super sacra Scriptura; aliud, cui titulus: Catalogus hæreticorum, eorumque hæresum. Dignitates omnes in congregatione maximo plausu implevit, & illam Majoris per viginti & amplius annos.

Alter decessit Romæ Zenobius Valmorius Florentinus abbas Camaldulensis, dum procuratorem generalem in curia Romana ageret, fueratque ad sexennium abbas generalis.

Venerabilis presbyteri solitarii mortem addimus, qui licet nunquam candidum Camaldulensem habitum receperit, religiosa & ab hominum consortio remota conversatione triginta-duorum annorum spatio vixit in monasterio nostro sancti Michaelis de Muriano. Is est Johannes de Franciscis Venetus, qui postquam pluribus annis officium secretarii regii implevit tum in classibus maritimis, tum in aula Romana, mundi pertæsus solitudinem elegit in Monte-luco diœcesis Spoletanæ, sed inde jussu majorum in patriam revocatus, permissus est secedere in insulam sancti Michaelis de Muriano, in qua ab anno 1712. usque ad præsentis anni diem XVIII. januarii permansit, Deo, sibique, & operibus pietatis vacans. Oratio illi assidua, constans sui abnegatio, caritas erga proximum, quem consiliis & eleemosynis juvit, perfecta Dei voluntati subjectio fuere virtutes, quibus irremisse se exercuit; donec octuagesimo-secundo vitæ suæ anno feliciter ad Deum transiit. More monastico in communi ascetarum claustri sepulcro depositus, translatus est inde in ecclesiam sub arcu chori cum sequenti inscriptione: *D. O. M. Johanni de Franciscis patritio Veneto, qui sacerdotium ac divinorum contemplationem patriis honoribus prætulit, monachi Camaldulenses contubernali pientissimo P. C. Vixit annos* LXXXII. *Obiit* XV. *kalendas februarias* M. DCC. XLIV. Ipsius vitam conscripsit Anselmus Costadonius Venetus monachus sancti Michaelis de Muriano, quam in lucem protulit Venetiis anno sequenti, haustam ex ore & familiari consuetudine ejusdem venerabilis viri. Costadonii est insuper dissertatio super tabulam Græcanicam continentem lignum sanctissimæ Crucis Jesu-Christi, anno 1747. quam etiam inseruit Gorius vol. III. Symbolarum; alia in tabulam Eburneam perantiquam anno 1748., atque a Gorio eodem in thesauro antiquitatum Eburnearum rursus edita; alia de Pisce, Christianorum symbolo anno 1749. alia de cathedrali basilica Torcellana, anno 1750. alia demum super eburneam figuram Henrici aucupis, anno 1751. quæ omnes etiam extant in collectione Calogeriana, in qua pariter legitur vita Romani Merighii abbatis anno 1737. conscripta.

Cæsenæ in parthenone sanctæ Catharinæ ad Deum evolavit Coronata Venturelli sanctimonialis ex nobili familia Cæsenate, insignis ex sui contemptu, humilitate & pœnitentiis. Quia se existimabat indignissimam & pessimam in oculis Domini, saxis tundebat pectus suum, ut veniam mereretur recipere. Eam scientiam didicerat in mentali oratione, ut de attributis Divinis loqueretur tamquam versatissima magistra. Passiones in ipsa videbantur mortuæ; in omnibus spiritualibus exercitiis erat prima,

ma, in operibus caritatis indeficiens. Cum proposuissent ceteræ moniales eam sibi deligere in abbatissam, tam fervidis precibus a Deo imploravit, ne hoc onere gravaretur, ut in vigilia Nativitatis Domini supremum lumen habuerit de sua proxima morte; reapse post biduum sanguinem excreavit, & post octiduum ad extrema perducta est. Videbatur jam proxima morti, cum admonuit confessarium, se ea die non obituram, sed nocte sequenti, ad cujus medietatem, superveniente feria sexta, quam semper sanctificaverat jejunio panis & aquæ, dulcissime expiravit. Hæc retulit per epistolam Nicolaus-maria Rossetti Cæsenas doctissimus & piissimus frater Cappuccinus.

Alia Fabriani ad Sponsum abiit monialis sancti Sebastiani Marianna-theodora Gervasoni Mediolanensis quadragesimo-sexto suæ ætatis anno, quæ ante octennium habitum induerat in eo asceterio. Puerula cum esset, & deformis, oculoque carens, ejus genitores tamquam famulam potius quam filiam habebant. Sui contemptum Dei amore sustinuit, & vitæ spirituali totam se consecrans magistrum & doctorem sui spiritus meruit habere ipsum Deum. Jejunabat tribus diebus hebdomadæ pane & aqua contenta, cubabat super ligneos asseres, vel super pavimentum, reliquum diei & noctis orationi dabat. Devotissima infantis Jesu obtinuit pane sacramentali vesci vix decennis. Visitabat pauperes & infirmas mulieres, earumque ulceribus medebatur. Ecclesias frequentabat, orabat semper pro peccatoribus, & plorabat pro culpis, quibus Deus offendebatur. Hac læsæ Divinæ bonitatis displicentia mota quadam die in altum locum ascendens concionem ad populum habuit unctione & efficacia plenam, qua adstantes ad compunctionem excitavit. Invidebat sororibus suis, quæ sanctimoniales evaserant, Deumque orabat, ut & se earum numero copularet. Quidam nauta casu eam in via reperiens ipsam monacham futuram prænuntiavit. Alia die senem venerabilem conspexit, qui ei dixit: Scribe Fabrianum, ubi moniales sancti Sebastiani sororem tuam in abbatissam elegerunt, ipsiusque intuitu te recipient in suum monasterium. Nullus autem Mediolani eatenus notitiam habuerat hujus electionis. Scribens itaque confestim ad sororem recepta fuit a monialibus, licet trigesimum-octavum ætatis annum ingressa fuisset. Sanctimonialis effecta totam se pœnitentiis carnisque macerationibus addixit. Deus vero speciali dono eam ditavit, ut præ amore in lacrymas quotidie diffflueret, & interius ardenti igne combureretur; aliquando etiam extra sensus rapta in terram decideret. Puerulus Jesus ei apparuit cum Virgine matre, & martyrium, quod ipsa enixis precibus cupiebat, adventurum pollicitus est. Martyrium autem fuit in spiritu & in corpore trium annorum curriculo ante ejus mortem. Deliciis enim, quas degustabat in oratione, fuit privata, obnoxia omnibus dæmonis tentationibus, & in carne afflicta pœnalibus cruciatibus, ita ut sibi videretur, quod carnifices ipsam membratim cæderent, & triturarent. Nunquam lætior fuit, quam cum ei prænuntiata fuit notitia proximæ mortis, quam jucundissime subivit die XXVIII. aprilis, præsente medico, qui postea exiens e monasterio acclamavit per totam urbem obiisse Sanctam in asceterio sancti Sebastiani.

Adjungimus Mariannæ sororem conversam monasterii sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone extra urbem Florentiæ. Ea fuit Maria Humilitas-exaltata Cianchi, quæ primis annis socia destinata venerabilis Paulæ a Voluntate Dei, literas ab ipsa accepit Dei voluntatem esse, ut in alio sacrarum Virginum cœtu sanctificaretur. Interius exteriusque cruciata

Ann. Chr. 1744.

ciata patientissime pœnas omnes toleravit; utebatur quadam capsa pro cubili vel ipso tempore hyemis, ita ut correpta postremis diebus ictu apopletico, cum moniales vellent eam in lectum reclinare, nullum repererint in ejus cubiculo. Præviderat mortem suam ante annum, & tempore tumulationis postremæ monialis defunctæ mense novembri anni præteriti confessario aperuit se primam sequuturam defunctam, ut contigit die XIV. januarii hujus anni. Uno ore testatæ sunt ceteræ moniales sororem hanc fuisse exemplar perfectissimum omnium religiosarum virtutum, servasseque ad sepulcrum baptismalem innocentiam.

Inscriptio super cœmeterium renovatum prope ecclesiam sancti Gregorii de Urbe: *D.O.M. Vetustissimo collabente cœmeterio sancti Gregorii M. precibus pro animabus Defunctorum celeberrimo in meliorem hanc formam a fundamentis restituto, abbas & monachi Camaldulenses M. P. Anno Dñi* M. DCC. XLIV.

Seraphinus a Tridento asceta Rhuensis in eremo Brixiensi e Gallico in Latinum idioma transtulit librum, cui titulus: *La strada larga, in cui perisce il Mondo, del P. Giuliano Haynaufue S.J.* Brixiæ 1744. Item sub nomine Christophori Pilati alterum: *L'Uomo di Dio.*

Assignata est hoc anno ab abbate generali congregationis Camaldulensis Aurelio Guidottio dies fixa pro celebratione Officiorum eorum Sanctorum, quæ perpetuo in Kalendario & Breviario ordinis sancti Benedicti erant ob occurrentiam Officiorum aliorum Sanctorum impedita, & sic etiam in Kalendario Camaldulensi, vigore Decretorum sacræ Congregationis, quæ hujusmodi facultatem concesserat superioribus Ordinum, tributa eadem facultate idipsum peragendi subalternis præsulibus respectu suorum monasteriorum, & quoad officia eorum Sanctorum, quæ forent impedita ob celebrationem Officiorum Sanctorum peculiarium locorum, vel Sanctorum, quorum insignes in ecclesiis venerarentur reliquias.

XXXIV. De Apollinari Chiomba doctissimo & piissimo eremita Taurinense.

Apollinari Chiomba visitatori generali eremitarum congregationis Taurinensis gratiosissimum donum dentis sancti Apollinaris Ravennatis archiepiscopi & martyris transmisit hoc anno Ferdinandus-Romualdus Guicciolius administrator ecclesiæ Ravennatis, quod donum in grati animi monumentum exoratos nos voluit idem piissimus & doctissimus eremita, ut in hos Annales referemus. Qua occasione lectores admonitos facimus, nos non una vice in Annalibus ipsum laudasse, præsertim ad annum 1612. emortualem ven. Alexandri Cevæ fundatoris ejus congregationis, plurimumque profecisse ex notitiis, quas ad nos humanissime dedit; sed vitiato cognomine ipsum semper appellasse Chiompium, cum verum ipsius cognomen sit Chiomba vel Chiombius a Sancto-stephano ad Belbum. Hoc in loco pariter omnia congerimus, quæ ad notitiam nostram venerunt ipsum scripsisse. Natus anno 1695. vigesimo-secundo ætatis suæ anno eremiticum sancti Romualdi institutum amplexus est anno 1717. sequentique anno professionem emisit in eremo sancti Salvatoris prope Taurinum, & temporis progressu primarias dignitates & officia in ea congregatione, & non semel illam Majoris diligentissime & piissime implevit. Superiorum jussu ab anno 1735. collegit documenta omnia & memorias historicas spectantes ad vitam, virtutes & gesta venerabilis fundatoris dictæ eremi; epistolas inde 138. ab eodem scriptas pertinentes potissimum ad eam fundationem; alias 175. clarorum virorum ad ipsum; apologiam sive narrationem historicam criticam eorum, quæ acciderunt illi in eremo Camaldulensi; seriem chronologicam principii, progressus & perfectionis eremi Taurinensis ab anno 1596. ad 1612.

Annales

Annales congregationis Taurinensis ab eodem anno 1612. ad nostra tempora; vitam, virtutes & actiones quindecim illustrium eremitarum Taurinensium; in iis vitam Benedicti Lovera religiosissimi eremitæ, quam die XV. januarii anni 1755. comitibus Michaeli antonio & abbati Petro-ignatio fratribus Lovera pronepotibus venerabilis viri nuncupavit; compendiosam relationem instituti eremitici Camaldulensis & regularis disciplinæ, quæ in eo observatur, cum epitome vitæ sancti parentis Romualdi; catalogum Scriptorum congregationis eremiticæ Pedemontanæ cum descriptione bibliothecæ eremi Taurinensis & mss. codicum, qui in ea reperiuntur. Quæ omnia nobiscum communia voluit, ut ea, quæ Annalibus Camaldulensibus inservirent, decerperemus. Ex præfatis Annalibus Taurinensis congregationis corrigenda sunt aliquot spalmata, quæ in nostros irrepserunt; nimirum Alexander Ceva fundator, non septuagesimo-secundo, ut diximus ad annum 1612. sed septuagesimo-quarto ætatis suæ anno ad Deum abiit. Non tres, ut asseruimus, episcopatus recusavit, sed duos, Saluthiensem & Eporediensem, præter archiepiscopatum Tarantasiensem. Archiepiscopum Taurinensem singularem ipsius fautorem ex familia Brolia, vulgo *Broglia*, non Brolium, ut nos scripsimus, agnoscimus; ita episcopum Vercellensem M. Antonium Vitia pro Visia emendamus, licet Visia appelletur etiam ab Ughellio; episcopum sancti Johannis de Moriana Milliettum, vel ut habet idem Ughellius Milhettum, non Milliottum fatemur. Eremita auctor inscriptionum in ecclesia eremi Koreæ in Lanzo est Hiacynthus Colmus, non Collinus, a Villa franca. Orator ducis Sabaudiensis in Romana curia fuit comes Scagliæ de Veruva, non Scalgiæ. Hæc omnia potissimum corrigenda ad eumdem annum 1612. gloriosum morte sancti fundatoris Alexandri Cevæ ex monitis per epistolam humanissimi ejusdem eremitæ Apollinaris. Cui etiam tribuenda est elevatio Officii sancti archiepiscopi & martyris Apollinaris ex duplicis minoris ritu, ad ritum duplicis secundæ classis cum octava, ad favorem omnium monachorum & eremitarum Camaldulensium congregationum. Duabus potissimum rationibus motus est piissimus homonymus eremita ad augendum sancti Apollinaris cultum apud Camaldulenses, scilicet quod bis apparuerit in visione beato parenti nostro Romualdo, ex qua visione profluxit ipsius conversio, aliisque vicibus se conspiciendum præbuerit, admonueritque in somnis; & quod sacra lipsana sancti Apollinaris decentissime asserventur in abbatiali basilica Classensi monachorum Camaldulensium. Scripsit proinde eremita Apollinaris ad Oddonem procuratorem generalem eremitarum Montis-coronæ, qui etiam ad partes suas traxit procuratores generales eremitarum Camalduli Etruriæ, & monachorum, ad quorum conjunctas preces sacra Rituum congregatio die XX. junii officium sancti Apollinaris ad digniorem ritum extulit, facta relatione sanctissimo pontifici Benedicto XIV. qui benigne annuit. Ceterum vivit Apollinaris Chiomba Taurinensis eremita septuagesimo suæ ætatis anno, & incolumis vivat ad decorem suæ congregationis, totiusque ordinis Camaldulensis.

Ex sententia Ludovici Merlini nuntii apostolici in aula Sabaudiensi perempta fuit controversia omnis, quæ a multo tempore vigebat, & novissime iterum exarserat circa capellam sancti Juliani in finibus olim Cherii, nunc Baldisserii, inter eremitas Taurinenses ex una parte, & inter parochum loci, communitatem Baldisserii & feudi dominum Fontanellam ex altera, sublato quocumque jure, quod sibi vindicabat in eam capellam parochus. Videantur, quæ diximus ad annum 1721.

ANN. CHR. 1745.

XXXV. Benedicti XIV. brevia pro Camaldulensibus.

ROMANUS pontifex Benedictus XIV. salvo in ceteris tenore apostolicæ bullæ Clementis XII. pro abbatia Fullinæ, de qua nos ad annum 1739. eximit monasteria duarum provinciarum Ecclesiastici status, & alterius Florentinæ ditionis a præstanda securitate solutionis septingentorum scutorum obligatæ abbati commendatario dictæ abbatiæ, Venetam tantummodo provinciam pro indemnitate ejusdem solutionis adstringens.

Idem ad preces Andreæ Tartini procuratoris generalis monachorum Camaldulensium supplicantis, ut quemadmodum Leo X. remissionem omnium errorum & involuntariorum defectuum concesserat Camaldulensibus recitantibus orationem *Sacrosanctæ* post divinum officium, ita dignaretur eamdem remissionem indulgere recitantibus ipsam orationem post officium beatæ Mariæ Virginis, quod persolvunt æque eremitæ & monachi Camaldulenses, indulsit & rescripsit pro gratia die decima martii, extendens eam remissionem non solum monachis & eremitis, sed etiam conversis, commissis, monialibus & oblatis Camaldulensibus post expletum officium beatæ Virginis.

XXXVI. Eremitarum Camaldulensium mortes.

OBIIT die secunda decembris in eremo Nolæ Romualdus maria Bergomensis ex monacho congregationis Cœlestinorum eremita Coronensis ab anno 1693. die septima februarii. Vix completo tirocinio & emissa professione, brevi pontificio ob singulares virtutes pietatemque morum electus fuit magister novitiorum maximo profectu suorum alumnorum; adimplevit inde officia omnia etiam majora religionis, admirabili suavitate, & universali plausu Majoris dignitatem exercuit. Demum infirmitatibus pressus Nolæ substitit summa patientia morbos tolerans, & exemplo virtutum prælucens inter suos. Expetiit a sacra congregatione licentiam commutandi officium divinum cum recitatione plurium corollarum post violentum apoplexis ictum, quo fuit gravatus, quique fuit proximæ suæ mortis præsagium. Ejus fœtus sunt sequentia opera: *Brevis methodus & praxis visitandi eremitas Camaldulenses Montis-coronæ*; Romæ 1703. *La vera strada per acquistare la pace interna dell'Anima*; Neapoli; iterum Venetiis anno 1709. Hanc lucubrationem nuncupavit Johanni-francisco Barbadico episcopo Veronensi, postea S. R. E. cardinali. *La Croce del Cristiano divisa in due parti con l' Appendice, dove si dichiara la pratica per guidar l' Anima alla perfezione*; Romæ 1721. *Midolla della perfezione Cristiana ed evangelica per i Religiosi, e chiunque brama avanzarsi nella via ardua dello spirito*; Venetiis 1728. Inedita reliquit præterea duo volumina sermonum dominicalium.

Alter decessit sacerdos eremita Coronensis Hilarius Bonafini Lendenariensis die XXVI. januarii quinquagesimo-secundo ætatis anno. Viennæ Austriæ commoratus aliquo tempore cum equite Cornelio, & cum Daniele Bragadeno Venetis oratoribus, in Italiam reversus secessit in eremum Rhuensem anno 1730. Magister inde factus novitiorum suavitate & gravitate singulari officium illud gessit. Dono orationis ditatus mortificationem, & silentium ac solitudinem unice adamavit. Addictissimus fuit devotioni beatæ Mariæ Virginis, de cujus laudibus colloquens inflammabatur in facie. Demum viribus extenuatus finem vitæ suæ adesse præcognovit, die & hora prænuntiatis.

Tertius XXIX. maji in eremo sancti Clementis Venetiarum obdormivit in Domino Ignatius Delfei ex oppido Mottæ provinciæ Foro-juliensis. Reliquit mss. opera: *Massime spirituali per i direttori di Anime Religiose. Il carro della Gloria composto dalle quattro ruote delle Religioni in genere, Religioni in specie, Religioni militari, Religioni eremitiche*, gui-

guidato da quattro Animali Basilio, Benedetto, Agostino, Francesco. Die IV. octobris 1696. *Invocatio ad Sanctos diei per annum*, completum anno 1694. *Hymnos in festo Ascensionis; Idillium super adventum Spiritus-sancti. Emblemata cordis amantis Deum.* Ex cancellario urbis Brixiensis in Rhuensi solitudine professus est anno 1688. Ordinavit archiva eremorum. Major cum esset, quod officium bis gessit, Viennam, & in Poloniam profectus est, ubi vicarium generalem constituit, qui se conferre deberet ad capitula generalia Italiæ. In eadem dignitate constitutus Æsii pretio comparavit cauponam illam, ubi ossa sancti Romualdi furtim sublata e Valle de Castro, deposita fuerant, eamque convertit in capellam dicatam sancto parenti Romualdo. Cœlitus edoctus creditur de proxima sui morte; vir erat admirabiliter paupertatis amator, humilitatis & patientiæ assiduus cultor. Absque gravamine corporis, nulla mentis obtenebratione, sensibus plane vividis, placidissime animam Deo reddidit.

ANN. CHR. 1745.

XXXVII. Ferdinandus Guicciolius evectus ad archiep. Ravennatem.

FERDINANDUS-ROMUALDUS Guicciolius post munus administratoris ecclesiæ Ravennatis diligentissime adimpletum per quatuor annos, ab eodem Romano pontifice Benedicto XIV. electus fuit hoc anno archiepiscopus ejusdem ecclesiæ, cujus basilicam cathedralem a suo prædecessore inceptam, ad integrum compleverat. Feria IV. Majoris hebdomadæ benedictum fuerat templum; sabbato-sancto possessionem ipsius ingressus est, & Dominica Paschatis Resurrectionis D. N. J. C. pontificalem in eo Missam decantavit, tredecim seculis postquam vetus templum in ipsa Paschali sollemnitate consecratum fuerat sub titulo sanctæ Resurrectionis a sancto archiepiscopo Urso. Totius urbis plausu & lætitia excepta fuit hujusmodi electio novusque pastor, omnesque virorum ordines haud vulgare gaudium ostenderunt, præsertim cum hoc ipso anno alter ejus germanus frater Alexander-antonius ad Ariminenses infulas fuerit evectus. Archiepiscopo Ferdinando universam philosophiam 800. carminibus Latinis expositam Ravennæ dicavit Elias Fromond Cremonensis monachus Camaldulensis & philosophiæ lector in Classensi cœnobio, quam Johannes Lamius specimine producto refert.

In capitulo generali Faventiæ ad supremam abbatis generalis dignitatem evectus fuit Franciscus-angelicus Fredericius Venetus, ad munus autem visitatorum Hiacynthus Boni Foro-liviensis, & Sylvanus Ciapetti a Strata. Decedenti vero duodecima julii anni sequentis Fredericio generali substitutus est mense septembri Johannes Ipsi Venetus ex professione sancti Michaelis de Muriano. Sequens autem decretum suo generalatus anno tulit Fredericius: *Cum in aliquibus nostræ Congregationis monasteriis laudabilis introductus sit usus canendi in choro post Completorium die ultima mensis decembris hymnum Ambrosianum* Te Deum laudamus *pro gratiarum actione ob beneficia nobis a D. O. M. toto elapso anno impertita; hinc ut talis usus in universa congregatione nostra amplietur, præcipimus, ut in omnibus & singulis nostræ congregationis monasteriis tam monachorum, quam monialium, ultimo die mensis decembris quolibet anno, expleto Completorio, cantetur in choro præfatus hymnus* Te Deum laudamus *cum precibus & orationibus, ut in Rituali Romano pro gratiarum actione. Datum Faventiæ in nostro monasterio SS. Hippolyti & Laurentii die* IV. *novembris* 1745. *D. Franciscus Angelicus Abbas generalis totius ordinis Camaldulensis. L. ✠ S. D. Maurus Ortes Cong. Camald. cancellarius.*

XXXVIII. Inscriptiones Classenses & Sangregorianæ in Urbe.

INSCRIPTIONES ad Classensem sancti Apollinaris basilicam; San-

ANN. CHR. 1745.

ctissimi Apollinaris reliquias e sarcophago in inferiori crypta asservato eductas, resarta jampridem basilica a Casimiro abbate Galaminio, extructoque splendidiore opere ciborio, Apollinaris abbas Montanarius sub mensa IV. *nonas septembris anni* M. DCC. XXV. *condidit, ubi ad Ravennatium perpetuam securitatem requiescunt anno* M. DCC. XLV. *quo Theobaldus Binda abbas œconomus & monachi, eruditorum piorumque commodo consulentes Benedicto XIV. P. M. Pompejo cardinale Aldrovando legato, Ferdinando Romualdo archiepiscopo patritio Ravennate, Classensi olim abbate, de hoc templo benemerito circumposita monumenta inscribenda curarunt. Heus tu, quisquis es civis vel hospes, sacratissimum caput & ossa Apollinaris Ravennæ & Æmiliæ apostoli, cujus tacto sepulcro sollemne sacramentum dicebant veteres, & natali die quotannis superioribus seculis basilicam hanc adibant episcopi provinciæ, hic venerator, usquam alibi ne colito, neu esse credito; si secus faxis, hinc procul exesto, & scito Hildebrandi cardinalis Crassi apostolicæ sedis legati decreto ab Alexandro III. Urbano III. Innocentio III. Gregorio IX. & Innocentio IV. Romanis pontificibus rato sanctoque habito, te catholica religione interdictum Deo vindice punitum iri.* In aversa parte majoris aræ, in qua sacrum corpus sancti Apollinaris reconditur: *Corpus Christi martyris Apollinaris primi antistitis & patroni urbis Ravennæ.* Anno præcedenti binas alias posuere monachi; unam ad dexteram majoris januæ: *D. O. M. S. Leoni III. P. M. ordinis S. P. Benedicti, qui renovato templo labe temporis corrupto, quadriporticibus vetustate nunc dirutis in pristinam faciem restitutis, pretiosissimis donis & sacra suppellectili basilicam hanc anno* DCCC. XV. *auxit & ornavit, custodes templi ad munificentissimi pontificis memoriam revocandam anno* M.DCC. XLIV. *PP.* Alteram ad lævam ejusdem januæ: *D. O. M. Julio papæ II. quod* XII. *cardinalibus comitantibus templum hoc inviserit, & monachis petentibus sancti Apollinaris reliquias subterraneo specu sub angiportum majoris testudinis Francisco cardinali Soderino anno* M. D. XI. *transferri mandaverit, illarum custodes pontificiæ pietati anno* M. DCC. XLIV. *PP.*

In templo sancti Gregorii de Urbe pariter sequentia prostant monumenta.

Angelo-mariæ Quirino S. R. E. cardinali bibliothecario, qui templi hujus principem partem præclarissime ornavit, totumque pavimentum integre marmoreum magnifice auxit, Camaldulenses monachi grati animi ergo M. PP. & quotannis die nona decembris, quo in amplissimum Cardinalium ordinem est cooptatus, sollemni Missa de Spiritu-sancto, quoad vixerit, Defunctorum vero post ejus obitum, qua die naturæ debitum persolvet, munificentissimi principis memoriam perpetuo colendam sanxerunt anno Christi M. DCC. XLV.

In pavimento ecclesiæ in circulo: *Angelus Quirinus S. R. E. card. Bibliotb. Episc. Brixiens. pavim. musivo & tessell. opere P. A.* M. DCC. XLV.

In pavimento ante altare beatæ Virginis Mariæ in eodem templo: *D. O. M. Abbas Ferdinandus, Philippus & Alexander fratres de Floravantibus Romani patritii sacelli hujus patroni tabulam B. Virginis Mariæ immaculatæ, aram marmoribus ornatam, pavimentum & conditorium proprio ære sibimetipsis posterisque suis statuere an. Sal.* M. DCC. XLV.

ANN. CHR. 1746. XXXIX. Monachorum aliquot obitus.

IN monasterio sanctæ Mariæ-angelorum de Florentia obiit Justus Venturini abbas ex Pontremulo, patre senatore; theologus & J.V.D. regiæ celsitudinis Cosmi III. in Florentina universitate theologiæ Polemicæ & sacræ ethices professor. Edidit Florentiæ anno 1714. decisiones dubiorum duodecim ad mores spectantium ex aliquibus veteris testamenti patrum gestis

gestis selectorum, dicavitque Thomæ Bonaventuræ comitum de Gherardesca archiepiscopo Florentino. Alias dubiorum quatuor ad duo priora Geneseos capita pertinentium exposuit anno 1731. quæ nuncupavit Alamanno Salviati S. R. E. cardinali. De regularium professorum in publicis universitatibus jure in capitulis generalibus sui ordinis 1719. dissertationem, aliaque edita opuscula.

Alter decessit monachus Petrioli in diœcesi Firmana Alphonsus-maria Eufemius Perusinus die XXIX. decembris, de quo & de fundato ab ipso Oblatarum Camaldulensium instituto aliqua diximus annis antecedentibus. Eo in loco alteram Oblatarum domum erexerat. Vertit ex Latino in Italicum historiam Translationis sancti Romualdi a Fortunio confectam; Officium meditationesque Infantiæ beatæ Mariæ Virginis ad usum suarum Oblatarum composuit.

Octuagesimo-primo ætatis anno ad cœlestem patriam perducta est die duodecima julii Hermelinda Marzoli nobilis Cæsenas in patrio parthenone sanctæ Catharinæ. In educandis novitiis enituit, crediturque habuisse donum agnoscendi spiritus, an ex Deo essent, sicut singulari gaudebat altero dono instillandi divinum amorem. Ita erat in Deum absorpta tempore orationis, ut extra sensus raperetur. Ter regimen monasterii tenuit gradu abbatissæ, multaque pro Dei gloria, invicta patientia, humilitate & confidentia perpessa est, semperque studebat benefacere iis, a quibus aliquam contrarietatem sustinebat. Has quoque notitias habuimus ex epistola Nicolai-mariæ Rossetti ex Cappuccinorum familia, patria Cæsenatis.

XL. Proposita fundatio eremi in diœcesi Vercellensi.

CIRCA hæc tempora Comes Bruccus Oliverus dominus Sordevoli, qui locus distat tribus milliariis a Biella diœcesis Vercellensis, proposuit in loco suæ jurisdictionis fundationem eremi Taurinensibus eremitis. Anno sequenti mense aprili definitoribus capituli generalis situm, ecclesiam, turrim campanariam, aliquot cubicula, bona & redditus se oblaturum pollicitus est; quare patres definitores nonnulla capitula super ea fundatione efformarunt; ut scilicet ecclesia præfata cum ædificiis, bonis & redditibus ab eodem comite eremo donaretur; ut ipse beneplacitum regiæ majestatis, & permissionem episcopi Vercellensis obtineret, assensum quoque apostolicum; ut redditus sufficerent ad substentationem trium religiosorum, qui fundationem inchoarent, & intra tres annos satis forent pro victu & vestitu septem; ut eremitarum Taurinensium congregatio nulli expensæ subjaceret pro alimentis præfatorum religiosorum. Ecclesia, quæ offerebatur, dicata erat sancto Grato; locus autem ubi fundanda erat eremus, erat in colle parum dissito a villa ejusdem comitis. Verum validas oppositiones faciebat parochus, faciebant principaliores familiæ dicti loci, licet populus fundationem exoptaret; bona etiam oblata sterilia erant, parvumque redditum pollicebantur frumenti & vini, vixque ad mille libellas Taurinenses annuas perveniebant; habitatores loci erant pauperes, qui subsidium potius expectabant ab adventu eremitarum. Regia majestas Caroli-emmanuelis III. admonitus de hujusmodi fundatione, licet dilatationem religiosarum familiarum in sua ditione vetasset, attamen Taurinensibus eremitis, qui paucas in regno habitationes habebant, facile indulgebat, ut unam vel alteram eremum construerent, in qua tamen septem vel octo eremitæ degerent. Quare Majores congregationis tenues redditus considerantes, ceteraque obstacula perpendentes, affatim deposuerunt spem omnem fundandi propositam eremum, & comiti Olivero gratias egerunt pro ipsius piissima voluntate,

Ann. Chr. 1746.

te, qui quidem, ut aliquo modo optimas suas intentiones declararet, muneribus prosequutus est eremum Lanzi, instituens ibidem Missam hebdomadalem, & vestes sacras donans pro usu altaris.

Ann. Chr. 1747. XLI. Eremitæ Kalenbergensis sancta vita & mors.

Ex memoriis patris Basilii du-Vergii sequens inscriptio apposita fuit Cajetano Plattenhardt insigni & piissimo Viennensi eremitæ. *Hic situs est rev. in Christo pater Domn. Cajetanus Plattenhardt E. C. M. C. Suevus Augustanus natus anno Dñi* M. DC. LXXII. *octavo idus novembris, qui exactis in religione annis* XXXV. *atque ex his primum Nitriæ* V. *deinde hic positus Vicariatus munere, continuis decem & septem annis in reclusorio Deo unice intentus obiit anno Dñi* M. DCC. XLVII. *sexto kal. aprilis*. Arma tractavit inter Helvetos stipendiis regis Galliarum adversus Hollandos & Anglos, & transacto octennio militiæ valedixit, peragrans Franciam & Italiam, Gallicam, Italicam, Latinam & Hispanicam linguas didicit, demum Viennam profectus locum-tenentis officium sub Josepho I. Romanorum imperatore strenue obivit, donec divina voce ex gravi morbo invitatus sagum cum sacco commutavit in solitudine Viennensi, accedente validissima commendatione augustissimæ imperatricis Amaliæ Josephi I. relictæ, professusque est anno 1713. die XXXIII. julii in festo sancti Apollinaris. Observantiæ eremiticæ addictissimus, majores sibi præscripsit regulas, petita reclusione, quam servavit per XXII. annos. Augustissimus imperator Carolus VI. viduæ imperatrices, serenissima regina, modo imperatrix, Maria Theresia, nuntii apostolici Dominicus Passioneus, & Camillus Pauluccius aliique principes seculares & ecclesiastici viri ad eremum divertentes noluerunt abscedere, neque unquam abscessere, nisi hausto ex ignitis ejus & fervidis de Deo sermonibus solatio. Continuis se flagellis cædebat, ad legendum, scribendum aliaque externa exercitia facienda sedem nunquam adhibuit, qua caruit in cella, perficiendo omnia de genibus. Vinum nunquam gustavit, nisi postremis annis ex obedientia, singulari Dei dono spiritu illuminatus, & caritate exæstuans, omnibus opere & consiliis benefecit. Perito penicillo ad vivum efformata fuit ejus effigies, quæ sanctitatem spirat.

Vigesima-septima februarii alter Coronensis eremita in eremo sancti Georgii de Garda Agatho Cephaleniensis sancte decessit quadragesimo-tertio ætatis, septimo vitæ eremiticæ anno. In agone positus coram altari duas Missas audivit, & dum tertiam audire parat, dulci somno expiravit.

XLII. De chronico Leonis Ostiensis descripto ab Ambrosio generali.

In monasterio sancti Michaelis de Muriano obiit XXIII. julii Franciscus Ipsi abbas. Extat ipsius edita epistola scripta ad Petrum-mariam Justinianum Casinensem monachum transmittendam ad Erasmum Gattolam insignem scriptorem historiæ Montis-casini, in qua codicem chronici Leonis Ostiensis adservatum in bibliotheca sancti Michaelis de Muriano, & olim ab Ambrosio generali Camaldulensi missum ad Paulum Venerium abbatem ejusdem monasterii diligenter describit; ex qua descriptione illud deducit Gattola Ambrosium nostrum correxisse, vel interpolasse Leonem Ostiensem. Sed ut animadvertit Cannetus in alia epistola data die IV. maji anni 1717. ad præfatum Gattolam, Ambrosius historiam hanc non concinnavit, sed revidit, & puriori Latinitati reddidit, ut rem gratam faceret Venerio abbati amicissimo venerabilis Ludovici Barbi abbatis sanctæ Justinæ de Patavio, ut legitur in tabulis ejusdem codicis: *Iste liber est monasterii sancti Michaelis de Muriano Camaldulensis ordinis Torcellanæ diœcesis, quem librum Ambrosius generalis noster Camaldulensis ex rudi*

rudi & ferme vernaculo, quo fuerat scriptus, stylo, in hunc elegantissimum, quo in præsentia nitet, diligentissime vertit. Neque interpolatoris aut correctoris nota inurenda est Ambrosio, qui vel incidit in exemplar ab aliis diversum, vel mutilum, certe tamen ex monasterio Casinensi; vel detruncavit ea, quæ ad descriptionem bonorum donatorum monasterio Casinensi, non quæ ad historiam faciebant ejusdem monasterii, in chronico Ostiensis. Ex præfato codice prodiere primæ editiones.

ANN. CHR. 1747.

XLIII. Obitus com. Josephi Eszterhazii, ejusque dispositiones.

JAMJAM moriturus comes Josephus Eszterhazius die XXVIII. julii hujus anni 1747. ex Posonio literas dedit ad Oddonem Venetum Coronensium eremitarum Majorem, orans, ut Maikensem a se fundatam eremum commendatam haberet, quam præcipue pro Hungarica natione erectam voluerat, & Ladislai Rodoslany eremitæ superioris dictæ eremi operam, merita, industriam in ejus eremi ædificationem & augmentum extollit. Memorat novissimum testamentum suum conditum pro perfectione eremi, animamque suam ad æternitatem abeuntem recommendat precibus Majoris & suorum coeremitarum. Sed præstat ipsam epistolam audire, & prius alteram a Majore eremitarum ad eum inscriptam: *Excellentissime ac illustrissime domine comes fundator. Piissima ac singularis devotio, nec non profusa liberalitas illustrissimæ ac excellentissimæ dominationis vestræ erga religionem nostram Camaldulensem, quam experti sumus, prout testantur tam munificæ ac per plures annos continuatæ oblationes & beneficia, quæ pro nova fundatione suæ eremi Maikensis, perhumanissime ab excellentia vestra percepimus, cum intentione insuper prosequendi, etsi paulatim, pro congruitate temporum, usque ad perfectiorem ædificiorum omnium constructionem, summopere me obstringit, meritoque exigit, ut præsentibus humillimi mei obsequii actibus tamquam singularem & distinctum patronum, benefactorem atque protectorem ejusdem eremi Maikensis agnoscere & contestari cogar, humillimasque gratias sine termino agere, prout ex corde sincerrime ei refero. Sicut mihi notificavit R.P.D. Ladislaus superior, erraverunt quidem in primordiis erectionis ædificiorum patres nostri inexperti, ac artifices simul male & inordinate ea collocando absque necessaria advertentia; opere tamen studii, industriæ & attentionis ejusdem patris superioris egregii viri, errata corrigi possunt, nisi in toto, saltem in parte, quo melius fieri poterit, paucis adhuc adjunctis expensis, ut tandem ad perfectionem stabiliantur, & plures religiosi inhabitare, ac Dominum nostrum in sancta eremitica nostra observantia die noctuque devote colere queant; sane omnis laus, honor, gloria & meritum post Deum excellentiæ vestræ attribuere debebitur, benevolo fundatori. Apud me autem notum sit excellentiæ vestræ, quod sicuti indelebilia tot beneficiorum, quibus nostram religionem colere dignatur, asservabuntur signa, indebebiles quoque obligationes meas ac religiosorum meorum enixas jugiter porrigendi preces Altissimo, ut tam eximiæ suæ caritatis, ac benevolentiæ effectus abundaret, & in ævum remaneret cum plena largitione gratiarum omnium, quæ magis suis piis desideriis uniformantur, & ego de cælo eidem enixissime exoro cum illa sinceritate animi, ac profundissimo cultu & obsequio, quo fateor me immutabiliter esse, & constantissime persistere excellentiæ vestræ humillimum, devotissimum, obbligatissimum servum domnum Oddonem a Venetiis eremitam Camaldulensem Montis-coronæ Majorem.*

Responsio comitis Josephi: *Reverendissime in Christo pater Major. Tristis & mæstus quantumvis paternitatis vestræ reverendissimæ affectu & solatio plenas acceperim, post diuturniorem nimirum infirmitatem in*

illo

ANN. CHR. 1747.

illo positus statu, ut tremula languentique manu hæc ipsa subscribens, mortem e manu Altissimi, cui soli laus, honor & gloria, in horas operiar, in spem nihilominus retributionis, & iisdem erectus ingentem in modum consolor, Deumque creatorem & largitorem omnium laudo & glorifico, me indignum sua beasse clementia, quod fundatione eremi Maikensis peccatricem animam meam spe securiori creatori suo misericordi committere valeam, quæ omnino fundatio sicuti præcipua est exactæ & jam desinentis vitæ meæ consolatio, ita non defui testamento, conditoque recens codicillo meo illius reminisci, quam ut olim pro sua gloria, incremento ecclesiæ Romanæ catholicæ, & omnium fidelium solatio in molem suam perfectam D. O. M. evebat, & precor, et non diffiteor id clementiam omnipotentis impartituram, si præcipue moderno superiori R. P. D. Ladislao, de cujus nimirum pietate, zelo, industria, et dexteritate P. V. Reverendiss. tam sentit, et confidit, vitam una largita fuerit largiorem, quem etiam in superioratu hocce constanter conservari ultimis hisce meis R. P. V. totumque tribunal sacri sui ordinis supremum præsens et futurum instanter atque impense oro, varia enim quatuordecim annorum recursu interventa mutatione expertus sum, hunc uno semi secundoque anno omnibus aliis majorem fecisse progressum, ac eidem viriliter etiamnum inhærere, adeo ut, ni Deus temporum quampiam immiserit vicissitudinem, eamdem eremum pro consolatione totius sacri ordinis brevi plane consummatam iri confidam. Cui proximæ nationis Hungaricæ in constituenda ad hanc eremum sacra familia supplico, oro et obtestor, constanter haberi memoriam, pro qua videlicet recens etiam non postrema eodem testamento meo contuli beneficia. Absit vero, quin existimetur quacumque inclinatione aut opinione sinistra animum meum gentem alienam aversari, et protestor non hac intentione; ast quia toto vitæ meæ decursu diversitatem nationum in uno eodemque opere concurrentium summis optimisque et saluberrimis coeptis frequentius perniciosam, quam utilem fore, ac ad seminanda inter easdem diffidias inimicum generis humani communem maximo semper conatu intentum esse. Ac unice cognitum esse velim me inductum permotumque fuisse ratione, quod beneficia quæcunque antelatæ eremi restrictive ad nationem Hungaricam contulerim, spe fretus fidissima R. P. V. haud in aliam mentem abibit, salutarem nimirum hanc dispositionem meam hæredi meo relictam approbatura & prudenter provisura, ut illa futuris quibusvis temporibus observetur. In æternitatem itaque jam abiturus, iterum iterumque oro voluntatem hance meam ultimam sibi ac præsenti futuroque venerabili capitulo generali recommendatam habere, una vero eminentissimo cardinali sacri ordinis protectori patefacere velit digneturque. Postremo vero me meamque jamjam e vivorum numero migraturam animam piis R. P. V. atque totius sacræ familiæ suffragiis in perpetuum enixe recommendans emorior. P. V. R. Obligatissimus servus Comes Josephus Eszterhazy. Posonii XXVIII. *julii* M. DCC. XLVII.

Codicillus, quem nominat, est hujusmodi: *Nos comes Josephus Eszterhazy de Galantha, perpetuus in Frakno judex curiæ regiæ, sacratissimæ Cæsareo-regiæ majestatis dominæ dominæ Mariæ Theresiæ Dei gratia reginæ Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Chroatiæ & Sclavoniæ, archiducis Austriæ, nuptæ ducis Lotharingiæ ac Barri, magnæ ducis Etruriæ* &c. *actualis intimus & consilii locumtenentialis Hungarico regii consiliarius, camerarius generalis, campi marescallus, colonellus, Tabulæ septemviralis assessor, comitatus Comaroniensis supremus comes, & partium regni transdanubiarum commendans generalis. Assumptis & in nos levatis filii nostri*

comitis

comitis Josephi Eszterhazy aliorumque successorum fratrum & consanguineorum nostrorum, quos præsens infrascriptum quoquomodo tangeret, concerneret, tangereve & concernere posset negotium oneribus, memoriæ commendamus, fatemurque & recognoscimus tenore præsentium, quibus expedit, universis; quod nos pia mente & sollicitudine venerabilis eremi sancti Johannis-nepomuceni Maikensis sacri ordinis Camaldulensium Montis-coronæ pro solatio filiorum patriæ a nobis anno M.DCC.XXXIII. fundatæ pleniori firmiorique & securiori subsistentiæ providere, atque illius incremento studere, utroque vero animæ nostræ saluti prospicere volentes, pertinentias duarum integrarum sessionum, & signanter unius ad curiam Maracskajanam sic dictam spectantis, alterius vero extra fundualis, hoc fine videlicet extra seriem aliorum fundorum tum curialium & inscriptionalium, tum vero colonicalium excisæ in terris arabilibus ducentarum quadraginta metretarum Posoniensium capacibus in ternis cavalcaturis in simul consistentis, cum uno fœnili quadraginta solidorum cumulorum capaci in territorio oppidi nostri Tata ad arcem nostram ejusdem nominis spectantis, atque præfato comitatui Comaroniensi adjacentis existentes & habitas eidem venerabili eremo Maikensi, ac per eamdem sacro ordini Camaldulensium Montis-coronæ nationis Hungaricæ titulo ulterioris fundationis, & in testimonium sinceræ erga dictum sacrum ordinem propensionis, devotionisque nostræ, potestate & auctoritate nostra acquisitoribus bonorum lege Regni concessa, jure perpetuo & irrevocabili, nullum videlicet jus nullamque juris & dominii proprietatem nobis vel successoribus nostris reservando, quinimmo totum & omne jus nostrum, quod præcensitorum fundorum sive pertinentiarum intuitu nos vel successores nostri habent, vel habere possent in præfatam sancti Johannis-nepomuceni eremum Maikensem, a nobis, uti præmissum est, fundatam, ac per eumdem sæpedictum sacrum ordinem Camaldulensium nationis Hungaricæ transferendo contulerimus, donaverimus, dederimus & signaverimus, atque per manus tradiderimus, prout conferimus, donamus, damus, assignamus, & per manus tradimus sequentibus sub conditionibus. Et quidem primo, instituto sacri ordinis antelati secum ferente, quatenus in proximis ad eremos suas existentibus oppidis aut civitatibus, unde videlicet suis opportunius providere valeant necessitatibus, religiosas servent residentias sive hospitia, eidem igitur ac horreo et granario quamprimum extruendo plantandoque, requisito horto, ac taliter extruenda allodiatura in prænominato oppido nostro Tata, certum fundum de facto vacuum et a potiori ex cespite consistentem, atque lateri piscinæ nostræ arcensis meridionali eminus incumbentem, viginti-quinque orgiarum latum, et septuaginta-quinque orgiarum longum, jure quo supra perpetuo et irrevocabili conferimus. Immo secundo mature perpendentes et prævidentes, quod silvæ prædii Maik per nos toties fato sacro ordini, uti superius meminimus, pro fundatione eremi in anno M.DCC.XXXIII. collati, de facto nonnisi succrescentes pro decore eremitico ipsa sacri ordinis regula exposcente conservandæ potius quam exscindendæ toti eremo ipsius hujusque una residentiæ sive hospitii Tatensis necessitati temporibus futuris sufficere nequibunt, benevole idcirco annuimus et concedimus, ut successivis temporibus perpetuis in silvis nostris ad dictum Tatense et huic vicinum dominium nostrum Gesztessiense, cui nimirum ipsa eremus Maikensis, ejusdemque nominis prænemoratum prædium adjacet, spectantibus annue ducentas quinquaginta orgias lignorum focalium eo loco, quo annue a nostris successorumque nostrorum officialibus, quos utpote per reverendos patres superiores eremi annue convenire idcirco oportebit, neque secus et arbitrio proprio, beneficio lignationis

ANN. CHR. 1747.

isthoc iisdem uti licebit, assignabuntur, secundum ordinem conservationi silvarum correspondentem, atque adeo tempore ad id congruo et opportuno propriis eremi sumptibus consecari, in orgias componi, et ad eremum residentiamque suam prænominatos suis pariter vecturis et impensis devehi curare, taliterque necessitatibus suis semper sufficere valeat; Cui proxime Tertio conveniens justumque et æquum fore, prout existimamus, ut per sacrum ordinem ad hanc eremum religiosi patriæ nonnisi hujus filii applicentur, ita volumus, constituimusque et ordinamus, atque eo antelatam eremum sacrumque ordinem obligamus, ut œconomiam sive fundos et terras prævio modo huic fundationi nostræ in territorio oppidi nostri Tata applicatos perpetuis temporibus conservare, et sollicite ac sedulo colere teneatur, neque liceat unquam eidem sacræ eremo ejusmodi fundos sive terras vel fœnile in parte aut in toto a se alienare, prout nec ligna focalia vendere, ac exinde extra prædeclaratam intentionem nostram utile quidpiam qværere et sibi vindicare. Prout etiam Quarto residentiæ huic sive eremo et hujus reverendis patribus Superioribus præsentibus & futuris perpetuis temporibus probibitum & sub incursu pœnæ violentialis vetitum esse volumus, præsentibusque declaramus, ut usum regalium dominalium nostrorum quorumcumque & quocumque nomine appellabilium sibi & residentiæ prævio modo per nos concessæ ac collatæ, vel in minimo appropriare, atque in usum eorum prætextu quocumque sese immittere audeant. Evictionem nihilominus regalem in nos successoresque nostros contra quosvis impetitores causidicos & actores assumentes, promittentesque, quod in usu & pacifico dominio prævio modo collatorum fundorum, toties fatam eremum Maikensem, consequenter sacrum ordinem Camaldulensium, conservare, tueri & protegere velimus, successoresque nostri conservare tueri et protegere velint teneanturque. In quorum fidem præsentes nostras collationales literas authentico sigillo nostro communitas, futuram uberioremque præfatæ eremi jurium ad cautelam necessarias extradandas duximus. In castello nostro CseKlesKiensi die duodecima mensis julii anno Dñi M. DCC. XLVII. *C. Josephus Eszterhazy manu propria.*

L. ✠ *S.* *Franciscus Balogh.*

ANN. CHR. 1748. XLV. Aliquot monumenta historica.

RESTAURATA fuit, immo a fundamentis ædificata ecclesia senio fatiscens sancti Severi de Perusio ab ejus abbate, qui fuerat generalis, Aurelio Guidotto Lucense. Architectus ædificii fuit Joseph Soratini a Leonate in diœcesi Brixiensi, frater conversus Camaldulensis ex professione Classis, cujus industria & peritia renovata est etiam ecclesia sancti Blasii de Fabriano, aliaque sacra ædificia constructa fuere, immo adhibita fuit ejus opera etiam in ædificiis ecclesiarum, quæ ad Camaldulenses non pertinebant. Obiit Joseph gravis ætate & laboribus anno 1762. Ceterum supra januam præfatæ ecclesiæ sancti Severi apposita est sequens inscriptio: *D. O. M. Sancto Severo Ravennatium columba designante episcopo e solo restaurata, Anno* M. DCC. XLVIII. *Aurelio Guidotti abbate opus curante.*

Occasione visitationis factæ præsenti anno a Jacobo Cingari episcopo Eugubino in oppido Costacciarii, iterum aperta fuit capsa, ubi condebatur corpus beati Thomæ eremitæ quiescens in ecclesia fratrum Conventualium ejusdem loci, cupiente episcopo obtinere portionem aliquam corporis dicti beati viri. Ea opportunitate repertum est vas cinerum, simulque inventa aliquot parva ossa, quæ jampridem conjuncta non fuerant cum corpore; quare abundanter tum sibi providit, tum aliis distribuit

ſtribuit epiſcopus; urna quoque decentius ex tempore fuit ornata. Habentur penes nos collecta plura miracula, quæ his temporibus Deus intercessione beati Thomæ præstabat, potiſſimum in ſanandis herniis aliiſque illorum morbis.

Ann. Chr. 1748.

Benedictus XIV. Romanus pontifex epiſtola ſua encyclica generalibus ordinum regularium facultatem fecit effundendi apoſtolicam benedictionem in quibuſdam anni ſollemnitatibus ſuper populum.

Cum ex majorum juſſu ſcriptor horum Annalium curam exerceret monialium SS. Chriſtinæ & Pariſii de Tarviſio, forulos archivi dicti monaſterii excuſſit, chartaſque omnes veteres perlegit, memoriaſque concinnavit tum ad vitam ſancti Pariſii, tum ad monaſterii præfati hiſtoriam facientes, additis ad appendicem quadraginta & una antiquis paginis ad dictorum comprobationem, quod opus Venetiis editum, nomine abbatiſſæ & monialium dicti parthenonis dicatum fuit ſanctiſſimo & doctiſſimo pontifici Benedicto XIV. Sequenti anno idem ſcriptor breviorem hiſtoriam alterius Faventini monaſterii ſanctiſſimæ Trinitatis extra portam burgi Faventiæ collegit ex chartis archivi ipſarum. Ut vero Tarviſinas ſanctimoniales ad ferventiorem Dei cultum, & ad religioſas virtutes accenderet, opuſculum aliud confecit, cui titulus: *Ritiramento ſpirituale per un giorno al meſe* &c. Venetiis ſimiliter publici juris factum.

Ann. Chr. 1749. XLV. Mors Floriani M. Amigonii abbatis.

SANCTE deceſſit in cœnobio ſancti Salvatoris de Foro-livio Florianus-maria Amigonius abbas ejus monaſterii, quod ſibi poſt expletum generalatus officium elegerat, præter alia pariter monaſteriorum regimina diligenter impleta, ſeptuageſimo-nono ætatis anno. Natus Meldulæ in Romandiola anno 1671. vitam ſuam ſemper tranſegit inter ſtudia, vel inter officia pietatis. Sub Paulo-Antonio Zaccarellio abbate monachum induit in abbatia Claſſis anno 1688. in qua amœnioribus & ſeverioribus ſtudiis addictus tum Theologiæ, tum hiſtoriæ eccleſiaſticæ & prophanæ, tum mathematicarum ſcientiarum, tum demum eloquentiæ & poeſis ita profecit, ut cum plauſu cathedras Ravennæ, & ſancti Gregorii Urbis occupaverit. Ipſis primoribus annis ad examen revocatis demonſtrationibus ſyntheticis & analyticis celebris ſcriptoris, paralogiſmos profunde detexit, & validiſſimis rationibus confutavit, quemadmodum illuſtris comes Julius-carolus de Fagnanis mathematicus inſignis, cui rationes ſuas communes voluit, admirans probavit & laudavit. Ingenium Amigonii erat fervidum, acutum, penetrans, lepidum & fœcundum. Tractatus varios concinnavit, incompletos tamen, de authoritate Romani pontificis, de Gratia, de Prædeſtinatione, de Voto ſanguinario, de Trinitate. Sed fato quodam ipſius non ſuperſunt alia, niſi opera poetica laudata a Creſcimbenio, & a marchione Johanne-joſepho Urſio, qui poſtremus de Amigonio teſtatum reliquit, ipſum perveniſſe ad admirabiliſſimum, & in genere poeſis, cui vacabat, evaſiſſe principem. Hinc inter Arcades connumeratus eſt, donato ei nomine Alpagi Milaontii, & vice-cuſtos electus generalis coloniæ Camaldulenſis, inſtitutor vero academiæ Icneuticæ Foro-livii. Cardinales, epiſcopi & viri literati tum Itali, tum extra Italiam ipſum in æſtimatione habuerunt; Clemens XI. eo uſus eſt una cum aliis theologis ad examinandas difficillimas materias in genere Fidei. Ex Urbe tranſiit Amigonius ad regendum monaſterium ſancti Blaſii de Fabriano, inde ad illud ſanctæ Mariæ de Urano. Anno 1731. aſſumptus ad generalatum ordinis Camaldulenſis brevi Clementis XII. duobus annis cum dimidio congregationi præfuit, poſt

quos quindecim annis commoratus est in præfato monasterio Foro-livii. Plura dici possent de virtutibus ejus animi, in quibus omnibus excelluit, sed charitas in proximum, & humilitas potiorem locum obtinebant, ambitionem nescivit, neque affectavit, aut in dignitatibus aut in vestibus, aut in cultu sui; pecunias, vestes, libros ipsos sibi dilectos ad subventionem pauperum non semel distraxit. Aliquando solitudinis majoris gratia concupivit monasterium derelictum sanctæ Trinitatis de Monte-herculis cum sociis incolere, ubi Deo, studiis, proximorum saluti, sibique ipsi vacare liceret. Morti matris & propinquorum imperterritus interfuit, & funus eorum ad sepulcrum deduxit. Nil naturæ repugnans ipsum deterruit, ad omnia paratus, omnia tranquillitate summa superavit, & id non indolentia animi, non beneficio mitis indolis, sed perfectione & amore virtutis. Unus fuit, immo præcipuus, ut non semel vidimus, moderator conscientiæ venerabilis sororis Paulæ a Voluntate Dei, cujus spiritum agnovit, promovit, & ad altiora accendit. Ipsa Paula testata est Amigonium hominem fuisse juxta cor Dei. Obiit dignissimus præsul noster die XIX. martii, summo Foro-liviensis urbis luctu, & funus celebratum est in ecclesia sancti Salvatoris, accurrente omni populo, sanctum abbatem, patrem sanctum decessisse exclamante & dolente. Antonius Bombarda ex S. J. die XXVI. aprilis doctam funebrem orationem de ejus laudibus pronuntiavit, aliam Dominicus Savorellius in academia Icneuticorum. Supersunt de poeticis Amigonii elucubrationibus ex libris tribus de Vocationibus Religiosis primus, qui est fœtus ipsius. Cantus eucharisticus ad cardinalem Accorambonium occasione in signis collegiatæ erectæ in sancto Nicolao de Meldula a Benedicto pp. XIV. Foro-livii anno 1743. & carmina plurima omnis generis. Hæc excerpsimus ex vita venerabilis Paulæ edita a Thoma Bellonio & a comite Ferrante Ursellio anno 1755. Venetiis.

XLVI. & Bonifacii Scotiæ Majoris Pedemontani.

ADJUNGIMUS Amigonio illustrem eremitam Pedemontanum, qui decessit præsenti anno die XVIII. novembris in eremo Taurinensi. Is est Bonifacius Scotia, qui natus anno 1678. die XXXI. januarii ex antiquissima & nobilissima Casalensi familia comitum ejus nominis, patre Francisco-maria comite Murisengi & marchione Caliani, ac ex Antonia Natta, vigesimo-quinto ætatis anno nomen dedit eremitis Camaldulensibus Taurini, professionem emittens octava julii anni 1704. Præter pietatem, amorem solitudinis, exactissimam regularum observantiam, excelluit in scientiis mathematicis, sed in ea præsertim parte, quæ locorum topographiam respicit, & theoriam ad praxim reducens typos efformavit omnium bonorum tum eremi Taurinensis, tum alterius Clarascensis, sed ea nitiditate, diligentia & concinnitate, ut peritiores artis fateantur, se in eo genere nil completius, nil exactius vidisse; centena proinde & centena folia reliquit tum maximi, tum minoris moduli, in quibus exaratæ reperiuntur omnes terrarum portiones designatæ cum finibus suis, & illustratæ adnotationibus, miniis insuper variisque coloribus respersæ; & quod mirabilius est, ea confecit ex relatione peritorum agrimensorum; piaculum enim ducebat per se exire e solitudine ad prædia dimetienda, & ad fines stabiliendos. Secundo chartas omnes archivi disposuit, indicemque earum & breve compendium, ut uno oculi ictu quid charta contineat, conspiciatur; quare merito inter utiliores scriptores congregationis Pedemontanæ ejus nomen recensetur, idipsumque præstitit congregationi suæ Bonifacius, quod congregationi Camaldulensium Etruriæ præstitit Eduardus Baroncinius. Obiit, dum actu Majorem ageret.

VIGE-

ANN. CHR. 1749.

XLVII. Sanctimonialis Fabrianensis.

VIGESIMA-QUARTA maji ad Sponsum abiit Scholastica Cataneo Mediolanensis sanctimonialis in parthenone sancti Sebastiani de Fabriano. Dei amore exæstuans, in postrema sua infirmitate cum confessarius sermones actusque amoris haberet & suggereret, vultu inflammata, resoluta in lacrymas exclamavit: non plus Domine Jesu, non plus, uror, morior; corque ipsius ita palpitabat, ut neque manibus premi posset, neque aqua refrigerari; sobrie itaque se agebat confessarius, eique subdebat, ut diceret: satis Domine, satis. Neque novum fuit hocce donum tempore proximæ suæ mortis, sed a multis annis tremores hujusmodi & deliquia patiebatur, quæ vere erant excessus & raptus in Deum tum in choro, tum in refectorio ceterisque ejus actionibus. In seipsam rediens nesciebat hujusmodi motus explicare, immo neque recordabatur; jussa tamen a confessario literis tradere, quæ in se sentiebat, ægre quidem, sed sincere & veraciter has passiones describebat. Aliquando interrumpere cogebatur recitationem divini Officii etiam in cella propria, fixa in Deum mente, vel etiam procumbente corpore in terram. Impetus cordis creverunt ultimis vitæ suæ diebus. Deum tamen precata, ut liceret sibi novemdialia complere ad præparationem donorum Spiritus-sancti, ad ipsum transivit in pervigilio Pentecostes. Viribus destituta & semianimis, ostensa sibi imagine beatæ Mariæ Virginis, visa est de morte ad vitam redire; tot fuere suavissimæ lacrymæ, tot violentissimi motus pectoris, & oscula ferventissima impressa in sacram imaginem.

XLVIII. Collectio aliquot monumentorum.

CORONA redimita fuit hoc anno die XIV. septembris imago beatæ Mariæ Virginis de Vertilio apud Montem-sancti-Sabini, sollemnem actionem perficiente episcopo Arretino, qui deputatus fuerat a capitulo basilicæ sancti Petri de Urbe. Præcessit diebus X. XI. & XII. expositio sanctissimi Sacramenti in oppido Montis-sancti-Sabini in ecclesia plebis cum tribus concionibus super futura coronatione. Die XIII. processit clerus secularis & regularis loci una cum deputatis, quibus Andreas Tartinus abbas Camaldulensis tradidit sacram imaginem, confecto publico traditionis instrumento. Perducta fuit imago ad ecclesiam patrum sancti Augustini, & extra portam ecclesiæ episcopus Arretinus eam excepit, & die sequenti XIV. coronavit, omnibus adhibitis lætitiæ & honoris sollemnitatibus. Quinta-decima mensis præfatus abbas pontificalem Missam celebravit, sequenti die prior conventus sancti Augustini, postremo plebanus oppidi die altera, circumducta sacra imagine per totum castrum ad ecclesias sanctimonialium, & iterum die XVII. restituta fuit ad suum locum. Ea occasione examinata fuit imago, literæ quoque circumexaratæ, ut fusius diximus & explicavimus ad annum 1100.

Mons-pietatis urbis Mantuanæ & hospitale ejusdem urbis mala administrantium fide, & bellorum ac aliarum ærumnarum causa anteactis temporibus ad eam infelicem conditionem devenerant, ut cives Carolo VI. augusto imperatori consilium jamdudum dedissent, supprimendi quatuor ex antiquioribus urbis monasteriis, illud nimirum monachorum Montis-oliveti, alterum Cœlestinorum, tertium canonicorum regularium sancti Salvatoris, & postremum Camaldulense nostrum sancti Marci, itaut ex redditibus eorum monasteriorum repararentur tam mons, quam hospitale. Verum piissimus imperator hocce consilium rejecerat tamquam indecorum urbi, immo justitiæ absonum, quinimmo in mandatis dederat principi d'Armstat tunc Mantuæ gubernatori, ut hæredes defunctorum mini-

Ann. Chr. 1749.

ministrorum mulctarentur; quod tamen effectu caruit ob politicas rationes, quibus visum est ab imperatoris jussis recedere. Denuo intentata fuit hoc anno supradicta suppressio, & agitabatur in excelso Mediolanensi concilio; sed iterum reprobatum fuit tentamen omne a clementissima regina imperatrice regnante Maria Theresia, bonorum simul & virtutum hærede augustissimi patris.

Inscriptio in basilica Classensi sancti Apollinaris extra muros Ravennæ ad sacellum novum sancti Romualdi, e latere evangelii: *D. O. M. et divo Romualdo abbati, vitæ eremiticæ propagatori, monasticæ disciplinæ restitutori, Camaldulensium ordinis fundatori, ut qui in hac æde viso iterum beato Apollinari monachorum institutum amplexus est, cœnobioque olim heic sito præfuit, in eodem debitos honores accipiat, abbas et monachi Classenses hoc sacellum parenti optimo sanctissimo L. L. M. D. D. anno* M. DCC. XLVIIII.

Gabriel Guastuccius monachus Camaldulensis ex professione Classis, Bononiæ natus publici juris fecit hoc anno, & inseruit tomo XLIII. collectionis opusculorum Scientificorum dissertationem, in qua novis & optimis argumentis ex veteribus paginis demonstravit antiquum flumen Rubiconem, olim finem & terminum Italiæ, esse fluviolum illum, qui nunc transit per oppidum Saviniani, sub ponte marmoreo, antiquorum Romanorum nobili opere. Excepta fuit ejus opinio multo plausu, sed urbium proximarum Arimini & Cæsenæ cives præreptam sibi invidentes gloriam Rubiconem olim alluisse eorum agros, contra Guastuccium calamum strinxere, præsertim Johannes Blancus pro flumine Arimini Luso, ad cujus ripas lapidem erigi curavit cum epigraphe: *Hic Italiæ finis quondam Rubicon*, & pater Serra ex ordine Cappuccinorum pro Cæsenate fluvio. Adversus hujusmodi scripta prodiere Guastuccii vindiciæ anno 1755. tomo primo novæ collectionis Calogerianæ, & etiam typis Pisaurensibus. Savinianenses inscriptionem Guastuccii apposuere in reaptatione antiquissimi pontis. Erudito & illustri huic monacho debent Annales nostri plures notitias, quas humaniter communicavit, præsertim quoad abbatias & monasteria Piceni, alias quoque quoad cœnobia Ravennatia, & alterum sancti Gregorii de Urbe, exscriptis ab ipso veteribus & authenticis paginis ex archivo Vaticano, aliisque.

Ann. Chr. 1750. XLIX. Aliquot scriptores Camaldulenses.

Venetiis in cœnobio sancti Mathiæ de Muriano vivere desiit Andreas Barberius abbas Camaldulensis, cujus est *Septennarium sanctæ Gertrudis* impressum Faventiæ anno 1727. & relatum in Bibliotheca Cinelliana. Præstabat politiore versu, multaque reliquit in eo genere monumenta sui ingenii.

Marinus Miserocchius Ravennas vitæ sancti Petri Damiani editor obiit in monasterio sancti Hippolyti de Faventia die XXVI. aprilis ejusdem anni.

De Timotheo Theodon eremita Camaldulensi abbatiæ Insulæ Calveti, qui decessit præsenti anno die duodecima januarii hoc est breve elogium, quod ad nos transmissum est. In theologia, philosophia, physica, jurisprudentia exercitatissimus. Pauperes habebant pro gratuito advocato, literati viri habebant pro magistro; reliquit plures memorias, quas ad tractatus redigere posthabuit; simplex erat & frugalis, elevatissimique ingenii.

Gallicano eremitæ adjungimus tres scriptores eremitas Pedemontanos, sed adhuc in vivis agentes, præter Apollinarem Chiomba, de quo fu-

Ann. Chr. 1750.

ſe ad annum 1744. Primus eſt Baſilius Nicolis Taurinenſis ex equitibus & comitibus de Rubilant natus anno 1700. qui poſt ſtudium humaniorum literarum, & poſt datam operam juri canonico, eremiticam togam anno 1721. induit in ſolitudine ſancti Salvatoris de Taurino die tertia junii. Ejus opera recenſentur: *Compendium Oinotomi ſuper Inſtitutiones. Vita ſancti Romualdi octono carmine deſcripta. Annus eccleſiaſticus diſtributus in breves meditationes ſuper Evangelia aptatas ſtatui religioſo. Alphaberum materiarum ſacrarum Proſarum. Sacrum convivium, ſive ad Miſſam audiendam præparatio, cum pulcherrimo cantico ſpirituali ad inſtar rythmi. Collectio ſacrorum carminum.* Secundus ſcriptor eſt Maximus Soria ex diœceſi Monte-regalenſi, qui vigeſimo-primo ætatis ſuæ anno inſtitutum eremiticum amplexus anno 1722. librum concinnavit, cui titulus: *Diſciplina monaſtica Theologico-moralis in quinque diſſertationes diſtributa*; in quarum prima ſtatus religioſus chorographica brevitate proditur; in aliis eremitici inſtituti Camaldulenſis ſtatus præcipuis capitibus ſummatim deſcribitur, & præter ſtatum religioſum, de religioſi ſtatus alumnis, de religioſorum votis, regulis & conſtitutionibus, de obligationibus ordinum regularium, de capitulis & viſitationibus diſſeritur. Sed gloria major ei debetur, eo quod ditaverit bibliothecam eremi operibus undique conquiſitis in omnis literaturæ genere, atque diſpoſitos optime libros indicibus copioſiſſimis enumeraverit. Tertius eſt Proſper Dejoannes Javagnaſci in territorio Eporedienſi natus, & eremita Taurinenſis factus anno 1739. Tria confecit Italico, tria Latino idiomate opera. In primo Italico *Enchiridion ſive manuale polemicum* legitur *ad convincendos infideles, Atheiſtas & Politheiſtas*. In ſecundo demonſtratur contra Rabbinos *perfectio Chriſtianæ religionis*; in tertio *contra heterodoxos Catholicæ fidei veritas* propugnatur. Opus Latinum primum inſcribitur: *Tractatus moralis de Philoſophia practica, dogmatica methodo adornatus, complectens ethicam, juriſprudentiam naturalem, œconomicam atque politicam*. Secundum habet titulum: *Morales inſtitutiones theologiæ practicæ univerſæ*, in quibus quæſtiones omnes ad rem moralem pertinentes e purioribus Ethicæ Chriſtianæ fontibus nitide reſolvuntur, & orthodoxa fidei dogmata adverſus heterodoxos per incidentiam vindicantur. Agitur de peccatis, de legibus, de ſacramentis, de cenſuris. Poſtremum opus diſtributum eſt in tres diſſertationes, quibus Chriſtiana religio vindicatur. Ipſius fœtus eſt etiam *collectio aſcetica reflexionum ſpiritualium, orationum mentalium & vocalium ex Auguſtino, doctore Angelico, ſancta Thereſia, ſancto Johanne a Cruce, Bloſio aliiſque auctoribus myſticis.*

In capitulo generali monachorum Camaldulenſium Honeſtus-maria Honeſtinius a Ravenna eligitur abbas generalis; in viſitatores vero Aurelius Stecchius a Balneo, & Johannes-maria Noriſius Venetus.

L. Hiſtorica ſimul unita.

CONSECRATA fuit die XI. novembris eccleſia eremi ſancti Johannis-baptiſtæ de Cortona ab Aloyſio Gherardio epiſcopo Cortonenſi, appoſita hujuſmodi inſcriptione: *Eccleſiam iſtam & altare hoc illuſtriſſimus & reverendiſſimus dominus D. Aloyſius Gherardi epiſcopus Cortonenſis ſollemni ritu conſecravit die* XI. *novembris* M. DCC. L. *& pro anniverſario diem* IX. *ejuſdem aſſignavit*. Super januam ejuſdem eccleſiæ anno 1720. conſcripta fuerat ſequens memoria. *D. O. M. Eccleſia iſta ære ac pietate Camaldulenſium patrum de Fieris in campo quaſi lilium nova floreſcit, atque Baptiſtæ tamquam Sponſa Agno deſerti nupta hic eremitæ ipſi pie collaudantes Dominum ſua ſepties in die vota depromunt anno*

Dñi

Ann. Chr. 1750.

Dñi M.DCC.XX. qua memoria deleta ſequens fuit ſubſtituta: *D. O. M. Ære ac pietate Camaldulenſium patrum de Fieris in campo quaſi lilium nova floreſcit, atque Baptiſtæ* M.DCC.XX. *tamquam Sponſa Agno deſerti nupta, & III. idus novembris* M.DCC.L. *conſecrata ab illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino D. Aloyſio Gherardi epiſcopo Cortonenſi, V. idus ejuſdem pro anniverſaria celebritate aſſignato.*

Jam ab anno 1677. eremitæ Gallicani in ſuo capitulo generali diſpenſaverant, ut in aliquibus ipſorum eremis mulieres poſſent ingredi eccleſias ad audiendum Sacrum. Hoc anno requiſitione & inſtantiis archiepiſcopi Pariſienſis aperta fuit iiſdem mulieribus eccleſia ſancti Johannis-baptiſtæ de Gros-bois, ut ibidem ſtationes jubilæi perficere poſſent, & ex eo tempore eadem eccleſia mulieribus omnibus patuit.

Magnoaldus Ziegelbaur O. S. Benedicti monachus, ſocietatis literariæ Incognitorum in terris Auſtriacis a ſecretis, anno 1747. tamquam prodromum exhibuerat opus hujuſmodi: *Conſpectus Bibliothecæ patrum Camaldulenſium, ſeu rerum ad hiſtoriam, diſciplinam atque aſceſin ſacri ordinis Camaldulenſis attinentium ſcriptores Latini notæ melioris, nunc primum ex codicibus, qua MSS. qua impreſſis collecti tomis ſex comprehenſi, atque conjunctim in lucem editi*. Verum præter breviſſimam bibliothecam, quam Centifolium Camaldulenſe auctori placuit appellare, quamque Venetiis hoc anno 1750. edidit, vel morte ejuſdem collectoris, vel etiam quia Annales Camaldulenſes collectionem pii & docti cœnobitæ prævenerunt, conſilium omne evanuit. Scribit Cl. V. Johannes Lamius Magnoaldum laudabile opus aſſumpſiſſe; ut cognito ſacro inſtituto Camaldulenſi, abbates & præſules Germaniæ eremos conderent apud regia & imperialia ſua monaſteria, ad quæ, juxta inſtitutum ſancti Romualdi, ſecederent ex cœnobiis monachi, qui perfectiori, & ab hominum commercio remotæ vitæ indulgere cuperent. Peregrini nomen aſſumpſit Magnoaldus, Conſpectum ſuum producens opera & ſtudio M. Z. Peregrini, quia homo Germanus, peregrinus videbatur ad ſcribendam hiſtoriam ordinis Camaldulenſis in Italia nati, & potiſſimum extenſi.

Ann. Chr. 1751.

LI. Magnificentiſſima urna erecta ad corpus S. Romualdi.

TRIA jam fere ſecula effluxerant, quibus ſanctum ac venerabile beatiſſimi patris noſtri Romualdi corpus ex ſua Vallis-caſtri ſolitudine eductum non ſine divinitatis inſtinctu in civitatem Fabrianenſem illatum fuerat, & depoſitum in antiqua ſancti Blaſii æde, ubi a majoribus noſtris nihil prætermiſſum eatenus erat, quod ad ejus cultum promovendum & amplificandum pertineret. Templum hoc ſatis magnifice extructum, quod ſupra venerandum ejus tumulum aſſurgit, & pretioſa ornamenta, quibus baſilica ipſa inſtructa eſt, & ara ipſa marmore multo inſignis, ſub qua ad hæc uſque tempora ſacrum hocce pignus quievit, & argenteæ lampades ſane plures, quæ circa eam die noctuque collucent, certiſſima erant argumenta pietatis perpetuique ſtudii, quo debitos parenti ſanctiſſimo præſtare honores ſatagebamus. Sed unum erat, quod deſidiam fortaſſe noſtram & ſocordiam culpabat. Eximius iſte quantivis pretii theſaurus rudi abjectaque urna continebatur ex vili ſaxo exciſa, quæ craſſiſſimis ferreis claſtris occluſa tutam quidem ſacris oſſibus cuſtodiam præſtabat, ne quis ſacrilegas manus ad ea admovere poſſet, ſed tamen nimis erat infra tantæ rei dignitatem atque excellentiam. Hæc urna pignoris cuſtos olim ſub ara maxima eccleſiæ, immo intra aram ipſam ſatis ornatam & inſtructam ſervabatur, nunc vero demiſſa jacebat in ſubterraneam cryptam, optimo conſilio conditam, ut propius &

loco

loco ad orationis quietem aptiore fidelis populus accedere posset. Id præstitum est diligentia & pietate Andreæ Philippi Fattorinii abbatis sancti Blasii, qui ulterius præsenti anno novam confessionem ad sancti patris Romualdi corpus fabrefieri curavit, & magnificentissimam urnam ex argento, metallo deaurato & ex lapide lazulo in Urbe elaborari multo artificio & impensa fecit, concurrente non solum monachorum, sed & eremitarum Camaldulensium pietate ad decus & honorem sacri pignoris, ad quem augendum omnes invitati fuerant encyclica epistola, ex qua superiora exscripsimus. Paulo ante magnis sumptibus multa ex parte templum ipsum pene a fundamentis restauratum fuerat, eo terræmotu, qui fuit anno 1741. IIX. kalendas maji, misere labefactatum. Ut vero insignis urna de cetero non dimoveretur loco, post quadriennium supplex exhibitus fuit a monachis sancti Blasii libellus in generalibus comitiis; sed ad majus robur addendum, intermortuo Fattorinio præsule non vulgaris pietatis & doctrinæ anno 1757. mense martio, ipsius successor Robertus Palladinius una cum monachis anno 1760. a Clemente XIII. regnante Romano pontifice apostolicas literas impetravit, quas etiam subjicimus: *Clemens pp. XIII. ad futuram rei memoriam. Exponi nuper fecerunt dilecti filii moderni abbas & monachi ordinis Camaldulensis monasterii sancti Blasii civitatis Fabrianen. quod in medio Confessionis seu oratorii, quod sub choro seu presbyterio ecclesiæ dicti monasterii est, remanet sacrum corpus sancti Romualdi intra urnam marmoream æneis inauratis prominentibusque operibus argenteis, vulgo* bassi rilievi d' argento, *ac lapide lazulo ornatam, ut pie creditur, asservatum, & supra dictam urnam altare constructum reperitur, cui ad perpendiculum altare majus ejusdem ecclesiæ imminet, & ad commodum presbyterorum inibi devotionis causa celebrantium sacrarium reseratum existit, ac propterea dicti exponentes, qui persuasum habent, quod ejusdem Sancti monumentum alio in loco magis dicti Sancti cultui apto & opportuno, ac spiritus animique applicationi, ac sacrosanctarum basilicarum consuetudini, ecclesiasticæque disciplinæ uniformi locari non possit, opportune in præmissis a nobis provideri, & ut infra, indulgeri plurimum desiderant. Nos ipsos exponentes spiritualibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis* &c. *pœnis* &c. *absolventes* &c. *ne de cetero quisquam* &c. *urnam hujusmodi a dicto loco, in quo de præsenti existit, amovere & recludere, ac alium in locum asportare valeat, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ* &c. *prohibemus & interdicimus* &c. *Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub anulo Piscatoris die* XV. *januarii* M. DCC. LX. *pontificatus nostri anno secundo.*

Pro Dño card. Passioneo Johannes Florius substitutus.

Cum sacra congregatio episcoporum & regularium epistola jussu pontificio transmissa die nona februarii omnibus ordinariis locorum, & superioribus generalibus religiosorum stricte imperasset, ut ministris destinatis ad custodiam sacrorum tabernaculorum, in quibus reconditur augustissimum altaris Sacramentum, inculcaretur cautissima attentio tabernaculi ejusdem sanctissimi sacramenti, & inter cetera, ut penes se vel sub alia clavi clavem sacri ciborii asservarent, Honestus-maria Honestinius abbas generalis Camaldulensium præcepit prioribus localibus, confessariis monialium & æedituis, ut sub pœnis comminatis carceris & suspensionis ab officio diligentissime curam haberent clavis tabernaculi, neque eam vel in loco publico, vel super ostium reconditorii relinquerent, sed penes se exactissima custodia servarent.

ANN. CHR. 1751.

Cardinale Daniele Delphino patriarcha Aquilejense cedente in manibus Romani pontificis Benedicti XIV. commendationem abbatiæ sanctæ Mariæ de Fullina, idem pontifex eamdem tradidit die XVII. martii hujus anni Johanni Cornelio patritio Veneto, & referendario utriusque signaturæ, committens Andreæ Nigrono referendario, antiquiori canonico, & vicario episcopi Cenetensis, ut ipsum in possessionem inducerent, reservata pensione quingentorum scutorum monetæ Romanæ eidem cardinali, dum viveret.

Johannes-baptista Macchius Cremonensis & monachus Camaldulensis moderator conscientiæ monialium sancti Maglorii de Faventia edidit in eadem urbe observationes super consecratione monialium, in quibus multa pie & erudite disserit de origine, antiquitate, ætate requisita, tempore, ministro sacrisque aliis ceremoniis, ritibus & signis sacrandarum Virginum.

Memorabile fuit incendium hujus anni die septima septembris, quo conflagrarunt casulæ & stabula animalium in Camaldulo-majori Etruriæ; cum enim pervenisset ignis ad imaginem quamdam beatæ Virginis in pariete depictam, non solum servata fuit illæsa ab igne præfata imago, quæ adhuc visitur, sed & casulæ, & stabularia prope eam imaginem sita. Oblatus etiam loci, qui ut prosequutionem ignis prohiberet, inter flammas innocuus incedebat, & in terram decidens obambulabat super asseres clavis & ferreis nexibus armatos, nullam læsionem in corpore est expertus.

ANN. CHR. 1752. LII. De operibus Bonifacii Collinæ.

BONIFACIUS Collina Bononiensis monachus Camaldulensis, & in patrio archigymnasio publicus philosophiæ professor vitam sancti parentis Romualdi duobus justis voluminibus comprehensam edidit Bononiæ hoc anno, nuncupavitque Ferdinando-romualdo Guicciolio archiepiscopo Ravennati, qui fuerat in Classensi cœnobio, dum in minoribus agebat, Collinæ socius. Ordine chronologico vitam disposuit, occurritque validis argumentis tum ad illustranda illustriora facta, tum ad objectiones diluendas, quæ contra Damianum primum vitæ scriptorem ab auctoribus propositæ fuerant. Epistola data Ludovicus-antonius Muratorius hujusmodi opus approbavit. Præcesserat alia epistola Collinæ scripta die XXII. martii anni 1749. rector ecclesiæ SS. Nicandri & Martiani Ravennæ Joseph-aloysius Amadesius a secretis archiepiscopi Ravennatis vir eximii candoris, multiplicis eruditionis, & singularis veterum chartarum cognitor, demonstrans duos admittendos esse archiepiscopos Ravennates Honestos. Hic loci opera omnia recensemus ejusdem Collinæ, qui nunc abbatis titulo & munere fungitur in Bononiensi sanctorum Cosmæ & Damiani monasterio. Anno 1746. in eadem urbe protulerat vitam sancti Brunonis-Bonifacii discipuli sancti Romualdi, archiepiscopi ad Gentes & Russiæ apostoli ac martyris, una cum oratione panegyrica, dicatam Johanni Ipsi abbati generali. Demonstrat Collina Bonifacium Romualdi discipulum eumdem esse cum Brunone martyre in Prussia, vestigiaque sequitur Verhovii ex S. J. Sancti Bononii discipuli sancti Romualdi & Ægypti apostoli ex Ratberto monacho scriptore vitam inscripsit anno 1747. Lactantio Felici Sega episcopo Amatuntæ. Cardinali Angelo Quirino vitam sancti Theobaldi monachi & eremitæ Camaldulensis hoc ipso anno 1752. Bononiæ editam nuncupatam voluit. Sub nomine Ormanti Saurici pastoris Arcadis carmina duobus tomis produxit anno 1745. Panegyricum sermonem de Sanctis ac Beatis Bononiensibus Camaldulensibus anno 1747. Pro secundo ingressu ad Confaloneriatum justitiæ senatoris Bononiensis comi-

comitis Jacobi Bolognetti anno 1748. Prosas sacras, quæ præferunt anno 1744. sed editas Bononiæ anno 1750. Itidem prosas academicas, quæ eumdem habent annum, in lucem emissas anno 1751. Præter duo carminum volumina, alterum, sive quintum Tragædiarum volumen Bononiensibus typis protulit.

ANN. CHR. 1752.

Ex levi febricula decessit anno octuagesimo-nono suæ ætatis in monasterio Uranensi Casimirus Galaminus Britonoriensis ex professione Classis a sexaginta ferme annis abbas Camaldulensis. Vir comis, liberalis, effusus in pauperes, religiosæ observantiæ cupidus, qui eam tum in se, tum in aliis promovit, ut vel postremis vitæ suæ annis biduanæ abstinentiæ in hebdomada operam daret. Cum tamen perfervidi esset ingenii, scripturas plures confecit, ut proprias opiniones firmaret, quibus multorum subiit invidiam, variasque perpessus est vices; expertissimus ceteroquin in jure civili & canonico.

ANN. CHR. 1753.

LIII. De Bonifacio Grivaux eremita Gallo.

OBIIT inter eremitas Gallicanos Bonifacius Grivaux, monachus olim Trappensis, inde cœnobita Cormelliensis in diœcesi Ebreduneusi in Normandia. Natus Parisiis ex honestissimis parentibus habitum ecclesiasticum primis annis detulit. Origo autem suæ fugæ a seculo fuit sequens casus. Quadam nocte tempore hyemis cœnaverat cum amico extra domus paternas, sed amicus vino epoto, ita calore & frigore exæstuare & rigescere cœpit, ut Bonifacius coactus fuerit ipsum domum reducere, verum timens genitorum amici increpationes pulsavit ad januam, eumque reliquit in publica via ante fores domus, ubi sequenti mane jam mortuus repertus est. Horrore hujus non omnino voluntarii facti percitus Bonifacius, quod etiam toto vitæ suæ tempore tamquam sagitta adhæsit cordi suo, luxitque quinquaginta annis, insalutata familia ad Trappensem solitudinem se contulit, ubi se totum orationi vitæque contemplativæ dedit, sed vitæ actionis & exercitii manualis impar, ingressus est, professionemque fecit inter Benedictinos monasterii Cormelliensis, cujus abbas commendatarius reformationis leges tulerat in eo cœnobio, ibique ordines sacros recepit usque ad Sacerdotium, evasitque baccalaureus Sorbonæ, & de virtutibus in virtutes progrediens, nec non studiis sacris alia studia conjungens omnium æstimationem sibi conciliaverat, quam augebat vox admirabilis, & peritia in cantu; quare absconditam vitam prædiligens ad Camaldulenses eremitas, quos jam prænoverat, & apud quos alias postulaverat recipi, confugiit, ibique professionem emisit anno 1715. Assidua oratione, caritate erga confratres & pauperes, pœnitentia, virtutibus omnibus, sed præsertim invicta patientia in extrema formidabili infirmitate ita animam suam purificavit, ut vivens regula fuerit, quam imitarentur cum ipso viventes, & ipsi superstites eremitæ. Qualibet feria sexta se ad sanguinem flagellabat, disciplinamque sibi inferebat super pectus. Auctor est Bonifacius paraphrasis super orationem Dominicalem, quod excellens opus pluries impressum fuit; breviavit quoque catechismum concilii Tridentini. Decessit die IX. augusti septuagesimo-tertio suæ ætatis anno, vitamque ipsius fusius descripsit Romanus Babel coeremita, qui cum eo vixit, morientique adstitit, in eremo Vallis-Jesu.

LIV. Obitus monachorum Camaldulensium.

Ex monachis decessit Honestus-maria Honestinius Ravennas, dum actu suprema generalatus dignitate fungeretur. Vir pietate & doctrina insignis, laboribus susceptis pro utilitate monasterii sui Classensis pressus ad immortalitatem transiit die quarta januarii ineuntis anni. Oravit in ejus fune-

Ann. Chr. 1753.

re Hieronymus Ferri Longianensis professor humaniorum literarum in seminario Faventino, sepulcralem autem inscriptionem concinnavit Maurus Sartius monachus, quæ est hujusmodi: *Honestus maria Honestinus Ravennas abbas Camaldulensis heic situs est, vir doctus & prudens, sanctioris disciplinæ assertor & cultor, rerum humanarum suique contemptor, qui post plures honorum gradus generalis creatus in medio ipso amplissimæ dignitatis cursu morte interceptus maximum sui desiderium reliquit. Vixit annos* LXVI. *menses* VII. *dies* IX. *Obiit pridie nonas januarias* M. DCC. LIII. In ejus locum substitutus est Germanus Giorginius Meldulensis ex eadem Classis professione.

Quarta-decima autem decembris vivere desiit in monasterio sancti Damiani de Bononia Abundius Collina Bononiensis, Bonifacii frater, & in patrio lycæo Geometriæ, Geographiæ & Nautices professor, qui etiam librum edidit Faventiæ anno 1748. cui titulus: *Considerazioni istoriche sopra l'origine della bussola Nautica nell' Europa e nell' Asia*. Concinnaverat dissertationem ejusdem argumenti, nempe de *Acus nauticæ inventore* anno antecedenti, insertam tertio volumini tomi secundi Actorum instituti Bononiensis. Error in ipsam irrepserat, quem auctor prudentissime emendavit. Insuper Vir Clar. Johannes-chrysostomus Trombellius abbas sancti Salvatoris de Bononia canonicus regularis alia in idem argumentum dissertatione Collinæ dissertationem aliqua in parte carpserat, quare operis sui defensionem suscipere coactus est Abundius, ostenditque virtutem directivam magnetis non fuisse occultam antiquis nautis; ex iis profluxisse ad nos instrumentum pixidis nauticæ, temporis beneficio ad majorem perfectionem redactum; demum Sinenses & Arabes probabiliter ab Italis usum ejusdem pixidis didicisse. Multa alia composuit Abundius, quæ inedita reliquit, nempe *Geographiæ historicæ tractatum* in duas partes tributum; *Institutiones nauticas*, & *Annales Muratorii compilatos & correctos*; alia ex Gallico in Italicum vertit, & adnotationibus illustravit; in iis *Antiquas relationes Indiarum & Sinarum duorum Mahumedanorum seculi noni ex Arabico in Gallicum translatas & illustratas ab Eusebio Renaudotio*. Alia etiam soluta & ligata oratione paraverat edenda, nisi mors sexagesimo-primo ætatis anno superveniens modestissimi & eruditissimi ejus ingenii fœtus supressisset. Mathematicis disciplinis per decennium sub Guidone Grandio vacaverat, præter amæniora studia oratoriæ, poesis, & artis concionatoriæ, quam exercuerat in insignibus suggestis Italiæ.

LV. De impetrandis novis lectionibus S. Raynaldi ep. Nucerini.

ABBAS & monachi Classenses in dieta celebrata occasione sufficiendi novi generalis petierunt a patribus congregatis facultatem alienandi ecclesiam sanctæ Franciscæ de Foro-sempronio, quam permutatione jurisdictionis Ravennianæ ante seculum habuerunt ab episcopo Foro-semproniense. Patres autem eam facultatem remiserunt ad generalem & ad visitatores, qui minus utilem monasterio Classensi eam ecclesiam cum domo contigua judicantes licentiam concesserunt eam alienandi.

Ad eosdem patres in dieta convenientes prior & capitulum canonicorum, ac magistratus urbis Nucerinæ sequentes literas dedere, ut conjunctis officiis & instantiis impetrarent a sacra Congregatione indultum recitandi novas lectiones proprias de sancto Raynaldo episcopo Nucerino: *Reverendissimis patribus abbati generali, abbatibus definitoribus ceterisque congregationis Camaldulensis patribus, prior, præpositus ac canonici Nucerinæ cathedralis ecclesiæ S. P. D. Quam flagranti & concupiscenti animo, reverendissimi & amplissimi patres, noster capitularis cœtus, civitas,*

civitas, totaque Nucerina diœcesis Pastoris sui & Protectoris beneficentissimi Raynaldi, cujus sacrum corpus per quinque jam & ultra elapsa secula illæsum colere gloriantur, majus decus & cultum exoptent, non est plane hisce vobis literis patefacere. Tendunt communia vota, ut nostri sancti præsulis in dies magis magisque bonos augeatur. Qua de re, ut officium suis cum propriis lectionibus psallere datum esset nobis, jam Romam transactis mensibus humillimas nostras misimus preces. Cum eventus expectationem fefellerit, vestris in præsentiarum recurrentibus venerabilibus comitiis, nulla sane nobis favorabilior occurrere posse videtur occasio, ut preces addamus precibus, ut ope vestra communis voti compotes esse valeamus. Agitur, reverendissimi & amplissimi patres, de pari & communi causa; noster fuit optimus præsul & pastor divus Raynaldus, nunc vero apud Deum & pro vobis, & pro nobis assiduus & fortis intercessor, sed re bene perspecta, iste præsul & iste protector pretiosissimus est vestræ vineæ fructus, patriarchæ Romualdi filius, & omnium vestrum amantissimus frater. Eja igitur reverendissimi & amplissimi patres nostris debilibus vestras addite fortissimas vires, ut par est vestræ illustrissimæ congregationis, ut sic, quantum in vobis est, nostro et vestro glorioso patrono gloria cumuletur, & fortius ac efficacius ejus in terris promereamur patrocinium. Hinc firma in humanitate & pietate vestra suffulti spe, votis nostris secundum quam citius expectamus eventum. Valete. Nuceriæ IV. *idus maji* 1753. Hisce literis responsum a patribus, collaudare se eorum pia studia in majorem cultum divi Raynaldi procurandum, neque se alienos esse ab opera cum iisdem Nucerinis conjungenda; atque de ea re procuratori generali in Curia commisisse, ut Romæ hujus negotii curam susciperet diligentissimam.

Ann. Chr. 1753.

LVI. De promovendo cultu B. Luciæ Stiffuntinæ.

TENTATA fuit pariter hoc anno beatificatio, vel declaratio cultus beatæ Luciæ sanctimonialis Stiffuntinæ in diœcesi Bononiensi, ut liquet ex sequenti epistola, quam in Latinum vertimus Benedicti XIV. Romani pontificis data auctoribus annalium Camaldulensium: *Benedictus XIV. Johanni-benedicto Mittarelli, & Anselmo Costadoni monachis Camaldulensibus. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Per manus abbatis Ruggeri accipimus vestram epistolam scriptam die prima decembris, in qua legimus visitasse vos archivum monialium sanctæ Christinæ. Ægre ferimus, quod pauca inveneritis. Nihilotamen secius notabilis est indulgentia concessa a cardinale Papiense, cum sit valde anterior prohibitioni concessionis indulgentiarum porrigentibus manus adjutrices. Quoad officium, cum agatur de Beata ignota, aliquid ulterius requiritur, præter ea, quæ hinc inde expiscata fuere. Conficiatur elenchus omnium monumentorum, & eorum etiam, quæ nos indicavimus in nostro opere de Canonizatione Sanctorum. Proferantur auctores omnes, qui de ea loquuntur, & postea elenchus ad nos dirigatur. Reperta necessaria, ut speramus, materia formandus erit Bononiæ processus, in quo omnia recenseantur, in justificationem cultus, concessionis & instantiæ Officii, nec expensa vos terreat; quandoquidem eam subibimus nos in expiationem peccatorum nostrorum, & ut Beata oret Deum pro nobis; et vobis concedimus apostolicam benedictionem. Datum Romæ apud sanctam Mariam-majorem die* XXII. *decembris* 1753. *pontificatus nostri anno* XIV.

Ann. Chr. 1754.

LVII. De Johanne Grillo mon. Camald.

DECESSIT Bononiæ, dum parochum ageret in ecclesia sancti Damiani, Johannes Grillus Bononiensis monachus Camaldulensis. Modestia singulari inter nos enituit, dum sacræ theologiæ expertissimus

ita

ANN. CHR. 1754.

ita tamen de se demissiſſime sentiebat, ut nullam cognitionum suarum pompam faceret, audire potius solitus, quam loqui, dum de rebus scientificis sermones habebantur. Præter plures cathedras strenue impletas, officium etiam gessit confessarii monialium sancti Maglorii de Faventia, & anno 1742. occasione consecrationis aliquot sacrarum Virginum ejusdem monasterii, originem ejus parthenonis ex antiquis archivi documentis publicam in eadem urbe fecit. Ab omnibus dilectus, ab omnibus in pretio habitus, tum monachis, tum monialibus, tum parœcianis suis, penes quos ut Sanctus habebatur, omnium dolore vix sexagenarius mortalem hanc vitam reliquit die octava maji.

Mortuus est etiam Clemens-reginaldus Archibusierius Fabrianensis, qui fuerat generalis, in monasterio sanctæ Mariæ de Pisauro, quod sibi post generalatum elegerat, de quo cœnobio, ejusque ecclesia, sed præsertim de elegantissimo sacrario, turri campanaria a fundamentis erecta, fuit optime meritus, clarus etiam ob pietatem, peritiam & dexteritatem in exequendis vel ipsis arduis negotiis in Romana curia, ubi quinquennio officium socii, altero quinquennio officium procuratoris generalis strenue adimpleverat.

LVIII. De Basilio eremita Viennensi, & de Honuphrio Natta Taurinense.

BASILIUS du Verge Austriacus Viennensis ex sacerdote seculari eremita Coronensis in solitudine Kallenbergensi sancti Joseph prope Viennam edidit hoc anno Viennæ lingua Germanica opus in quatuor volumina partitum: *Diarium Camaldulense, hoc est Sanctorum & Beatorum ex ordine sancti Romualdi, necnon quorumdam aliorum sexus utriusque in Domino pie defunctorum in omnes et singulos anni dies disposita historia*. Jam ab anno 1723. typis Viennensibus ediderat vitam sancti Romualdi ex sancto Petro Damiani desumptam, tum nonaginta duabus iconibus, tum versibus exornatam, quod opusculum memorant Magnoaldus Ziegelbaur ordinis sancti Benedicti in Centifolio Camaldulensi [a], & Johannes-thomas Trattner in notitiis Viennensibus eruditis. Eadem vita, quæ prius Latine, iterum Germanice fuit impressa. Super harum imaginum dispositione vitam ejusdem sancti Romualdi versibus octonariis concinnavit alter eremita Pedemontanus Basilius Nicolis nobilis Taurinensis pius & eruditus asceta Taurinensis eremi. Præfatus Basilius Viennensis alia opuscula confecit formis Voigtianis, quibus titulus: *Modicæ æstuantes divini amoris scintillæ in honorem sanctissimi patriarchæ et abbatis Romualdi*; anno 1726. *Devotum canticum complectens vitam vel martyrium quinque SS. Martyrum ordinis S. Romualdi ex Latino in Germanicum idioma versum*. *Psalmum* Miserere *suspiriis doloris et amoris permixtum sacra scriptura et sanctorum patrum doctrina dilucidatum*; quod opus reimpressum est etiam anno 1736. Præsenti anno 1764. vertit in Germanicam linguam *Joseph amabilis divini amoris nutritii, Virginis Mariæ sponsi vitam quinquaginta venustis figuris ornatam*. Vivit felixque vivat, licet sit infirmitatibus variis vexatus, optime semper de nobis meritus, quibus historias eremorum Germaniæ & Hungariæ humanissime transmisit, præter singularia amoris officia, quibus nos devinxit.

[a] *Pag.* 14.

Silentio præterire nolumus elogium familiæ Nattæ ex marchionibus de Cerro, & ex nobilissimis Casalis Montis-ferrati, cujus familiæ primogenitus marchio de Fubbine Thomas Virginius, filius Vincentii Hiacynthi Nattæ, & Adelaidis Scarampi a Villanova hoc anno eremiticam vitam professus est in solitudine Camaldulensi sanctissimi Salvatoris prope Taurinum. Proavos habuerat Thomas Virginius clericum regularem de Somascha, aliumque ex ordine fratrum Cappuccinorum; avum habuerat

buerat paternum, qui postea Dominicanæ familiæ nomen dederat. Patruos habebat tres, fratres patris, ex ordine Prædicatorum, Enriettum Virginium Natta episcopum Albensem & comitem, demum etiam S.R.E. cardinalem, secundum archiepiscopum Calaritanum Sardiniæ primatem, qui postea se abdicavit, & Thomam in conventu sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe, alios habebat paternos patruos Benedictum eremitam Camaldulensem in eadem eremo Taurinensi, & Georgium ex Societate Jesu; fratres itidem tres, duos in eodem ordine sancti Dominici, tertium ex clericis regularibus de Somascha, sorores duas Carmelitas, amitas duas Carmelitam & Cappuccinam, duas denique proavas Benedictinas. Thomas itaque noster, natus die III. januarii anni 1729. tot majorum & æqualium exemplis inductus, post literas humaniores in collegio PP. S. J. urbis Taurinensis, post studia philosophiæ, theologiæ, jurisque civilis & canonici, post artes liberales equestri viro dignas perceptas in regia Taurini academia, laureamque doctoris assequutam, vitam eremiticam Camaldulensem unice concupivit, sed verebatur, ne a genitoribus impediretur, vel saltem distractionis causa sibi essent futuri ob proximitatem; insciis proinde omnibus urbem Taurini, patriam, parentes, amicos dereliquit, Januam primum, inde Neapolim, sed ab amico recognitus in Siciliam se recepit nomen daturus, quandoquidem in patria non licebat, alicui austerissimæ religioni, & singulariter inter patres reformatos sancti Petri de Alcantara. Id, ubi compertum habuit Enriettus episcopus Albensis ejus patruus, ad vicem-regem Siciliarum, & ad præfectum ejusdem religiosæ familiæ epistolas dedit, quatenus nepotis consilium impedirent. In Urbem propterea se contulit Thomas Virginius, ibidemque religiosam suam intentionem communicavit cum altero patruo suo Thoma ordinis sancti Dominici assistente patris generalis, qui ei animos addidit, ut non posthaberet eremiticam togam suscipere in Pedemontana congregatione, quæ prima in votum venerat. Verebatur tamen, ut diximus, Thomas Virginius parentum & patriæ propinquitatem & impedimenta solitudinis, quam vehementer optabat; quare etiam adivit procuratorem generalem in Urbe commorantem Montis-coronæ, solitarium propositum exequuturus vel in Veneta provincia; sed demum prudentia eorumdem patris, & procuratoris generalis Coronensis res eo deducta est, ut libentissime congregationi Pedemontanæ candidatus nomen daret, scriptis extemplo literis postulationis Majori, & habitis responsivis receptionis. Invisis itaque parentibus, quos ex industria adire noluit, ad eremum sancti Salvatoris recta se anno præterito recepit, tirocinium ibidem posuit & complevit, ac prima maji hujus anni professionem emisit in manibus quidem Apollinaris Chiomba Majoris ejus congregationis, sed rem sacram pontificalibus Missa & ceremoniis haud frequenti exemplo perficiente Enrietto episcopo Albensi patruo, diaconum agente Benedicto eremita alio patruo, subdiaconum Georgio ex S. J. tertio patruo, mutato nomine Thomæ in illud Honuphrii a Casali. Hæc, quæ raro obveniunt in nobilissimis familiis, referre placuit ad perenne illustrissimæ gentis Nattæ monumentum.

Ann. Chr. 1754.

Ann. Chr. 1755.
LIX.
Capitulum generale monachorum.

IN capitulo generali monachorum Camaldulensium electus est in abbatem generalem Aurelius Stecchius a Balneo, in visitatores Seraphinus Concelmanius a Bononia, & Gregorius Patritius Matthejus Senensis.

Quandoquidem vero Camaldulenses monachi post horam canonicam Primæ commemorationem faciebant dumtaxat de sancto Romualdo, omissa

Ann. Chr. 1755.

omissa commemoratione sancti patris nostri Benedicti, statutum est, ut deinceps commemoratio fieret de utroque sub unica antiphona & oratione: *Isti sunt duæ olivæ et duo candelabra lucentia ante Dominum*. ℣. *Justi autem in perpetuum vivent*. ℟. *Et apud Dominum est merces eorum*. Oratio. *Fac nos quæsumus Domine beatorum patrum nostrorum Benedicti et Romualdi hic imitari labores, ut eorum gloriæ participes esse mereamur in cælis. Per Christum Dominum nostrum*. ℟. *Amen*.

Ob mortem cardinalis Petri-aloysii Caraffæ protectoris ordinis Camaldulensis Benedictus XIV. pont. max. in patronum elegit Aloysium Matthæjum alterum S. R. E. cardinalem.

Defunctus est etiam hoc anno Placidus Pegorinus monachus Camaldulensis Venetus, qui paraverat dictionarium Lusitanicum ad Italorum intelligentiam prælo tradendum, cujus Lusitanicæ linguæ cognitionem acquisierat per multos annos, quibus cum facultate majorum moras in Lusitania & in Hispania traxerat.

LX. De abbatia Saxi prope Galeatam.

Franciscus Olivonus presbyter rector ecclesiæ sancti Jacobi de Saxo, & plebanus Podii *alla Lastra* in epistola data die XXII. octobris anni 1763. ad domnum Parisium eremi Camaldulensis priorem, & nobiscum communicata scribit ante septem vel octo annos mense majo vel junio die quadam Mariam-franciscam uxorem Johannis-jacobi Nobili mulierem optimis moribus præditam vidisse super sarmenta domus suæ monachum quemdam sedentem habitu, manu, & ore candidissimum, gravem aspectu, proximo autem mense octobris ipsam post visionem mortem oppetiisse. Qua occasione sumpta idem plebanus differit de maceriis cujusdam antiquissimæ abbatiæ existentibus in villa Saxi sita in altissimis montibus prope flumen Bidentem, a quo distat duobus milliariis in Galeatanæ abbatiæ districtu, & in parœcia sancti Benedicti *alla Berletta*, de turri nimirum ex lapidibus quadratis, quæ dissita est novem vel decem milliaribus ab abbatia sancti Hilari, tribus ab altera abbatia Insulana sanctæ Mariæ in Cosmedin, duodecim ab eremo Camaldulensi, viginti a monasterio Bifurcensi. Superesse ibidem etiamnum parvam ecclesiam sub invocatione sancti Jacobi quadratam, quæ dependet a mensa abbatiali sancti Hilari, cujus ecclesiæ collatio sibi facta fuerit anno 1732. Anno 1710. eamdem ecclesiam visitatam fuisse a cardinale Fabrono Galeatano commendatario abbate; in pariete ecclesiæ conspici beatam Virginem coloribus expressam & cum subjecta hujusmodi epigraphe: *Questa Madonna fece fare Bajone* (Battistone) *di Olivone da Sasso per sua devozione anno* 1553. unus nimirum ex majoribus suis. Temporibus anteactis in effodienda terra reperta fuisse columellas, lapides politos, & aliquot musiva, aquæ lustralis etiam marmoreum vas; putatque idem plebanus ibidem extitisse abbatiam Saxi clare indicatam tum in chartis antiquis abbatiæ sancti Hilari, tum in necrologio Galeatensi, in quibus ad annum 1050. legitur tempore Fulconis abbatis Galeatani concurrisse in claustris sancti Hilari ad quemdam actum publicum Hugonem de Saxo, de quo in necrologio: *Et Ugo abbas de Saxo frater Johannis monachi et sacerdotis hujus monasterii*, de Galeata.

LXI. De Mauro Sartio ejusque operibus.

Historiam episcoporum ecclesiæ Eugubinæ ad eminentissimum & reverendissimum principem Henricum Henriquesium S. R. E. cardinalem, Æmiliæ provinciæ legatum, Pisauri typis Gavellianis in lucem protulit Maurus Sartius Bononiensis monachus Camaldulensis, qui hoc anno cancellarii munus in congregatione obiverat. Præcedit erudita dissertatio de civitate & ecclesia Eugubina, inde historia texitur sexaginta & octo episcopo-

scopo-

ſcoporum ad fidem diplomatum veterum, necrologiorum & monumentorum antiquorum. Ante biennium in urbe Faventina diſſertationem concinnaverat de veteri Caſula diptycha, quam dicaverat Ferdinando-Romualdo Guicciolio archiepiſcopo Ravennati, cujus fuerat theologus. Caſula hæc ſervabatur in eccleſia ſancti Apollinaris in Claſſe Ravennæ, & modo ſervatur in urbana ſancti Romualdi, videratque ipſam Hieronymus Rubeus celebris hiſtoricus Ravennas, eamque non ignorabant Juſtus Fontaninius & Dominicus Georgius, ac celebris Salig in ſuo libro Diptychorum ſacrorum & profanorum, neque tamen ſeriem ordinatam epiſcoporum animadverterant, quam primus animadvertit Sartius; ſcilicet in pectorali & dorſali parte caſulæ exhibentur triginta-ſex epiſcopi Veronenſes, eoque beneficio reſtituit ipſe ordinem veterum epiſcoporum urbis Veronæ multa eruditione & felicitate, ab Euprepio primo epiſcopo ad Sigebertum, qui vixit circa medietatem ſeculi octavi. In epiſtola humaniſſima data Annaliſtis Camaldulenſibus a ſupremo eccleſiæ hierarcha Benedicto XIV. die XXII. decembris ejus anni 1753. hæc leguntur: *Accepimus librum ſupra planetam ſancti Apollinaris; ipſum percurremus, lætantes, quod noſtra Italia in ſacra eruditione æmuletur labores & ſtudia provinciarum, quæ ſunt ultra montes.* Anno 1747. ex Maſſaccio epiſtolam ſcripſit idem Sartius ad Johannem-felicem Garatonum de *Cupra-montana*, quam probat fuiſſe ad Maſſaccium; hortatu amici ſui Garatoni epiſtolam typis edidit eo ipſo anno, proſtatque tomo XXXIX. collectionis Calogerianæ, iterumque editionem alteram curavit anno 1748. cum hoc titulo: *De antiqua Picentum civitate Cupra-montana Mauri Sartii monachi Camaldulenſis epiſtola ad V. Cl. Johannem-felicem Garatonum in Romana curia advocatum, S. R. E. cardinalis Sacripantes a cognitionibus*; Piſauri 1748. quam ſuam opinionem firmavit ex inſcriptione Maſſaccii reperta & exiſtente, producta autem a Muratorio, in qua nominantur *Cuprienſes Montani*. Stephano Borgiæ Veliterno nepoti Alexandri Borgiæ archiepiſcopi Firmani, academico Etruſco & ſocio Columbario Florentino placuit per epiſtolam apologeticam datam Sartio editam Piſauri anno 1752. legere: *Curatores Montani*; idipſum aſſertum voluit in brevi hiſtoria veteris urbis Tadini, ſed Sartius eo ipſo anno lectionem ſuam vindicavit, & Cuprenſes Montanos in inſcriptione nominari ad oculum demonſtravit, ac ad differentiam Ripæ-tranſonæ appellatæ Cupræ-maritimæ, quia ſita eſt ad mare, Maſſaccium olim appellatum fuiſſe Cupram-montanam, quia ad montem ſita erat antiqua Cupræ urbs, oſtendit. Ex urbe Firmana tertia ſeptembris iterum calamum adverſus Sartium ſtrinxit Borgia, ſed ille vel ejus amicus ſub nomine Hieronymi Paretti objectiones Borgiæ diluit. Alter ſub ementito nomine Pauli Ricomanni gubernatoris Recineti ex Macerata die XIII. novembris pro Borgia, Carolus Ronconus pro Sartio anno ſequenti ſcripſere; ſed controverſia honore partium litigantium quamprimum finiit, conferente ſe Borgia cum V.C. Franciſco-maria Raphaellio Cingulano patritio ad locum inſcriptionis die ſecunda ſeptembris anni 1753. & pronuntiante optime lectam fuiſſe a Sartio, quare ſupervacaneo & inopportuno labore contra Ricomannum inſurrexit Venetis typis hujus anni 1755. Johannes-franciſcus Lancellottus Staphulanus. Eodem anno 1748. præfatus Sartius vitam ſancti Johannis Laudenſis prioris Avellanenſis & diſcipuli ſancti Petri Damiani, ac demum epiſcopi Eugubini ſcriptam a monacho anonymo ejuſdem monaſterii ſanctæ Crucis de Fonte-avellana e tenebris eripuit ope antiquiſſimi codicis archivi Armanni Eugubini, quam ex Latina Italicam fecit, notis illuſtravit, & dicavit Jacobo Cingari

Ann. Chr. 1755.

episcopo Eugubino ; Æsii 1748. Affertur etiam veteris scriptoris vita Latina, agiturque peculiari dissertatione de scriptoribus vitæ ipsius beati Johannis. Paratam habebat Sartius dissertationem de Æsino fluvio, & de locis adjacentibus; alteram quoque collectionem Traditionum Avellanensium; sed jussus a Romano pontifice Benedicto XIV. memorias colligere Professorum Universitatis Bononiensis, in eam rem nervis omnibus intendit, notitias undequaque corradit, & jam primus tomus est sub prælo quamprimum in lucem emittendus.

Seraphinus Concelmanus, dum abbas esset monasterii sancti Apollinaris in Classe, cui unita est altera abbatia sancti Severi extra muros Ravennæ, annis antecedentibus, hanc postremam basilicam deterso squallore ornaverat, ædificia reparaverat, aramque dicaverat in honorem sancti Guidonis abbatis olim sancti Severi, inde Pomposiani. Cupiens itaque basilicam decorare sacris lipsanis sancti præsulis, quod olim fecerat Petrus Cannetus obtentis ex Germania reliquiis sancti archiepiscopi Severi, ope Nicolai Oddii apostolicæ sedis apud Coloniensem electorem legati, impetravit a Francisco-christophoro de Hutten S. R. I. principe & episcopo Spirense nunc autem S. R. E. cardinale, insignem reliquia, ejusdem sancti Guidonis, quam honorifice in præfata sancti Severi basilica collocavit. Sub Henrico III. imperatore Spiram translatum fuerat anno 1046. corpus sancti abbatis Guidonis.

„ Cum in dominio Veneto festum cum recitatione officii pretiosi Sanguinis Domini nostri Jesu-christi sub ritu duplici primæ classis affixum sit feriæ sextæ, quæ in mense martio est ordine tertia, & non semel contingat, ut prædicta feria sexta, vel sequens sabbatum incidat in diem XXI. martii, quo festivitas sanctissimi patriarchæ Benedicti in toto ejus ordine maxima cum sollemnitate celebratur, & quidem apud monachos congregationis Camaldulensis tamquam de præcepto, & sub ritu duplicis primæ classis cum octava etiam in quadragesima. Hinc domnus Gregorius-patritius Matthejus abbas procurator generalis prædictæ congregationis Camaldulensis humillime sacræ Rituum congregationi supplicavit, ut quoties accidat harum duarum festivitatum occursus vel concursus, liceat monachis, monialibus & eremitis ejusdem congregationis celebrare die XXI martii festum eorum patriarchæ Benedicti, ac tunc festum & recitationem officii pretiosi Sanguinis ad feriam sextam, quæ ejusdem mensis martii secunda est, transferre. Et sacra eadem congregatio ad relationem mei secretarii gratiam juxta petita benigne concessit. Die XI. januarii 1755. D. F. cardin. Tamburinus præfectus. M. Marefuscus S.R.C. secretarius. “

Ann. Chr. 1756.

LXII. Promotus cultus B. Fortis eremitæ Avellanensis.

SIGNATA jam die VII. julii anni 1753. per Romanum pontificem Benedictum XIV. commissione introductionis in causa beati Fortis de Gabriellibus monachi sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, de quo nos monumenta, quæ supersunt, protulimus ad annum 1040., prævia discussione processus a reverendissimo episcopo Eugubino sua auctoritate ordinaria confecti super fama sanctitatis, virtutum & miraculorum illius, de more, in sacra Rituum congregatione examinata fuit sententia per eumdem ordinarium prolata super cultu ab immemorabili tempore dicto Beato præstito, sive super casu excepto a decretis sanctæ memoriæ Urbani VIII. quæ ad relationem eminentissimi & reverendissimi domini cardinalis Tamburini sacræ congregationis præfecti & causæ ponentis, unanimi ceterorum eminentissimorum patrum consensu sub die XIII. martii hujus anni confirmata fuit, accedente approbatione sanctitatis suæ sub die XVII. ejusdem anni, instante comite Forte de Gabriellibus de Valletta

Eugu-

Eugubino postulatore, & audito prius Benedicto Veterani Fidei promotore, qui suam sententiam exposuit.

In sequelam hujusce affirmativi decreti, cum locus factus esset petitioni officii & Missæ in honorem ipsius Beati, humiles prælaudato Sanctissimo Domino porrectæ fuere preces, ut opportunam facultatem desuper impartiri dignaretur, sed quia Sanctitati suæ placuit ejusmodi supplicationem remittere arbitrio ejusdem sacræ congregationis, hinc Jacobus Eugubinus, & frater Callistus-maria Terracinæ, Priverni ac Setiæ episcopi, nec non Aurelius Romualdus Stecchi abbas generalis monachorum Camaldulensium, & præfatus comes Fortis Gabriellius Valletta supplicarunt obsequentissime eamdem sacram congregationem, ut indulgeret facultatem celebrationis quotannis in honorem dicti beati Fortis officii & Missæ de communi Confessoris non Pontificis cum una ex quinque orationibus descriptis, vel alia, quæ præfatæ congregationi libuerit ad diem XI. maji, quoniam dies IX. quæ ejus emortualis creditur, festo & officio sancti Gregorii Nazianzeni, X. vero officio sancti Antonini episcopi perpetuo impedita est, in civitate nimirum & diœcesi Eugubina, in qua natus, & sepulcri honorem habet idem Beatus; in toto ordine Camaldulensi, ad quem pertinebat, & cui ante duo secula unitus fuit ordini Avellanensio; nec non in diœcesi Setina pro ecclesia tantum sanctorum Sebastiani & Rocchi ejusdem civitatis, in qua dictus comes habet sacellum, ac demum in oratoriis ipsius comitis. Sacra tamen congregatio rescripsit: *Peo gratia Officii de Communi Confessoris non Pontificis die undecima maji sub ritu duplicis minoris pro civitate Eugubina; quoad diœcesim & quoad Monachos Camaldulenses sub ritu semiduplicis; quoad oratoria privata oratoris comitis Fortis de Gabriellibus causæ postulatoris in domibus, in quibus degit, pro gratia unius Missæ votivæ tantum ad vitam ejusdem Oratoris; in reliquis nihil, si Sanctissimo Domino nostro placuerit. Die* IV. *septembris* 1756. *Factaque deinde per me secretarium de prædictis eidem Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit. Die* XV. *ejusdem mensis & anni* 1756. *D. F. card. Tamburinus præfectus L. ✠ S. M. Maresuscus Sacr. Rit. Cong. secretarius.* Anno sequenti Romæ editus fuit libellus sub titulo: *Esercizio di divozione per tre giorni innanzi la festa del B. Forte Gabrielli da Gubbio monaco ed eremita della Fonte Avellana dell' ordine di S. Benedetto, che si celebra il dì undici Maggio.*

Eodem anno abbas Laurentius Verdonius procurator generalis monachorum Camaldulensium alium supplicem libellum obtulit eidem Romano pontifici Benedicto XIV. pro concessione officii sancti Bononii abbatis ordini Camaldulensi, quod pontifex indulserat urbi Bononiæ ejusque diœcesi. Ut tamen, quo jure pertineret sanctus Bononius ad Camaldulenses, notum fieret, humiliter postulavit, ut aliqua adderentur lectionibus propriis concessis pro urbe Bononiensi. Verum cum additiones viderentur longiores pontifici, breviores factæ fuere. Sed gravibus & postea mortalibus anno sequenti infirmitatibus presso pontifice evanuit ipsius promissio concessionis præfati officii, licet optime foret dispositus ad gratiam faciendam. De sancto Bononio abbate, Romualdi discipulo, & Ægypti apostolo omnia congessimus ad annos 1002. & sequentes.

LXIII De Paulo de la Roche eremita Gallo.

In abbatia insulæ Calvetti decessit XXVI. decembris hujus anni frater Paulus de la Roche conversus eremita ab anno 1722. Nihil ferventius concupivit, quam dissolutionem sui corporis, & esse cum Christo; quare cum postrema sua infirmitate medicus melius illum habere asseruisset, nonnihil afflictum se esse demonstravit, aliumque confratrem, qui extre-

Ann. Chr. 1756.

extrema sacramenta jam susceperat, exoravit, ut eamdem moriendi gratiam sibi a Deo impetraret, quod quidem contigit sex diebus post obitum illius. Pervigilio suæ defunctionis preces porrexit Paulus suo confessario, ne ceterorum more expoliaretur suis vestibus, corpusque ejus lavaretur; expetiisse hoc creditur ob virginalem pudorem, simul etiam ob humilitatem, ne scilicet paterent cicatrices, quas pœnalia exercitia & instrumenta impresserant in ejus carne. Profunda sui humilitate, amore in pauperes, officiis erga infirmos, pœnitentiis & patientia maxime excelluit. Licet conversus recitationem tamen psalmorum semper adamavit, & ante mortem psalmum *Domine Deus salutis meæ in die clamavi et nocte coram te* supra se pronuntiatum, actibus internis & externis maximo fervore & devotione prosequutus est. Episcopus Lucionensis de Werthamon quotiescumque Camaldulenses eremitas obvios habebat, exsatiari non poterat, quin semper diceret: Vester frater Paulus est sanctus. Ante annum die XXI. decembris decesserat in eadem eremo Carolus Berard alter frater conversus, in quo præter eximiam pietatem suspiciebatur assiduus labor, & perpetuum exercitium sine ullo levamine vel lassitudine.

Vetera monumenta ad Classem Ravennatem nuper eruta. Faventiæ M. DCC. LVI. in 4. Leandro Lovatello Ravennate, monacho Camaldulensi Classis terram effodi curante apud basilicam sancti Apollinaris in Classe Ravennæ in profunditate septem palmorum repertum fuit crassum & durum stratum, & sub ipso multa sepulcra cum inscriptionibus, inscriptiones tamen non oculis spectantium erant expositæ, sed incisæ in aversa parte super cadavera; quare videbantur marmora monumentorum paganorum, quibus usi sunt Christiani, quandoquidem etiam creditur basilicam sancti Probi, vel templum sanctæ Euphemiæ eo in loco fuisse. Historiam hujus detectionis & inscriptiones ipsas numero XXVI. notis illustrarunt Ferdinandus Mingarellius monachus Classensis & Maurus Fattorinius Avellanensis, nuncupantes eorum collectionem cardinali Stuppanio Æmiliæ legato. In Classe statio erat navium Romanarum Hadriatici maris, sicut alia statio erat ad promontorium Misenum. Eorumdem monachorum sunt carmina, quæ sub nomine Friastis & Ratisbi pastorum Arcadum Clitenius Cillenianus (is est Dominicus-maria Saverni) in folio prodierunt Bononiæ anno præcedenti 1755.

Ann. Chr. 1757.

LXIV. Historica aliquot.

VIx biennio officium protectoris congregationis impleverat S. R. E. cardinalis Aloysius Matthæjus, cum immatura morte functus locum fecit alteri cardinali Camillo Pauluccio Merlino Foro-liviensi, qui hoc anno protectionis munus assumere dignatus est.

In monasterio sancti Salvatoris de Foro-livio decessit Romualdus Folegattus Comaclensis monachus Camaldulensis, pietate in Deum & in proximos, doctrina quoque præsertim ascetica, & facundia in persuadendo non vulgariter ornatus. Vicarius generalis fuerat in Signina diœcesi, antequam monachum indueret.

Dono data est Apollinari Chiomba Pedemontano eremitæ, tunc magistro novitiorum in eremo Taurinensi, reliquia sancti patris Romualdi a Roberto Palladino abbate sancti Blasii de Fabriano, eo quod congregatio eremitarum Pedemontanorum opem pecuniariam subministrasset pro constructione insignis urnæ ad sepulcrum sancti Romualdi fabrefactæ. Hæc reliquia adjuncta alteri, quam anno 1699. dono dederat Johannichrysostomo Chieppio Taurinensi priori abbas ejusdem monasterii sancti

Blasii

Blasii Vitalis Ascevolinus, thecæ argenteæ inclusa maxima veneratione exponitur & colitur in ecclesia eremi Taurinensis.

Ann. Chr. 1757.

Jam ab anno 1728. Angelus Calogerà monachus sancti Michaelis de Muriano, Corcyrensis origine, sed Patavii natus, auspicatus fuerat collectionem opusculorum scientifici & philologici argumenti, quæ continerent vel defunctorum, sed ut plurimum viventium virorum dissertationes mole sua haud prolixas, quas concluserat quinquaginta tomis, præfationibus & copiosis indicibus refertis. Placuit collectori opus continuare, sed nova collectione, cujus ad hodiernam diem duodecim tomi prodiere. Iterum alia collectio novo titulo ordinata est anno 1759. Exceptæ fuere omnes literatorum virorum plausu, magnumque nomen fecere celebri editori, qui amicitias iniit cum omnibus Italiæ scriptoribus. Novam curavit editionem Bibliothecæ Volantis Cinellii, quam notabiliter auxit. Auctor est notitiarum Literariarum Venetarum ab anno 1729. ad 1731.; plurima edidit opuscula ad promovendum cultum sanctorum parentum Benedicti & Romualdi aliorumque Sanctorum ordinis. Regius censor librorum pro serenissima republica Veneta optimas editiones promovit, noxias repulit. Magnoaldus Zeigelbaur in suo Centifolio eum vocat *virum sane omnigena eruditione sacra & profana instructissimum*. Dum hæc scribimus mense novembri anni 1764. ad septemvirum prælatorum numerum est evectus communi omnium gratulatione, collata ipsi ordinaria facultate abbatiali & jurisdictione, qua ab octennio, sed ut titularis tantummodo gaudebat ex apostolico Benedicti XIV. indulto.

Inscriptio super vestibulum ingressus in ecclesiam eremi Taurinensis: *Hanc regio-avitam Torquatorum Sanctissimæ Annuntiationis ædem, Salvatori jampridem sacram, mox ab vetustatis injuriis per cultores suos ereptam, restauratam, ampliatam, ornatam, Salvatoris, itidem ac Beatæ Mariæ Virginis in Deiparam ab Angelo salutatæ, Eminentissimus S. R. E. presbyter cardinalis tituli sancti Chrysogoni Johannes-baptista Rotarius archiepiscopus Taurinensis, ejusdem supremi ordinis eques ritu sollemni sacrabat kalendis julii* M. DCC. LVII. Annis siquidem antecedentibus magnis sumptibus altare princeps ex selectis lapidibus multoque ære ornatum de novo construxerant, chorum, capellam capituli, archivum, vestibulum, Sancta Sanctorum, ceteraque ædificia contigua ampliaverant, decorationibus etiam insignium tabularum eremitæ Taurinenses, novamque omnino faciem dederant regiæ ecclesiæ, assumentes præter primum Titularem Servatorem Mundi, Annuntiationem beatæ Virginis in secundum Titularem, eo quod sacra ædes princeps ecclesia esset ordinis equitum Torquatorum ejusdem nominis. Decreta fuit ab archiepiscopo cardinale anniversaria dedicationis dies una cum percipienda indulgentia undecima julii, eo quod prima, qua dedicatum est, impediretur octava sancti Johnnis-baptistæ.

Ann. Chr. 1758. LXV. De abbatia Vangaticiense his postremis temporibus.

DECESSERAT ante triennium die sexta januarii cardinalis Angelus-maria Quirinus abbas commendatarius antiquissimæ abbatiæ Vangaticiensis jam ab anno 1728. post mortem Petri Prioli alterius cardinalis, qui suffectus fuerat anno 1706. Marco Delphino episcopo Brixiensi itidem cardinali successori anno 1689. Petri Ottoboni cardinalis electi eo anno Romani pontificis. Optime meritus fuerat cardinalis Quirinus de abbatia Vangaticiensi, in qua præter clericorum seminarii erectionem, altare princeps ex marmore extruxerat una cum pavimento ecclesiæ ex lapide coctili. Inter cetera celeberrima ipsius opera, illustrandam assum-

Ann. Chr. 1758.

assumpserat memoriam Petri olim Vincentii Quirini patricii Veneti, inde eremitæ Camaldulensis, de quo omnia, quæ supersunt, ex variis bibliothecis collegerat. Post ipsius decessum tribus annis vacavit sedes abbatialis, quo tempore Senatus Venetus indigentiis ecclesiæ & monasterii providissime consuluit tribus sapientissimis decretis, stabili facta monachis assignatione ex redditibus abbatiæ. Hoc anno a Clemente XIII. Romano pontifice electus fuit in abbatem commendatarium Bartholomæus Gradonicus patritius Venetus nunc archiepiscopus Utinensis, quem Deus sospitem ad multos annos servet, quandoquidem pietate, zelo, magnitudine etiam animi præstat. Abbatiæ hujus hodierna facies hæc est. „ Congregatio Camaldulensis destinat abbatem claustralem, qui vocatur „ abbatiæ prior, quique una cum septem monachis sacerdotibus sub ab„ bate commendatario unum & idem corpus efficiunt. Plenam potesta„ tem habet abbas claustralis in monachos, plenissimam generalis & „ visitatores, nullam in ecclesiam & diœcesim totam Vangaticiensem; „ Abbas enim commendatarius constituit vicarium generalem, qui eo„ dem fungitur jure & officio ac aliarum diœcesum vicarii. Omnes „ subjectarum ecclesiarum parochi eliguntur a commendatario abbate in „ propriis sacerdotiis, atque idcirco & commendatario, & ecclesiæ abba„ tiali per omnia obediunt. Præ ceteris obedientiæ & servitutis signis, „ quibus parochus sancti Johannis-baptistæ ipsius loci, ubi sita est Ab„ batia, & alii subjecti parochi Abbatiam ipsam tamquam matrem agno„ scunt & venerantur, in festis sanctorum Primi & Feliciani, & sancti „ Theobaldi publicæ sollemni processioni adesse tenentur. Huc quoque „ accedunt Olea sancta accepturi die Sabbati Sancti, quo die aquam ba„ ptismalem parochus sancti Johannis dum conficit, (ecclesia namque „ Abbatiæ non est parœcialis) sacro illi officio interveniunt monachi „ a presbyteris illius ecclesiæ ad abbatialem proficiscentibus invitati. Ab„ bas claustralis nunquam publicis ecclesiasticis functionibus interest, „ quia sicut in ecclesia non sua pontificalibus uti nequit, in alio mo„ do sacris ministrare ipsum, qui privilegiis omnibus abbatibus Camal„ dulensibus communibus gaudet, non decet. Hac de causa usus inole„ vit, quod die Corporis Domini non abbas, sed parochus sancti Jo„ hannis & Missam in abbatiali ecclesia celebret, & processionem pera„ gat, sicque exemptus sit a debito idipsum in propria ecclesia præstan„ di. Ceterum ecclesia abbatialis omnibus insignibus & prærogativis su„ per alias sibi subditas ecclesias tamquam filiales etiamnum gaudet ac „ ecclesia quæcumque cathedralis, eidemque inservientes monachi more „ cathedralium studio sacræ quotidianæ synaxis, confessionum auditione, „ & Sacramentorum frequentata administratione, tamquam digniores e „ clero totius diœcesis jure semper habebuntur, & tamquam canonici „ illius ecclesiæ existimabuntur, quemadmodum abbas commendatarius „ ipsi præsidet, & diœcesi tamquam episcopus. Collegium seu semina„ rium clericorum & aliorum juvenum diœcesis & proximorum loco„ rum, quod a novissimo commendatario Quirino diximus institutum, „ solertia & zelo sacerdotum illius disciplinæ & scholæ enixe incum„ bentium magis magisque floret, vigetque. Sed magnum revera maxi„ mumque diœcesis tota, & ipsum monachorum agmen hactenus passa „ sunt detrimentum ab plurium commendatariorum absentia &c. “ Hæc totidem verbis exscripsimus ex singulari dissertatione epistolari, quam scripsit hoc ipso anno ad Camillum Paluccium Merlinum S.R.E. cardinalem & congregationis Camaldulensis protectorem Ferdinandus Romual-

mualdus-antonius Giuriati Venetus monachus Camaldulensis, quam edidit Venetiis, sed sub nomine urbis Ferrariæ, ubi originem, donationes, privilegia, subjectionem monasterii priori generali Camaldulensium, & transitum ad abbates commendatarios compendio perstringit; quibus addi potest, quam informis res sit, ut presbyteri seculares, qui dependent ab ecclesia abbatiali cathedrali, jus sibi arrogent præcedentiæ super monachos veros & legitimos ecclesiæ canonicos, qui unum corpus conficiunt cum abbate commendatario domino ejusdem ecclesiæ cathedralis. Vidit monstrum hocce Franciscus de Grassis episcopus Clodiensis & vicarius Georgii Cornelii abbatis commendatarii seculo præcedenti, decrevitque ut de cetero monachi presbyteros seculares præcederent, sed potentia vel melius impotentia presbyterorum contra ecclesiam matrem insurgentium tam æquum decretum vix emissum sustulit, & violenter ad hodiernam diem exequutioni mandari vetat.

Ann. Chr. 1758.

Licet eremitæ Gallicani juxta indultum Romani pontificis Clementis X. officium semiduplex de sancto Romualdo in feria tertia non impedita ab anno *1676.* acceptassent, ex hoc tamen anno, quo usum facere ceperunt breviarii Benedictini Cluniacensis, simplicem tantummodo commemorationem agunt singulis feriis tertiis de sanctis parentibus Benedicto & Romualdo.

Obiit hoc anno cum magna pietatis opinione Romæ ad viam Lungariam in conservatorio Oblatarum Camaldulensium Angela Pezza, quæ fuit ipsarum fundatrix, quæque, postquam cultum erga augustissimum Sacramentum, & laudem perennem Deiparæ Virginis promovit, collecto non parvo Virginum collegio, & redditibus aucto loco, post virtutum plura exercitia & exempla, superstitum maximo dolore defuncta est die XXIX. julii septuagesimo-primo suæ ætatis anno.

Bartholomæus Bertini a Bibiana loco ad radices Alpium Cottiarum eremita Taurinensis sancto fine quievit die XXIX. aprilis quinquagesimo-octavo ætatis anno. Assidua Dei præsentia, singularissima erga Deiparam virginem pietas, jugis in cibo & pœnalibus exercitiis mortificatio, constans demum regularum vel minimarum observatio, ad eum perfectionis gradum ipsum elevarunt, ut in nulla re propriam admitteret voluntatem, quam omnino Dei perfectissimæ voluntati subjecerat.

Ann. Chr. 1759. LXVI. Inventio corporis S. Hilarii in ecclesia S. Benedicti Arretii.

PRÆSENTI anno in ecclesia sanctimonialium nostrarum sancti Benedicti de Arretio repertum fuit corpus sancti Hilarii, quod jam ab anno 1305. concessione Hildebrandini episcopi Arretini ad eam ecclesiam translatum fuerat ex campestri suburbana antiquissima ecclesia sancti Hilarii & sancti Sepulcri sita in loco dicto Puliola extra urbem Arretinam. Ignorabant moniales, ignorabant ipsi cives Arretini, ubinam delitescerent reliquiæ sancti Hilarii, & cum aliud corpus sancti Higini martyris donatum fuisset iisdem sanctimonialibus ab Antonio Mazzoni abbate sancti Gregorii de Urbe, delatum postea anno *1663.* die quinta aprilis a generali abbate Petro Ferraccio, & depositum sollemniter in dictam ecclesiam, atque occulta fuisset urbi hujusmodi donatio, timebatur pro nomine veteris corporis Hilarii suppositum nomen Higini, & Hilarii esse, non Higini illud corpus; idipsum credidit Laurentius Grazzinus eruditus auctor Vindiciarum sanctorum martyrum Arretinorum. Verum cum præcedenti anno 1758. cura & diligentia Dominici-loricati Buccherellii confessarii præfatarum sanctimonialium & monachi Camaldulensis detectum fuisset ad oculum, corpus illud, quod sub ara majore vene-

Ann. Chr. 1759.

venerationem obtinebat, vere esse sancti Higini, ut fidem faciebat vetus inscriptio super lapidem claudentem sacra ossa his verbis: IGINUS MR. sublata fuit omnis dubitatio; neque contentus præfatus monachus rem in claro posuisse quoad corpus sancti Higini, nulli pepercit operæ, nulli diligentiæ, ut etiam illud sancti Hilarii detegeret, quod tandem feliciter inventum est super januam chori superioris monasterii in pariete a cornu Evangelii, ubi legebantur hæc verba: RELIQUIAE SANCTORUM. Forato enim pariete reperta est capsula lignea medietatem brachii excedens longitudine; lata autem plusquam quadrans brachii, continens ossa & non pauca unius & ejusdem hominis, ut periti professores vocati judicarunt, corrosa tamen & inquinata a muribus, cum fragmentis minutissimis chartaceis, quæ forsitan monumenta erant depositionis præfati corporis. Cum itaque constaret nullum aliud sacrum corpus, præterquam sancti Higini, cultum unquam obtinuisse in dicta ecclesia, (aliunde exploratissimum esset a tempore Hildebrandini episcopi quiescere in eadem ecclesia corpus etiam sancti Hilarii, nullus fuit, qui pro certissimo non haberet, ipseque Grazzinus libentissime consensit, ossa nuperrime inventa esse ossa corporis sancti Hilarii, cujus corpus per multa secula quieverit in ecclesia ad proprium altare, sed temporis progressu mutatione ædificiorum translatum fuerit ex altari, & in præfato loco, ubi repertum est, depositum sit; rogatosque nos voluit idem Grazzinus, ut indicaremus in his Annalibus se subscribere distinctioni utriusque corporis, & illud, quod jacet in ara principe, revera esse sancti Higini, sicut illud, quod postea repertum est, omnes conjecturas velle esse sancti Hilarii. Hæc omnia licentia Jacobi-cajetani Inghiramii episcopi Arretini peracta fuere, & interventu vicarii generalis, secretarii episcopi, cancellarii episcopatus, & testium nobilium die XXVIII. julii & sequentibus hujus anni, cui etiam episcopo post inventionem supplicem libellum obtulerunt sanctimoniales, ut deinceps sibi liceret venerari ossa sancti Hilarii in proprio altari, quemadmodum indulto suo firmaverat ante quatuor secula cum dimidio præfatus ejus prædecessor Hildebrandinus. Ista novimus ex epistola ad nos scripta cum tota narratione facti die nona octobris ejusdem anni ab eodem humanissimo & diligentissimo Dominico-loricato Buccherellio.

LXVII. De imagine B. V. Mariæ Camalduli Foro-livii.

Ex monasterio Camaldulino extra urbem translata fuerat in urbem ante fere duo secula ad ecclesiam sancti Salvatoris de Foro-livio monachorum Camaldulensium imago prodigiosa beatæ Mariæ Virginis dicta de Camaldulino, ad quam anno 1732. adjecta fuerat hæc inscriptio: *Gratiosa hæc & illustrata miraculis Deiparæ imago sacrosanctæ ab anno ipsius virginei partus* M.D.LXXXIIII. *ex suburbano sacello Camaldulensi in hanc ædem translata novissime decentius ornata & restaurata est anno Dñi* M.DCC.XXXII. Præsenti anno hæc alia epigraphe super januam templi apposita: *D.O.M. Templum hoc Christo Salvatori sacrum, quod seculo* XIII. *ordini Camaldulensi datum, quum vetustate fatisceret, monachi Camaldulenses anno* M.D.LXXX. *opibus ampliatis restituerunt, quartoque post anno insigni B. Virginis de Camaldulino imagine e suburbio translata decorarunt, atque novo sæpius cultu auxerunt, iidem instaurata fronte, postibus marmore constructis, munita silice, & dilatata ante frontem area exornandum curarunt anno* M.DCC.LIX. Ea occasione etiam monasterii maxima pars a fundamentis ædificata. Ad veterem autem monasterii locum extra portam urbis Ravaldinam dictam, hujusmodi servarunt memoriam. *D.O.M. Heic anno* M.CC.III. *monachi Camaldulenses ascete-*

rium,

rium, & in honorem B. V. M. ecclesiam cum omni cultu suo extruendam curarunt, quam anno M.CC.LXVI. *nonis martii Richelmus Foro-livii episcopus dedicavit. His postea vetustate delapsis, & loco deserto Magnæ Matris imago in urbem ad S. Salvatoris anno* M. D. LXXXIV. *translata est, ubi nomine B. M. V. de Camaldulino colitur. Ædiculam ex majori ædificio superstitem temporum injuriis postmodum fatiscentem abbas & monachi Camaldulenses S. Salvatoris restituunt anno* M. DCC. LIX. *N. M. Q. ejus dicatissimi. Curarunt anno* M. DCC. LX.

LXVIII. Editio epistolarum Ambrosii generali.

AMBROSII abbatis generalis Camaldulensis Latinæ epistolæ, aliorumque doctorum virorum ad ipsum, & ad alios de eodem Ambrosio in libros XXV. tributæ, variorum opera distinctæ, & observationibus illustratæ editæ fuere hoc anno Florentiæ a Cl. V. Laurentio Mehus Etruscæ academiæ Cortonensis socio. Accessit ejusdem Ambrosii vita, in qua historia literaria Florentina ab anno M. C. XCII. usque ad annum M. CCCC. L. ex monumentis potissimum ineditis deducta est. In primo Tomo dicato Josepho-alexandro Furietto cardinali adest vita Ambrosii cum historia Florentina; in secundo nuncupato cardinali Alexandro Albano leguntur epistolæ cum animadversionibus. Ut verbis utamur ipsius editoris, [a] „ Petrus Cannetus monachus Camaldulensis, ejusdem „ ordinis abbas ac supremus Camaldulensium antistes, ut prædecessoris „ sui gloriæ ac reipublicæ literariæ utilitati consuleret, amplissimam ea„ rumdem epistolarum collectionem adorsus fuerat, quam ipse editor „ nunc offert. Autographum extat in bibliotheca Classensi. At quum „ editione infecta obiisset abbas Cannetus, eo avulso alter aureus non „ defuit nominis sui gloria longe amplissimus, qui dexteram huic fœtui „ parente suo jam orbato porrigeret, Guido Grandius abbas Camaldu„ lensis, ac celeberrimus in academia Pisana Matheseos professor. Hic „ quoque abbatis Canneti provinciam capessens operi intermortuus est. „ Interea quum Ambrosii epistolæ sub prælo essent, earumdem corrigen„ darum cura viris aliquibus eruditis demandata est, ac potissimum Cl. „ Antonio-francisco Gorio in academia Florentina publico historiarum „ professori, ut editioni ad umbilicum perducendæ operam daret. Quum „ autem editio jam ad umbilicum perducta esset, narrat, sibi onus im„ positum, ut nonnullis epistolis hactenus ineditis eam locupletaret, „ Ambrosii vita ornaret, amplissimisque indicibus instrueret. " Quo ad Cannetum attinet, scimus ipsum viginti, & forte etiam triginta annorum spatio insudasse, ut collectionem epistolarum omni ex parte completam daret, tum amicorum ope, tum eruditione sua, ipsas notis amplissimis & eruditissimis illustrasse, & frequenter in diariis Literatorum Venetis exoptatam fuisse hanc editionem. Merita laude fraudandus non est inter ceteros etiam Mariangelus Fiacchius Bononiensis monachus Classensis, qui ab instaurata bibliotheca Classensi, toto fere monachatus sui tempore eidem bibliothecæ præfectus, auxilia omnia Canneto contulit, tum in exscribendis ex variis archivis epistolis Ambrosii, tum in suppeditandis notitiis, augendaque eruditionum varietate. Quod ipsum præstitit idem doctissimus monachus pro illustrandis amicorum elucubrationibus, selectissimarum epistolarum opera. Renuit modestissimus vir permittere, ut aliqua vel minima doctrinæ suæ pars in publicum evulgaretur, liberalissimus in ceteros, austerissimus & parcissimus in se; eaque animi moderatione, sui despicientia & humilitate vir suavissimis moribus & innocentissimis præditus officia dignitatesque omnes recusavit. Vivit ad congregationis Camaldulensis decus, ad conso-

[a] *Pag.* III.

Ann. Chr. 1759.

lationem suorum Classensium monachorum, & totius urbis Ravennatis, sed parum firma valetudine ob ingravescentem ætatem, & utinam ad multos annos supervivat. Ceterum carpit Mehus Cannetum, quod servata distributione epistolarum Ambrosii per classes, eas per tempora ordine chronologico non digesserit. Id nos præstitimus, quantum valuimus, in Annalibus nostris.

LXIX. De operibus Joh. Claudii Fromondii.

JOHANNES-CLAUDIUS Fromondius origine Burgundus, sed natus Cremonæ, monachus Classensis & in universitate Pisana publicus professor Physicæ, Regiæ Scientiarum Academiæ Parisiensis socius correspondens, Errantium Firmi, & Physico-Botanices Florentinæ sodalis edidit hoc anno in urbe Pisarum: *De ratione philosophica, qua instrumenta mechanica generatim conferunt potentiarum actionibus corroborandis vel enervandis*. Ediderat anno præterito: *Examen in præcipua Mechanicæ principia*; sed librum hunc suasu doctissimi amici suppresserat eodem die, quo vulgaverat, ut adderet in formam Appendicis responsionem difficultatibus, quas idem amicus ei proposuerat; quare mutato consilio novum opus edere parat, dum Deus vitam bonamque valetudinem concedat, in quo propositum illi est demonstrare falsitatem principiorum Mechanicæ, si considerentur independenter a peculiaribus demonstrationibus, quæ consueverunt afferri; ostendet fallacias occultas in demonstrationibus eorum principiorum ab insignibus viris productas, novam methodum, idest philosophicam, aperiet ad explicandas veras causas effectuum, qui observantur in usu variorum instrumentorum mechanicorum, quæ considerabit, ut vera corpora, observationibus practicis omnia illustrans; hinc ad physicas materias transitum faciet, & ad usus practicos. Ejusdem auctoris sunt: *Nova & generalis introductio ad Philosophiam*; Venetiis 1748. *De Fluiditate &c.*, sed quod scriptori nomen magnum fecit, fuit: *Risposta apologetica ad una lettera filosofica sopra il commercio degli Olj navigati, procedenti da luoghi appestati*; Lucæ 1745. Controversiam literariam in hac materia habuit cum Johanne Gentilio Florentino, Provisorum Sanitatis Liburni medico, qui contendebat olea susceptibilia non esse veneni pestiferi & contagiosi; quare anno 1743. quo pestis grassabatur in urbe Messanensi, orta lite inter medicos Anglos, an oleum ejus regionis nocere posset, quidam mercator Anglus obtinuit a Gentilio attestationem Latinam, quam Pisas examinandam misit. Claudius Fromond Philosophiæ professor, licet conveniret cum Gentilio, aliquot tamen exposuit difficultates. Gentilius attestationis auctor tamquam scrupulosam carpsit scriptionem Fromondii. Quare optimum factu arbitratus est Fromondius, amplissima responsione apologetica tractare de commercio oleorum navigatorum, & solida sanaque philosophia rem totam discutere. Sed anno sequenti duæ epistolæ, altera Fromondii ad Gentilium, altera Gentilii ad Fromondium editæ fuere Florentiæ in signum reconciliationis ipsorum & concordiæ in opinione. Pro rei veritate dicendum responsionem apologeticam Fromondii manifestissimum esse specimen, quantum in vera fundataque philosophia ipse polleat, quanta subtilitate & acumine naturam & ipsius effectus cognoscat; quare summo plausu excepta fuit.

Vigesima-septima octobris hujus anni in eremo Brixiensi ad Deum transiit Seraphinus Tridentinus eremita Coronensis, de quo, ut de ejus scriptis operibus mentionem fecimus sub anno 1744. Virtutibus religiosis excellens dum vixit, meruit post mortem dono miraculorum illustrari, vel certe dono gratiarum, quæ sive ejus nomine invocato, sive

ex

ex contactu rerum ad ipsius olim usum pertinentium, obtinuerunt a Deo fideles populi.

ANN. CHR. 1759.

ANN. CHR. 1760. LXX.

Alienatio bonorum abbatiæ SS. Trinitatis de Monte Herculis.

IN capitulo generali ad regimen congregationis & ad dignitatem abbatis generalis electus est Gregorius-patritius Matthejus Senensis ex professione sanctæ Crucis Avellanæ, in visitatores vero pro Veneta provincia Laurentius Verdonius Dander Brixiensis, & Beniaminus Savorelli Forolivienfis pro provincia Æmiliæ. Lectus fuit in ipso capitulo libellus patrum Carmelitarum calceatorum petentium a monachis Camaldulensibus monasterium sancti Johannis-baptistæ de Faventia pro ipsorum domicilio, qui libellus remissus fuit a definitoribus capituli abbati generali, visitatoribus, & abbatibus Classensi & sancti Johannis-baptistæ, ut conditiones petitionis ad examen revocarent.

Licet abbatia Sanctissimæ Trinitatis Montis-herculis milliario dissita ab oppido sanctæ Agathæ diœcesis Monferetranæ, ab illustribus suis fundatoribus redditibus amplissimis provisa fuisset, nihilominus eo quod bona hujusmodi sita essent in montibus alpestribus, locisque sterilibus, processu seculorum ad eam rerum omnium egestatem devenerat, ut substentari amplius non possent monachi, qui ecclesiæ inserviebant; quare, ut vidimus, anno 1701. debitis facultatibus adjuncta fuit alteri abbatiæ Uranensi prope Britonorium sub Clemente XI. Deputatus fuit ad custodiam ecclesiæ & bonorum oblatus sive conversus, inde ipsa bona locata fuere; verum cum de die in dies ad extremam ruinam deducerentur tum ædificia, tum prædia, visum est Nicolao-mariæ Sibonio abbati monasterii Uranensis e re sua esse integram curare ædificiorum & bonorum alienationem. Supplici itaque libello porrecto, facultatem impetravit a majoribus congregationis Camaldulensis trigesima augusti hujus anni; inde habita ab episcopo Monte-feretrano Sebastiano Bonajuti relatione ad sacram congregationem die XVI. octobris, eaque exhibita dictæ sacræ congregationi, sequens decretum obtinuit. *Sacra congregatio episcoporum & regularium consultationibus & negotiis præposita, attenta relatione episcopi Feretrani, & patris procuratoris generalis, benigne concessit eidem episcopo, ut veris existentibus narratis, & præviis edictis, ac peritorum æstimatione, postquam compererit in evidentem monasterii utilitatem fore cessuram, petitam facultatem ineundo præfatam venditionem, injuncto onere emptori perpetuo manutenendi ecclesiam, de qua agitur, ejusdemque oneribus satisfaciendi, pro suo arbitrio & conscientia oratori impertiatur, ita tamen ut pretium ex dicta alienatione redigenda* &c. *Romæ* XXVIII. *novembris* 1760. *C. A. card. Cavalchini. L.* ✠ *S. S. Bonacursius secret.* Episcopus Monferetranus calculo suo probavit alienationem, decreto confecto XXIII. maji anni sequentis; quare post biduum die XXV. maji sequuta est venditio pretio scutorum 3500. celebrato instrumento a notario Antonio Flenghi, ad favorem Josephi Minii civis Sanctagathensis, qui ad normam decretorum & facultatum se obstrinxit ad manutentionem ecclesiæ. Bona vero emphyteutica & ad tertiam generationem, quæ tamen tenuem redditum dabant, translata fuere ad favorem capituli canonicorum insignis collegiatæ Sanctæ-Agathæ, cui per plura secula inservierant monachi Sanctissimæ Trinitatis, cum onere annuo & perpetuo celebrandi in eadem collegiata ecclesia festum sancti Romualdi, ac cum applicatione Missæ sollemnis, & insuper peragendi anniversarium perpetuum pro animabus fundatorum, comitum scilicet Raineriorum & Altrudis matris; præterea vigilandi pro decenti manutentio-

Ann. Chr. 1760.

tentione dictæ ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis. Intercessit Clementis XIII. subscriptio chirographo exhibito ab abbate Uranensi die XXVI. junii anni 1761., quod summus pontifex remisit ad Congregationem, quæ, *attenta relatione episcopi Feretrani, & procuratoris generalis ordinis, benigne commisit eidem episcopo, ut veris existentibus narratis, & constito sibi de utilitate utriusque loci pii, præfatum contractum cum pactis & conditionibus in præsentibus expressis, pro suo arbitrio & conscientia approbet & confirmet. Romæ 11. novembris 1761.* Decima-nona augusti 1762. rogato supradicto notario, virtute decreti episcopalis sub die XXI. junii anni ejusdem, supradictus Minius, ut procurator monasterii Uranensis cessionem fecit bonorum emphyteuticorum capitulo Sanctagathensi, cum obligatione exponendi populis sacram reliquiam sancti Romualdi ad altare in collegiata ad ejus honorem dicatum. Dono siquidem dedit canonicis præfatæ ecclesiæ abbas generalis Gregorius-patritius Matthejus reliquiam sancti parentis, nempe digitum, quæ primum ab ecclesia Montis-herculis sollemnissime asportata est die primæ Dominicæ septembris anni 1762. cum interventu parochorum omnium territorii, & populorum, & publica supplicatio renovata est iterum eadem die post prandium ad explendam devotionem populi undequaque confluentis. Subjicimus hic instrumentum ea occasione confectum ad perennandam memoriam, simulque ad claudendam historiam abbatiæ Sanctissimæ Trinitatis Montis-herculis celeberrimi olim monasterii Camaldulensis.

In Dei nomine, amen. Die V. *septembris* M. DCC. LXII. *indictione* X. *sedente Santissimo D.D. Clemente papa XIII. in mei publici notarii testiumque infrascriptorum præsentia præsens & personaliter existens illustrissimus Dominus Joseph Minii civis hujus terræ sanctæ Agathæ, agens infrascripta omnia & singula uti procurator specialiter & capitulariter constitutus a reverendissimis patribus Camaldulensibus sanctæ Mariæ Urani Brittonorii, prout de ejus procuræ mandato constare dixit per acta Dñi Paschalis Bonoli notarii Fori-pompilii sub die* XXIX. *januarii* M. DCC. LXII. *tradito Dño Antonio Flenghi notario Turricellæ, ac inserto in instrumento cessionis bonorum emphyteoticorum factæ favore reverendissimi capituli sanctæ Agathæ per dictum Dominum Minii procuratorem dictorum rev. patrum, ad quod* &c. *sponte* &c. *omni meliori modo, ac puro & devoto animi affectu, nomine & vice prædictorum rev. patrum, & pro eis tradidit & consignavit in ecclesia Sanctissimæ Trinitatis Montis-herculis reverendissimo Dño archipresbytero Andreæ Fuzzille præsenti, & pro rev. DD. canonicis & capitulo insignis ecclesiæ collegiatæ sanctæ Agathæ, eorumque successoribus in perpetuum acceptanti, & una mecum notario uti publica persona legitime stipulanti, sacram reliquiam sancti Romualdi abbatis dono missam prædicto Reverendissimo capitulo a præfatis Reverendissimis patribus, videlicet thecam ex lamina argentea confectam, in qua asservatur unus digitus pretiosissimus sancti patris Romualdi, collocatam in ostensorio ligneo altitudinis digitorum viginti argento supra linito, serico coloris rubri colligatam, sigilloque in cera rubra Hispanica impresso Illustrissimi, & Reverendissimi D. Antonii Cantoni episcopi Faventini, una cum ejus authentica munita signis Illustrissimorum & Reverendissimorum DD. præfati episcopi Faventini & Sebastiani Bonajuti episcopi Feretrani, pro illius expositione Fidelium venerationi, ad habendam, custodiendam & attente conservandam in dicta ecclesia collegiata sanctæ Agathæ ad laudem perpetuam, necnon sanctissimi patriarchæ Romualdi cultum augendum, & præfatæ ecclesiæ decus & ornamentum juxta pium animum dictorum rev.*

patrum

patrum donatorum. Qui rev. D. archipresbyter ante altare sancti Romualdi genibus flexis humiliter & devote eamdem sacram reliquiam de altare dictæ ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis manu sua suscepit, gratiasque, quas potuit, maximas nomine Reverendissimi capituli cumulatissime egit præfatis Reverendissimis patribus, & pro eis præfato Illustrissimo domino Minii procuratori, rogans Deum Opt. Max. ut illorum piæ munificentiæ merita reddat. Deinde ipsam reliquiam ad ecclesiam (per milliarii quadrantem *dissitam) rev. patrum Cappuccinorum hujus terræ asportavit, & exinde stipatus omnibus Reverendissimis DD. canonicis, clero & numerosa populi multitudine, meque notario & testibus infrascriptis processionaliter detulit, atque ad insignem ecclesiam collegiatam sanctæ Agathæ attulit juxta formam dictæ donationis perpetuo ibi servandam. Quæ sic allata exposita fuit in dicta ecclesia super altare sancti Romualdi decenter ornato publicæ Christi-fidelium adorationi, eo quod hac præsenti die per Reverendissimum capitulum sanctæ Agathæ recolatur solemnitas sancti patris Romualdi pia Fidelium veneratione, maximoque populi etiam alienigenarum concursu interveniente, ad majorem Dei laudem, & sancti patris Romualdi honorem & gloriam, amen. Actum Sanctæ-Agathæ in sacristia ejusdem ecclesiæ, præsentibus adm. rev. D. Francisco Maffei & clerico Dominico Bossari ambobus de Sancta Agatha testibus ad hæc adhibitis.*

Ann. Chr. 1760.

Et ego Angelus Antonius Preggi Sanctagathensis publicus apostolica auctoritate notarius de præmissis rogatus extiti, ideo in fidem me scripsi, subscripsi & publicavi, meoque solito, quo in similibus utor, signo munivi requisitus &c. L. ✠ S.

Fortunatus Moreschus linguæ Græcæ instructissimus monachus Camaldulensis obiit in monasterio sancti Blasii de Febriano.

Ann. Chr. 1761. LXXI. De novis lectionibus officii S. Theobaldi.

CONCESSUM fuerat a Romano pontifice Clemente XIII. die xxx. junii anni 1759. utrique clero civitatis & diœcesis Vicetinæ officium sancti Theobaldi confessoris de communi Confessoris non pontificis sub ritu duplicis minoris pro die tertia julii, & post eam concessionem Antonius-maria Priolus episcopus Vicetinus & S. R. E. cardinalis institerat apud eumdem Romanum pontificem pro approbatione lectionum propriarum secundi Nocturni cum oratione propria sancti Theobaldi; ac Sanctitas sua lectiones a cardinale Tamburino sacræ Rituum congregationis præfecto una cum Benedicto Veterani fidei Promotore, & cum Marefusco secretario accurate revisas atque correctas benigne approbaverat, easque in die, qua ejusdem Sancti memoria recolitur, ab utroque clero dictæ civitatis & diœcesis recitari posse indulserat, die XXVIII. julii ejusdem anni. Anno sequenti procurator generalis monachorum Camaldulensium humillime enixeque petiit extensionem earumdem lectionum ad ordinem Camaldulensem, ad quem pertinebat præfatus sanctus Theobaldus, tum quia inhabitaverat eremum, quam pia traditio ferebat inhabitatam prius a sancto parente Romualdo, tum quia in institutis vitæ monasticæ & eremiticæ audierat Petrum abbatem Vangaticiensem, tum demum quia corpus dicti sancti Theobaldi quiescit in ecclesia Vangaticiensi ordinis Camaldulensis. Alii duo libelli supplices præsenti anno exhibiti fuere ab alio procuratore generali in locum alterius suffecto, quorum primo postulabatur eadem facultas recitandi lectiones proprias sancti Theobaldi, secundo vero petebatur licentia recitandi officium Dedicationis sancti Michaelis archangeli cum octava, eo quia congregatio Camaldulensis sub ejus invocatione efformata fuisset ab ipsis Leonis X.

P. M.

Ann. Chr. 1761.

P. M. temporibus. Ad primum libellum, in congregatione habita die XII. septembris prodiit rescriptum: *Dilata & ad mentem*. Ad secundum: *Doceant de patronatu sancti Michaelis archangeli*. Factæ fuere novæ instantiæ, producta sunt documenta, & quidem obtenta fuit licentia recitandi lectiones proprias sancti Theobaldi, sed nihil obtentum est pro elevatione officii sancti Michaelis archangeli ad ritum duplicis primæ classis cum octava.

Obiit die XXVI. decembris Germanus Giorginius a Meldula abbas sancti Salvatoris Foro-liviensis urbis, qui fuerat congregationis præses generalis, laudatus in funere a Carolo-augustino Ansaldi O. P. oratione edita Cæsenæ. Erat vice-custos Arcadicæ academiæ Camaldulensis, & ipsius extant plures fœtus in collectionibus optimæ notæ.

Die Dominica, quinta julii in eremo Camaldulensi Tusculana decessit cardinalis Dominicus Passioneus, tituli sancti Laurentii in Lucina, sepultus tamen ad divi Bernardi ad Thermas, cujus ecclesiæ commendatione gaudebat. Nobilissimum sibi, familiaribus, amicisque suis solitarium recessum condiderat in ea eremo, qui eo vita functo ad pristinam eremitarum simplicitatem rediit, asportatis inde omnibus, quæ ad solitudinem suam commodiorem reddendam ibidem constituerat cardinalis. Anno 1740. super januam, per quam est ingressus ad magnificum recessum, hanc epigraphem statuerat: *Dominicus tituli sancti Bernardi S. R. E. cardinalis Passioneus, ut intelligeret, & novissima provideret, hunc sibi locum paravit anno Domini* M. DCC. XL.

LXXII. Reparatio ecclesiarum ruinam minantium.

Cum ædificia eremi Fanensis, & præsertim ecclesiæ ruinam minarentur, eo quod condita fuissent in solo cœnoso, ab anno 1741. reparata fuere, & quasi de novo refecta, constructa inde fuit nova ecclesia, cinctaque eremus muro, & præsenti anno familia duodecim eremitarum, quæ fuerat ad tempus diminuta, iterum restituta est.

Pariter cum evidentia signa ruinæ daret ecclesia sanctæ Mariæ de Lacu subjecta abbatiæ Uranensi, fere a fundamentis fuit restaurata hoc anno ad augendam devotionem erga prodigiosam imaginem Deiparæ, quæ ibidem frequenti populorum concursu colitur. Quatuor sequentes inscriptiones ea occasione appositæ fuere, ex quibus brevi compendio historia ejus ecclesiæ ob oculos adventantium ponitur.

I. Ædem S. Mariæ de Lacu nuncupatam ad meridiem demisse structam, Camaldulensibus ad Ægidio episcopo Foro-populiensi anno M. CC. XXVIII. *donatam, eisdemque ab Alexandro IV. pont. max. anno* M. CC. LVI. *confirmatam, Aymericus episcopus successor, olim abbas Classis Ravennæ, monachis S. Mariæ de Urano apud Brittonorium non semel turbatis anno* M. CC. LXXII. *restituit, ejusque jura & privilegia sacra Concilii congregatio, Casimiro abbate Galamino instante, cognovit & probavit pridie idus decembris* M. DCC. XI.

II. Templum hoc, quod ad ampliorem formam redactum Ravaldinus Foro-populiensis & Aymericus Cæsenatensis episcopi Dominica post Ascensionem Christi Domini, a Johanne archiepiscopo Barensi Indulgentia perpetuo adjecta, dedicarunt anno M. CC. LXXIX. *ob novum sacellum ad Occidentem splendidiore cultu & dilatato solo extructum, ædificii everso ordine, sacræque unctionis deletis signis, Joannes Baptista Missirolus Brittonorii episcopus & patricius, Petro Canneto Uranensi, Alphonso Cellino Classensi abbatibus assistentibus, iterum consecravit* XII. *kal. maji anno* M. DCC. II.

III. Imago hæc sacratissimæ Deiparæ Brittonoriensium patronæ annis

M. DC.

M.DC.XXXVI.LIII.LXII.LXXIII.LXXXV. *finitimæ regioni summis ingruentibus periculis successu felici Brittonorium deducta, votis susceptis & prodigiis longe lateque celeberrima, ex dono capituli Vaticanæ basilicæ Corona aurea, Vitale Ascevolino abbate curante, clero frequentique populo plaudentibus, cum omni cultu in urbem iterum advecta, a Joanne Baptista episcopo Missirolo redimita fuit sexto idus augusti anno* M.DCC.V.

ANN. CHR. 1761.

IV. Abbates & monachi Uranenses devoti populi undique huc confluentis commodo, aquarum rivis dispositis, peramplam viam magno sumptu Æmiliam usque anno M.DCC. *lapideis pontibus munitam aperuerunt, augustissimæ Virginis sacellum anno* M.DCC.XIV. *statuis & anaglyphis ornarunt, templi columnis cum fornice cœmentariorum nequitia labentibus, renovato tecto, firmisque erectis pilis, testudinem albario opere auctam anno* M.DCC.LXI. *restituerunt.*

ANN. CHR. 1762. LXXIII. De aliquot scriptoribus Camaldulensibus.

GABRIEL de Blanchis Venetus, sed origine Vicetinus, eremita Coronensis in solitudine sancti Clementis Venetiarum jam ab anno 1740. typis Balleonianis produxerat opus, cui titulus *Martyrium Divini amoris*. Anno 1758. observationes ediderat historico-morales super vetus Testamentum tribus voluminibus adjecta doctissima præfatione; post biennium anno 1760. alias observationes similiter historico morales super novum Testamentum. Hoc anno 1762. vitam concinnavit sancti regis Davidis. Vivit solitudini, pietati, studiisque unice intentus.

Beniaminus Savorellius Foro-liviensis abbas Camaldulensis, visitator simul congregationis justo volumine collegit omnia privilegia, facultatesque abbatis generalis ceterorumque præsulum Camaldulensium, atque quid liceat, quid vero non liceat, profunda doctrina, multoque ingenii acumine perpendit. Auctor est idem præsul declarationum in Regulam sancti Benedicti pro sanctimonialibus omnibus ejusdem ordinis, sed præsertim Camaldulensibus, quæ Venetiis editæ fuere anno sequenti, & multo plausu exceptæ, potissimum quia scriptor nil durum, nil difficile in regula reperiit, & summa discretione, quæ magistra est omnium virtutum, ut ait idem Sanctus legislator, temperat & accommodat ad conditionem nostrorum temporum omnes ejusdem regulæ præscriptiones, & documenta sancti patris facilia ostendit.

Octuaginta duos ætatis annos gerens, quorum septuaginta quatuor in monasterio, sexaginta-septem cum habitu religioso transierat, obiit die XVI. januarii in asceterio sanctæ Christinæ de Bononia Juditha-junipera Amorini-Bolognini, quæ novem annis summa discretione & zelo officium abbatissæ gesserat. Postremo vitæ suæ anno complicatis ægritudinibus lecto decumbens trium mensium spatio, hoc unum repetebat: *Fiat voluntas tua*, prompta usque ad extremam judicii diem, immo per totam æternitatem pati. Eadem ætate, eademque patientia decessit quinta junii Barbara-Theresia Bolognini ejus consobrina. Addimus hic Æmiliam Vittori, quæ anno 1754. Johannam-baptistam Franzoni, quæ anno 1758. Mariam-cœlestem Mondini, quæ anno 1759. Paulam-theresiam Zani, & Gertrudem Calvanelli, quæ anno 1760. Constantem Philippucii, quæ anno 1761. & Hieronymam Bruni, quæ anno 1763. post religiosissimam vitam exactam pie in Domino obeuntes dulcem sui memoriam reliquerunt consororibus præfati celebris monasterii ipsique urbi Bononiensi. Nomina dumtaxat ipsarum attulimus ex memoriis collectis, eleganterque exaratis a Metilde Bolognini ejus asceterii sanctimoniale.

OBIIT

Ann. Chr. 1763.
LXXIV.
Obitus monachorum Camald.

OBIIT in monasterio sancti Romualdi de Classe Ravennæ die III. februarii Lotharius-franciscus Ursius Cremonensis, abbas ejusdem cœnobii. Is, quod præcogitaverant ipsius antecessores abbates, aeris insalubritatem ob aquarum stagnantium copiam, quæ late eam regionem, in qua templum suburbanum sancti Apollinaris situm est, inundat, ac totidem veluti cœnosas paludes conficit, quæ vix æstu exsiccari possunt, auferre volens, ut eo pacto & concivium incolumitati prospiceret, & cultum erga sanctissimum martyrem propagaret, augusto mense anni præteriti, Clemente in primis XIII. P. M. benigne annuente, Ignatio autem Cribellio S. R. E. cardinale & Æmiliæ legato auspice, ad novi fluminis dexteram cataractas aquis emittendis idoneas, grandi quidem impensa, sed incredibili animi magnitudine & constantia, ac monasterii utilitate perficiendas curavit, a quibus omnia prospere & feliciter eventura sperantur.

Post paucos dies, XIV. scilicet februarii, Romæ vivere desiit Andreas Tartinus Florentinus congregationis monachorum Camaldulensium in Urbe procurator generalis, dexteritate & felicitate in rebus agendis conspicuus.

Accessit mense junio obitus etiam eminentissimi protectoris Camilli Paulucci-Merlini Foro-liviensis, quem tamen reparavit summus pontifex Clemens XIII. substitutione Cajetani Elephantuccii alterius S.R.E. cardinalis tituli sancti Augustini, comitate, benevolentia, studio in congregationem Camaldulensem singularissimi, quem Deus Opt. Max. sospitem incolumemque ad annos perplurimos servet.

Sed maximam tum congregatio nostra, tum urbs Ravenna jacturam pertulit morte illustrissimi archiepiscopi & principis Ferdinandi-Romualdi Guicciolii patritii Ravennatis, olim monachi & abbatis Camaldulensis. Ne multa, & simul ne pauca dicamus de integerrimo piissimoque præsule, contenti sumus exscribere brevissimum vitæ compendium & elogium, quod intra sepulcrum defuncto archiepiscopo appositum fuit, relatum in nuperrimo commentario, quem de vita & rebus gestis ejusdem præsulis confecit Henricus San-clementius monachus Camaldulensis ex professione Classis, & inseruit collectioni opusculorum Calogerianæ. *Hic jacet Ferdinandus Romualdus Guicciolus patritius & archiepiscopus Ravennæ, filius Gregorii comitis Guiccioli & Ursulæ Pignattæ. In lucem editus, ac sacro Baptismate ablutus die* XXVIII. *Decembris anno* M. DC. LXXXVI. *nomen habuit Albertus Joseph Innocentius. Pueritiam & adolescentiam transegit innocentissime. Natus annos* XX. *sanctissimum Romualdum concivem sequens Camaldulensi militiæ nomen dedit in monasterio Classis Ravennæ die* X. *Decembris anno* M. DCC. VI. *Monachi vitam vixit fideliter & egregie. Non sibi tantum, sed & aliis eruditionem comparavit & pietatem. Philosophiam & Theologiam cum laude docuit. Rem monasterii sui camerarius & procurator diligenter administravit. Alibi prior monasticæ disciplinæ amplificandæ incubuit. Annum ætatis suæ* XXXXIII. *attingens, a Petro Canneto Camaldulensium monachorum abbate generali abbas creatus, primum monachis SS. Hippolyti & Laurentii Faventiæ præfuit; tum monasterio Classis Ravennæ præfectus decem annos disciplinam coluit integerrime, redditus auxit providentissime. Suæ congregationis visitator renuntiatus anno* M. DCC. XL. *decimo post mense, pervigilio diei D. Petro Damiani cardinali episcopo Ostiensi, Camaldulensis ordinis & concivi suo sacræ, Romam ex improviso vocatus a Benedicto XIV. Pont. Opt. Max. episcopus Lycopolis & S. Ravennatis ecclesiæ administrator lacrymans & obnitens factus est, manibus illi impositis ab ipso pontifice die*

XIX.

XIX. martii anno M. DCC. XLI. Sub auspiciis beatissimæ Virginis Mariæ die XXV. mensis ejusdem in administrationis suæ possessionem solemniter deductus est. Quarto administrationis anno completo archiepiscopus ab eodem pontifice die V. aprilis anno M. DCC. XLV. declaratus, sancto & indissolubili conjugio ecclesiam hanc sibi sollemni pompa copulavit die XVII. ejusdem mensis. Mirum quanta egerit pro ecclesia, & patria sua! Templum maxima ex parte absolvit et dedicavit. Porticum adjecit. Altaria marmorea cum omni cultu suo quatuor erexit. Aram principem deaurato ære et pretioso marmore nobilitatam magna impensa a fundamentis ædificavit. Sub ea Sanctorum exuvias reverenter collocavit. Synodum coegit saluberrimam. Jura vel exoleta, vel in controversiam adducta ecclesiæ suæ vindicavit felicissime, magna cum accessione honoris & redituum. Fertiles & feraces agros ecclesiæ cumulate effecit. Rurales domos prope omnes restituit, ceteras refecit ornavitque. Divorum tutelarium auxit numerum. Præfuit irreprensibilis, & forma factus gregis ex animo. Vitam cum morte lætus commutavit die VII. novembris anno M. DCC. LXIII. hora XXII. sanctitatis undique spirans odorem. Ignatius comes Guicciolus eques S. Stephani fratris filius & hæres hoc monumentum hic posuit die X. novembris, qua etiam Patruo optimo & incomparabili mœstissimus parentavit.

ANN. CHR. 1763.

In eremo Taurinensi sancti Salvatoris decessit Joseph de Boggettis religiosissimus eremita, frater dominorum de Boggettis, quorum munificentiam ad favorem Silvæ-majoris sive Clarascensis eremi memoravimus sub anno 1725.

ANN. CHR. 1764.

LXXV. Collectio historicorum monumentorum.

IN monasterio sancti Severi de Perusio defunctus est hoc anno XIII. maji optimus senex octuagesimo-primo suæ ætatis anno Aurelius Guidottus Lucensis abbas perpetuus ejusdem cœnobii, cujus fuit una cum ecclesia reparator, & fere a fundamentis renovator. Per quinquennium insuper supremam dignitatem generalatus in congregatione obiverat, atque simul alia rexerat monasteria suæ Avellanensis professionis cum laude.

In altero sanctæ Mariæ in Gradibus Arretii, cujus regimen tenebat, piissime decessit intra paucos dies decima-nona septembris, septuagesimum-tertium annum agens, Ramirus Consortius Scarperiensis. Pietate in Deum, in monachos, in pauperes, in omnes excelluit, vulgoque proclamabatur sanctus vir. Cum ei itaque sollemnia parentalia celebrarentur, capillos vestesque discidit concurrens populus, ad explendam devotionem, quam gerebat erga piissimum præsulem. Contempsit ipse dignitates, & supremam etiam illi exhibitam generalatus, solaque obedientia adigi potuit ad aliquot monasteriorum suscipiendam administrationem; quod certe ex humili sui ipsius cognitione & æstimatione profluxit.

Prima ejusdem mensis naturæ concessit Ladislaus Radossany non semel in his Annalibus memoratus ob doctrinam, pietatem, insignemque diligentiam in rebus agendis, potissimum pro nova fundatione eremi Maikensis, cujus fuit præcipuus & fere unicus institutor ex munificentissima donatione comitum familiæ Eszterhasianæ.

Ante ipsum die XXVI. aprilis in eremo marchionali Poloniæ solitariam vitam solitario fine conclusit Theophilus eremita Polonus, patientiæ potissimum exemplar. Die sui obitus sacra exomologesi peracta, Missæ sacrificium, quod licet gravissima infirmitate pressus nunquam prætermisit, summa devotione in suo sacello celebravit; meridiei vero tem-

pore repertum fuit ejus corpus exanime in cella, anima ad cœleste convivium transeunte, ut pie creditur.

Veterum testimonia de Didymo Alexandrino Cæco, ex quibus tres libri de Trinitate nuper detecti eidem asseruntur, Ferdinandus Mingarellius Bononiensis S. Th. lector monachus Camaldulensis in Gregoriano Urbis monasterio, & sacræ Indicis congregationis consultor collegit, atque animadversiones adjecit Romæ M. DCC. LXIV. quod opus IV. idus februarii dicavit ornatissimo S. R. I. equiti Fr. Francisco Paulo de Smitmer. Scilicet Aloysius Mingarellius canonicus sancti Salvatoris congregationis Rhenanæ, germanus frater Ferdinandi anno præcedenti epistolam Venetiis ediderat, in qua disserebat de veteris theologi opere inedito, *Tres libros de Trinitate* continente, quos & Latinos fecerat, & publici juris facturus erat. Cum autem codici, quem nactus fuerat, inter cetera haud pauca initio deessent, adeoque auctoris nomen, postulaverat ipse ab aliis, cuinam opus tam præclarum reddendum esse censerent, anque alicubi codicem integrum reperiri quis nosset? Quamobrem perspicua satis indicia vulgavit, quibus idem auctor haud ægre dignosceretur, perfectumque opus investigari posset. Opinatus est itaque Ferdinandus monachus tres ejusmodi libros de Trinitate Didymum Alexandrinum Cœcum auctorem habuisse; quam opinionem, ut omnibus quoque insinuare quiret, plura ex fratris epistola transtulit in opus suum, ad examen revocavit, ostenditque Didymo convenire, quæ de se tradit indicia in sua lucubratione vetus theologus.

Anno præterito idem Ferdinandus docta epistola sub die XI. kalendas februarii ad Emmanuelem de Roda patritium Cæsaraugustanum, consiliarium regis Catholici Hispaniarum, & apud Clementem XIII. P. M. administrum confutaverat lectionem introductam in textum sancti Matthæi capite I. vers. XVI. a clarissimo Nicolao-peregrino Cellotto in sua Catena sacra SS. Evangeliorum, ubi loco *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus*, legit *Jacob autem genuit Josephi conjugem Mariam, de qua natus est Jesus*; in qua confutatione demonstrat auctor noster, quanta peritia in lingua Hebraica polleat, cujus ope impugnat Cellotti lectionem. Inserta est Mingarellii epistola novæ collectioni Opusculorum Calogerianæ anni 1763. Tomo X. pag. 219.

Sexto autem kalendas majas anni 1758. aliam epistolam dederat ad V. Cl. Franciscum Perezium Barchinonensis ecclesiæ canonicum, & sacrarum litterarum doctorem Salmaticensem, super Interocriensi Trajani, & Romana Antonini Pii inscriptionibus. Tomo V. pag. 121. ejusdem collectionis.

Anno similiter 1763. VIII. idus octobris epistolam scripsit Philippo fratri super marmoreum signum cippi P. Ælii Coerani, erutum paucis ante diebus e regione templi sancti Andreæ de Tibure ordinis Camaldulensis. Extat in Veneta Minerva, sive in novo Diario Literatorum Italiæ n. XIX. pagina 131.

Silvester Ralponus Ravennas alter Camaldulensis monachus ex professione Classis typis Bononiensibus ligato Etrusco carmine edidit *Specimen philosophicum* duodecim capitibus comprehensum, & quod dicatum voluit Cajetano Elephantuccio S.R.E. cardinali, & congregationis protectori, quocum simul in Athenæo Classensi in philosophicis & theologicis scientiis profecerat.

Fortunatus Mandellus Venetus monachus, & nummariæ rei studiosissimus,

ſimus ex muſeo Nanio diſſertationem confecit ſuper nummo, quem, licet ab omni falſitate vindicatum nolit, adjudicat multis argumentis C. Marcello, congerens quæcumque ad ipſius vitam faciunt, ipſamque inſeruit tomo duodecimo [a] collectionis novæ Calogerianæ.

[a] Pag. I.

Hoc loco de viventibus pluribus aliis celebribus doctiſque Camaldulenſibus diſſerere poſſemus, qui congregationem noſtram editis operibus, vel claro nomine illuſtrant. In iis de Adeodato Cantieri abbate, Coſmi III. & Johannis-Gaſtonis magnorum-ducum Etruriæ linguarum Orientalium interprete, qui etiam Chriſtianam catecheſim Roberti cardinalis Bellarminii Turcico ſermone explanavit; de Zenobio, ejuſque fratre Rudeſindo Catenis abbatibus ex Florentini monaſterii ſanctæ Mariæ-angelorum profeſſione, quorum ille, præter doctrinam, optime meritus fuit de eccleſia ſancti Michaelis in Burgo Piſarum, quam renovavit, iſte in philoſophicis & theologicis diſciplinis excellit, de Joſepho Gherardinio abbate diplomaticæ rei expertiſſimo; de Andrea Johannetto abbate Claſſenſi; de Henrico San-clementio, de Iſidoro Blanco monachis profeſſionis Claſſis, quorum extant in noviſſimis collectionibus opuſcula; de Romualdo Archibuſerio abbate, de Mauro Fattorinio Avellanenſibus; de Petro-urſeolo a Ponte Veneto celebri mathematico, de Johanne-antonio Bernardinio, de Pariſio Bernardi Tarviſino theologo, poeta, præterea mirabili in chymicis & naturæ occultis ſcrutatore & inventore, de Guidone Ignatio Vio illuſtri Botanico naturaliumque rerum collectore, deque aliis bene multis, quos poſterior ætas illuſtrabit.

Quoad pietatem non fruſtra animadvertimus, in congregationibus eremiticis Camalduli-majoris, Montis-coronæ, Pedemontii & Galliarum, noſtris quoque temporibus, apprime vigere antiquam haud laxatam eremiticam diſciplinam, illud etiam auſterioris & magis ſolitariæ vitæ genus, quod vocant Recluſionem, atque viros ſingulari orationis dono & virtutibus non vulgaribus inſignes degere in eremis; ſicut in clauſtris tum monachorum, tum ſanctimonialium florere, divina opitulante gratia, monaſticum inſtitutum; ſed cum ſacrarum Scripturarum oraculo prohibeamur laudare homines in vita ſua, erunt futuris temporibus, qui laudabunt poſt vitam, magnificabunt poſt conſummationem.

Atque hic finem facimus, ſuperaddita tantummodo ad hoc loco appendice notitiarum ad Gallicanam eremitarum congregationem ſpectantium.

LXXVI. Appendix ad hiſtoriam congreg. Gallicanæ eremitarum.

QUANDOQUIDEM ad nos ſerius perlatæ fuere notitiæ complures ſpectantes ad eremos & eremitas Gallicanæ nationis, haud ingratam rem facturos arbitramur, ſi tamquam Appendicis loco ſuppleamus ex monumentis acceptis ea, quæ de congregatione illa preſſe diximus ſeculo præcedenti in noſtris Annalibus, aperiamus origines & fundationes ipſarum eremorum, illuſtremuſque magis tum ejus inſtitutorem, tum religioſum cœtum illum, qui pietate in parvo licet numero excelluit, excellitque hodierna die. Et ut a pientiſſimo congregationis fundatore exordium ſumamus, Bonifacius Antonii presbyter, ut creditur, ſecularis Lugdunenſis, antequam circa annum 1626. Taurinum deſcenderet, ubi moratus aliquantiſper facultatem obtinuit a Majore congregationis Pedemontanæ Benedicto a Sancto-lupo ædificandi eremos in Galliis, & colligendi alumnos in eo regno, jam ab anno 1621. & fortaſſe ab anno 1612. ut vidimus ad annum emortualem Alexandri Cevæ fundatoris congregationis Taurinenſis, novitios receperat majorem in par-

Ann. Chr. 1764.

tem presbyteros in provincia Lugdunensi ad professionem, & quidem ad institutum Camaldulense, sed nulla canonica auctoritate suffultus.

Primæ eremi hujus locus appellabatur de Botheon in præfata Lugdunensi diœcesi, quatuor leucis dissitus a Valle-Jesu. Exploratissimum autem est hanc fuisse primam solitudinem a primis Gallicanis eremitis inhabitatam, licet successu temporis derelicta fuerit.

Siquidem „ Balthassar de Gudaigne de Hostun marchio de la Bau„ me, comes Virdunensis, baro de Maruvier, dominus Botheon aliorum„ que locorum, siniscallus Lugdunensis, post decem annos ab anno „ 1621. notum facit omnibus, ad quos spectabit, se maximopere cupi„ dum, ut instruerentur, & in religione catholica & apostolica firma„ rentur incolæ terræ suæ de Botheon, ipsis hominibus consentientibus im„ mo & exorantibus, eo quod catechistæ commorationem suam ha„ bent in urbibus, vocasse ad dictum locum patres Camaldulenses, „ sub titulo sancti Romualdi, ac construxisse pro ipsorum habitatione „ monasterium sub invocatione sanctæ Mariæ Consolationis, quadrante „ leucæ dissitum a præfato oppido, eo quia institutum eorumdem mo„ nachorum non patiatur habitationem in locis, ubi sit frequentia po„ pulorum, sed in locis a consortio hominum remotis, constituisseque pro „ substentatione octo religiosorum sufficientes redditus; idcirco se hujus„ modi attestationem facere, ut data opportunitate præfati eremitæ ipsius „ paginæ testimonio uti & prævalere valeant. Actum in dicto castro „ Botheon secunda octobris anni M. DC. XXXI. La Baume de Hostun. “ Anno 1634. die prima martii attestationem hanc in formam publicam redigi fecit idem marchio Parisiis manu publicorum notariorum, & XII. maji ejusdem anni recensita fuit in cancellaria archiepiscopali Lugdunensi a Josepho Rovet eremita Camaldulensi, manu cancellarii Basset.

Austerissima Bonifacii fundatoris vivendi ratio, singularis pietas, exempla omnium virtutum, signa etiam, quæ per eum Deus operabatur, amorem & venerationem ei conciliarunt plurium episcoporum & populorum, inter ceteros archiepiscopi Lugdunensis Dionysii de Marquemont S. R. E. cardinalis, & Petri de Villars archiepiscopi Viennensis. Hujus postremi patentes literas ad annum 1629. spectantes proferimus, ex quibus in cognitionem venimus, quanta in æstimatione forent ipsius archiepiscopi Camaldulenses eremitæ.

Petrus de Villars miseratione divina & sanctæ sedis apostolicæ gratia archiepiscopus & comes Viennensis, maximus Galliarum atque primatum primas, septemque aliis provinciis indulto apostolico vices summi pontificis gerens. Pastoralis nobis in hoc archiepiscopatu & diœcesi Viennensi officio concredito invigilantes, nulla nos major cura premit, quam ut divinus cultus in dies magis augeatur. Satis igitur sufficienterque informati de probitate vitæ, morum honestate, pietate in Deum, zelo observantiæ præceptorum divinorum, & regularium institutionum religiosorum sub titulo sancti Romualdi, vulgo Camaldulensium nuncupatorum, & sperantes, quod si in nostro archiepiscopatu & diœcesi Viennensi recipiantur & admittantur, plurima pietatis opera & exercitia ad majorem Dei gloriam, fideique, sanctæ matris ecclesiæ exaltationem, populique christiani curæ & sollicitudini nostræ commissi instructionem & ædificationem spiritualem facere & exercere poterunt. Cumque dilectus nobis in Christo reverendus pater Bonifacius ejusdem ordinis Camaldulensis, sub titulo supradicti sancti Romualdi religiosus sacerdos, juxta sibi a reverendo suo patre generali per authenticas literas nobis exhibitas integras & nullo modo vitiatas facultatem &

aucto-

auctoritatem concessam, humiliter supplicationem fecerit, quatenus licentiam et facultatem in hac nostra diœcesi conventum et domum aliquam erigendi, construendi et ædificandi concedere et impartiri dignaremur; sicque piarum quarumdam personarum erga suum ordinem devotarum eleemosynas oblatas acceptandi, & ad hunc finem recipiendi: Nos eapropter per præsentes dicto patri Bonifacio, qui supra, licentiam facimus et facultatem impartimur pias quascumque in suum ordinem devotarum personarum eleemosynas acceptandi per contractus, donationes, testamentum, et alio quovis modo concessas, et ubi primum nos de redditu sufficienti pro quatuor vel quinque religiosorum mansione, victu et vestitu certioraverit, domum erigendi, construendi et ædificandi, una cum oratorio seu capella, in qua sacrosanctum Missæ sacrificium offerri, eucharistiæ et pœnitentiæ sacramenta administrari, et divina officia celebrari possint, ibique vitam religiosam ducendi secundum statuta et regulas dicti Camaldulensis ordinis sub titulo sancti Romualdi; omnia denique alia dicti ordinis exercendi, quæ alibi et in aliis diœcesibus exercere soliti sunt, sub beneplacito tamen domini nostri regis Christianissimi, et dummodo omnia a jure requisita concurrant, quandoque dictæ domus seu conventus nomine eleemosynæ non quærantur, sed ipsi habeant in certis redditibus annuis, unde dictorum quatuor vel quinque religiosorum expensis satisfacere valeant, atque præfati oratorii erectio sit absque aliquo præjudicio parochi seu rectoris loci, in quo ipsa domus seu conventus erigitur. In quorum fidem &c. *Præsentibus manu nostra signatis sigillum nostrum ac secretarii chirographum duximus apponendum. Datum Condriaci in ædibus nostris die quarta mensis novembris anno Domini* M. DC. XXIX. *P. de Villars archiepiscopus Viennensis. L. ✠ S. De præfati illustrissimi ac reverendissimi Dñi domini archiepiscopi et comitis mandato, J. Baumet.*

Etenim ante mensem „ Johannes Busenant de Murines scutarius, „ consiliarius regis in suis consiliis, procurator sindicus generalis statuum „ Delphinatus hoc sollemne testimonium de eremitis Camaldulensibus „ protulerat, quod nimirum ipse anxius, ut in religione catholica Ro„ mana informarentur & roborarentur rustici, quos hæresis infecerat in „ partibus ejusdem provinciæ Delphinatus, advocaverit in ditionem suam „ eosdem Camaldulenses eremitas sub titulo sancti Romualdi, iisdemque „ assignaverit multa jugera terræ pro substentatione quinque religioso„ rum in loco per quadrantem leucæ distanti ab habitationibus rustico„ rum juxta Camaldulensium institutum. Quare ipse dominus exorat „ archiepiscopum Viennensem, ut permittat ipsis erectionem monasterii „ sub titulo beatæ Mariæ Gratiarum, quandoquidem spiritualis profe„ ctus in populis exoriebatur, ut ex literis approbationis constat &c. „ Factum Rueli die sexta octobris M. DC. XXIX. De Murines. " Hæc etiam fundationis pagina anno *1634.* ultima februarii ab eodem domino relata est in actibus publicorum notariorum, & duodecima maji ejusdem anni præfatus Joseph Rovet sacerdos & eremita sanctæ Mariæ de Consolatione ordinis Camaldulensis exhibuit ipsam cancellario insinuationum & regestorum archiepiscopi Lugdunensis.

Viget traditio eodem anno *1629.* Camaldulenses stationem habuisse apud ecclesiam sanctæ Mariæ Angelorum in Provincia tribus leucis a Massilia, & tribus ab Aquis-sextiis, quam modo occupant presbyteri Oratorii. Permittente supralaudato archiepiscopo Lugdunense Dionysio de Marquemont, & consentientibus iisdem Oratorii presbyteris, Bonifacius

ANN. CHR. 1764.

facius alteram eremum fundavit ad annum 1626. prope monte Peuchaut, appellatam æque oratorium beatæ Mariæ Gratiarum.

Sed ceteris fundationibus relictis, Bonifacius ad dilectam solitudinem suam de Botheon, & ad aliam parum distantem montis Peuchaut rediit, ibidemque arctum amicitiæ vinculum strinxit cum Vitali a Sancto-paulo Oratorii Domini Jesu presbytero, ac domino oppidi de Vassalieu, viro non ordinariæ pietatis, qui frequenter cum compresbyteris suis se conferebat ad eremos, ubi commorabatur cum Bonifacio ejusque asseclis, sancta simul colloquia miscendo. Anno 1620. Vitalis solitarium locum acquisierat parum distantem a suo castro, atque ibidem construxerat una cum Johanna a Sancto-paulo domina similiter de Vassalieu & Vaux capellam sub honore sanctæ Infantiæ Domini Jesu, & alteram sub invocatione sanctorum Sebastiani, Rocchi, Ludovici & Caroli, una cum domo seu eremo, ubi ferventiores compresbyteri residentes per agros, burgos & villas concionabantur, verbumque Dei disseminabant inter pauperes rusticos; idipsum agebat, sed alio modo, Bonifacius eremita prædicans sanctitate vitæ suæ, prædictionibus & dono miraculorum; quare populi earum viciniarum frequentes erant, ejusque altissimam contemplationem nonnihil præpediebant. Quadam die presbyter Vitalis orabat in oppido suo, viditque silvam montis Peuchaut, ubi erat sita Bonifacii eremus, conflagrare, & accessit ad locum perterritus; sed brevi tempore terrores versi sunt in admirationem, videns ignem nil consumere, beatamque Virginem Mariam cum infante Jesu inter brachia intactam subsistere inter flammas. Statim se contulit ad piissimum cardinalem Petrum de Berulle institutorem congregationis Oratorii Domini J. C. qui tunc Lugduni commorabatur pro fundatione domus, quique Vitali auctor fuit, ut in ipso conflagrationis visæ loco alteram domum erigeret pro mansione presbyterorum Oratorii. Quare sermonibus simul habitis inter Vitalem & Bonifacium, convenerunt, ut Bonifacius Vitali cederet eremos, & quidquid in eo monte possidebat, cum ecclesia sanctæ Mariæ Gratiarum; Vitalis autem cederet Bonifacio oratorium sancti Rocchi, & alteram ecclesiam Infantiæ Domini Jesu, quæ progressu temporis appellata fuit Vallis-Jesu. Hæc transactio sequuta est anno 1633. conscriptis tabulis permutationis die XII. februarii, & ea occasione ibidem se recepit ipso anno Bonifacius, haud incelebrem eodem in loco eremum condens. Apud ecclesiam sanctæ Mariæ Gratiarum, olim eremum, Vitalis domum compresbyteris suis fundavit, quæ annis sequentibus evasit illustris academia, ex qua prodiere doctissimi & piissimi viri le Henris, Therassons, Mastillons, Duque, Boyes *&c.* reservavit insuper Vitalis sibi titulum fundatoris ecclesiæ sancti Rocchi, & Vallis-Jesu, ac insuper constituit, ut in ecclesia sancti Rocchi feria quinta in Cœna Domini quotannis Sacrum decantaretur ab eremitis, & ablueruntur pedes duodecim pauperum, qui etiam ad refectionem corporalem detinerentur, & eleemosyna ipsis erogaretur. Duas Missas insuper quotannis eremitæ celebrarent pro iis, qui erant obsessi a malignis spiritibus, duas pro peste infectis, duas pro infirmis se commendantibus eorum precibus, duas juxta intentionem regis, & ad corroborationem sanctæ fidei, ac mutuam concordiam principum Christianorum, fundatis idcirco pensionibus annuis. Parum absuit, quin locum recens acquisitum derelinquerent eremitæ Gallicani Camaldulenses anno 1637. quo evocati fuere ab eorum superioribus, ut se in Italiam transferrent, victuri in domibus Italicis cum

ceteris

ceteris Coronensibus eremitis. In eo tamen loco consistere perseverarunt, & perstant ad hodiernam diem. Anno 1660. secunda februarii Camillus de Neufville archiepiscopus & comes Lugdunensis approbavit erectionem loci solitarii Vallis-Jesu, & confirmavit donationes, legata, eleemosynas dictæ eremo concessa, potestatem tribuens regendi & administrandi eas capellas, earumque dependentias, & gaudendi redditibus ad ipsas spectantibus, cum obligatione satisfaciendi menti & voluntatibus benefactorum, ac publice decantandi dietim officium canonicale, & vivendi sub disciplina & regularitate juxta Camaldulenses constitutiones. Quæ approbatio etiam recepta fuit in capitulo generali eremitarum die decima-octava maji anni 1661. Situs hujus eremi est in valle dissita quatuor leucis a Monbrissonio metropoli provinciæ *du Foret*, duabus leucis a Sancto-stephano. In valle appellata *les Amioux* contiguæ erant duæ eremi Vallis Jesu & sancti Rocchi, licet illa sancti Rocchi foret oratorium devotum, ubi aliquando eremitæ celebrabant & celebrant Missas, eremus autem Vallis-Jesu inhabitaretur ab eremitis, qui sensim acquisierunt fundos omnes & dominium vallis, ita ut deperdito nomine Vallis *les Amioux*, vocetur modo Vallis Jesu. Hæc solitudo videbatur primitus incommoda causa rupium, quæ undequaque eam circumdabant, ac impediebant lucem solis per aliquot horas diei; ceterum modo jucundissimus est ejus situs positus inter duo flumina, quæ simul conjunguntur, alterum Ligeris, quod originem habet in tractu Vivariensi, alterum quod potius appellari potest magnus rivus. Hæc duo flumina, postquam alluerunt eremum ex omni parte, circumcingunt vallem, ubi confluunt postea & excurrunt versus sanctum Rambertum, locum quatuor leucis distantem a Monbrissonio. Anno 1672. eremitæ adepti sunt castrum & terram de Vassalieu cum suprema, media & infima jurisdictione. Castrum, eremus & ecclesia sancti Rocchi triangulum efformant.

Atque hæc omnia hactenus facta absque legali forma. Anno 1634. Bonifacius obtinuit a rege Galliarum Ludovico XIII. hujusmodi patentes literas, quas ex Gallico in Latinum vertimus: *Ludovicus Dei gratia rex Franciæ & Navarræ præsentibus & futuris salutem. Cum nihil commendabilius sit quam id, quod Dei gloriam respicit, ita volentes nos pro viribus favere in omnibus locis regni nostri stabilitati numeri personarum piarum, devotarum, & religiosæ conversationis, ut ipsis mediantibus super status nostros gratiæ & benedictiones affluant, & cum admoniti simus de utilitate spirituali & temporali, quam afferunt subjectis nostris religiosi ordinis Camaldulensis sub titulo sancti Romualdi missi in regnum nostrum ab aliquot annis a suis superioribus, ut a nobis efflagitarent permissionem introductionis & stabilitatis ejusdem ordinis, qui antiquissimus est, cum plusquam a sexcentis annis approbatus fuerit a Romanis pontificibus, est insuper receptus per totam Europam, & etiam per regnum nostrum, ubi hujus ordinis eremitæ ab aliquot annis vixerunt ea vitæ puritate, ut archiepiscopus Viennensis instructus de fundationibus factis in eorum favorem, permiserit, ut commorarentur intra fines suæ diœcesis, nostra voluntate accedente. Nos igitur volentes auctoritate nostra id confirmare, liberaliter inclinati supplicationibus generalis dicti ordinis, & ut dicti religiosi Deum exorent pro manutentione status nostri, viso a Consilio nostro assensu dicti archiepiscopi Viennensis sub die* XIV. *novembris anni* M. DC. XXIX. *cum notitiis & fundationibus a domino de Murines, & marchione de la Baume factis ad favorem dictorum religiosorum sub sigillo nostro; de gratia speciali, plenitudine & auctoritate regia approbavimus*

ANN. CHR. 1764.

vimos & auctorizavimus, ac approbamus & autorizamus præsentibus literis manu nostra signatis dictum ordinem Camaldulensem sub titulo sancti Romualdi in regno nostro, & domus ab eremitis receptas, nimirum monasterium beatæ Virginis de Gratiis in loco Ruel in Viennensi in Delphinatu, & alterum beatæ Virginis de Consolatione in terra Botheon, & simul hospitium vel infirmariam Vallis-Jesu dependentem a loco Botheon; prohibentes quibuscumque cujusvis qualitatis & conditionis extiterint, ne eos perturbent, vel impediant in eorum constructionibus, et complendis ipsorum domibus sub quocumque prætextu; accipientes eos & eorum bona & domus sub nostra protectione & mundiburdio, & volumus, ut ipsi fruantur talibus et similibus privilegiis, quibus hactenus gavisi sunt, & quibus gaudent religiosi æqualis ordinis in nostro regno, sub perpetua tamen conditione, ut non habeant superiorem, qui non sit naturalis ex Gallia, sub pœna nullitatis præsentium. Mandamus itaque nostris dilectis fidelibus consiliariis, locumtenentibus &c. *ut præsentes recenseant earumque continentiam*, &c. *impediant perturbationes contrarias* &c. *quia hæc est nostra voluntas. Et ut id firmum sit & stabile, sigillum nostrum præsentibus imponi præcepimus* &c. *Datum apud sanctum Germanum a pratis mense februario anni gratiæ* M.DC.XXXIV. *nostri regni vigesimo-quarto*. Signatum *Ludovicus*, & inferius: *pro rege Servien* &c.

Obtinuit insuper anno sequenti rex Christianissimus ab Urbano VIII. Romano pontifice confirmationem hujus Gallicanæ congregationis eremitarum Camaldulensium apostolico diplomate, quod per extensum ad annum 1635. Annalium protulimus, quo forma canonica huic cœtui tribuitur, quo etiam supplentur defectus professionum eatenus a Bonifacio exceptarum; parlamenta quoque Parisiense & Gratianopolitanum confirmarunt tum regias, tum apostolicas literas. Orto insuper dubio paulo post, an validæ fuissent eremorum fundationes & professiones, eo quod Bonifacius nusquam emisisset professionem, idque expressum non fuisset in Urbaniana bulla, Innocentius X. sanavit anno 1650. pontificatus sui sexto hujusmodi defectum, sequenti bulla.

Innocentius papa X. ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Major et eremitæ Camaldulenses congregationis Galliæ, quod alias et de anno M.DC.XXV. *eremitæ Camaldulenses congregationis Taurinensis ad habitum per secundo dictæ congregationis eremitas gestari solitum, acceperunt dilectum filium Bonifacium de Antonio presbyterum diœcesis Lugdunensis, cui subinde etiam facultatem concesserunt nova monasteria instituti hujusmodi eremitici in regno Franciæ erigendi, prout idem Bonifacius beatæ Mariæ Virginis Gratiarum nuncupatum Viennensis diœcesis in Delphinatu, necnon et aliud beatæ Mariæ Consolationis, et reliquum Vallis-Jesu respective etiam denominata monasteria ejusmodi in diœcesi Lugdunensi erexit, quibus in monasteriis ad habitum prædictum et professionem per eosdem eremitas emitti consuetam, sexdecim aut septemdecim novitios Gallos recepit. Verum quia præmissa absque ulla sedis apostolicæ licentia gesta fuerant, subinde per quasdam in simili forma Brevis literas a felicis recordationis Urbano VIII. prædecessore nostro sub die aprilis decima-nona anno* M.DC.XXXV. *emanatas, omnia et singula, quæ idem Bonifacius in præmissis gesserat, approbari convalidarique cum omnium et singulorum tam juris, quam facti defectuum suppletione obtentum impetratumque fuit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ex quo nusquam idem Bonifacius solemnem professionem hujusmodi emisit, et hoc specifice in iisdem Urbani prædecessoris literis expressum minime*

fuit,

fuit, orta sit occasio de validitate nedum erectionis dictorum trium monasteriorum, sed etiam professionum per eosdem sexdecim aut septem-decim Gallos & alios superiores in manibus ejusdem Bonifacii, ut præfertur, non professi, emissarum dubitandi: nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut easdem professiones convalidare & alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. *sententiis* &c. *absolventes* &c. *hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præpositorum consilio, præmissis sufficienter provisum per prædictas dicti Urbani prædecessoris literas apostolica auctoritate, tenore præsentium declaramus, et nihilominus ad sedandas eorumdem exponentium conscientias, et ad majorem cautelam nullitates quascumque (quatenus in præmissis adsint) sanamus, ac præfatos defectus expresse supplemus, salva tamen semper in eisdem præmissis eorumdem cardinalium auctoritate. Decernentes præsentes literas validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus* &c.

Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die XXVI. *januarii anno Domini* M. DC. L. *pontificatus nostri anno sexto.*

Marcus Antonius Maraldus.

Erecta Gallicana congregatione, sed renuente Bonifacio fundatore regimen novellæ plantationis suscipere, post fundationem eremi Vallis-Jesu, eremitæ, qui sub ipso fuerant tum in loco de Botheon in diœcesi Lugdunensi, tum in aliis eremis provinciarum Viennensis & Provinciæ, tum demum in Valle-Jesu, simul adunati in congregationis superiorem sibi elegerunt Paulum de Solmes anno 1636. Extant literæ confirmatoriæ hujus electionis, quas conscripsit Major congregationis Coronensis Italiæ: *Nos domnus Cerbonius Major totius congregationis eremitarum Camaldulensium. Rationi consonum fore duximus, ut juxta creditæ nobis auctoritatis officium subditorum commodis jugi, quantum nobis concessum est, sollicitudinis studio intendamus, et ut provide communi omnium utilitati consulamus, nos totius nostræ congregationis regimini præsidentes assidua meditatione urgemur, ut iis, quæ muneris nostri sunt, satisfaciamus. Quare de vitæ probitate aliisque virtutibus Reverendi D. Pauli Arlanensis in Arvernia certiores facti, ut votis patrum nostrorum Camaldulensium, qui sunt in Gallia, nobis per literas eum in Superiorem postulantium satisfaciamus, cumque nobis constet præmissam electionem majori ex parte concordem et canonicam esse, juxtaque formam concilii, constitutionumque nostrarum ordinationem factam, nos de fratrum nostrorum visitatorum consilio, nostraque certa scientia et virtute, tenore præsentium confirmamus hujusmodi electionem, harumque serie literarum volumus et declaramus, ut iisdem privilegiis gaudeat, quibus alii congregationis priores gaudent. In quorum fidem has præsentes manu nostra subscriptas, sigillo nostri officii muniri jussimus. Datum in sacra eremo Camalduli die decima-quinta mensis februarii 1636. valituras usque ad capitulum generale anno venturo celebrandum. D. Cerbonius eremita Major. L. ✠ Sigilli.*

Die sequenti has superaddidit ad patres Gallicanos: *Nos D. Cerbonius*

bonius Major totius congregationis Camaldulensium, patribus, qui sunt in Gallia, debitum sincerissimæ dilectionis affectum. Probatio dilectionis exhibitio est operis. Læti vestras recepimus literas, quas avide a multo tempore optaveramus, & gratulati sumus zelo bono, quem in vobis esse domni Benedicti relatione didicimus, & magnum est nobis gaudium, quod vos ad verum ac perfectum gaudium velle tendere, & quæ Dei sunt, quærere comperimus, quod caletis igne Dei, convaletis de infirmitate, & floretis in novitate sancta instituti nostri; ex hoc jam nec falsum nomen, nec sancti Romualdi vacuum habitum portabitis. Digitus Dei subtiliter operans, suaviter renovans, salubriter mutans vos de bonis faciat meliores. Rerum vestrarum studiosi, vestrique amantissimi curavimus, prout nobis concessum fuit, votis vestris satisfacere, & vos omni favore prosequi; pro vobis scripsi patri procuratori, qui adhuc non respondit, & mirum non est, cum tot suæ cervici incumbant negotia, & tot ultro citroque curis agitetur, ut respirare vix valeat; interim si quæ venerint literæ & expeditiones, mittemus vobis securiore via . . . . Mittimus reverendo patri vicario confirmationis literas, quem hortamur, ut omnia, quæ ad perfectam constitutionum nostrarum observantiam, ceremoniarumque decorem pertinent, magna cura, studio & sollicitudine vigilet, ut exequantur. Alterius religionis viros ad habitum ne recipiatis, ne vos conturbent, & probate spiritus, utrum ex Deo sint. In Confessionibus audiendis observentur constitutiones; flammigero enim igne percutiunt mulieres conscientiam religiosorum, exuruntque fundamenta montium, & nobis credite, non potest toto corde cum Domino habitare, qui feminarum accessibus copulatur. Solitudinem maxime colite, ut sitis Deo & hominibus grati. Nolite anxie, si multa vobis desint, turbari; sanctus enim amor impatientiam non habet, & vere timentibus Deum nihil unquam deerit. Fratres diligite vos invicem; in sola enim dilectione omnium virtutum bona consistunt, & Deus pacis & dilectionis sit semper cum omnibus vobis, amen. Orate pro nobis. Ex sacra eremo Camaldulensi die XVI. mensis februarii anno 1636. Servus in Domino domnus Cerbonius eremita Major.

Prosequimur alias fundationes a Bonifacio pro sua nova congregatione factas. Eleemosynarius ducis Engolismensis Caroli Valesii pietatem & zelum illustris eremitæ probe noscens, ipsum exhibuit domino suo, multumque adjuvit ad obtinendam erectionem alterius solitarii loci in diœcesi Parisiensi. Carolus dux, dominus etiam oppidi de Gros-bois, tempore, quo incolæ hujus loci una cum parocho processionaliter se contulerant ad alterum oppidum de Boissi, demolire fecerat omnes domus de Gros-bois, ut ecclesiam parœcialem includeret intra septa sui vivarii, quod dilatare volebat. Ad expiationem hujus criminis obstrictus fuit a sede apostolica ad constructionem alterius ecclesiæ cum monasterio pro substentatione religiosorum virorum. Quare concupiscens habere in suo dominio Camaldulenses eremitas jam sibi bene notos, die undecima novembris anni 1640., ipsis & singulariter Paulo de Solmes congregationis Majori cessit terras in loco appellato Montety, dissito ab urbe Parisiensi quinque in sex leucas super montem desertum archidiaconatus Briæ comitis Roberti, quas terras recens acquisierat ejus filius dominus de Aletz gubernator pro rege in Provincia, volens, ut ibidem extrueretur monasterium, in quo eremitæ commorarentur, & ecclesia ædificaretur, transferendo ad ipsam divinum servitium, quod cessabat in ecclesia sancti Johannis-baptistæ de Gros-bois, quam receperat intra ædificia sui palatii, eodemque titulari nomine sancti Johannis-baptistæ do-

nare-

naretur nova ecclesia. Sequenti anno quinta februarii præsens contractus donationis & fundationis relatus fuit in actis cancellariæ Parisiensis. Sed anno 1642. undecima martii locum de Montety dissitum nimis comperiens a palatio suo de Gros-bois, & extra ditionem suam, commodius arbitratus est monasterium & ecclesiam Camaldulensibus ædificare in dominio de Yerres oppido proximo illi de Gros-bois, in loco dicto le Bouron, assignatis terris & redditibus, ac appositis nonnullis conditionibus & obligationibus Missarum pro anima sua & filii sui comitis ab eremitis celebrandarum, atque donationis hujus postremæ instrumentum post biduum recensitum fuit in eadem Parisiensi cancellaria. Septima maji ejusdem anni clarius aperuit mentem suam circa ecclesiam sancti Johannis-baptistæ, affirmans se non intellexisse, neque intelligere, ut in ecclesiam eremi transferretur jus parœciale, neque velle se parœcianos adigere ad eam ecclesiam agnoscendam ut curatam, sed tantummodo velle, ut ibidem restitueretur divinus cultus, & oraretur pro anima sua, & fundatorum, & benefactorum. Decima-octava martii ipsius anni Johannes-franciscus de Gondy archiepiscopus Parisiensis ratam habuerat translationem præfatorum eremitarum ex loco Montety ad locum le Bouron, ipsisque facultatem fecerat manendi in hoc secundo loco, & monasterium ac ecclesiam recipiendi, vetita tamen translatione juris parœcialis, quod erat in ecclesia de Gros-bois. Post biennium anno 1644. mense januarii Ludovicus XIV. Galliarum rex confirmavit donationem loci, & introductionem eremitarum Camaldulensium in Gros-bois; septima septembris parlamentum Parisiense, relatis literis Ludovici XIII. sub anno 1634. quibus sub sua protectione recipit ordinem Camaldulensem, relatis aliis literis mox dictis Ludovici XIV. approbantis donationem Caroli ducis Engolismensis, relata ipsius ducis donatione, omnia recensuit in suis actibus. Nona junii anno 1643. archiepiscopus Parisiensis commisit parocho de Boissi impositionem primi lapidis pro constructione novæ ecclesiæ; sub ejus enim parochi districtu fundata erat eremus, sed jam a die XIII. junii anni 1642. plantata fuerat Crux ante monasterium, celebrataque ibidem fuerat prima Missa, cui sacræ actioni interfuerant ipse dux Engolismensis, baro de Coutenant, dominus Salmatori aliique illustrissimi viri. Anno 1660. archiepiscopus Lugdunensis calculo suo approbavit erectionem hujus eremi, quam fundaverat dux Engolismensis, ad quam Bonifacius decem eremitas deduxerat ad annum 1640. Suppresso nomine de Bouron, locus deinceps nomen obtinuit Camalduli de Gros-bois, ut statutum est in capitulo generali eremitarum anni 1642. quod fuit primum congregationis. Eremus hæc octo leucis a Versailles, quatuor ab urbe Parisiorum, duabus a Bria comitis Roberti, tribus a Corbolio distat, inter flumina Senæ & Marnæ, quorum illud leuca, hoc duabus leucis fluit distantia ab eremo. Situs eremi pulcherrimus, ecclesia majestate nobilique simplicitate, sed præsertim sanctitate effulget. Ad januas chori imagines sanctorum Benedicti & Romualdi ex marmore prostant. Altare majus nulla tabula ornatur, sed, ut alio in loco diximus, suspensum obtinet undique visibile tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, juxta ritum antiquissimum ecclesiæ Gallicanæ, cum lemmatibus: *Pavete ad Sanctuarium meum, ego Dominus*; & *Quam terribilis est locus iste!* Alia duo altaria dicata sunt beatissimæ Virgini Mariæ, & sancto Romualdo. In ecclesia capituli quartum est altare sub titulo sancti Benedicti. Anno 1648. concessa fuit Ludovico de Grandis Burdigalensi eremitæ Camaldulensi facultas concionandi in eccle-

sia eremi, præsente duce Engolismensi. Visitur ad hodiernam diem cellula in quatuor brevissimas mansiunculas distincta, ubi ferventes eremitæ, qui primi accesserunt ad locum, incommodissimam habitationem sibi construxerant; sed nihil durum vel incommodum amori ferventi Sanctorum. Vix inchoatam de Gros-bois fundationem vidit Bonifacius, iterum se recepit ad dilectam solitudinem suam Vallis-Jesu.

Sequentia addimus documenta ad veterem sancti Johannis-baptistæ de Gros-bois parœcialem ecclesiam pertinentia. *Die vigesima-quinta mensis decembris* M. D. LXV. *Collatio parochialis ecclesiæ sancti Johannis-baptistæ de Grosso-bosco Parisiensis diœcesis ad collationem domini episcopi Parisiensis pleno jure existentis, vacantis per obitum illius ..... possessoris, sive alias quovis modo & quavis causa seu persona vacet, facta est pleno jure per Rev. patrem dominum Guillielmum Viole Parisiensem episcopum magistro Petro Boutedos presbytero diœcesis Senonensis, præsentibus venerabili viro magistro Petro Dreux ecclesiæ Parisiensis canonico, & magistro Nicolao le Jay presbytero Suessionensis diœcesis in claustro dictæ ecclesiæ commorantibus testibus. Morange.* Alterum: *Ego parochus villæ Cresnæ diœcesis Parisiensis notum facio tempore mei regiminis marchionem de Pienne emptorem terræ de Gros-bois sitæ intra meam parœciam a fundamentis excidisse ejus loci ecclesiam mense martio anni 1676. quæ fuerat antea dicti loci parœcia, & erat inclusa in parco, & proxima oppido de Gros-bois, & transtulisse ad meam ecclesiam fontes baptismales, quos reposui loco veterum tamquam decentiores. In quorum fidem &c. Parisiis undecima junii* M. DC. LXXXVII. *Thomas.*

Anno 1648. a Catharina Voyer reginæ regentis gazophylacii custode, & vidua Renati de Bellay toparcha de la Flotte, in eodem loco de la Flotte, sive de Classe, sive de Auxiliis diœcesis Cenomanensis fundata fuit eremus pro patribus Camaldulensibus, quam congregatio Gallicana acceptare hoc ipso anno in capitulo generali deliberavit. Anno 1682. proposita fuit ejus derelictio, quæ tamen locum non habuit.

Anno 1659. in alio generali capitulo statuta est repudiatio eremi de Montoire in eadem diœcesi Cenomanensi, ubi proposita fuerat fundatio, sed alia in ditione Cenomanensi similiter sequuta est, de qua aliqua in præsentiarum dicimus. Ægidius Renard scutifer regis Christianissimi, & commissarius ordinarius bellorum, Parisiis commorans, ut egregie mereretur de loco suo natali, dicto Belsè, suscepta ædificatione monasterii pro substentatione piorum religiosorum advocavit Camaldulenses eremitas sancti Johannis-baptistæ de Gros-bois, qui deputatis Ludovico de Grandis Burdigalense, & Angelo Martinet Piccardo convenerunt, ut consentiente episcopo Cenomanense erigeretur solitarius locus in loco dicto la Gavollerie, quam fundator eremitis condebat sub obligatione perpetua Missarum qualibet feria secunda & sexta anni, cum sponsione ædificandi ecclesiam & sex cellulas pro incolatu sex eremitarum, quibus etiam constituit dotem annuam. Actum Parisiis die XXX. decembris anni 1659. Consensere parochus & incolæ de Belsè die XVI. februarii, & magnus vicarius episcopi Cenomanensis die X. maji anni sequentis. In comitiis generalibus congregationis anni 1661. conclusa est & firmata acceptatio fundationis. Ludovicus XIV. Franciæ rex & Navarræ literis patentibus donationem & erectionem ratam habuit mense septembri anni 1676. regni sui trigesimi-quarti, memoratis literis patris sui Ludovici XIII. regis anni 16 4. quibus Camaldulenses sub regia protectione susceperat; & anno sequenti die XXII. junii Ludovicus de la Vergne Montenard

de

de Treſſan epiſcopus Cenomanenſis conſiliarius regis, & primus eleemoſynarius fratris unici majeſtatis regis eamdem fundationem jam a prædeceſſoribus ſuis approbatam confirmavit. Eremus de Beſsè ſita eſt in inferiori Vindocinatu, ſex leucis a Vindocino, decem a Cenomanenſi urbe, novem ab urbe Turonenſi diſſita; ædificata fuit juxta regulas ceterarum eremorum cum eccleſia ſingularis architecturæ. Vigeſima julii anni 1660. primus lapis impoſitus eſt cellularum, & vigeſima-prima martii anni ſequenti primus eccleſiæ lapis. Floruere in ipſa eremo Angelus Martinet, qui, ut eremi Vallis-Jeſu, fuit & hujus alterius præcipuus ædificator, qui ſancte, ut vixit, obiit anno 1689. quo etiam deceſſit Paulus Picquelin Normannus olim presbyter & diſcipulus S. Vincentii a Paulo dicti de Sancto-Lazaro. De Paulo narratur, quod cibus ejus erant folia ſicca & mortua arborum igni elixa; fuit & Arnoldus le Maire, de quo diximus ad annum 1733. Fundator eremi Ægidius frater Franciſcæ Renard vixit ſub protectione dominorum de Louvois Courtenvaux. Obiit anno 1670. & humatus eſt in eccleſia ſancti Germani Altiſſiodorenſis Pariſiis. Dictum fuit, quod Nicolaus Boileau Deſpreaux Renardi meminerit in ſatyra, ubi legitur: *Alidor! je lai connu la quais avant quit fut commis. C'eſt un homme d'honneur, de pietè profonde, & qui veut rendre a Dieu ce qu'il a pris au monde.* Hanc narrationem compendio deſcripſimus a fuſa relatione Romani Babel eremitæ Camaldulenſis congregationis Gallicanæ.

Anno 1661. Bonifacius cum fratre Matthæo Volcanſon ſuppliciter expetierunt ab Henrico de Maurepas epiſcopo Podienſi, comite Vellaniæ & conſiliario ordinario regis in omnibus ſuis conſiliis, pro devotione, quam gerebant erga capellam angelicam eccleſiæ cathedralis beatæ Virginis de Podio, facultatem ſe ſtabiliendi in ejus diœceſi, ubi caritas fidelium eos evocaret, adnectentes atteſtationes magni vicarii Lugdunenſis. Copiam fecit Henricus epiſcopus die XVI. julii ejus anni. Die XIII. junii anni ſequentis dominus La-tour conſenſit, ut iidem eremitæ ſe locarent in ditione ſua loco, quem aptiorem reperirent, pro ædificanda ibidem eremo, adhortans vicinos ad opem ipſis præſtandam. Parochus ſanctæ Sigolenæ die ſequenti conſenſum & ipſe præſtitit. Anno 1666. Armandus de Bethune epiſcopus & dominus Podienſis & comes ratam anteceſſoris ſui facultatem habuit, ſtabilitatem eremitarum permittens in capella, quæ erat in eremo de Sapet parœciæ ſanctæ Sigolenæ, & commiſit Bacard antiquiori canonico Meneſtrolii benedictionem loci, ea addita conditione, ut ſemper ibidem commoraretur eremita ſacerdos, qui Sacrum celebraret. Datum Meneſtrolii die XXIX. aprilis M. DC. LXVI. Armandus de Bethune epiſcopus & dominus Podii, comes Vellaniæ.

Anno 1672. decreta fuit derelictio eremi Montis-valeriani, alias dicti Montis-Calvarii, duabus leucis a Pariſiis. Capitulum generale hujus anni præcepit, ut redderentur claves archiepiſcopo Pariſino Franciſco Harlay, qui eremitas introduxerat die III. julii anni præcedentis, poſt admonitos de hac deliberatione canonicos regulares ſanctæ Genovefæ, & poſt gratias ipſis actas eorum bonæ voluntatis.

Poſt biennium in alio capitulo recepta eſt fundatio eremi ſancti Salvatoris de Rogat in parœcia ſancti Gongardi in comitatu de Rieux in Brittania-minori exhibita a dominis Du-pleſſis de Guenegaud. Cautum nihilominus, ut reformaretur clauſula donationis, in cujus contractu legebatur, quod caſu ruinæ diſciplinæ regularis eremitæ Camaldulenſes privarentur dicta fundatione. Solitudo ibidem eſt pulcherrima, & profundus

ANN. CHR. 1764.

fundus fluvius ex parte inservit pro propugnaculo. Confirmata fuit fundatio anno 1696. quam deserere erat in animo eo ipso anno.

Anno 1681. captum in comitiis generalibus congregationis, ut repudiaretur eremus beatæ Virginis de Victoria, de qua cum domino Auberto tractatus miscuerat annis antecedentibus Benedictus Veyra Major eremitarum, eo quod modici essent redditus ad alendos solitarios.

Fuse loquuti sumus ad annum 1679. de eremo insulæ Calveti, neque aliud addimus. De eremitis sancti Severi in inferiore Normandia scimus ipsos tentasse se conjungere cum eremitis Gallicanis, quod effectum non habuit, & ad hodiernam diem ipsos perseverare, Camaldulenses se nominare & filios sancti Romualdi.

Sed ad insignem fundatorem hujus congregationis Bonifacium redeamus, reliqua de ejus vita, sanctaque morte dicturi. Reclusio & integra separatio a rebus exterioribus unicum erat objectum ejus pietatis, ut sedulo vacare posset orationi, & continuæ meditationi. Postremæ suæ vitæ annis solus secessit in eremum beatæ Virginis Magni-Johannis sitam in parœcia sancti Justi haud procul a Valle-Jesu in diœcesi Lugdunensi. Capellam hanc obtulerat eremitis Gallicanis cardinalis Bullionius, magnus Franciæ eleemosynarius, qui eam acceptarunt anno 1673. licet ob paupertatem loci derelinquere coacti fuerint. In ea tamen sexdecim annorum spatio delituit, seque sanctificavit Bonifacius, pœnitentiis & austeritatibus indulgens, & unioni divinæ præsentiæ. Narrantur prodigii loco certamina, quæ substinebat cum dæmonibus, super quos dominium exercebat, vocabaturque passim ad eos abigendos a corporibus obsessorum, virtute simplicitatis hos liberans, ut referunt parochi ejus regionis. Dicebat discipulis suis: Venite filii ad me, & ego vos docebo, quommodo expellantur dæmones. Ad sepulcrum pone altare pernoctabat in precibus. Ex omni genere viri ad ipsum confugiebant, quos omnes consolabatur. Addictissimus erat cultui beatæ Virginis, sub cujus patrocinio voluit esse eremitas a se institutos sub titulo beatæ Mariæ de Consolatione. Humilitatis gratia simulque contemplationis fruendæ causa renuit esse Major, recusavit præesse capitulis generalibus; omnia agebantur cura Pauli de Solmes discipuli sui; ipse vero sanctificationi animæ propriæ vacabat. Infirmatus est demum e Lugduno veniens, & subsistere coactus fuit in domo parochi ecclesiæ beatæ Mariæ de Sancto-stephano duabus leucis a Valle-Jesu. Habitatores dicti loci custodes posuerunt ad domum parochi, ut decedentis Bonifacii reliquias penes se retinerent, e contra eremitæ formidabant sancti ejus cadaveris jacturam substinere. Decessit itaque XII. januarii anni 1673. nonagesimo-secundo vel quarto ætatis anno, & cum accessissent eremitæ ad elevandum ejus corpus & deducendum ad eremum Vallis-Jesu, validas repererunt oppositiones populi. Parochus propterea eremitarum rationibus motus civium vigilantiam elusit, reponens in lecto vestes & togam eremiticam, corpus vero famuli Dei tradidit eremitis, postquam cor ipsius extrahi fecit, quod reposuit in parva fovea de industria elaborata confestim in sanctuario, & ad consolationem populorum distribuit inter primores ejusdem loci vestes & parva mobilia, quæ fuerant ad usum Bonifacii, quæque ad hodiernam diem servantur & in magno pretio habentur a filiis & nepotibus præfatorum civium. Compertum est unum ex ipsis civibus contactu tunicellæ sancti viri frequenter expertum pro se & pro amicis creberrimas curationes. Laudatus Romanus Babel eremita prior solitudinis de Besse, & antea prior Vallis-Jesu, frater Placidi Babel Majoris ejus congregationis, qui ex monumentis

tis archivi Vallis-Jesu collegit, examinavit, ac loquutus est cum hominibus, qui prodigia viderunt, vel experti sunt, vel ei narrarunt, quique omnia, quæ scribimus, communia nobiscum voluit multa cum humanitate, testatur, „ se vidisse virum, qui evasit e morbo periculoso „ in crure, intercessione famuli Dei; alium sibi narrasse mulierem quam„ dam, quæ moliebatur veneno de medio tollere conjugem suum, con„ versam fuisse a Bonifacio, qui ei manifestavit consilium, quod medi„ tabatur, & locum, ubi condiderat venenum; quare perterrefacta fe„ mina fassa est reatum suum, & provolvens se ad ejus pedes impium „ facinus detestata est, projiciente sancto viro venenum in ignem. Pa„ rochos hujus regionis maximam æstimationem servare & memoriam „ piissimi eremitæ, unumque ex ipsis affirmasse, quod si Camaldulenses „ curarent, ut Sanctorum albo adscriberetur, ad ejus sepulcrum adfu„ tura esset frequentia majoris populi, quam quæ reperiatur ad tumbam „ alterius Sancti, & addidisse, etiam ad illam sancti Francisci Regis, „ ad quam concurrit prodigiosus populorum numerus. Virum conditio„ nis deposuisse, quod in elevatione sacri corporis e domo parochi por„ titores coacti fuerint incedere per longiorem viam, & per semitas ru„ des & asperas tempore hyemis & abundantis pluviæ, ac aliquot ho„ rarum itineris, neque tamen se sensisse lassos, aut vel parum madi„ dos. Hoc prodigium publicum fuit, narratumque est per totam regio„ nem illam, confirmantibus ceteris id, quod asseruit nobilis vir. Idem „ affirmavit in his viciniis familiam reperiri, quæ maledictionem Dei „ sensibiliter experitur, postquam quidam major ejus familiæ obvium „ habens sanctum virum Bonifacium quodam die super viam, quæ du„ cit ad Sanctum-stephanum, injuriis lacessivit, & oneravit pondere, „ quod deferre impie fecit ipsi usque ad domum suam, nulla habita „ ejus ætatis, sanctitatis & characteris sacerdotalis ratione. “

Hæc de eremis Gallicanis, & de sancto fundatore Bonifacio. Aliqua, sed brevissime de primis ejus discipulis. Paulus de Solmes, quem de Solimes in Annalibus appellavimus, clericus urbis Arlem in Alvernia professionem emisit in eremo sanctæ Mariæ de Consolatione XXV. junii anni 1632. Dignitates in congregatione refugiit, ut Deo frueretur; attamen pluribus vicibus oneri supremo humeros supponere coactus fuit. Ipsius sedulitati debetur fundatio eremi de Gros-bois. Obiit XVI. septembris anni 1668.

Joseph Royer vel Rover sacerdos urbis Cantillæ in Borboniensi provincia transiit anno 1633. ex societate Jesu ad Camaldulenses eremitas, apud quos doctrina & sanctitate floruit. Eodem anno 1668. XXVIII. februarii mortalitatem exuit.

Michael Gory sacerdos ordinis sancti Francisci ex parœcia de Cobony provinciæ Velaniæ XIII. februarii anni 1635. institutum Camaldulense arripuit. Quadragesimo-primo professionis anno decessit die XX. maji anni 1677. postquam Majoris officium pluries adimpleverat.

Hieronymus de la Grave Sabaudus natus Balmæ in diœcesi Genevensi, consanguineus sancti Francisci Salesii, maturitate morum & sanctitate vitæ conspicuus floruit inter Gallicanos eremitas ab anno 1651. usque ad annum 1676. diem VII. januarii, qua XLV. ætatis annum agens inter vivos esse desiit.

Placidus Aubert primus prior abbatiæ seu eremi Calvetti sexta augusti anni 1681. Maurus Champion XI. januarii ejusdem anni; Simeon Dournel

Ann. Chr. 1764.


Dournel VI. julii anni 1684. obiere, quorum memoria apud præfatos eremitas in benedictione est.

Arsenius de Schamps Rotomagensis professus ab anno 1666. XXVI. junii defunctus est anno 1683. XXIII. septembris. Cum esset congregationis Major dignitate absolvi expetiit anno præcedenti, perinde ac præsensisset proximam sui corporis dissolutionem. Sexaginta annis post ejus decessum, appellabatur magnus Arsenius, & in mss. codicibus sanctus eremita.

Ceteros hic omittimus, vel nominatos cum laude suis locis, vel quorum nuda nomina ad nos dumtaxat pervenere. Grates tamen reddimus D. Romualdo Jops visitatori ejusdem congregationis Gallicanæ, qui nulli parcens labori & diligentiæ monumenta omnia ad nos transmisit, ex quibus superiorem Appendicem sive historiam, necnon ea, quæ suis loci diximus, eruimus.

Atque hic finis esto his Annalibus, gratias in primis agentes Deo, quod pium, sed improbum opus & longum absolverimus non satis firma valetudine donati, atque inter multiplicis generis curas. Lectores, præsertim ex nostris Camaldulensibus, parcant, si quæ minus pro dignitate, si quæ prolixius, quam par erat, exaravimus, eosque precamur, ut, dum legunt, nostri memores, suis precibus Dei misericordiam super nos vivos defunctosque enixe implorent.

FINIS TOMI OCTAVI.



Monasterium S. Gregorij ad clivum Stauri de Urbe.

INDEX
RERUM ET NOMINUM, QUÆ CONTINENTUR IN TOMO OCTAVO ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

Litera a. initium paginæ, b. medium, c. finem designant.

A

B

Bri-

C

D

E

F

G

Gar-

alii

H

I

K

L

Liu-

M

Ma-

N

O

P

Peccet-

Petrus

Poli-

S

T

V

Val-

Y

Z

FINIS.

ERRATA IN ANNALIBUS.

Pag. 29. *lin.* 31. Guidonis *lege* Ugonis

31. *lin.* 38. donavit *lege* domavit

31. *lin.* 43. augustissimaque *lege* augustissimaque

36. *lin.* 5. Camaldulensem *lege* Camaldulense

36. *lin.* 15. tractavit, & *lege* tractavit &

45. *lin.* 22. visito *lege* visio

47. *lin.* 33. cardinale Sylvio *lege* cardinalis Sylvius

50. *lin.* 36. Sanctorum *lege* Beatorum

61. *lin.* 42. nerariorum *lege* nefariorum

63. *lin.* 22. M.D.XVIII. *lege* M.D.XXVIII.

74. *lin.* 20. *dormianti* lege *dormiunt*

82. *lin.* 46. espugnationem *lege* expugnationem

90. *lin.* 49. cancellario *lege* cancellarii

100. *lin.* 32. profusus *lege* profusis

115. *lin.* 31. 1551. *lege* 1571.

133. *lin.* 23. *se* lege *seu*

152. *lin.* 24. *hori* lege *horis*

153. *lin.* 13. distans ad urbe *lege* distans ab urbe

165. *lin.* 2. & 3. *sic legendum:* S. Mariæ de Misericordia Terræ-arsæ, & S. Mariæ de Succursu Sarmatiæ *&c.*

168. *ad oram:* Eremus Coronatæ *&c.* *lege* Eremus S. Salvatoris a Prospectu Neapolis.

197. a. 198. c. 214. b. 235. b. Brolius *lege* Brolia.

203. *lin.* 40. Petrus *lege* Paulus

212. *lin.* 50. *Poeta* lege *Poetica*

215. *lin.* 28. suspens *lege* suspensus

225. *lin.* 3. Clementis VIII. *lege* Clementis VII.

250. *lin.* 15. MDC.VII. *lege* M.DC.XVII.

250. *lin.* 32. Federico *lege* Friderico

252. *lin.* 17. daturum *lege* daturam

263. *lin.* 35. Petri *lege* Pauli

265. *lin.* 41. II.. lege *quondam*

271. *lin.* 42. sorori *lege* sororis

279. *lin.* 22. Soten *lege* Schoten

279. *lin.* 36. abbas Sotensis *lege* abbas Schotensis

Pag. 285. *lin.* 35. Ebestorf *lege* Eberstorf

280. *lin.* 37. *Obseverini* lege *Ober-sivering*

281. *lin.* 42. chorus pro LII. *lege* pro XXIV.

297. *lin.* 48. *ordinis* lege *ordinis caput*

301. *lin.* 22. posse *lege* posset

307. *lin.* 40. ex clericis minoribus *lege* ex clericis regularibus

317. *ad oram* Alexandri Cacciæ *lege* Bartholomæi Cacciæ

318. *lin.* 49. in chorum *lege* in choro

327. *lin.* 24. eorum *lege* earum

328. *lin.* 3. de Poden *lege* de Baaden

339. *lin.* 39. Melosius *lege* Malosius

353. *lin.* 1. monasterio *lege* in monasterio

354. *lin.* 18. Falconinius *lege* Falconcinius

356. *lin.* 23. facta *lege* fata

361. *lin.* 1. reperiantur *lege* rejiciantur

369. *lin.* 19. Tripus *forte lege* Tripos

379. *lin.* 10. memoribus *lege* nemoribus

405. *lin.* 36. quo separatur *lege* quo solvitur

414. *lin.* 46. Fucicli *lege* Ficicli

450. *lin.* 47. Marcellus *lege* Franciscus

466. *lin.* 44. 1680. *lege* 1681.

478. *lin.* 32. rispublicæ *lege* reipublicæ

482. *lin.* 15. Arienrio *lege* Arientio

515. *lin.* 12. quæ summa, detractis *lege* a qua summa detractis

534. *lin.* 6. *ad oram adde* VIII. Capitulum generale

548. *lin.* 30. de translationem *dele* de

550. *lin.* 51. Ferdinando *lege* Ferdinandi

554. *lin.* 14. super quam *lege* super quem

562. *lin.* 30. de Montaltis *lege* de Montalvis

565 *lin.* 7. conficere *lege* confecere

572. *lin.* 22. 2692. *lege* 1692.

573. *lin.* 46. favorem *lege* fervorem

574. *lin.* 11. *reliquias* lege *reliquiæ*

580 *lin.* *ad calcem* Tom. VII. *lege* Tom. VIII.

618. *lin.* 1. in eos *lege* in eo

649. *lin.* 23. Nuyadi *lege* Nuniady

663. *lin.* 2. sermonem *lege* sermones